
JOANNIS A SANCTO THOMA CURSUS THEOLOGICUS



TOMUS IV

FASCICULI I–III

DESCLÉE ET SOCII-PARISIIS-TORNACI-ROMÆ


MCMXLVI

JOANNIS
A SANCTO THOMA O. P.
CURSUS THEOLOGICI
TOMUS IV

JOANNIS
A SANCTO THOMA O. P.
CURSUS THEOLOGICI

TOMUS QUARTUS

*OPERA ET STUDIO
MONACHORUM QUORUMDAM
SOLESMENSIUM O. S. B. EDITUS,
IN QUO QUID CONTINEATUR
VERSA PAGELLA INDICABIT.*



TYPIS SOCIETATIS S. JOANNIS EVANGELISTÆ
DESCLÉE ET SOCIORUM
PARISIIS — TORNACI — ROMÆ
MCMLIII

CONSPECTUS RERUM

QUAS COMPLECTITUR TOMUS QUARTUS



LITTERÆ EMINENTISSIMI CARDINALIS EUGENII PACELLI, TUNC QUIDEM A SECRETIS STATUS FELICIS RECORDATIONIS PII PAPÆ XI, NUNC VERO SUB NOMINE PII XII GLORIOSE REGNANTIS, AD MONACHUM SOLESMENSEM PRÆSENTEM EDITIONEM CURANTEM DIRECTÆ.

MON RÉVÉREND PÈRE,*

Le troisième volume de votre « Cursus Theologicus » a bien intéressé le Saint-Père, qui vous en dit toute Sa reconnaissance, heureux de trouver dans ce nouveau fruit de vos labeurs la nourriture substantielle dont beaucoup d'âmes religieuses sont à la recherche dans le monde aussi bien que dans le cloître.


Vous avez là en même temps bien travaillé et bien prié; et c'est précisément cet heureux mélange de la prière du cœur et du travail de l'esprit qui a frappé le Saint-Père en parcourant votre volume et dont Il aime à vous féliciter tout particulièrement. La consigne de votre Saint Patriarche « ora et labora » ne saurait avoir une plus haute réalisation.

En vous remerciant, ainsi que vos chers confrères, de votre filial hommage, Sa Sainteté se réjouit de voir se perpétuer dans le laborieux foyer de Solesmes les bonnes traditions de piété et de travail intellectuel qui ont fait son renom. Elle demande à Dieu de vous garder dans cet esprit et vous envoie de tout cœur à tous, et à vous en particulier, mon Rév. Père, la Bénédiction Apostolique.

Je saisis volontiers cette occasion pour donner à Votre Paternité l'assurance de mes religieux sentiments.

E. CARD. PACELLI.

* Segreteria di Stato di Sua Santità nº 168752. Dal Vaticano, le 27 Avril 1938.



IMPRIMI POTEST :
SOLESMIS,
DIE 27 FEBRUARII 1953
✠ FR. GERMANUS COZIEN
ABBAS SCI PETRI DE SOLESMIS.

IMPRIMATUR :
TORNACI,
DIE 26 NOVEMBRIS 1953
✠ CAROLUS-MARIA
EPISCOPUS TORNACENSIS.



SOLESMENSIUM EDITORUM

PRÆFATIO IN TOMUM QUARTUM

1. TANDEM, post annos quindecim, tot talibusque agitatos tempestatibus et calamitatibus, en prodit tomus iste Cursûs Theologici quartus, ceteros mole superans, nulli doctrinarum pondere impar. Cujus quidem fasciculum secundum, binos complectentem tractatus de Trinitate et Creatione, jam publici juris, anno 1946, feceramus, at absque ullo procemio. Unde id hodie præstandum remanet, ut in universum tomum lectores introducamus. Nunc igitur de duobus breviter agendum : in primis de materiis in hoc quarto volumine contentis, præsertim de his quæ ad tractatum de Opere VI Dierum pertinent; deinde de editionibus quibus ad textum stabiliendum usi fuerimus.

ARTICULUS I

De his quæ in tomo quarto continentur.

2. CIRCA DE TRINITATE TRACTATUM, nihil dicendum occurrit, nisi ea, quæ Joannes a Sto Thoma de arcano hoc mysterio disseruit, uno theologorum ore laudari, et communi suffragio censeri inter profundissima quæ umquam ab altissimis ingeniis Deitatis secreta rimantibus contemplata sunt. Quam laudem maxime merentur quæ, in disputatione 32, de processionibus intra Deum scripsit; sed etiam disputatio 35, circa personas divinas in speciali, ubi multa præclara de Spiritûs Sancti processione; item disputatio 37, in qua, de personarum divinarum missione agens, nonnulla tangit auctor quæ faciant ad intelligendam intimam Dei præsentiam in anima, exindeque nexum indicat inter sanctificantem gratiam communem et mystica contemplativæ vitæ dona.

3. CIRCA TRACTATUM DE ANGELIS, paulo amplius immorandum. — Fortasse enim non deerunt hodie qui mirentur Joannem a Sto Thoma multa fidenter et asseverate disputasse de re istà angelicà, ab humanis intellectibus tam remotà, et Scripturæ sanctæ oraculis sub quodam figurarum velamento, ac metaphoris quasi caligine obvolventibus, semper propositâ. Unde ab re non erit aliquid de prolixitate deque pretio hujus tractatûs proferre.

4. *Primo igitur animadvertat lector,* nonnisi moderate ac sobrie in hac materia egisse auctorem nostrum. Quod ut demonstremus, sufficiet tractatum de Angelis comparare cum tractatibus de Deo uno et de Trinitate, tum apud Joannem, tum apud præcipuos hujus temporis theologos, notando quot unusquisque paginas * de iisdem rebus scripserit : * pag. in folio, non multum dispares

	de Deo uno	de Trin.	de Angel.
S. Thomas	135 pp.	74 pp.	95 pp.
Bannez	315 pp.	98 pp.	122 pp.
Molina	527 pp.	232 pp.	176 pp.
Vazquez	700 pp.	250 pp.	240 pp.
Suarez	312(+ 117)* pp.	170 pp.	632 pp.
J. a S. Th.	1138 pp.	235 pp.	248 pp.

* ex *Disput. Metaphys.*

5. Quibus consideratis, patet Joannem a Sto Thoma, si absolutam spectas quantitatem, haud multo plus quam Molinam aut Vazquez de Angelis disputasse, multo minus quam Suarez. At præsertim, has 248 paginas componendo cum paginis 1373 disquisitioni rerum

divinarum consecratis, apparet quanto majore studio Dei Omnipotentis cognitionem consectatus sit theologus noster, præ cælestium spirituum scrutatione. Immo, proportionaliter [1] nullus est qui doctrinæ de Deo perquirendæ tam amplas partes tribuerit, doctrinæ vero de Angelis tam exiguas.

6. *Hæc de quantitate. Quid porro de pondere ac momento?* — Ut candide loquamur, fateri equidem oportet non pauca occurrere in hoc tractatu, quibus certitudinis gradum eumdem nequaquam concedere possumus, quem statuebat Joannes. Id præcipue accidit quia, vestigiis Patrum et Doctoris Angelici insistens, cum ipsis absque ulla dubitatione uti firmissima fundamenta disputationum suarum accepit theologus noster Scripturæ sacræ locos nonnullos (v. g. quæ de rege Tyri Ezechiel, XXVIII, 1-19, aut de rege Babylonis Isaias, XIV, 12-15, vaticinatur), quos hodierni exegetæ non arbitrantur Angelis litteraliter aptari posse. Præterea, sicut olim Divus Thomas scriptoresque medii ævi [2] fere universi, ita et Joannes noster effatis Pseudo-Areopagitæ auctoritatem inesse credit vix eâ minorem, quam in divinis oraculis agnoscit, ubique Dionysio innixus, « qui ceteris abundantius Angelorum notitiam nobis tradidit, eamque doctrinam ex Apostolis hausit, præcipue ex Paulo, cujus discipulus fuit *. » Quæ omnia theologici ædificii soliditati, profecto, nocuere.

* ita Joannes, infra, p. 458, n. 4

7. Nihilominus, maximâ fiduciâ affirmare audemus quemcumque theologum, aut etiam philosophum, disputationes de Angelis inferius editas attente perlegentem, plurimos eximiosque inde scientiæ fructus percepturum. Cum etenim de ente penitus incorporeo agendum esset, occasionem accepit auctor profundissime perscrutandi materiæ primæ notionem, atque hypothesim refutandi cujuslibet materiæ « spiritualis » (disp. 39, a. 2); item, inquirendi de individuationis principio (disp. 39, a. 3). Investigat etiam intimas rationes loci, præsentiæ et motûs localis (disp. 40). Insuper, quantum Angeli natura, licet prorsus spiritualis, longe distet ab actu puro, solide demonstrat, multiplicem detegens in ejus esse et agere potentialitatem (disp. 41, a. 1 & 2); modumque disquirit quo intellectus, a corpore et sensibus totaliter alienus, species cognoscitivas recipiat eisque utatur (disp. 41, a. 3 & 4; disp. 42, a. 1 & 2) : ubi multa præclara disseruntur de intellectiva cognitione, et ratio ultima redditur de inviolabili cordium secreto, libertas nempe qua cogitationes ab hoc necessitatis universo eximuntur (disp. 42, a. 3). Denique de cunctarum creaturarum labilitate acute disputat, deque dæmoniorum peccato (disp. 43-44). Quibus indagationibus haud parum certe lucis in rebus difficillimis affertur, nec parum emolumenti diligens inde capiet lector.

8. Circa tractatum de Opere VI Dierum, prima quæstio, omniumque potissima, est de authentia. — Rei caput hoc est : quando Joannes a Sto Thoma ipse edendas curavit disputationes suas in Iam Partem, hunc tractatum luci minime dedit : abest enim tum a tomo I editionis principis (Compluti 1637), tum a tomis II & III (Lugduni 1642-3), omnis quæstionum 65-74 Divi Thomæ explanatio *. Auctore autem e vivis præmature sublato, annisque pæne 20 elapsis, Lugduni septem tomis prodibat Cursus Theologicus (anno 1663 **); et in fine tomi I, post exactam quæstionem 14 de scientia Dei, præter exspectationem præterque rectum materiarum ordinem, adjiciebatur commentarius in qq. 65-74, id est tractatus de Opere VI Dierum (tomo I, p. 499-555). Anomaliæ hujus explicatio nulla. Tantummodo in fronte voluminis (verso nempe folio ipsius tituli majoris) hæc inserebant editores : « BIBLIOPOLÆ LECTORI. Lector amantissime, ne graveris si tractatum de opere sex dierum ad calcem hujus primi Tomi, fuerimus coacti adnectere; Etenim seriùs (completo nempè & absoluto Tomo secundo, imò & publicato) in manus nostras devenit. Qui cum summâ eruditione refertus ab omnibus viris doctis habeatur, Ordinem invertere quam publicè * deesse utilitati maluimus. Hoc te monitum volumus, & ut gratum habeas supplices rogamus. Vale & Fave * ». Unde sponte nascitur quæstio : Utrum tractatus iste, ab editione principe ignoratus, post longum tempus ab his suspectæ fidei bibliopolis (et quidem in extera regione positis) inventus et impressus, authenticus sit Joannis a Sto Thoma fetus, an supposititius.

* cf. supra, tomi I Præfationem, p. XVII - XVIII

** cf. ibidem, p. XXI - XXIV

* Sic

* hæc jam exscripsimus supra, tomo II, p. 530

9. *Hujus nodi haud ardua solutio.* Ipse enim Joannes in Cursu Philosophico (tract. *de Meteoris*, tract. VII, c. 1, in fine *) expresse lectorem remittit ad tomum secundum Commentariorum

* RE II, 873

(1) Relato enim tractatu de Angelis ad tractatum de Deo (Uno + Trino), propertio, apud D. Thomam, est unius ad 2, 2; apud Banez, 1 ad 3, 3; apud Molinam, 1 ad 4, 31; apud Vazquez, 1 ad 3,95; apud Suarez, 1 ad 0,94; apud Joannem a S. Thoma tandem, 1 ad 5,53.

(2) Ab anno circiter 1150.

suorum in Iam Partem, ubi latius promittit se rem explanaturum « agentes de opere sex dierum ». Id autem revera præstatur in tractatu de Opere VI Dierum, q. 69 *, nn. 9-19 et 28-29. Qui bina loca attente contulerit, præsertim diversorum marium descriptionem (infra, p. 878, n. 28-29; et RE II, 872 *a* 41 — *b* 30), valde probabile judicabit hæc ex eodem profluxisse calamo.

* infra, p. 873-6 et 877-8

10. Similiter, in tractatu de Angelis, disp. 39, a. 2, n. 11 *, affirmat Joannes a Sto Thoma se doctrinam de materiâ primâ omni actu entitativo destitutâ in libris philosophicis bis ** tradere, atque etiam « aliis locis ». Quibus verbis videtur Joannes alludere ad tractatum de Opere VI Dierum, q. 66, n. 8-17 ***. Id autem eo verisimilius fit, quod in hoc loco de Opere VI Dierum (q. 66, n. 11 †) confirmat auctor se jam de eodem argumento tractasse « in Physicis et in primo tomo hujus Iæ Partis »; et iterum (n. 15 ††) allegat tomum primum, disp. 4. Atqui istæ locorum citationes cunctæ inveniuntur cum operibus Joannis nostri prorsus congruentes.

* infra, p. 460
** RE II, 59-76; 553-7
*** infra, p. 847-9
† infra, p. 847
†† infra, p. 848

11. Rursus, in tractatu de Opere VI Dierum, q. 65, n. 10 †††, asserit auctor quod de productione lucis ab Angelo alibi agat, scilicet « Ia-IIæ, tractando de dotibus corporis gloriosi ». Porro, apud tomum V Joannis a Sto Thoma, disp. 2, a. 9, in fine, reapse ita est, eademque utrimque traditur doctrina. Tandem, in eodem tractatu, q. 67, n. 7 *, legitur : « Plura de natura lucis vide in lib. *de Anima*, quæst. 7; » quæ plura utique reperies apud Cursum Philosophicum Joannis nostri, in dicta q. 7 **. Omnia igitur, in locis utrimque allegatis, optime ac exacte conveniunt.

††† infra, p. 842
* infra, p. 853
** RE III, 206-214

12. Sed insuper magni ponderis est quod, tam in genuinis Joannis a Sto Thoma operibus quam in tractatu de Opere VI Dierum, scribendi ratio ita perfecte eadem observatur, ut istæ stili anomaliæ, quas in Præfatione tomi I, cap. III, art. 2 *, recensuimus uti auctoris proprias ac peculiares notas, etiam in quæstionibus de Opere VI Dierum sæpe luculenterque appareant. Unde, ad explanandas hujus tractatûs difficultates, sufficit lectorem remittere ad dictum Præfationis generalis caput; quod frequenter fit, ut patebit inspicienti notationes nostras ad tractatum de Opere VI Dierum.

* supra, tomo I, p. XXVII-XXIX

13. His critices internæ argumentis accedit minime spernendum veritatis indicium, unanimis videlicet hujus tractatûs apud omnes acceptio. A die enim publicationis, nemine umquam contradicente, quæstiones de Opere VI Dierum, quasi Joannis a Sto Thoma legitimus fetus, ubique receptæ. Quæ omnium consensio eo notabilior censenda, quo acrior fuerat adversus Lugdunenses Cursûs Theologici editores hostilitas atque insectatio. Vehementem siquidem fuisse Parisiensium Prædicatorum indignationem, præcipue illustris Patris Francisci COMBEFIS, O. P., in tomi I Præfatione jam narravimus, varios eorum referentes conatus quibus frustra tentaverunt editionem anni 1663 judiciali sententiâ supprimere. Procul dubio, si inter innumeras præclari operis corruptelas, quas diligenter conquisitas magistratibus deferebant, gravem illam potuissent objicere fraudem, suppositionem inquam integri tractatûs aut dubiæ aut falsæ auctoritatis, id nequaquam crimini vertere omisissent. Atqui hac de re querela nulla; undique altum silentium. Plane itaque consonant signis internis externa indicia. (1)

14. Igitur, nostrâ quidem sententiâ, omnino indubium est tractatum de Opere VI Dierum, qualem olim publici juris fecerunt Lugdunenses bibliopolæ, revera conscriptum a Joanne nostro fuisse. Ideoque in calce quarti hujusce voluminis, ut ferebat rectus materiarum ordo, dictum tractatum invenies. Nihilominus, quia videbatur ab auctore scienter consultoque in Cursu suo Theologico non admissus, fortasse quòd magis ad exegesim et biblicam expositionem pertineret quam ad theologicam disquisitionem, ideo noluimus eisdem typis eum mandare, sed minoribus, veluti opusculum quoddam origine quidem genuinum, at fructu sententiarumque pondere certe inferius.

15. *Fatendum namque est, si doctrinam spectas,* emolumentum haud multum ex eo accepturos lectores. Immo, maximam hujus tractatûs utilitatem in eo opinamur reponendam, ut perspicientes theologi in quantas hallucinationes inductus sit vir summi ingenii, propter intellectum sacrorum librorum nimis materialem, grave hoc periculum cavere moneantur. Quo judicio minime nobis in animo est Joanni a Sto Thoma exprobrare

(1) Postremo, non contemnendum argumentum peti potest ex his quæ scribit auctor tractatûs de Opere VI Dierum, q. 69, n. 29 (infra, p. 878), loquendo de Lusitanis peregrinatoribus, qui tunc incognitas Africæ terras exploraverant : « Sed ut ex nostrorum peregrinationibus hoc tempore constat, præsertim Eduardi Lopez... » Dicens enim *nostrorum*, haud obscure innuit auctor seipsum quoque inter Lusitanos esse computandum : quod utique Joanni nostro, Olisipone nato, apprime congruit.

quod plus quam reliqui sui temporis auctores a vero aberraverit; sed, sicut reliqui, a vetustæ jam et antiquatæ physicæ placitis divinæ revelationis documenta discernere non valens, quasi ad fidem pertinentes, aut saltem cum fide indissolubilibus nexibus cohærentes, multas docuit conclusiones quas simpliciter falsas cuncti hodie agnoscunt, atque ita illis ansam præbuit infidelium derisionibus, quas humili prudentiâ vitandas tantopere admonebat Doctor Angelicus (I P. q. 68, a. 1, in principio corporis). Memorabile, profecto, exemplum, nobisque qui theologiæ operam damus multum meditandum ac recogitandum!

ARTICULUS II

Editiones ad castigandum textum adhibitæ.

16. Ut hujus tomi quarti textus constitueretur, quod attinet quidem ad disputationes 32-45, sequentibus editionibus usi sumus : Lugdunensi 1642* (tomi secundi Pars altera), item Lugdunensi 1663 (1), Coloniensi 1711 (2), tandem Parisiensis editionis 1884 tomo quarto (3). Ad tractatum vero de Opere VI Dierum quod pertinet, editio princeps erat Lugdunensis 1663 (tomo I, p. 499-555); contulimus insuper editionem Coloniensem 1711 (tomo etiam I, iisdem paginis) et editionem Parisiensem 1883 (tomo II, p. 685-798).

* cf. supra, tomo II, p. V, n. 3

17. De quarum editionum meritis, deque mutua earum relatione, nonnulla addenda sunt. Judicium enim quod de eis in Præfatione generali (tomo I, p. XXXI) proferebamus, quod ad tomos nostros I-III spectat, omnino valebat et inconcussum manet. Verumtamen, ubi tomum hocce quartum attingimus, paulo aliter res se habet. Editio princeps equidem, id est Lugdunensis anni 1642 (= M), semper sibi constans, sat purum exhibet textum, nonnumquam licet (ut efficit consueta hominum fragilitas) mendis conspersum; ceteris nihilominus correctior meliorque dicenda. Hanc autem præ manibus habuerunt non tantum typographus Lugdunensis (1663) ac Coloniensis (1711), qui ambo tomum anni 1642 ita stricte imitantur ut paginæ pagina, columnæ columna et plerumque lineæ linea respondeat, sed etiam (idque novum omnino est) ipse Parisiensis editor, Ludovicus VIVES, quartum suum parans tomum (1884) (4). Idcirco trium harum editionum (Lugdu-

(1) *Rmi P. Joannis | a Sto Thoma | Ord. Prædicatorum, | Doctoris Theologici, | in Complutensi Academia professoris primarii, | Supremi fidei Censoris, et tandem Philippi IV. Magni Hispaniarum | Regis à Confessionibus. | Cursus Theologici | In Primam Partem D. Thomæ. | Tomi Secundi Pars Altera : | A quæstione vigesima septima | ad finem usque ejusdem partis. | Editio ultima ab innumeris expurgata mendis, et amplissimis Indicibus illustrata. | Lugduni, | Sumptibus Philippi Borde, Laurentii Arnaud, | Petri Borde, et Guilielmi Barbier. | M. DC. LXIII. | Cum privilegio regis. |* : in fol. (360 mil. × 215 mil.); 4 ff. + 522 pp. et Index (8 ff.). — In summis hujus Indicis paginis ponitur inscriptio ejusmodi : « Index rerum memorabilium in hoc tertio Tomo contentarum. »

(2) *Rmi P. Joannis | à | Sto Thoma | Ord. Prædicatorum | Doctoris Theologici. | in Complutensi Academia professoris primarii, | Supremi fidei Censoris, et tandem Philippi IV. Magni | Hispaniarum Regis à Confessionibus. | Cursus Theologici | In Primam Partem D. Thomæ | Tomi Secundi pars Altera : | A quæstione vigesima septima | ad finem usque ejusdem partis. | Editio in Germania Prima ab innumeris expurgata mendis, | et amplissimis Indicibus illustrata. | Coloniæ Agrippinæ, | Sumpt. Wilhelmi Metternich Bibliop. | Sub Signo Gryphi. Anno M. D. CC. XI. | Cum Permissu Superiorum. |* : in fol. (350 mil. × 205 mil.); 4 ff. + 522 pp. et Index (8 ff.). — In fronte Indicis ponitur inscriptio : « Index hujus III. Tomi; » in summis vero paginis : « Index rerum memorabilium, In hoc tertio Tomo contentarum. »

(3) *Admodum Reverendi et eximii Patris | Joannis a S. Thoma | Ordinis Prædicatorum, Doctoris Theologi | in Complutensi Academia Professoris primarii, supremi fidei Censoris | Cursus Theologicus | in Summam Theologicam D. Thomæ | Nova editio | ad Lugdunensem anni MDCLXIII accuratissime expressa, mendisque expurgata | Tomus quartus | in quæstionibus in Primam Partem D. Thomæ | a quæstione XXVII ad LXIV quibus adduntur | quæstiones CVI et CVII | Parisiis | Ludovicus Vivès, Editor | 13, via Delambre, 13 | MDCCCLXXXIV |* : in 8° (270 mil. × 190 mil.); 2 ff. + 1068 pp.

(4) Id pro certo et explorato prorsus habendum, quamvis impudenter in fronte tomi sui quarti affirmet Vivès novam editionem « ad Lugdunensem anni MDCLXIII » accuratissime expressam : quod vere de tribus prioribus voluminibus dicebatur, fallaciter de quarto. Horrendos enim barbarismos complures, quibus identidem fœdabatur editio princeps (Lugdun. 1642 = M), incaute recepit P, etsi eos L et C scite correxerant (v. g. MP *hyprocisi*. LC *hypocrisi*; MP *eodum*, LC *eodem*; MP *parternitas*, LC *paternitas*; etc. etc.). Notationesque nostras percurrendo, sæpe videbis P adhærentem lectionibus (modo bonis, modo pravis) editionis M, spernendo aut verius ignorando emendationes ab editionibus L et C introductas.

nensis 1663 = L; Coloniensis 1711 = C; Parisiensis 1884 = P) unaquæque, si ad disputationes 32-45 respicis, immediate ab editione principe pendet, ejus errores plus minusve emendans, suosque proprios pro suâ quæque negligentiâ adjiciens. Unde factum est ut quartus editionis Parisiensis tomus nonnihil præcedentibus antecellat tomis, in quibus, super pæne innumeros editionis L lapsus, errata quoque sua coacervabat. — Verumtamen, ad tractatum de Opere VI Dierum quod pertinet, editio Lugdunensis L (1663) princeps fuit, ipsaque, ut assolet, valde corrupta [1]; eam consectantur aliæ, tum C, tum P.

18. Nostra igitur in concinnando textu methodus * semper eadem : editionis principis vestigiis proxime instare, paucis editionum subsequentium (præsertim L et C) admissis correctionibus, aliisque ubi res postulabat de nostra minerva excogitatis atque propositis. Has tamen primigenii textûs castigationes omnes in adnotationibus declaramus, iis dumtaxat exceptis locis ubi principis editionis lectio aperte depravata exstat atque inepta; sicque facile semper perspiciet lector quid ex auctore, quid aliunde proveniat.


* regulas nostras vide, tomo I, p. XXXI-XXXII

19. Sicut in anterioribus, ita in hoc quarto volumine, cuncta diversorum auctorum loca, quorum meminit Joannes a Sto Thoma, accurate perquisita contulimus, præter sequentia : Baltasar Navarrete, O. P., loca omnia (17, nisi fallimur) ex tomo ejus III in Iam Partem; Francisci Arauxo, O. P., locum unicum ex II tomo in Metaphysicam; Luisii Turriani, S. J., unicum etiam locum ex ejus commentariis in Iam Partem, de Trinitate et Angelis.

(1) In hoc tractatu, præter dubias aut pravas lectiones, quas nostris in adnotationibus referimus ac perpendimus, alias circiter 25, utpote manifestissime aberrantes * et ab oscitantibus typothetis originem ducentes, simpliciter correximus, nihil admonentes **.

* v. g., *aquaram*, pro *aquarum*; *supur*, pro *super*, etc.

** cf. tom. I, p. XXXII, *Regula II*; tom. II, p. II, notam 7.



OMNIUM EDITIONUM CONCORDIA

	Disputationum numeratio vetus	ed. Princeps (1637-67)	ed. Genuensis (1654)	ed. Lugdunensis (1663)	ed. Coloniensis (1711)	ed. Parisiensis (1883-6)	ed. Solesmensis (1931...)	Disputationum numeratio nova	
	Tres Tractatus prævii	Tomus I	Tomus I*	Tomus I	Tomus I	Tomus I	Tomus I	Tres Tractatus prævii	* qui fuit unicus
	Disput. 1							Disput. 1	
	» 2							» 2	
	» 3							» 3	
	» 4							» 4	
	» 5							» 5	
	» 6							» 6	
	» 7							» 7	
	» 8					Tomus II	Tomus II	» 8	
	» 9							» 9	
	» 10							» 10	
	» 11							» 11	
	» 12							» 12	
	» 13							» 13	
	» 14							» 14	
	» 15							» 15	
	» 16							» 16	
	» 17							» 17	
	» 18							» 18	
	» 19							» 19	
	» 20			(*Tract. VI de Opere Dierum*)	(*Tract. VI de Opere Dierum*)	(*Tract. VI de Opere Dierum*)		» 20	
IN PRIMAM PARTEM	Disput. 1	Tomi II[1] pars prior		Tomi II[1] pars prior	Tomi II[1] pars prior	Tomus III		» 21	
	» 2							» 22	
	» 3							» 23	
	» 4						Tomus III	» 24	
	» 5							» 25	
	» 6							» 26	
	» 7							» 27	
	» 8							» 28	
	» 9							» 29	
	» 10							» 30	
	» 11							» 31	
	» 12	Tomi II[1] pars altera		Tomi II[1] pars altera*	Tomi II[1] pars altera*			» 32	* dicitur etiam *Tomus tertius*
	» 13					Tomus IV	Tomus IV	» 33	
	» 14							» 34	
	» 15							» 35	
	» 16							» 36	
	» 17							» 37	
	» 18							» 38	
	» 19							» 39	
	» 20							» 40	
	» 21							» 41	
	» 22							» 42	
	» 23							» 43	
	» 24							» 44	
	» 25						(*Tract. VI de Opere Dierum*)	» 45	
IN I[AM] II[AE]	Disput. 1	in Iam-IIæ Tomus I		in Iam-IIæ Tomus I	Tomus IV	Tomus V	Tomus V	Disput. 1	
	» 2							» 2	
	....							....	
	» 12	in Iam-IIæ Tomus II		in Iam-IIæ Tomus II	Tomus V	Tomus VI	Tomus VI	» 12	
	» 13							» 13	
	....							....	
	» 31	etc.		etc.	etc.	etc.	etc.	» 31	

ADDENDA ET CORRIGENDA

IN TOMO PRIMO

		UBI LEGITUR	LEGITO
p. XLIV *b*, lin. 6	—	Proffes.	Profess.
p. XLIV *b*, lin. 7	—	in-24	in-12
p. 312 *a*, lin. 20	—	consequuntur;	consequuntur
p. 312 *b*, lin. 7	—	hominum	hominis
p. 312 *b*, lin. 20	—	sed immaculata	sed est immaculata

IN TOMO SECUNDO

p. V *b*, lin. 21	—	incriptione	inscriptione
p. 118 *a*, lin. 23	—	gentilis	Gentilis

IN TOMO TERTIO

p. 483 *b*, lin. 7	—	liberi liberii	liberi arbitrii
p. 502 *a*, lin. 38	—	Nazianzenus	Nazianzenus *
p. 521 *a*, lin. 9	—	irremissibiter	irremissibiliter
p. 571 *a*, lin. 49	—	articulum	articulum †

IN TOMO QUARTO

p. 35 *b*, lin. 27, ubi legitur « illud Verbum », addatur nota hujusmodi : « Sic omnes ‖ Legendum censemus : *aliud Verbum*; cf. infra, n. 35. »

p. 45 *a*, lin. 43	—	infrigi	infringi
p. 54 *a*, in nota marginali	—	n. 14 sqq.	n. 12 sqq.
p. 72 *a*, lin. 27	—	c. 55	c. 55 *
p. 131 *b*, lin. 8 a fine	—	unum naturam	unam naturam

p. 131, ad notam hæc addantur : « hanc correctionem habet *Index Disputationum*, in initio tomi, apud MLC. »

p. 138 *a*, lin. 5	—	*restat*	*restat* *
p. 208 *a*, lin. 35	—	Torres	Torres *
p. 213, in titulo paginæ	—	Art. 1	Art. 3

p. 256 *b*, lin. 5 a fine, ubi legitur « Cui errori », addenda nota in hunc modum : « Ita bene corrigit P ‖ Mendose MLC *Qui errori* ».

p. 273 *b*, in initio notæ secundæ restituatur numerus (2) qui cecidit.

p. 320 *b*, lin. penultima, ubi legitur « et supponendo », addatur hæc nota : « Sic omnes ‖ Suspicamur legendum : *et opponendo.* »

p. 336 *b*, lin. 21	—	dem sunt	idem sunt
p. 387 *a*, lin. 17	—	Unde tamen	Unde tandem
p. 425 *a*, lin. 14	—	seu secundum	sed secundum
p. 449 *a*, lin. 5	—	*servarunt*	*servaverunt*
p. 460 *b*, lin. 12	—	*responsionem*	*responsionem* *
p. 463 *a*, lin. 28	—	Thomæ	Thomæ *
p. 465 *b*, lin. 18	—	opusc. XVI	opusc. XVI **

		UBI LEGITUR	LEGITO
p. 477 *a*, lin. penultima	—	Quinta	Quinta †
p. 488 *b*, lin. 18	—	exsistimant	existimant
p. 489 *b*, lin. 21	—	D. 37	D. 37 **
p. 517 *b*, in nota secunda	—	Sic omnes	(2) Sic omnes
p. 567 *a*, lin. 23	—	ad influxu	ab influxu
p. 591 *b*, lin. 11	—	tract. VII	tract. VII (3)
p. 611 *a*, lin. 4	—	ducentum	ducentorum
p. 625 *a*, in nota marginali	—	I P. q. 56, a.	I P. q. 56, a. 3
p. 627 *a*, in nota marginali	—	P. q. 106	I P. q. 106
p. 629 *a*, lin. 16	—	perfecto	perfecte

p. 639 *b*, lin. 48, ubi legitur « inferior », addatur nota hæc : « Sic omnes ‖ Forsitan legendum : *interior.* »

p. 707 *b*, nota marginalis sic restituatur : « * supra, n. 44, *Nec apparet* »


p. 723 *a*, in nota marginali	—	L P. q. 111	I P. q. 111

p. 723 *a*, in nota 2 inferioris paginæ, restituito numerum (2) qui cecidit

p. 723 *b*, lin. 31	—	convertatur	convertantur
p. 756 *b*, lin. 24	—	aili	alii
p. 784 *b*, lin. 2	—	resolutionem	solutionem
p. 789 *a*, in nota marginali	—	P. LVII	Ps. LVII
p. 792 *a*, lin. 6	—	inquirirat	inquiritat
p. 806 *a*, lin. 15	—	intelligendo	in intelligendo
p. 820 *b*, lin. 20	—	tantem	tandem
p. 820 *b*, lin. 21	—	citado	citato

p. 827 *a*, lin. 3, ponatur asteriscus post verbum « inconveniens * ».

p. 867 *a*, in nota prima	—	est est lectio	est lectio
p. 870 *a*, lin. 29	—	*ex aere*	*ex ære*
p. 870 *b*, lin. 8	—	*ex aere*	*ex ære*
p. 881, in nota	—	*planta a*	*plantata*



TRACTATUS

DE SACRO TRINITATIS

MYSTERIO

SIGLA

QUIBUS IN HOC TOMO IV UTIMUR

M = editio princeps Cursûs Theologici, id est, ad disp. 32-45 quod attinet, Lugdunensis 1642;

M^{m} = correctio manuscripta in editione principe

L = editio Lugdunensis 1663

C = editio Coloniensis 1711

P = editio Parisiensis 1884;

de quibus omnibus vide, supra p. vj-vij, Præfationem nostram.

BK = Bekker (I.) *Aristotelis opera*, Berolini 1831.

B. T. = Bullarium Taurinense, seu *Bullarum, Diplomatum et Privilegiorum Sanctorum Romanorum Pontificum Taurinensis editio*..., Augustæ Taurinorum 1857 et deinceps.

DI = Diels (H.) *Die Fragmente der Vorsokratiker*, Berlin 1922, 3 tomis.

IP = *Commentaria in I^{am} Partem*..., auctore Ludovico Molina, S. J., Conchæ 1592.

IP^{2} = *Commentaria in I^{am} B. Thomæ Partem*..., auctore Ludovico Molina, S. J., Lugduni 1622 : qua editione aliquamdiu, sæviente bello, uti coacti sumus.

MU = Mullachius (F. G. A.) *Fragmenta philosophorum græcorum*, Parisiis 1883-1881, 3 tomis.

PG = Patrologia græca, ed. Migne.

PL = Patrologia latina, ed. Migne.

RE = Reiser (B.) *Joannis a S. Thoma Cursus Philosophicus*, Taurini 1930-37, 3 tomis.

TRACTATUS
DE ANGELIS



QUÆSTIO L

DE SUBSTANTIA ANGELORUM ABSOLUTE

SUMMA LITTERÆ



OSTQUAM D. Thomas egit de creatione rerum in communi, hîc incipit agere de creaturis procedentibus, et de earum distinctione in spiritualem et corporalem, et ex his compositam, quæ est homo.

Et primo agit de creatura pure spirituali, quam antiqui philosophi intelligentiam, theologi Angelum vocant. Et de hoc disputat S. Doctor ab ista quæstione usque ad 65 (1) : eo ordine et methodo quam in præcedenti tomo circa connexionem partium * D. Thomæ expressimus.

* in *Isagoge*, tomo I, p. 157-8

Incipit ergo in hac quæstione materiam istam de Angelis a consideratione substantiæ eorum : primo absolute in se; deinde (tribus seqq. quæstionibus) de ea comparative, tum ad corpora quæ assumunt, tum ad locum in quo sunt, tum ad motum quem circa locum exercent. — ET IN HAC QUÆSTIONE, IN QUA CONSIDERAT SUBSTANTIAM ANGELORUM ABSOLUTE et secundum se, præcipue considerat S. Doctor ea quæ pertinent ad exclusionem materiæ et condicionem (2) ejus : sicut quod Angeli sint incorporei, simplices formæ, carentes numericâ divisione quæ sumitur ex materia, licet sint multi in multiplicatione et numero desumpto ex formæ multiplicatione; ac denique quod sint incorruptibiles, quia etiam corruptio desumitur ex materia.

(1) Mendose omnes : *ad 63* || Cf. supra, tomo I, p. 157 *a*.

(2) Sic omnes || Forte legendum : *condicionum*.

Igitur in articulo primo ostendit dari substantias omnino incorporeas, id est, quæ neque in se corporeæ sint, neque corpori unibiles sicut anima nostra. Et probat dari tales substantias : quia datur substantia intelligens, sicut anima nostra ; et intelligere de se non indiget corpore, immo tanto est perfectius, quanto magis abstractum est a corpore; ergo dabilis est substantia intellectualis perfecta, quæ corpori non sit conjuncta; et conveniens est quod detur, ut universum sit perfectum.

In articulo secundo ostendit has substantias esse simplices, id est, non compositas ex materia et forma : neque sumptâ materiâ pro materia corporea, quia hæc non dividitur nisi per quantitatem et partes, quæ longe abest a substantiis incorporeis; neque sumptâ materiâ pro quacumque alia materia, quia operatio intellectualis de se immaterialis est, et sic de se petit substantiam immaterialem si perfecte intellectualis est.

In articulo tertio ostendit Angelos esse in magno numero : non secundum numerum specierum sensibilium, sicut Plato posuit substantias separatas; neque secundum numerum primorum mobilium, id est, cælorum, quorum motores sunt Angeli, ut posuit Aristoteles; sed secundum ordinationem Dei, qui produxit superiores substantias secundum majorem excessum, quam inferiores : ita quod sicut corpora incorruptibilia, id est, cæli, excedunt incomparabiliter in magnitudine corpora corruptibilia, ita substantiæ immateriales excedunt incomparabiliter in numero materiales substantias.

In articulo quarto ostendit Angelos differre et multiplicari solum secundum speciem, non vero esse unius speciei, nec solâ individuatione multiplicari : eo quod carent omni materiâ, et totum quod sunt formæ sunt; ergo totum quod differunt, formaliter differunt, hoc est specifice : quia distinctio individualis materialis est, et ex parte materiæ fit, non formalis.

In articulo quinto ostendit Angelos simpliciter esse incorruptibiles, licet sint annihilabiles : quia ad hoc secundum sufficit suspensio et retractio concursûs causæ efficientis dantis eis esse; ad primum vero requiritur materia, quæ receptâ unâ formâ excludat aliam et corrumpat, quia corruptio sine generatione non est.





QUÆSTIO LI
DE COMPARATIONE ANGELORUM AD CORPORA

SUMMA LITTERÆ




TRIA TRACTAT S. THOMAS IN HAC QUÆSTIONE.

In articulo primo ostendit Angelos non habere corpora naturaliter sibi unita : in quo perfectam Angelorum naturam explicat, ut distinguitur ab anima rationali, quæ corpori naturaliter unitur ut forma. Angeli autem sunt formæ non unibiles corpori, sed subsistentes in se : quia forma intellectualis non unitur corpori propter perfectionem intelligendi, quin potius per abstractionem a corpore et materiâ perficitur intellectio; inconveniens est autem quod totum genus naturæ intellectualis inveniatur in anima humana cum conjunctione ad corpus, quod imperficit et infirmat operationem intellectualem, et non detur natura intellectualis non unita corpori, quod pertinet ad perfectionem intellectualis.

In articulo secundo ostendit D. Thomas Angelos assumere corpora, non quidem substantialiter in unitatem personæ, neque uniendo ea sibi ut formæ, sed ut motori, quia ea formant et movent; et sic non solum secundum imaginationem nostram, sed secundum realitatem externam apparent in corporibus assumptis et motis, sicut aliquando ita apparent ut videantur ab omnibus : ut Angelus qui apparuit Tobiæ, et qui apparuerunt Abraham et Loth. Quando autem multis apparent, non est imaginatio, sed visio. Aliquando tamen non apparent oculis, nec assumunt corpora, sed imaginationem deludunt.

In articulo tertio ostendit S. Doctor operationes, quas Angeli exercent in corporibus assumptis, non esse vitales ex parte ipsorum corporum, sicut loqui, deambulare, videre, etc. : quia non informantur ista corpora vitaliter; sed possunt in eis aliquos motus locales exercere, mediante impulsu et motu, quæ actiones communes sunt viventibus et non viventibus, et possunt esse similes motibus vitalibus ex parte effectuum, non ex parte modi vitalis.





DISPUTATIO XXXIX

DE EXSISTENTIA ET QUIDDITATE ANGELORUM

ARTICULUS I

Quid fides doceat circa exsistentiam et naturam Angelorum.

1. MULTA circa nomina Angelorum, et ea quæ de ipsis antiqui philosophi dixerunt, omittenda nobis sunt; et solum ex Scriptura supponendum substantias immateriales, quas gentiles et philosophi vel deos, vel genios, vel dæmonas, vel intelligentias, vel aliis similibus nominibus appellabant, in Scriptura vocari Angelos et spiritus : sicut dicitur (Psal. CIII, 4) : *Qui facit Angelos suos spiritus;* et (Heb. I, 14) : *Nonne omnes sunt administratorii spiritus in ministerium missi, etc.* Ubi utrumque nomen, spiritus et Angeli, accommodatur his substantiis spiritualibus et intellectualibus de quibus nunc agimus. Nam licet hoc nomen « Angelus » per antonomasiam et communem usum Scripturæ, et Patrum et Ecclesiæ, accommodetur istis substantiis ita ut, sicut dixit
* n. 7; PL 76, 1249 Gregorius (homil. 34* in evangelia), « Angelos et Archangelos pene omnes sacri eloquii paginæ testentur : » tamen ex se vocabulum « Angelus »,
* n. 8; PL 76, 1250 ut ibidem* notat S. Gregorius, « nomen est officii, non naturæ; nam sancti illi cælestis patriæ spiritus semper quidem sunt spiritus, sed semper vocari Angeli nequaquam possunt; quia tunc solum sunt Angeli cum per eos aliqua nuntiantur. » Quare nomen « Angelus » per se solum non designat nobis substantias illas spirituales, nisi cum etiam nomine spiritûs designantur. Et quia ministerium nuntiandi committitur a Deo communiter spiritibus cælestibus, et ideo per antonomasiam nomine Angelorum intelligimus spiritus cælestes : licet aliquando etiam nomen Angeli quantum ad officium nuntiandi hominibus tribuatur, sicut Joannes Baptista dicitur angelus (Mal. III, 1; et Mat. XI, 10); sacerdotes etiam dicuntur angeli (Mal. II, 7) : *Labia sacerdotis custodiunt scientiam, et legem requirent ex ore ejus, quia angelus Domini est;* Apostolus quoque (I ad Cor. XI, 10) præcipit velari capita mulierum *propter angelos,* id est, sacerdotes.

2. DE HIS ERGO ANGELIS seu spiritibus ALIQUA CERTO CONSTANT IN SCRIPTURA, aliqua deducuntur ex illa per certam consequentiam, aliqua etiam probabiliter. — *Certum est primo,* in Scriptura dari Angelos qui sint superiores hominibus : ut constat (Heb. II, 7, 9; et Psal. VIII, 6) ubi loquendo de homine dicitur : *Minuisti eum paulo minus ab Angelis;* et (II Pet. II, 11) : *Angeli fortitudine et virtute cum sint majores, etc.* — *Constat secundo,* has substantias angelicas esse creaturas; quod absurdissime negavit quidam Hermanus* Batavus, ut refert Castro (lib. II de Hæresibus, verbo *Angelus*), qui dicebat Angelos non esse a Deo creatos, quia hoc nusquam Scriptura asserit. Quod omnino falsum est, cum (Psal. CIII, 4) dicatur : *Qui facit Angelos suos spiritus.* Quem locum adducit Paulus (Hebr. I, 7-8) ad probandum superioritatem Christi supra Angelos : quia Christus est Filius Dei, Angeli autem sunt ministri facti a Deo. Sic enim ait : *Et ad Angelos quidem dicit : Qui facit Angelos*

* Hermannus Rissvich, seu de Riswick (vulgo : Rijswijk)

suos spiritus, et ministros suos flammam ignis; ad Filium autem : Thronus tuus Deus in sæculum sæculi : et (Col. I, 16) dicitur : *Quoniam in ipso condita sunt universa in cælis et in terra, visibilia et invisibilia, sive Throni, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates; omnia per ipsum et in ipso creata sunt*. Ac denique concilium
Mansi XXII, 981-2 Lateranense sub Innocentio III (in can. *Firmiter*, de summa Trinitate) definivit quod Deus « suâ omnipotenti virtute simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem et corporalem, angelicam videlicet et mundanam ».

3. *Constat tertio ex Scriptura*, varia esse Angelorum nomina, tum designantia diversa ministeria seu hierarchias eorum, tum designantia proprias personas. — Quæ designant ordines Angelorum sunt novem, quæ D. Gregorius (loco* citato) colligit ex Scriptura : scilicet
* hom. 34 in Evang., n. 7; PL 76, 1249-50 Angelos, Archangelos, Principatus, Potestates, Virtutes, Dominationes, Thronos, Cherubim et Seraphim; de quorum distinctione late et optime
I P. q. 108, a. 5 tractat S. Thomas (infra, q. 108, a. 5). Similiter varia ministeria Angelorum traduntur in Scriptura : ut quod alii sint assistentes, alii ministrantes (Dan. VII, 10), licet omnes *administratorii spiritus* nominentur generali nomine (Heb. I, 14), quia etiam assistere ministrorum est; quod mittantur a Deo tamquam legati seu nuntii (Luc. I, 26) : *Missus est Angelus Gabriel a Deo;* quod custodiant homines et eos gubernent (Mat. XVIII, 10) : *Angeli eorum semper vident faciem Patris*. Et alia similia ministeria passim traduntur in Scriptura. — Nomina designantia proprias personas solum in Scriptura sunt tria, scilicet Michael, Gabriel et Raphael; nec aliis nominibus Angelorum publice possumus uti et
* actione 3; Mansi XII, 379-380 invocare, juxta decisionem concilii Romani* sub Zacharia papa, anno Domini 745. Licet enim in libro quarto Esdræ inveniatur Angelus Uriel (cap. IV, 1, et V, 20), tamen liber iste non est canonicus; et sic alia Angelorum nomina quæ fortasse apud aliquos auctores inveniuntur, vel etiam ex aliquorum revelationibus referuntur, probanda non sunt.

4. *Certum est quarto,* Angelos esse substantias mobiles, idque motu velocissimo, et aliquando esse in cælo, aliquando in terra; et posse se ostendere hominibus in aliquo corpore assumpto, et ab eis occultari. Omnia hæc ex variis locis Scripturæ deducuntur : nam de motu Angelorum dicitur (Exo. XIV, 19) : *Tollensque se Angelus Domini, qui præcedebat castra Israel, abiit post eos;* (Dan. III, 49) : *Angelus autem Domini descendit cum Azaria et sociis ejus ;* et (Zac. II, 3) : *Angelus, qui loquebatur in me, egrediebatur, et Angelus alius egrediebatur in occursum ejus*. De eorum mira celeritate est illud (Job I, 7) ubi diabolus dicit : *Circuivi terram et perambulavi eam;* et (Isa. VI, 6) : *Et volavit ad me unus de Seraphim;* et (Isa. XVIII, 2) : *Ite Angeli veloces;* (Psal. CIII, 4) : *Qui facit Angelos suos spiritus, et ministros suos ignem urentem;* (Dan. XIV, 35) : *Et apprehendit eum Angelus Domini in vertice ejus, et portavit eum capillo capitis sui, posuitque eum in Babylone supra lacum in impetu spiritûs sui :* quod utique magnam celeritatem designat; sicut etiam quod frequenter descendant de cælo in terram, sicut dicitur (Mat. XXVIII, 2) : *Angelus autem Domini descendit de cælo;* (Joa. V, 4) : *Angelus autem Domini descendebat* de cælo. Multa etiam mirabilia per Angelos fieri in multis capitibus* Apocalypsis demonstratur, quæ longum esset referre. Similiter posse plures Angelos * maxime cap. VIII-X, etc.
esse in valde parvo spatio vel corpore, constat ex illo (Luc. VIII, 30) ubi dicitur in eodem homine fuisse legionem dæmoniorum, *quia intraverant dæmonia multa in eum*. Quod appareant sæpius hominibus, et etiam evanescant ab eis, constat : quia (Tob. XII, 20) Angelus Raphael videbatur a Tobia patre et filio : *Et postea ablatus est ab adspectu eorum, et ultra eum videre non potuerunt;* et (Judic. VI, 21) Angelus Domini, qui apparuit Gedeoni, *evanuit ex oculis ejus*. Ex quibus constat substantias angelicas esse superioris virtutis ad ea quæ in corporibus videmus, et ita habere potestatem mirabilem superiorem ad homines et ad virtutes corporeas.

5. *Certum est quinto,* Angelos esse intellectuales[1], et liberi arbitrii, et peccabiles. — Constat hoc : quia Angelis attribuitur visio Dei (Mat. XVIII, 10) : *Angeli eorum semper vident faciem Patris :* quod utique ad intellectualem cognitionem spectat. Similiter attribuitur illis actus docendi, ut (Dan. VIII, 16) : *Gabriel fac istum intelligere visionem;* et denique attribuitur actus loquendi (I Cor. XIII, 1) : *Si linguis hominum loquar et Angelorum,* et (Zac. I, 9 et 14) : *Et dixit Angelus, qui loquebatur in me.* — Quod etiam sint peccabiles, et pro peccato puniantur,

[1] Ita corrigit P || MLC *intellectualis*, mendose.

quod non potest esse nisi sint liberi arbitrii, constat ex illo (II Pet. II, 4) : *Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos;* et (in epist. Judæ*) : *Angelos qui non servarunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in judicium magni diei vinculis æternis sub caligine reservavit;* et (Job. IV, 18) : *In Angelis suis reperit pravitatem.*

* I, 6

QUID DE ANGELIS PER CERTAM CONSEQUENTIAM COLLIGATUR EX SCRIPTURA.

6. Quæ hucusque retulimus de Angelis ita sunt expressa in Scriptura, ut ea negare aperta hæresis sit. Aliqua vero sunt quæ, etsi non ita expresse in Scriptura habeantur, tamen per consequentiam, ex his quæ in ea dicuntur, deduci possunt.

7. PRIMUM EST, AN ANGELI SINT ALIQUO MODO CORPOREI, vel puri spiritus. De qua re aliqui dubitaverunt ex antiquis, et etiam ex Patribus, ante concilium Lateranense* sub Innocentio III. Aliqui etiam post ipsum concilium idem senserunt. — *Id aperte defendit* Rupertus abbas (lib. I de Trinit. et ejus operibus, in cap. XI Genesis*; et lib. I de victoria Verbi Dei, c. 28**). Inter opinabilia id ponit S. Bernardus (lib. V de Consideratione***) : « Quamquam, inquit, de corporibus horum non solum unde sint, sed etiam an aliquatenus sint, hæret sententia aliquorum. Unde si quis inter opinabilia magis id ponendum censuerit, non contendo. » In id etiam inclinat (hom. 5† in Cantica). — In quam etiam sententiam videntur incidisse illi qui existimarunt filios Dei, qui (Gen. VI, 2, 4) dicuntur ingressi ad filias hominum, Angelos fuisse : de quo Lactantius (II lib. Divinarum institut. c. 14††); Irenæus (lib. IV, c. 70†††); Philo (lib. de Gigantibus*); Josephus**, et alii antiqui : inter quos et Tertullianus, cum (in lib. de Velandis virgin. c. 7***) inquit : « Velanda est facies, quæ usque in cælum scandala jaculata est. » — Omitto plures ex sanctis Patribus, qui sæpius videntur dicere Angelos esse corporeos, ut Nazianzenus†, Basilius††, Hilarius†††, Augustinus*, et alii : qui tamen non in eo sensu intelligunt Angelos esse corporeos, sicut in præsenti loquimur. Sed vel intelligunt esse corporeos, id est, subsistentes, verasque substantias, quia apud antiquos res vera nomine corporalis rei designabatur; juxta quod Paulus dicit (Col. II, 9), *habitare in Christo plenitudinem divinitatis corporaliter,* id est, vere et realiter. Vel intelligebant esse corporeos, id est limitatos et potentiales : quia solum Deum pure incorporeum faciebant, id est, nullo modo potentialem; et hoc sensu ceteras creaturas ita esse corporeas, quod ad Dei immaterialitatem non attingunt.

* cf. supra, n. 2, in fine
* rectius : in Gen. lib. I, c. 11; PL 167, 208-9
** PL 169, 1241-2
*** c. 4, n. 7; PL 182, 791 C
† n. 2-7; PL 183, 799-801
†† c. 15; PL 6, 330-3
††† nunc c. 36, n. 4; PG 7, 1093B; cf. 357
* c. 2-4 (n. 6-18)
** *Antiq. jud.*, l. 1, c. 3 (alias c. 4)
*** PL 2, 899
† PG 36, 72 AB; 320 D
†† PG 32, 137 A
††† PL 9, 946-7; 10, 136 A
* PL 41, 468; 42, 870, etc.

8. *Post concilium autem Lateranense* aliqui auctores videntur Angelis seu dæmonibus aliquod corpus tribuere : ut Cajetanus (super cap. II ad Ephes.), ad illa verba, *Secundum* principem potestatis aeris hujus, etc.,* dicit consonare veræ philosophiæ quod dæmones sint spiritus aerei, non hujus aeris elementalis, sed quasi subtile corpus nostris sensibus ignotum. — Oppositum tamen idem Cajetanus tenet (super cap. I ad Hebr. ad illa verba, *Qui* facit Angelos suos spiritus;* et in hac I P. q. 50, a. 1; et q. 51, a. 1). Tribuitur tamen ista sententia Eugubino** (lib. I*** de Perenni philosophia, c. 27 et 30), et videndus est Franciscus Georgius (lib. I Problematum, c. 57† et 74).

* in Eph. II, 2; cf. in Gen. III, 24
* in Heb. I, 7
** id est, Augustino Steucho
*** revera : lib. VIII
† verius : c. 54

9. **DICENDUM NIHILOMINUS EST PRIMO : ita certum esse, et deduci ex Scriptura, Angelos esse omnino spirituales et sine ullo corpore, quod oppositum omnino est temerarium, et probabile est esse erroneum et hæresi proximum.** — RATIO EST : quia absolute Scriptura eos vocat spiritus, et definitio Ecclesiæ videtur intellexisse hanc spiritualitatem in sensu proprio, eo etiam modo quo anima rationalis definitur esse immortalis et independens a corpore in concilio Lateranensi sub Leone X (sess. VIII*).

* Hardouin IX, 1719 D-E

10. *Constat primum ex Scriptura* (Psal. CIII, 4; et Heb. I, 7) : *Qui facit Angelos suos spiritus :* quem locum adducit S. Thomas (in hoc art. 1**, in argumento *Sed contra*) ad probandum Angelos esse incorporeos; et ad idem utuntur illo loco multi sancti Patres : ut Hilarius (V de Trinit.† circa finem), Hieronymus (supra cap. LXIII Isaiæ††), Ambrosius††† (in I ad Hebr.). Nec tamen improbabilis est expositio, quæ dicit ibi sumi spiritum pro vento seu aere, ita ut sit sensus : Qui facit Angelos suos veloces quasi ventum, et ministros suos quasi ignem, ubi etiam sumitur ignis pro igne corporeo; quæ expositio placuit S. Thomæ (super cap. I ad Hebr., lect. 3*) ubi inquit, Angelos secundum quod sunt nuntii assimilari aeri, quia nuntii debent bene recipere et referre quæ nuntiant; secundum vero quod

** I P. q. 50, a. 1
† n. 11; PL 10, 136
†† PL 24, 617
††† ed. Coloniensi 1616, t. III, p. 289 B; PL 100, 1035-6
* in fine

sunt ministri comparantur igni, qui summe est activus, et sic debent esse ministri.

11. Nihilominus sæpe alias Scriptura nominat Angelos spiritus absolute, et sine comparatione ad aerem vel ventum, ut (Heb. I, 14) : *Omnes sunt administratorii spiritus;* (Apo. I, 4) : *Et a septem spiritibus qui in conspectu throni ejus sunt;* (Luc. XI, 26) : *Assumit alios septem spiritus nequiores se.* Ubi cum simpliciter et sine addito Scriptura loquatur, sumit illud verbum « spiritus » in omni proprietate pro substantia spirituali : quia eodem modo vocat Angelos spiritus, sicut Deus et animæ humanæ spiritus dicuntur, ut (Ioa. IV, 24) : *Spiritus est Deus;* et de animabus nostris (Dan. III, 86) : *Benedicite spiritus, et animæ justorum Domino;* (Mat. XXVII, 50) : *Clamans voce magnâ emisit spiritum.* Quibus locis sumitur spiritus pro substantia spirituali proprie; alias ex istis locis non probaretur sufficienter animam nostram esse spiritualem et independentem a corpore, sicut diffinivit concilium Lateranense (ubi supra*). * n. 9

12. DENIQUE, quod amplius est, SIC VIDETUR INTELLEXISSE ECCLESIA. Definit enim (in c. *Firmiter* **, de summa Trinitate) quod Deus « simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem et corporalem, angelicam videlicet et mundanam, et deinde humanam quasi communem ex spiritu et corpore constitutam ». Ubi pondero concilium loqui de spirituali creatura pro incorporea, non autem sumere spiritum pro aere vel corpore subtili : quia condistinguitur spiritualis creatura contra corporalem; ventus autem seu aer, vel quodcumque aliud corpus subtile, sub corporali creatura continetur; ergo spiritualis creatura quæ est angelica, ut supponitur in concilio, non sumitur pro spiritu qui est corpus subtile. Unde multo minus probari debet, quod aliqui dixerunt, Angelos ex aere esse factos : cum concilium dicat spiritualem creaturam, sive angelicam, de nihilo esse factam. Et denique pondero loqui concilium de angelica et spirituali creatura, non composita ex admixtione alicujus corporis, sed ab omni corporeitate absoluta : quia condistinguit ab illa creaturam humanam ut constitutam ex spiritu et corpore; ergo supponit quod illa, quam dixerat spiritualem et angelicam, non est constituta ex spiritu et corpore : alias esset sicut humana creatura; ergo cum dicatur spiritualis creatura, non corporea, erit spiritualis pure, non autem composita ex spiritu et corpore.

** Mansi XXII, 981-2

13. *Ex quo colligitur,* hanc veritatem ita esse certam quod opposita plus quam temeraria est, et vel erronea, vel proxime ad hæresim accedens : eo quod concilium videtur omnia illa sub definitione sua comprehendere, nec solum obiter tangere. Dicit enim in initio totius clausulæ sic : « Firmiter credimus, et simpliciter confitemur, etc., » quæ verba ad definitionem pertinent; et sic quæcumque sub illa clausula comprehenduntur, et ad illam pertinent, sub eadem confessione et definitione comprehendi videntur. Concilium autem sub ista clausula cum eodem tenore verborum ponit ea quæ spectant ad Trinitatem personarum et attributa divina, atque illa quæ pertinent ad creationem rerum spiritualium et temporalium*, dicendo : « Unum universorum principium, creator spiritualium et corporalium : quia suâ omnipotenti virtute simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem et corporalem, angelicam videlicet et mundanam; » quæ omnia eodem tenore verborum dicuntur, ac proinde eodem modo videntur sub illa definitione comprehendi. Nec est aliquod verbum in tota serie textûs, propter quod dicamus quædam verba illius clausulæ definitionem fidei importare, alia vero non.

Mansi XXII, 981-2

* sic omnes. Forte legendum *corporalium*

14. Ceterum non est omnino certum rem hanc esse definitam ab Ecclesia : quia directe intentio concilii solum est definire Deum esse universalem rerum omnium creatorem in initio temporis. Quam universitatem creaturarum comprehendit concilium sub creatura corporali, spirituali, et ex his composita. Quomodo vero creatura illa, quæ spiritualis dicitur, spiritualis sit : an per omnimodam separationem a corpore, an cum aliqua corporis inclusione, non videtur pertinere ad intentionem concilii, sed obiter tangi. Et sic existimant graves auctores rem hanc nondum esse definitam ab Ecclesia, ut Cano (lib. V de Locis, c. 5, q. 4, in fine), Sixtus Senensis (lib. V Biblioth., annotatione 8*), Carranza ** (annotat. ad septimam Synodum, actione 5), Suarez (lib. I de Angelis, c. 6 ***), Vazquez (disp. 178, c. 2 †); et D. Thomas (II *Contra Gent.* [(1)] c. 91, in fine), licet pro errore damnet eos qui dicunt spiritum non esse, non tamen vocat errorem, positionem eorum qui dicebant nullum spiritum sine corpore dari, præter Deum. Res tamen ad minus teme-

* in fine
** in *Summa conciliorum*
*** n. 10
† verius : c. 3

[(1)] Ita certissime corrigendum ‖ M *2. 29. c. 91* ‖ LC *2. 2. c. 91* ‖ P *disp. 29, c. 91.*

raria est, vel etiam, ut diximus, erronea : quia concilium multum in id ponderat, et est jam communis theologorum sententia, præter supra* relatos. Sed quia possent aliqui subterfugere, dicendo Angelos esse quidem spiritus, sed non alios quam animas hominum separatas : ideo contra hanc positionem :

* n. 8

15. **DICENDUM EST SECUNDO : de fide esse, aut saltem per evidentem consequentiam ex principiis fidei deduci, Angelos de quibus loquitur Scriptura, et de quibus loquimur in præsenti, non esse animas separatas a corporibus humanis, sed distinctas substantias separatas.**

16. *Circa hoc videtur errasse Philo* (in lib. de Gigantibus*), qui Angelos, genios et animas non re differre, sed nominibus dixit. Origenes† etiam sensit animas et Angelos esse ejusdem speciei, et ab initio æquales fuisse creatos, sed ex diversitate meritorum processisse quod quidam spiritus sint missi in corpora eisque uniti, alii non. — Contra quem videndus est S. Thomas (I P. q. 75, a. 7[1]; et II *Contra Gent*. c. 94). Sed et S. Chrysostomus (in VIII cap. Matthæi*) dicit, « esse perniciosum dogma dicere quod animæ morientium fiunt dæmones, » ut refert S. Thomas (opusc. XV**, cap. ultimo).

* c. 4 (n. 16)
† *Periarch.*, lib. I, c. 6-8; II, c. 8, n. 2; c. 9, n. 6; III, c. 5, n. 4-5, etc.; PG 11, 166-179; 220 BC; 230 B; 329-330
* hom. 28 (seu 29), n. 2; PG 57, 353
** *De substantiis separ.*

17. OSTENDITUR AUTEM per evidentem consequentiam esse contra Scripturam hunc errorem : Quia de fide constat omnes homines esse resurrecturos (I Cor. XV, 51) : *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur;* ergo in unoquoque homine erit sua anima, quæ separata fuit per mortem, et suum corpus : alias non resurgeret idem homo numero, qui vixit. Rursus constat quod resuscitatis omnibus hominibus adhuc dabuntur Angeli et dæmones; ergo Angeli et dæmones aliquæ substantiæ sunt præter omnes animas hominum. Erunt quidem Angeli : tum quia venturus dicitur Christus *in majestate sua, et Patris, et sanctorum Angelorum* (Luc. IX, 26); ille autem adventus erit in resurrectione omnium hominum. Tum quia (Mat. XXII, 30) dicitur quod *in resurrectione non nubent, neque nubentur, sed erunt sicut Angeli in cælo;* ergo Angeli distincti erunt ab hominibus et animabus, etiam post resurrectionem. Similiter dæmones diversi erunt ab hominibus damnatis : nam post resurrectionem dicetur ipsis damnatis : *Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus* (Mat. XXV, 41); ergo præter homines resuscitatos, quibus illa verba dicentur, et consequenter præter animas eorum, dantur aliqui spiritus, qui sunt dæmones.

18. **DICENDUM EST TERTIO : esse de fide, vel per evidentem consequentiam ex principiis fidei deduci, angelicam creaturam esse omnium supremam inter eas quæ a Deo conditæ sunt inter substantias universi.** — Nam, sicut dicit Augustinus (XI de Civit. c. 15*), « angelica creatura omnia cetera, quæ Deus condidit, naturæ dignitate præcedit. »

19. CONSTAT HOC : Quia Angeli sunt perfectiores naturâ corporeâ, quia sunt perfectiores naturâ humanâ, juxta illud (Psal. VIII, 6) : *Minuisti eum paulo minus ab Angelis;* et (II Pet. II, 11) : *Angeli virtute et fortitudine cum sint majores*. Homo autem est perfectior omni creaturâ corporeâ. Ergo si Angeli sunt supra homines, sunt supra omnem creaturam corpoream, et consequenter supra omnem creaturam simpliciter : quia omnis creatura vel est corporea, vel incorporea, vel ex illis composita, ut homo, sicut dicitur in concilio Lateranensi (in can. *Firmiter*, de summa Trinitate). — Minor probatur : nam respectu creaturæ corporeæ corruptibilis et pertinentis ad hæc inferiora, constat hominem esse superiorem illis, juxta illud (Gen. I, 26) : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram, ut præsit piscibus maris, et volatilibus cæli, et bestiis, universæque terræ, omnique reptili quod movetur in terra;* et (Psal. VIII, 8) : *Omnia subjecisti sub pedibus ejus*. Unde etiam sequitur quod sit superior corporibus cælestibus : tum quia cælum ordinatur ad serviendum homini pro habitatione, ubi erunt corpora sanctorum post resurrectionem; tum quia (Deut. IV, 19) dicitur, non esse adorandum *solem et lunam, et omnia astra cæli, quia creata sunt in ministerium omnium gentium :* quod utique ministerium inferioritatem dicit, quia adorationem seu cultum non admittit. Angeli autem, licet dicantur *missi in ministerium**, tamen adorari passim in Scriptura inveniuntur, sicut (Gen. XVIII, 2) Abraham adoravit tres Angelos, et Josue *cecidit* pronus in terram, et adoravit* Angelum; ergo certum est Angelos esse superiores cælis et aliis creaturis corpora-

[1] Mendose omnes : *a. 6*.

libus, ac etiam ipsis hominibus; ergo sunt supremi omnium creaturarum.

20. *Quod si dicatur :* Unde constat nobis de fide, quod supra Angelos non sit aliqua alia creatura simpliciter perfectior, sicut per gratiam Beata Virgo et humanitas Christi excedunt omnes Angelos? — *Respondetur :* id constare manifeste ex definitione citata concilii Lateranensis (c. *Firmiter*) : ibi enim definitur Deum esse principium omnium creaturarum, dicendo quod est « unum omnium universorum principium, creator omnium visibilium et invisibilium, spiritualium et corporalium : qui suâ omnipotenti virtute simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem et corporalem, angelicam videlicet et mundanam, ac deinde humanam, quasi communem spiritu et corpore constitutam ». Ex quo fit argumentum : concilium numerat in hoc loco omnia genera creaturarum : alias non sufficienter ostenderet Deum esse creatorem omnium, si omitteret aliquam creaturam supra omnes istas; sic enim non ostenderetur Deus esse creator illius. Sed inter omnes, quas hic numerat, angelica est suprema, ut probatum est* : excedit enim corpoream, et similiter constitutam ex corpore et spiritu, qualis est homo; ergo est suprema inter omnes creaturas simpliciter. In cujus etiam confirmationem dicitur (Job XL, 14) loquendo de diabolo : *Ipse est principium viarum Dei,* id est, omnium processionum Dei ad extra primus.

21. **DICENDUM EST QUARTO : deduci per consequentiam, magis probabilem et fere certam, Angelos non esse creatos ante hoc universum, quantum ad tempus suæ creationis, neque extra hoc universum, sed in cælo, quantum ad locum.** — Et quidem NON FUISSE CREATOS AB ÆTERNO, CERTA FIDES EST : cum nulla creatura fuerit ab æterno, sed in principio temporis ut definitur in concilio Lateranensi citato* : « Utramque Deus in initio temporis de nihilo condidit creaturam, spiritualem et corporalem, angelicam et mundanam. »

22. *Quando vero creati fuerint Angeli* determinate, supponendo quod non sunt ab æterno, an in eodem tempore quo istud universum, an vero ante creaturam corpoream, non est ita certum quod oppositum sit reputandum erroneum : ut expresse docet S. Thomas (infra, q. 61*, a. 3), præcipue propter sententiam S. Gregorii Nazianzeni** et aliorum doctorum Græcorum*** : qui, ut ibi S. Thomas dicit (ad 1), « omnes hoc concorditer sentiunt, quod Angeli sunt ante mundum corporeum creati. » Quanto vero antea fuerint creati, non omnino constat inter ipsos. — Ex Scriptura autem non constat determinate, quod Angeli fuerint creati simul cum corporibus, sed solum dicitur (Gen. I, 1) quod *in principio fecit Deus cælum et terram;* ubi nulla mentio fit de Angelis ad litteram. Et (Eccli. XVIII, 1) : *Qui vivit in æternum creavit omnia simul;* ubi ly *simul* non constat omnino quod sumatur pro simultate temporis, sed pro simultate collectionis in unum universum construendum, quasi in simul vel in unum omnia sint creata. Si enim velimus ly *simul* in toto rigore sumere pro simultate durationis omnimodâ, inconveniens est : cum non in eodem puncto temporis, sed per successionem septem dierum, sint omnia creata, ut probabilius est ex littera Genesis. Quare ex præcisa littera Scripturæ non omnino constat contrariari illi sententiam Græcorum in hac parte; ideoque a D. Thoma liberata est a nota erroris.

* I P. q. 61
** or. 38, n. 9-10; PG 36, 320-1
*** Origen., PG 11, 230 BC, 329-30; Basil., PG 29, 13; Chrysost., PG 47, 427

23. *Ceterum dubitant aliqui* an in illa definitione concilii Lateranensis (desumpta ex can. *Firmiter* sæpius allato*) sit certum Angelos non fuisse creatos ante mundum corporeum, ita ut oppositum sit de fide[1], vel saltem erroneum, aut temerarium. Aliqui enim, quos refert Cajetanus (infra*, q. 61, a. 3[2]), dicunt quod si S. Thomas recoluisset sensum hujus decretalis, quando scripsit illum articulum, non dixisset sententiam Græcorum non esse reputandam erroneam. Nam concilium docet : « Deum simul ab initio utramque condidisse creaturam, spiritualem et corpoream, angelicam videlicet et mundanam. » Ergo contra concilii mentem et decisionem sustinetur sententia Græcorum. Propter quod P. Suarez (lib. I de Angelis, c. 3, n. 14) sentit quod, licet non sit de fide Angelos fuisse creatos cum hoc universo, sine temeritate tamen negari non posse propter dicta verba concilii. Et idem sentit Valentia (hîc, q. 12, puncto 2*) et Molina (infra, q. 61, a. 2**).

* supra, nn. 21, 20, etc.
* in I P. q. 61, a. 3
Mansi XXII, 981-2

24. *Oppositum autem tenet Vazquez* (disp. 224, c. 2***) qui in hoc sequitur Cajetanum (loco citato) et Sixtum Senensem†, quem ipse Vazquez citat. Eamdemque Vazquez sententiam sequun-

* in fine
** verius : a. 3; II^a 1795-9
*** c. 2-4
† *Biblioth.,* l. V, annot. 5

[1] Intelligito : *contra fidem.*

[2] Mendose omnes : *c. 3.*

tur Arrubal ††, Granados †††, Alarcon * et alii. — ET MIHI VIDETUR SENTENTIA TENENDA : Quia D. Thomas omnino vidit illam decretalem, immo interpretatus est illam (opusc. XXIII [1]; quod inter opuscula indubitata sancti Doctoris circumfertur). Ubi explicans verba citata concilii, scilicet quod « simul ab initio temporis, etc. », dicit in illis verbis concilium duplicem errorem excludere : tum Aristotelis, qui posuit omnia esse ab æterno, et ideo ponitur : « Ab initio temporis; » tum Origenis, qui posuit creaturas spirituales per se fuisse creatas a Deo, illis vero peccantibus creasse corpora *, quasi vincula quædam quibus substantiæ spirituales alligarentur; et propterea dicit concilium : « Simul utramque condidisse naturam. »

25. Quod vero admittendo, quod Angeli non fuerint creati ab æterno, an in suâ duratione propriâ creati sint, ante tempus tamen corporeum quod est motus cæli, concilium non se intromisit [2]. Unde ly *ab initio temporis* solum significat ab initio creatæ durationis et non ab æterno. Neque enim concilia solent aliquid definire, nisi contra errores determinatos; nullus autem error erat in hac sententia Græcorum et S. Gregorii Nazianzeni, ut D. Thomas docet *. Et ideo etiam post dictam decretalem recte sensit, nihil contra illam esse definitum. Neque obiter concilium explicavit mentem suam circa productionem Angelorum simul cum universo, quasi ex hoc opposita sententia sit temeraria, solum quia obiter id dixerit concilium : quia ut temeraria sit opposita sententia, deberet concilium expressioribus verbis loqui contra prædictam sententiam, et non illis generalibus, quibus solum significat non fuisse spiritualem creaturam factam ab æterno, quando dicit : « Ab initio temporis » creatam, ut ponderatum est.

26. NIHILOMINUS sententia Græcorum licet erroris aut temeritatis notam non habeat propter dicta, saltem taliter quod certo temeraria sit, tamen hodie vix aliquid habet probabilitatis. — Tum quia in contrarium ponderat omnis fere auctoritas doctorum Latinorum. — Tum quia [3] congruentior est locutioni Scripturæ, et decisioni concilii : quia licet non sit expresse locutum contra hanc sententiam de creatione Angelorum ante corpora, tamen illud verbum « ab initio temporis » videtur sumpsisse in significatione usuali et communi, qua nomen temporis sumitur pro duratione et mensura motûs cæli. Et Scriptura dicendo quod *omnia creavit simul*, etiam ly *simul* sumendum est in propria et rigorosa significatione, quatenus significat coexsistentiam durationis et temporis, etsi non instantaneam, quasi eodem instanti omnia creata sint, saltem simultate temporis non discontinuati. Unde simpliciter hæc sententia conformius loquitur ad Scripturam et concilium. — Tum denique quia constat Angelos peccantes cecidisse de cælo in infernum (Luc. X, 18) : *Videbam Satanam tamquam fulgur de cælo cadentem;* (Isa. XIV, 12) : *Quomodo cecidisti de cælo Lucifer, qui mane oriebaris?* (Apo. XII, 7-8) : *Draco pugnabat et Angeli ejus, et non valuerunt, neque locus inventus est eorum amplius in cælo.* Constat autem quod dæmones statim post creationem suam peccaverunt, quia dicitur (Joa. VIII, 44) : *Ille homicida erat ab initio, et in veritate non stetit;* ergo quando Angeli creati sunt, in cælo creati sunt, aut certe paulo post in cælo fuerunt : quia de cælo ceciderunt, quando peccaverunt. Peccaverunt autem ab initio, paulo post creationem suam. Fuerunt ergo creati cum rebus corporeis : quia cælum, ex quo dejecti sunt, corporeum est, et infernus in quem sunt projecti, et ignis qui diabolo paratus est, res corporeæ sunt.

27. *Ex hoc* autem etiam *deducitur valde probabilis et fere certa consequentia,* Angelos fuisse creatos in cælo : si quidem ceciderunt de cælo, et ceciderunt paulo post creationem suam; ergo verisimile est in ipso cælo fuisse creatos. Quod etiam ex auctoritate Strabi * (super illud Gen. I, 1 : *In principio creavit Deus cælum et terram*) probat D. Thomas (infra, q. 61, a. 4). Et ratio id etiam persuadet : quia Angeli etiam sunt partes hujus universi, et connexionem habent cum corporibus ejus, quia movent cælos, et ad hæc inferiora sæpe mittuntur, et corpora assumunt ut constat ex Scriptura; inconveniens est autem dicere quod creentur aliqua, quæ pertinent ad hoc universum, sine connexione ad illud, sed omnino separata, sive quoad tempus sive quoad locum; ergo in hoc universo corporeo conditi sunt Angeli, sicut ad gubernandum et ministrandum in illo ordinati sunt.

28. In quo autem cælo Angeli fuerunt creati, an in supremo cælo, quod est empyreum, an in

[1] Mendose omnes : *opus. 33* || In editione enim Piana (quam, in numerandis opusculis, constanter sequitur auctor noster) *Expositio primæ decretalis* vigesimo tertio habetur loco.

[2] Supple : [*definire*].

[3] Supple : [*sententia opposita*].

aliis cælis, vel in suprema parte aeris, non omnino constat ex Scriptura, quæ solum dicit Angelos de cælo cecidisse; nomine autem cæli non solum intelligitur cælum supremum, sed etiam alii. — Communiter tamen tenetur quod in supremo cælo creati sunt. Tum quia spirituales substantiæ excedunt dignitate suâ omnia corporea; locus autem semper dignitati respondet, ut patet in ipsis corporibus, quæ quanto sunt nobiliora, tanto in superiori loco collocantur. Cur ergo hunc ordinem prætermisisset Deus in substantiis spiritualibus respectu corporum? Tum etiam quia id dicunt S. Isidorus* et Strabus** citati a D. Thoma (q. 61***, a. 4). Tum denique quia id significatur in Scriptura (Eze. XXVIII, 13-14), ubi sub figura principis Tyri loquitur de primo Angelo ante suum lapsum de illo : *In deliciis paradisi Dei fuisti, tu Cherub extensus et protegens, et posui te in monte sancto Dei;* et (infra†) : *Et ejeci te de monte Dei, et perdidi te, o Cherub protegens;* sed Cherub, seu Angelus peccans, projectus est de cælo, ut constat ex præcitatis†† testimoniis Scripturæ; ergo ille mons et ille paradisus, de quo loquitur Ezechiel, est cælum; cælum autem quod est paradisus non est cælum aereum, sed cælum empyreum, in quo erunt omnes sancti; ergo in illo creati sunt Angeli. Sentit autem D. Thomas (loco* nuper citato, ad 2), propter quamdam auctoritatem Augustini (III super Genes. ad litt. c. 10*), nullum esse inconveniens « quod superiores Angeli, qui habent virtutem elevatam et universalem supra omnia corpora, sint in supremo creaturæ corporeæ creati [1] : alii vero, habentes virtutes magis particulares, sint creati in inferioribus corporibus ».

* verius : Beda; PL 113, 462 C; 69 B; cf. PL 91, 192 BC; PL 82, 171 A; 83, 981 C; 554 BD
** PL 113, 68
*** I P. q. 61, a. 4, *Sed contra* et in fine corp.
† Eze. XXVIII, 16
†† supra, n. 26
* I P. q. 61, a. 4
* n. 14; PL 34,

DIFFICULTATES CIRCA CORPOREITATEM ANGELORUM ENODANTUR.

29. EXPLICAVIMUS SUPRA* QUO SENSU multi sanctorum Patrum, quos ibi retulimus, asserant Angelos corporeos esse, aut saltem id inter opinabilia ponant. Aliqui etiam filios Dei, qui in Scriptura dicuntur generasse gigantes ex filiabus hominum, Angelos esse dicunt* : sed tamen quod generaverint propriâ vi, an semine aliunde excepto, non exprimunt. Certius tamen est filios Dei ibi non intelligi Angelos, sed veræ religionis ac fidei homines ex progenie Seth descendentes; nec enim filii Dei vocari possent dæmones, sed boni Angeli; boni autem Angeli ex mulieribus non generassent, etiam desumpto aliunde semine. — *Difficultatem etiam facit* quod in VII synodo generali (actione 5) cujusdam Joannis episcopi testimonium approbatum est a sancta synodo, dicentis Angelos posse depingi, quia corporei sunt et picturâ ipsâ imitabiles. Quod utique de corporeitate verâ procedit : nam alias frustra illa ratio adduceretur ad probandum quod possint depingi picturâ vere et proprie corporali, qualis est apud nos. — Ad quod etiam accumulantur alia motiva : ut quod dæmones torqueantur igne corporeo : quod non videtur posse intelligi, nisi ipsi aliquod corpus habeant. Tum quia aliquibus rebus corporeis fugantur dæmones, ut fumo jecoris piscis cujusdam (Tob. VI, 8, 18). Et similiter ad melodiam citharæ David spiritus malus recedebat a Saul (I Reg. XVI, 23).

* n. 7
* vide etiam supra, n. 7
Mansi XIII, 164-5

30. SECUNDO, EST DIFFICULTAS in hac parte circa rationem, qua D. Thomas probavit (in art. 1*) Angelos esse incorporeos, opposito modo quo probavit supra** (quæst. 14) Deum esse intellectualem, videlicet quia est immaterialis seu incorporeus; hîc autem vice versâ probat Angelos esse incorporeos, quia sunt intellectuales : Conveniens, inquit, est dari creaturas intellectuales : ergo incorporeas. Quod vero debeant dari creaturæ intellectuales ex eo probat : quia conveniens est dari aliquas creaturas, quæ assimilentur Deo non solum quantum ad esse et operari, sed etiam quantum ad modum operandi : Deus enim causat per intellectum et voluntatem, quasi ex fine præintellecto agens et seipsum movens; ergo oportet quod aliquæ creaturæ sic operentur. — Hanc rationem quasi minus efficacem omittit Vazquez*, quia solum quamdam congruentiam affert. Ipse vero probat Angelos esse incorporeos, tum ex magna velocitate qua moventur, sicut (Job I, 7) dixit Satan : *Circuivi terram et perambulavi eam.* Tum ex eo quod intrant in humana corpora et ea penetrant sine divisione, quod non possunt facere si non essent incorporei [2].

* I P. q. 50, a. 1
** cf. supra, disp. 16, a. 1 (tomo II, p. 328-335)
* disp. 178, c. 4, n. 10-11

31. *Instatur autem contra rationem D. Thomæ :* non enim sequitur quod, si aliqua causa producit effectum sibi similem in esse et in operari, producat etiam effectum sibi similem etiam in modo operandi : cum potius causa æquivoca (qualis est Deus) semper producat effectum sibi dissi-

[1] Ita legendum cum L et edd. S. Thomæ || Male MCP *creatæ*.

[2] Corrupte omnes : *corporei*.

milem in modo operandi et essendi. Et dato quod producat Deus entitatem sibi similem in tali modo operandi, sicut operatur Deus, nempe per intellectum, non sequitur quod produxerit Angelos seu creaturas pure intellectuales et incorporeas : sufficit enim, ad hoc ut habeatur ista perfectio intellectualitatis in universo, quod produxerit creaturas intellectuales alicui corpori unitas, sicut anima hominis unitur corpori humano, aut sicut aliqui existimarunt intelligentias esse unitas corporibus cælestibus, vel corporibus aereis vel igneis. Ac denique totum hoc solum procedit ex quâdam congruentiâ : quia in his, quæ Deus libere facit, non potest adduci ratio sufficiens ex natura rei quare hoc vel illud fecerit, sed solum ex judicio suæ sapientiæ; productio autem Angelorum est omnino libera.

32. AD PRIMUM *, quantum ad difficultatem ex Patribus jam supra ** respondimus. — *Ad illud autem testimonium* ex septima synodo ***, respondetur in primis quod illud testimonium non fuit approbatum a concilio : sed patriarcha Tarasius, postquam lectus est liber in quo continebatur illud testimonium, significavit synodo et dixit quod « ille pater ostendit in illo libro quod et Angelos pingere oporteat, quando circumscribi possunt et ut homines apparere ». Et synodus respondit : « Etiam domine *. » Itaque synodus non approbat illum librum episcopi Joannis, ubi illud testimonium habetur, sed solum respondet patriarchæ quod ita habetur in illo libro, sicut ipse dixit. Unde non oportet quod rationem illam approbaverit quare Angeli deberent depingi, scilicet quia sunt corporei : sed solum illud testimonium acceptavit, quantum ad hoc quod est Angelos posse depingi, quia circumscribi possunt, et quia apparuerunt in figura humana : quod totum verum est. Sed quod ipsi sint corporei, hoc non approbavit concilium : sufficiebat enim pro illo articulo qui tunc tractabatur in concilio, nempe de adoratione imaginum, et quod licite possent depingi imagines Angelorum, quod ita asseruisset ille episcopus cujus testimonium recitabatur, et quod Angeli apparuissent in forma corporea, licet in se corporei non sint. Quod vero etiam admiserit concilium rationem ibi insinuatam, quod Angeli corporei sint, non solum in apparentia et in corporibus quæ assumunt, sed etiam in substantia sua, hoc neque concilium admisit, neque pertinebat ad suum institutum.

33. Ad ea vero quæ objiciuntur * ex parte pœnæ dæmonum : Respondetur quod spiritus patiuntur ab igne corporeo, ut instrumentum est divinæ operationis alligantis eos, et cruciantis per illum ignem corporeum; non autem quod ignis ille ratione suæ activitatis corporeæ agat in ipsos. Alioquin probaretur etiam quod anima humana non esset substantia spiritualis : quia quando separata est, etiam cruciatur igne illo. De modo autem quo ignis ille agit in spiritus divinâ virtute, dicemus infra * (circa quæst. 64).

* supra, n. 29, *Ad quodetiam*

* disp. 44, a. 3

34. Ad illud vero quod dicitur ** de rebus corporeis, quibus dæmones fugantur : Respondetur ex D. Thoma (q. 6 de *Potent.* a. 10; et hîc†, q. 115, a. 5) quod hujusmodi res corporeæ non operantur in ipsos dæmones virtute propriâ, sed vel virtute divinâ seu superioris Angeli qui potest cogere ipsos dæmones; vel quia ipsi dæmones alliciuntur rebus corporalibus tamquam signis quibusdam, quia exhibentur eis in signum honoris divini, cujus sunt cupidi, ut ex D. Augustino ibi docet (XXI de Civit. c. 6*). Quare fumus illius jecoris (Tob. VI, 8, 18) non fugavit dæmonem virtute suâ corporeâ; sed, ut dicitur (cap. VIII**) quando Tobias *protulit partem jecoris, posuitque eam super carbones vivos : Tunc,* inquit textus, *Raphael Angelus apprehendit dæmonium, et religavit illud in deserto superioris Ægypti.* Non ergo fumus jecoris fugavit dæmonem, sed ad positionem illius (et fortasse propter mysterium quod significabat) virtute superioris Angeli, scilicet Raphaelis, dæmon ille apprehensus et religatus est. — [Ad] illud [1] autem quod dicitur * de musica David : Respondetur quod spiritus ille malus recedebat, canente David et pulsante citharam, virtute divinâ; vel propter hymnos illos et psalmos quos canebat David, qui erant verba sacra, ad quorum deprecationem virtus divina fugabat dæmones. Vel etiam disponebat animam Saulis per musicam, ut reduceretur ad statum magis pacatum, et sic excitaretur magis ad Deum, et minus esset dispositus ut spiritus malus exagitaret illum : id enim virtute musicæ fieri posse, et propter hoc excogitatum esse « quod in omni cultu divino aliquid consonantiæ musicæ exerceatur, ut animus hominis excitetur ad Deum »,

** supra, n. 29, *Tum quia*

† I P. q. 115, a. 5, ad 3

* n. 1; PL 41, 717

** Tob. VIII, 2-3

* supra, n. 29, *Et similiter*

[1] Mendose omnes : *religatus est. Illud...*

docet S. Thomas (super Psal. XXXII, 2, explicans illud verbum : *Confitemini Domino in cithara, etc.*).

* supra, n. 30

35. AD SECUNDUM * RESPONDETUR : D. Thomam congruentissimam rationem reddidisse ex parte ipsius universi, quod postulat esse perfectum et integrum in suis partibus et gradibus ex quibus constat : inter quos præcipuus est gradus spiritualium substantiarum. — Congruentiæ autem P. Vazquez nullius momenti sunt, nec aliquatenus probant spiritualitatem Angelorum, quæ efficaciter probari non potest nisi ex operatione per se spirituali, qualis est intellectio. Velocitas * autem, quantumcumque magna, non probat spiritualitatem : quia etiam corpora maximâ velocitate moveri possunt, ut patet in corpore gravi quando multum ponderosum est, quod incredibili velocitate movetur : et longe majori cælum ipsum. Nam, ut astrologi notant, stellæ quæ sunt in circulo majori firmamenti tantâ celeritate volvuntur, ut in minuto horæ pertranseant plusquam septingenta millia leucarum : quod est plusquam centies circuire totam terram in minuto horæ. — Quod vero intrent Angeli in corpora *, dici potest id tribui subtilitati suorum corporum, sicut aer intrat per poros; vel quia possunt adeo subtiliter dividere corpus, ut ad illud intrent quin sentiantur. — Quod autem in uno homine * possint esse multi dæmones, non probat efficaciter spiritualitatem : cum possit subtile corpus in minorem locum contrahi, vel in majus extendi. Quare istæ congruentiæ Vazquez valde infirmæ sunt ad probandum Angelos carere omni corpore, sed solum probant carere corpore crassiori et imperfecto.

* cf. supra, n. 30, *Ipse vero probat*

* cf. supra, n. 30, *Tum ex eo*

* cf. Vazquez, disp. 178, c. 4, n. 11

36. *Ratio* autem *D. Thomæ optime probat* incorporeitatem in Angelis ex operatione maxime incorporea, qualis est intelligere; cum quo tamen stat quod etiam optime probaverit Deum esse intelligentem, quia est immaterialis et incorporeus : quia ibi processit a priori, hîc a posteriori, eo quod ex effectibus creatis prius nobis innotescit Deum carere corpore seu esse immaterialem, quia est primus motor, non motus ab alio, atque adeo carens potentialitate : ergo materialitate. In Angelis vero magis est nobis notum quod intelligant, eo quod effectus eorum apud nos ex locutione et aliis intelligentiæ actibus magis innotescunt, et ex intellectualitate recte probatur spiritualitas. Quod vero ita sint puri spiritus quod nullum corpus informent, ex eo probatur : quia sunt substantiæ intellectuales perfectæ, et non sicut nos. Unde cum intellectualitas de se abstrahat a corpore, nec petat illud, sed potius impediatur per corpus, necesse est quod si dantur creaturæ intellectuales cum unione ad corpus, quod imperfectionem in eo genere dicit, dabiles sint aliquæ creaturæ in illo genere intelligendi perfectæ, atque adeo omni corpore et corporeo affectu carentes.

37. Ad instantiam * vero contra rationem D. Thomæ qua probat debere dari has creaturas intellectuales, ut dentur aliquæ creaturæ quæ perfecte assimilentur Deo in modo operandi : Respondetur optime sequi quod causa, perfecte assimilans sibi effectum, debet illi communicare suum modum essendi et agendi, quantum fuerit possibile : scilicet causa univoca secundum eamdem speciem atomam : æquivoca vero secundum analogiam et proportionem, similitudine [1] quantum ad gradum, non quantum ad speciem; et sic intra illum gradum debet assimilare sibi effectum modo sibi possibili : tunc autem assimilat, quando facit illum non solum exsistentem, sed etiam operantem. Modus autem operandi est duplex : scilicet exsecutivus tantum, sicut [2] qui operantur sine cognitione : exsecutivus directivus, sicut qui operantur per intellectum qui dirigit, et per potentiam moventem quæ exsequitur. Et hic est altior modus assimilandi Deo, in tantum quod natura intellectualis dicitur facta *ad similitudinem et imaginem* Dei. Sicut ergo non est contra analogiam ad Deum causantem quod producatur aliquis effectus, non solum exsistens, sed etiam operans, ita non est contra analogiam Dei ad creaturam, quod producatur aliqua creatura quæ sit similis Deo in operando directive, seu per intellectum, cum distantiâ tamen infinitâ in ipso ordine naturæ.

* supra, n. 31

Gen. 1, 26

38. Ad alteram * vero instantiam respondetur, quod D. Thomas in hoc articulo solum probavit debere dari creaturas spirituales et incorporeas, quæ sunt Angeli. Quod vero totaliter et perfecte sint spirituales, nec habeant corpora sibi naturaliter unita, probat quæstione * sequenti (art. 1) ex perfecta assimilatione ad Deum in gradu intellectuali : eo quod inconveniens est dari naturam intellectualem creatam solum in gradu imperfecto, et deesse perfectum gradum in linea

* supra, n. 31, *Et dato*

* I P. q. 51, a. 1

(1) Ita bene legit C, addita distinctione post *proportionem* || MP *proportionem similitudine* : minus clare || L *proportionem similitudinis* : male.

(2) Intelligito : *sicut* [*eorum*] *qui*...

intellectuali, quæ tunc est perfecta quando caret omni corpore : quia intelligere ex adjunctione corporis imperficitur, et ex abstractione ab illo constituitur. — Hæc autem ratio non probat efficaciter * Deum de facto produxisse Angelos : sed solum probat id connaturaliter exigi ad perfectionem universi, et ad perfectionem lineæ intellectualis. Unde solum procedit ex suppositione quod *Dei perfecta sunt opera*, et maxime integrum est opus totius universi. Deut. XXXII, 4

* cf. supra, n. 31. *Ac denique*

ARTICULUS II

Utrum Angelus careat omni compositione materiæ et formæ.

1. Etsi D. Thomas (in art. 1 hujus quæst. *) probatum reliquerit dari creaturas spirituales omnino incorporeas (quæ sunt Angeli), quia intellectuales, restabat tamen dubium : an ista entitas spiritualis sit omnino expers omnis compositionis ex materia et forma, ita quod sit forma simplex subsistens : an vero detur in eis aliqua materia, sive similis nostræ, sive alterius rationis, sive corporea sive spiritualis. Licet enim apud D. Thomam idem sit aliquid esse corpus, et esse compositum ex materia, tamen apud alios non est idem. Nam Averroes * sensit cælum non esse compositum ex materia et forma, licet sit corpus, quia extensum est, ut videmus. Et Avicebron (in lib. Fontis vitæ **), quem citat D. Thomas (opusc. XV †, c. 5; et in hac quæst. ††, a. 2 [1]), dixit substantias spirituales, quales sunt Angeli, esse compositas ex materia et forma, ut ratione materiæ conveniant cum natura corporea. Et quidam ex theologis scholasticis etiam admittunt dari in Angelis materiam ex qua componantur, sed spiritualem et distinctam a natura corporali : quod tribuitur Alensi (II P., q. 20, membro 1, in fine *; et q. 44, membro 2 **); D. Bonaventuræ (in II, D. 3 ***, a. 1, q. 1 ad 2); Aureolo † apud Capreolum (in II, D. 3, q. 1, circa 1am concl.), et aliis. Quare distinctam difficultatem debuit D. Thomas excitare circa corporeitatem Angelorum, et circa simplicitatem seu incompositionem ex materia et forma : sicut etiam supra (q. 3 ††), disputando de Deo, primo ostendit in Deo non esse corpus, deinde non esse compositum ex materia et forma.

* I P. q. 50, a. 1

* *De subst. orbis*, c. 2; I *de Cœlo*, text. 20; VIII *Metaph.*, text. 12
** tract. IV, c. 1-4
† *De substantiis separ.*
†† I P. q. 50

* ed. Quaracch., lib. II, pars I, n. 106 (tomo II p. 135-6)
** lib. II, pars I, n. 249 (tomo II, p. 310)
*** D. 3, pars I, a. 1, q. 1, concl. 2-3 et ad 1-2
† II, D. 3, q. 1, a. 3
†† I P. q. 3, a. 1-2

SENTENTIA DIVI THOMÆ.

2. **CERTA NIHILOMINUS EST D. THOMÆ SENTENTIA, quæ duas continet partes. — Prima : Angeli non sunt compositi ex materia et forma, loquendo de materia corporali, qualis invenitur ad nos. — Secunda : Angeli ex nulla materia sunt compositi, etiamsi fingatur dari materiam spiritualem, quæ quantitati subjecta non sit.** Illa enim dicitur materia corporea, quæ quantitate afficitur : quia omne quod est extensum, corpus est. Unde sequitur Angelos esse formas simplices, id est, non habentes aliam entitatem quam formæ in qua subsistunt, quasi formæ completæ et non facientes compositionem cum aliqua alia comparte quæ dicitur materia. — Probat D. Thomas hanc sententiam primo generaliter ostendendo quod Angeli sunt formæ simplices, et consequenter omni materiâ carent. Secundo, discurrendo per utramque materiam, sive nostram corporalem, sive alterius rationis spiritualem, et singulas excludendo.

3. Primum probat D. Thomas (opusc. XV *, c. 18) ex Scriptura et Patribus. — *Ex Scriptura quidem :* quia Angeli nominantur « virtutes », sicut dicitur (Psal. CII, 20-21) : *Benedicite Domino omnes Angeli ejus, benedicite Domino omnes virtutes ejus;* et (Luc. XXI, 26) : *Virtutes cœlorum commovebuntur;* quod de sanctis Angelis omnes doctores exponunt. Si autem Angeli essent materiales ex quacumque materia, non possent dici virtutes, sed habentes virtutes. Virtus enim est forma operativa; nihil autem compositum ex formâ et materiâ dicitur sua forma : sicut

* *De substantiis separ.*

[1] Mendose omnes : *art. 3.*

homo non dicitur sua humanitas, vel sua anima, vel sua virtus : esset enim incongrua prædicatio, « Homo est anima » « Homo est virtus » ; sed est habens animam, et habens virtutem. Ergo si Scriptura Angelos nominat Virtutes, sicut etiam nominat Potestates et Principatus, manifestum est quod sentit eos esse formas, non autem compositos ex materia et forma; aut loquitur Scriptura in sensu improprio : quod sine ullo fundamento in hac parte diceretur, cum aliunde nobis non constet ex ipsa Scriptura Angelos esse compositos, ut dicamus improprie loqui quando illos vocat Virtutes.

4. *Ex Patribus hoc idem probat* D. Thomas et præcipue ex D. Dionysio, qui ceteris abundantius Angelorum notitiam nobis tradidit. Eamque doctrinam ex Apostolis hausit, præcipue ex Paulo, cujus discipulus fuit. Inquit ergo S. Dionysius de Angelis loquens (in 4 cap.* de Divinis nomin.) quod « intellectuales substantiæ ab universâ corruptione, morte et materiâ, mundæ exsistunt, et sicut incorporales et immateriales intelliguntur ». Ubi non solum excludit Dionysius corporeitatem ab Angelis, sed etiam omnem aliam materiam : tum quia ab universa materia dicit esse immunes; tum quia non solum incorporales, sed etiam immateriales nominat. Similiter (in 1 cap.* de Cælesti hierarchia) : « [Divina dispositio immateriales Angelorum] [1] hierarchias materialibus figuris variis tradidit; » et (in 2 cap.** ejusdem libri) quærit quare « sacri doctores ad corporalem formationem incorporalium, scilicet Angelorum, venientes, non figuraverunt ea pretiosissimis figuris, sed immaterialibus substantiis et deiformibus simplicitatibus terrenas figuras imposuerunt ». Ubi aperte supponit, Angelos ita esse immateriales, quod sunt simplices, et consequenter omni compositione carent. Quod est esse solum formas : quia non possunt Angeli esse sola materia, quia Angeli operativi sunt, materia autem sola non est operativa, sed receptiva, et ita operatio sequitur formam. Si ergo Angelus est simplex et operativus, ergo est forma, non materia.

* c. 4, § 1: PG 3, 693
* c. 1, § 3: PG 3, 121
** c. 2, § 2: PG 3, 137

5. Citat etiam D. Thomas Augustinum (II super Genes. ad litter.*) ubi dicit quod « conditio spiritualis et intellectualis creaturæ lucis appellatione intimatur, quæ primo die est condita : in qua natura intelliguntur omnes sancti Angeli atque Virtutes ». Et Damascenum*, qui dicit quod « Angelus est substantia intellectualis et incorporea ». Et sumit incorporeum pro eo quod est immateriale : subdit enim quod « incorporeus** et immaterialis dicitur Angelus quoad nos : omne enim, comparatum ad Deum, crassum et materiale invenitur ». Sentit ergo Damascenus quod Angelus caret materiâ corporeâ et quâcumque aliâ materiâ compositivâ, qualem nos habemus : quia non solum incorporeum, sed etiam immaterialem dicit respectu nostri. Quod autem comparatione ad Deum dicatur materialis, non est quia habeat materiam quæ est pars compositi, sed quia non adæquat divinam simplicitatem, eo quod est compositus ex esse et essentia, ex natura et subsistentia, habetque potentialitatem, et non est actus purus; potentialitas autem modum habet materiæ, seu materialis subjecti respectu accidentium.

* c. 8, n. 16 PL 34, 269
II * De fide orth., c. 3; PG 94, 865
** PG 94, 868

6. Secundo, probatur sententia D. Thomæ excludendo omnem rationem materiæ ab Angelis. *Et primo excludit materiam corporalem,* qualis est in nobis (in art. 2 hujus quæst.*; et opusc. citato XV**, c. 6 et 7). Nam si in Angelis esset materia corporalis, non posset eadem pars seu entitas materiæ informari a forma angelica spirituali, et a corporali : sic enim resultaret unum per accidens ex duplici forma, spirituali et corporali : quia haberet duplicem speciem, cum unaquæque forma suam speciem daret. Quare sicut anima hominis, quæ spiritualis est, nullo modo informat materiam cum aliis corporalibus formis constituentibus diversam speciem, sed habet suam materiam segregatam ab illis : ita, si Angelus componeretur ex materiâ nostrâ et formâ spirituali angelicâ, non deberet eamdem materiam informare quam aliæ formæ corporales, sed partem aliquam seorsum. Si autem materia illa, quæ informaretur formâ Angeli, esset diversa et segregata a materia quæ est sub forma corporea, ergo etiam erit capax ut dividatur ab illa parte materiæ, quæ est in corpore, eo modo quo una pars materiæ dividitur ab alia, scilicet per quantitatem : nec enim alio modo materia, quæ in nobis est, dividitur et segregatur in portiones materiæ quæ sunt sub diversis formis, nisi per quantitatem. Ergo si portio materiæ, quæ informatur ab Angelo, segregata est et divisa ab ea quæ informatur formis corporeis, ratione quantitatis divisa erit et segregata; ergo Angelus, qui est compositus

* I P. q. 50, a. 2
** *De substantiis separ.*

[1] Quatuor hæc verba, ab omnibus male omissa, restituimus ex D. Thomæ opusculo XV, cap. 18, cui fideliter inhæret auctor.

ex tali materia, actus [1] est divisus ab aliis corporibus per quantitatem. — Et ulterius, cum illa materia sit ejusdem rationis cum nostra, capax erit quantitatis, sicut nostra, saltem radicaliter; immo si actu est divisa una pars materiæ ab alia per quantitatem, actu debet habere illam : alias non dicetur dividi per illam, si non afficitur illâ. Sed Angelus, ut ostensum est (præcedenti art. *), est omnino incorporeus : cum sit substantia intellectualis perfecta, cui intellectualitati obstat corporalitas, redditque minus perfectam substantiam intellectualem. Ergo repugnat etiam quod Angelus sit compositus ex materia simili nostræ, sed pro eodem debet reputari quod careat corporeitate, et quod careat materiâ : quia non potest materia secundum aliquam partem sui uniri spirituali formæ Angeli, nisi separetur per quantitatem, atque adeo afficiatur illâ; ubi autem est quantitas, ibi est corpus.

* supra, art. 1, nn. 7-14, 29-38

7. *Quoad secundam vero partem, probatur* a D. Thoma dupliciter non posse esse in Angelo materiam alterius rationis a nostra, etiamsi fingatur esse materia spiritualis. Primo, ex ejus operatione, quæ nullam exigit materiam, et consequenter neque substantia Angeli quæ talis operationis radix est. Secundo, ex impossibilitate materiæ spiritualis. — Primum ostenditur : quia operatio propria intellectualis substantiæ est intelligere; intelligere autem est operatio immaterialis, quia perficitur per denudationem sui objecti a condicionibus materiæ, non solum ut materia dicit corporeitatem, sed prout dicit modum recipiendi coarctatum ad formas proprias, id est, ad recipiendum formas entitative, et ad componendum unum tertium sive substantiale sive accidentale, non ut fiat alia a se, ut natura cognoscens : ut late ostendimus præcedenti tomo (circa q. 14, disp. 16, a. 1*). Et breviter patet : quia intellectus recipit species intentionales modo immateriali : quia non recipit illas sicut materia recipit formam ad constituendam unam tertiam entitatem, sed recipit illas repræsentative, ita ut totum, quod est in objecto, sit in intellectu, et sic intellectus fiat aliud a se. Ergo operatio intellectûs, tam ex parte objecti quod potest intelligere in universali, quam ex parte modi recipiendi species et informationes objecti repræsentati in illis, immaterialis est : quia modus recipiendi informationem objecti non est secundum materiales condiciones, ut (loco citato) explicavimus : et objectum in universali abstrahit a condicionibus individualibus, quæ sunt materiales condiciones. Ergo si operatio intellectualis non exigit materiam, præsertim quando ita perfecte est sicut in Angelo, neque etiam substantia ejus eam exiget : quia substantia seu natura est radix et principium operationis; ergo si ad operationem illam intelligendi non exigitur materia, neque ad constituendum ejus principium in ipsa ratione naturæ spiritualis id exigetur. Et si fuerit perfecta in ratione intellectuali et in spiritualitate, neque ex illâ [2] componi, neque cum illâ componere seu illi uniri exiget, sicut exigit anima nostra propter imperfectionem suam in intelligendo et dependentiam in accipiendo objecta a sensibus.

* præsertim n. 10 sqq. (tomo II, p. 330-5)

8. Ulterius vero deducitur implicatio et repugnantia spiritualis materiæ ex hac parte, et sistendo in hac ratione intelligibilitatis : quia ipsa condicio materiæ primæ, ut sic in communi sumptæ, etiamsi abstrahat a corporea et spirituali, directe opponitur spiritualitati; ergo repugnat materiam primam esse spiritualem. — Consequentia patet : quia ratio contrahens non debet repugnare et opponi rationi communi contrahibili : cum simul uniantur et componant. — Antecedens vero patet : quia modus materiæ primæ in communi sumptæ est esse receptivam formarum stricto et coarctato modo, scilicet faciendo illas sibi proprias, et componendo aliquod tertium entitativum ex eis, sive substantiale sive accidentale. Modus vero spiritualitatis, prout talis, est excedere istum modum sic strictum, et posse recipere formas intentionaliter, id est, cum tanta amplitudine ut faciat [3] alia a se, et uniat sibi res, etiam quæ secum non componunt sed extra se sunt, objective et intelligibiliter : quia spiritualitas fundat intelligibilitatem. Ergo modus spiritualitatis pugnat cum modo materiæ primæ.

9. Alterum principium * quod tangit spiritualis materiæ impossibilitatem, ut distinctæ a corporali, traditur a D. Thoma (in dicto opusc. xv **, c. 7) : cujus vis consistit in hoc quod, si materia illa distinguitur a tota materia corporali, neque potest in corporibus inveniri, necesse est quod sit spiritualis; ergo oportet quod excedat materiam corporalem non solum ratione diversæ

* cf. supra, n. 7, *Secundo ex impossibilitate*
** *De substantiis separ.*

[1] Sic omnes, haud omnino male || Censemus legendum : *actu*.
[2] Subaudiendum est : *materiâ*...

[3] Sic omnes, mendose, ut videtur || Corrigendum arbitramur : *ut fiat alia a se*.

potentialitatis, sicut materia cælestis excedit sublunarem (in sententia quod ab illa distinguitur specie), sed etiam ratione majoris abstractionis et actualitatis : eo quod materia illa non est corporea, sed spiritualis (ut ponitur). Ergo abstrahit ab omni ratione corporea, et excedit illam, sive sit forma sive materia : quia entitas spiritualis altioris ordinis est quam corporalis; ergo quælibet substantia spiritualis, ut spiritualis sit, depurari debet ab omni eo quod corporeum est, et altioris ac perfectioris ordinis esse. Sed forma corporea est actus, et non pura potentia, sicut materia; ergo si exceditur a materia spirituali, quia spiritualis substantia est, oportet quod illa materia actualior sit, seu magis habeat de actu quam quælibet forma corporea. Si autem non est pura potentia, sed habet in se actualitatem, quatenus est perfectior quâcumque entitate corporali, sive formâ sive materiâ, ergo non potest esse materia substantialis constituens cum forma compositum substantiale per se. Quia de ratione formæ substantialis, componentis substantialiter et per se unum, est quod det primum esse : quia si dat esse substantiale, illud debet esse primum, quia illud dicitur substantiale quod substat aliis et est fundamentum ceterorum et consequenter est primum. Ergo materia, cum qua componit forma substantialis dando primum esse, necesse est quod sit pura potentia et nullum habeat actum : alias, si habet illum, forma illi adveniens non dat primum esse, si quidem supervenit materiæ habenti actum et esse. Et hoc currit in quacumque materia sive spirituali sive corporea, hoc ipso quod est materia ordinata ad componendum cum forma unum ens substantiale et per se, accipiendo primum esse ab ipsa forma.

10. *Solum responderi potest :* Vel quod non est necesse quod materia prima careat omni actu, saltem entitativo, licet careat esse formali. Unde ex hoc non convincitur, quod non possit dari materia spiritualis eo quod non sit pura potentia et sit excellentior omni actu corporeo : semper enim manet in pura potentia ad formas spirituales, licet comparatione ad genus corporeum sit superior et actualior illo : sicut cælum in ratione corporis incorruptibilis est excellentius homine, licet simpliciter sit inferius, scilicet in esse viventis. — Vel secundo dicetur, quod materia illa spiritualis non est actus (1) spiritualis, sed in potentia : sicut materia nostra non est actu corpus, sed in potentia, quia susceptiva est formæ corporeæ; et tamen cum hoc stat quod sit perfectior materia et altior quam corporea, quia dicit ordinem ad formam altiorem, scilicet ad spiritualem, et modo altiori quam nostra. Sicut in opinione S. Thomæ * materia cæli est nobilior sublunari, non quia sit in se entitas actualis perfectior, sed quia dicit ordinem et capacitatem ad perfectiorem formam, et sub modo perfectiori scilicet modo incorruptibili. * I P. q. 66, a. 2, et alibi sæpe

11. *Sed contra primam responsionem imprimis instari potest* ex generali doctrina a nobis tradita (in I *Physicor.* **; et in I *de Generatione* ***, et aliis locis †), quod materia prima necessario debet carere omni actu entitativo, si caret omni actu formali : eo quod actus entitativus, qui est exsistentia, nullo modo convenire potest nisi mediante formali : Tum quia forma est actus primus, et exsistentia ultimus in ordine entitativo : cum sit ultimum quod intendit agens, et tunc cessat actio, quando ponitur exsistentia et terminus in facto esse. Tum quia exsistentia non habet determinatam speciem nisi ratione formæ ad quam sequitur, quæ est prima ratio specificandi; unde perinde est ponere actum entitativum sine forma, ac ponere exsistentiam sine specie a parte rei : materia enim ex se nullam habet speciem in actu determinatam, quia nullam habet formam, quæ est ratio et principium cujuscumque specificationis : sed solum est capax cujuscumque speciei, sicut cujuscumque formæ. — Sed dato quod materia prima habeat ex se actum entitativum, fortius instauratur nostrum argumentum : Quia in tali casu materia spiritualis haberet actum entitativum spiritualem; sed actus entitativus seu esse spirituale excedit quodcumque esse et quamcumque exsistentiam corporalem, sive sit formæ sive materiæ : quia superioris ordinis est; ergo ipsa materia spiritualis, quæ tam perfectum esse habet ex se, etiam ex se superat in actualitate omnem formam corpoream. Quod autem est entitas actualior, quam forma quævis corporea, non potest esse pura potentia in ratione substantiæ sicut requiritur ad rationem materiæ substantialiter componentis : quia tunc non solum excedit actum entitativum, sed etiam formalem, nempe formas corporeas; ergo non solum est actus entitativus, sed plusquam formalis : quod

* supra. n. 10. *Solum responderi*
** q. 3. a. 2-3; RF. n. 59-76
*** q. 1. a. 2; RF. n. 553-7
† RF. n. 754-761; cf. infra, tract. *De opere sex dier.*, q. 66, n. 8-17

(1) Ita omnes, profecto non male || Fortassis tamen legendum : *actu*.

est contra rationem materiæ, quæ in genere substantiæ debet esse pura potentia, saltem excludendo omnem actum et perfectionem formalem. Et licet formæ corporeæ possint esse in alio genere nobiliores, scilicet in informando, tamen ad exclusionem materiæ sufficit quod in genere substantiæ non sit pura potentia.

* supra, n. 10, *Vel secundo*

12. *Contra secundam** autem *responsionem instatur :* quia licet una materia possit differre ab alia per ordinem ad formam extrinsecam quam respicit, et penes modum diversum recipiendi, tamen semper in se debet supponi quod sit pura potentia in genere substantiali, eo quod potest componere cum forma substantiali recipiendo ab ipsa primum esse simpliciter. Hoc autem non consequitur, si semel ponimus dari materiam spiritualem : quia licet intelligi possit quod in comparatione ad formas spirituales sit in potentia vel imperfectior illis, tamen comparatione ad naturam corpoream necessario debet habere majorem perfectionem quam illa : quia elevatur supra omnem ordinem naturæ corporeæ, et abstrahit ab omni imperfectione corporalis naturæ; ergo hoc non potest intelligi, nisi habeat actualitatem entitativam et substantialem, qua excedat actualitatem naturæ corporeæ. Quia per solam puram potentiam non posset habere perfectionem supra totam actualitatem ordinis corporei : perfectio enim sequitur ad actualitatem, non ad potentialitatem in entibus; sicut etiam videmus quod intellectus possibilis nostræ animæ, licet sit in pura potentia intelligibili ad omnes formas intelligibiles, tamen, quia spiritualis entitas est, excedit in perfectione omnes formas corporeas et habet actualitatem perfectiorem illis. Ergo similiter materia spiritualis, licet esset in potentia ad formas spirituales, tamen in se deberet habere actualitatem superantem omnem actualitatem corpoream, et consequenter in genere substantiæ deberet habere aliquem actum; et sic non posset componere cum forma substantiali, accipiendo ab ipsa primum esse simpliciter in genere substantiæ.

* cf. supra, n. 10, *Sicut in*

13. Unde patet, non esse simile de materia cælesti* et sublunari. Quia materia cælestis, etiamsi specie distinguatur a sublunari, tamen, cum corporea sit, non est necesse quod habeat elevationem secundum actualitatem supra formas corporeas : sed [1] quod maneat in pura potentia, solumque distinguatur a materia sublunari per ordinem ad diversam formam quam recipere potest, et diversum modum recipiendi illam quam [2] materia sublunaris, scilicet modo incorruptibili. Materia autem spiritualis, si daretur, ex vi suæ spiritualitatis non solum elevaretur supra materiam corporalem, sed etiam supra formas corporales, ut ostensum est* : quod non posset esse manendo in pura potentia substantiali, sed retinendo actualitatem etiam formalem, scilicet supra illas formas.

* supra, n. 11-12

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

14. PRIMO ARGUITUR ad probandum dari in Angelis materiam physicam similem nostræ : Quia substantia Angeli, etiam in ratione substantiæ, aliquam habet compositionem : alioquin, si omni compositione careret in genere substantiæ, æquaretur simplicitati divinæ, quantum ad id quod substantiæ est; sed materia non est aliud quam potentia substantialis pertinens ad compositionem; ergo si in genere substantiæ admittunt potentialitatem, etiam admittunt rationem materiæ. — Unde remotâ materiâ non apparet quomodo distinguatur Angelus a creatore et ab ejus simplicitate, si nulla duplicitas invenitur in substantia Angeli tamquam partes ejus, sed totum quod substantia est, simplex est. Nec poterit esse medium inter purum actum et puram potentiam, nisi participet utroque extremo; sed purus actus est Deus, et pura potentia est materia; ergo Angelus, qui est medium inter illa, de utroque debet participare; et sic aliquid debet habere de materia.

15. *Confirmatur :* quia Angelus est compositus ex genere et differentiâ, cum sit in prædicamento substantiæ, et per varias species distinguatur; sed genus sumitur a materia, et differentia a forma; et non sumitur a materia quæ est subjectum accidentium, sed quæ est subjectum formarum substantialium : quia genus substantiale est, et sic a materia substantiali debet sumi; ergo in Angelis datur materia substantialis, et similis nostræ, quia per eam convenit univoce in genere cum substantia corporea. Nec sufficit dicere quod conveniunt in materia metaphysica, non physica : nam materia metaphysica est ipsum genus; ergo si hæc sumitur a materia

(1) Supple : *sed [sufficit] quod...* || Vide tomi I Præfationem, cap. III, art. 2, § 3, n. 1, c).

(2) Intelligito : *et alium modum recipiendi illam ac materia...* || Cf. eamdem Præfationem, ibidem, n. 7, a).

metaphysica, idem erit dicere quod genus sumitur a materia, ac dicere quod genus sumitur ex genere. — *Secundo confirmatur* ex illo dicto Augustini (XII Confessionum, c. 21 *), quod Deus fecit materiam communem visibilium et invisibilium; nomine autem invisibilium intelliguntur Angeli. Et similiter Boethius (in I de Trinitate *) dicit quod « forma simplex subjectum esse non potest »; sed Angelus est subjectum multorum accidentium; ergo non est forma simplex; ergo aliquid compositum ex materia et forma.

* n. 31: PL 32, 837

* c. 2: PL 64, 1250 D

16. RESPONDETUR, quod Angelus in genere substantiæ aliquam habet compositionem, non quidem ex partibus substantialibus, quia est sola forma subsistens, sed ex ipsa forma et subsistentia, ex substantia et esse : quod etiam pertinet ad compositionem substantialem et intra genus substantiæ : quia subsistentia, licet non sit pars compositiva substantiæ, est tamen terminus, et similiter ipsa exsistentia. Et hæc etiam vocatur compositio metaphysica, in quantum distinguitur a partibus physicis; et sic natura substantialis dicitur materia metaphysica respectu subsistentiæ et exsistentiæ, id est, res terminabilis ab illis. Et præterea, etiam in genere substantiæ habet potentialitatem, quatenus est subjectum accidentium : nam esse subjectum pertinet ad substantiam; caret tamen subjecto susceptivo formæ substantialis. — Non tamen * ex hoc æquatur simplicitati divinæ, etiam in genere substantiæ : quia substantia divina nec ad partes, nec ad subsistentiam, nec ad exsistentiam, nec ad accidentia vel operationes est in potentia : et sic est actus purus, etiam in genere substantiali. Materia autem dicitur potentia substantialis, non quomodocumque, sed in ordine ad componendum cum forma substantiale (1) tamquam cum parte et principio specificationis, cum quo componit ipsam naturam seu speciem. Potentia autem ad recipiendum exsistentiam et subsistentiam, qui sunt termini substantiales, etiam substantialis potentia est. Unde ut distinguatur simplicitas Angeli a simplicitate substantiæ divinæ, non indiget habere partes duplicatas, nec materiam compositivam naturæ; sed sufficit habere substantiam quæ non sit ipsum esse, sed sit in potentia ad esse et ad subsistere : ut bene tradit D. Thomas (opusc. XV *, c. 8, solutione ad 4).

* cf. supra, n. 14. *Unde remota*

* *De substantiis separ.*

17. *Ad primam* ** *confirmationem respondetur*, quod, ut ostendimus in Logica (quæst. 7 ***), genus non sumitur a materia physica, quæ est altera pars compositi : sed ab ipso toto, quatenus in eo invenitur aliquid de potentia, et aliquid de actu determinante et contrahente hanc potentiam. — Nec dicimus † genus sumi a materia metaphysica, quæ est ipsummet genus : sed ab ipsomet toto, quatenus habet rationem potentialitatis respectu alicujus gradûs seu prædicati contrahentis. Ad quod etiam conducit ipsa potentialitas substantiæ ad suum esse et ad suum subsistere : quia quod est in potentia ad exsistentiam et subsistentiam potest concipi sine individuatione, et consequenter in abstracto. Et ulterius in ipsa ratione abstracta potest concipi aliquid, quod est commune cum multis, et quod est proprium istius : et illud commune dicitur potentiale et genericum, et loco materiæ habetur. Unde non sumitur genus a seipso, quando dicitur sumi a materia metaphysica : quia sumitur a potentialitate alicujus naturæ, secundum quam convenitur cum pluribus. Quæ potentialitas etiam vocatur materia metaphysica : quia non est potentialitas ad componendum cum forma substantiali, quæ est materia physica, sed est potentialitas unius prædicati ad aliud, vel ipsius naturæ ad esse vel ad subsistere. Constat autem quod in accidentibus datur genus et differentia intra suam propriam quidditatem et lineam : et tamen in sua quidditate non componuntur ex materia, licet accidens dicat ordinem ad subjectum ut ad causam materialem; non ergo genus sumitur semper ex materia physica.

** supra, n. 15

*** q. 7; RF t. 399-403

† supra, n. 15. *Nec sufficit*

18. *Ad secundam* * *confirmationem* bene respondet D. Thomas (q. I *de Spiritual. creat.* a. 1 ad 4), quod Augustinus (in illo loco) non intendit dicere quod sit eadem materia numero visibilium et invisibilium : sed quod etiam in spiritualibus potest intelligi aliquid informe, quod nomine materiæ appelletur. Non autem dicit quod Deus fecit materiam communem visibilium et invisibilium, sed quod *terra invisibilis et incomposita, et tenebræ super faciem abyssi,* potest intelligi quod « hoc * totum, quod cælum et terra appellatum est, adhuc informis et tenebrosa materia erat, unde fieret cælum intelligibile, et terra, scilicet omnis natura corporea » : quod non est dicere utramque naturam, scilicet

* supra, n. 15. *Secundo confirmatur*

Gen. 1, 2

* PL 32, 837

(1) Ita omnes, fortasse tolerabiliter || Suademus tamen legendum : *substantiali*.

corpoream et spiritualem, esse factam ex eâdem materiâ, sed quod potest intelligi et appellari informis et tenebrosa materia, quatenus utraque sub statu alicujus informitatis et potentialitatis potest intelligi. — Ad auctoritatem* autem Boethii respondet ibi D. Thomas (ad 1**), quod forma simplex, quæ non est subjectum, intelligitur de forma simplici non solum quæ caret materiâ componente, sed etiam quæ caret potentialitate, et est actus purus. Reliquæ autem formæ, quæ habent aliquid potentialitatis, non dicuntur formæ simplices omnino, saltem metaphysice. Et hoc modo Angeli possunt suscipere accidentia, quia sunt formæ cum potentialitate ad recipienda accidentia.

* supra, n. 15, *Et similiter* ** *de Spirit. creat.*, q. 1. a. 1, ad 1

19. Secundo, arguitur ad probandum quod Angeli debeant constare aliquâ materiâ, saltem spirituali. Nam nulla est implicatio, quod detur talis materia. Nam si aliqua esset, maxime quia impedit rationem intellectualitatis; hoc autem non currit in præsenti, quia materia quæ impedit intellectualitatem est materia cum condicionibus corporeis; illa autem materia spiritualis careret istis condicionibus, quia spiritualis est. — Ex parte autem ipsius materiæ, et ex parte ordinis ipsius ad formam, non est repugnantia istius materiæ spiritualis : quia valde probabilis est sententia D. Thomæ, qui dicit materiam cælestem specie distingui a sublunari, et illa specifica distinctio est ex diverso ordine ipsius materiæ ad suam formam; ergo etiam non repugnabit ex parte materiæ et ordinis ejus ad formam dari materiam propriam et peculiarem in ordine spirituali, quæ dicetur materia spiritualis quia solum spiritualium formarum susceptiva erit. — Quod si semel ponatur non implicare hanc materiam spiritualem, non est cur negetur Angelis; nec enim nobis constat non esse productam talem materiam. Et convenientius est sic ponere, eo quod substantia Angeli ponitur in prædicamento; principia autem prædicamenti substantiæ sunt materia et forma, ut sumitur ex Boethio (in commento *Prædicament.**) ubi dicit quod Aristoteles in prædicamento substantiæ, relictis extremis, scilicet materiâ et formâ, agit de medio, scilicet de composito : per quod dat intelligere quod sola subtantia composita est in prædicamento; ergo Angelus qui est in prædicamento non est forma simplex.

* I P. q. 66, a. 2, et alibi sæpe

* in 1 *Categor.*, cap. de subst.; PL 64, 184 A

20. *Confirmatur* ex eo quod dicit Aristoteles (VIII *Metaph.**), quem citat D. Thomas (quæst. *de Spiritual. creat.* a. 1, in argum. 5), quod « si qua substantia est sine materia, statim est ens et unum, et non est ex alia causa ut sit ens et unum »; ergo idem est esse sine materia, et esse sine causa suæ entitatis. Angelus autem habet causam suæ entitatis. Ergo habet materiam; non corporalem : ergo spiritualem. — *Et secundo confirmari potest* ex illo communi axiomate, quod actus et potentia sunt in eodem genere; sed in genere spirituali datur actus, seu forma substantialis; ergo etiam dabitur potentia substantialis in eodem genere, et hæc est materia.

* c. 6, text. 16; BK 1045 *a* 36-*b* 5

21. Respondetur : implicationem materiæ spiritualis jam* a nobis esse traditam : Tum ex eo quod impedit intellectualitatem**, saltem in se; quam non deberet impedire si spiritualis est. Tum quia superaret omnem actum formalem corporeum, ut explicavimus†. Licet enim ad intelligibilitatem non conducat quæcumque materia, nec etiam materia ipsa corporalis impediat†† intellectualitatem ex parte formæ quæ sibi uniretur (sicut non impeditur intellectualitas nostræ animæ ex eo quod uniatur materiæ corporali), tamen materia non solum impedit intellectualitatem quia corporea est, sed quia modo entitativo recipit formas : id est, in ordine ad componendum unum tertium, et non modo intelligibili, id est, ad repræsentandum in se, et transformandum repræsentative objecta. Unde materia quæcumque, etiam spiritualis si daretur, recipit formas coarctando illas ad se et ad proprium esse : quod opponitur, seu impedit modum recipiendi intelligibiliter, qui petit amplitudinem ad recipiendum non solum formas proprias, sed etiam alienas : ut late ex D. Thoma expendimus (præced. tomo, disp. 16, art. 1*). Unde cum materia spiritualis, si daretur, etiam hoc modo entitativo reciperet formas et non solum modo intelligibili, licet non excluderet formam intellectualem, tamen in seipsa impediret spiritualitatem : quia spiritualitas est ratio intelligibilitatis, et quod non est seipso intelligibile, aut intellectuale, non est seipso et in substantia spirituale. Modus autem recipiendi intelligibiliter, et proprius spiritualitatis, est oppositus modo recipiendi materiæ primæ, ut supra* ponderatum est : quia materia prima solum recipit formas entitative ad componendum cum illis aliquam tertiam entitatem; modus vero recipiendi spiritualiter et intelligibiliter est recipere alia a se, et non ad componendum, neque coarctando formas ad se; non ergo potest

* supra, n. 7-13
** cf. supra, n. 7-8
† supra, n. 9 sqq.
†† cf. supra, n. 19, *Nam si aliqua*
* n. 3-25 (tomo II, p. 328-335)
* n. 7-8

esse[1] modus, sic oppositus materiæ primæ, ei convenire.

* supra, n. 10, *Ex parte autem*

22. Ad id quod dicitur* de repugnantia istius materiæ ex parte ordinis ejus ad formam : Dicimus ex parte hujus ordinis non repugnare quod dentur materiæ specie diversæ; repugnare autem quod aliqua materia sit pura potentia in genere substantiali, et sit elevata et perfectior omni actualitate corporali : sic enim non potest manere pura potentia in genere substantiæ, cum ista perfectio non possit convenire nisi ratione actualitatis formalis, vel plusquam formalis, quia excedit formas corporeas. — Ad convenientias vero quæ afferuntur* pro hac materia statuenda : Respondetur nullas esse. Constat enim non esse productam talem materiam ex rationibus supra** allatis ex D. Thoma. Et fatemur*** substantiam Angeli poni in prædicamento. Negamus autem quod de ratione substantiæ, quæ est genus, sit esse compositam ex materia et forma; nec id intendit Boethius, ut recte explicat D. Thomas (q. I de *Spiritual. creat.* a. 1 ad 23) : cum substantia prædicamentalis sit de consideratione metaphysici, non physici, qui considerat materiam. Et sic sensus Boethii est, quod Philosophus, relictâ substantiâ incompletâ, quæ sunt extrema et partes componentes, ut materia et forma, agit solum in prædicamentis de substantia totali et completa, qualis est composita ex materia et forma. Non tamen ex hoc deducitur quod substantia spiritualis completa, etiamsi careat materiâ, non sit in prædicamento : cum genus non sumatur a materia physica, ut explicatum est*, et constat in accidentibus.

* supra, n. 19, *Quod si semel*

** n. 21. et n. 7-13

*** cf. supra, n. 19 *Et convenientius*

* supra, n. 17

23. *Ad primam** confirmationem respondetur :* illud dictum Philosophi explicari a D. Thoma (citato loco de *Spiritual. creat.* ad 5†), quod substantia, quæ non habet materiam, statim est ens, et non est ei alia causa ut sit ens, id est, alia causa formalis, non autem causa efficiens : quia seipso est forma, non tamen a se est ens. Et sic Angeli carentes materiâ habent causam efficientem a qua sint, non formalem in se receptam, quia per se formæ sunt; habent tamen causam efficientem et influentem sibi esse. — *Ad secundam* confirmationem dicitur :* illud axioma procedere de actu receptibili in aliqua potentia, non autem de actu completo et subsistenti, cui non debet correspondere materia seu potentia susceptiva. Et sic non sequitur dari materiam spiritualem, quia datur actus substantialis spiritualis : cum hic actus sit completus et subsistens. An vero semper potentia et actus sint in eodem genere, et quomodo illud axioma intelligendum sit, explicuimus (in lib. *Physicorum**, et *de Generat.***) quod intelligitur de potentia per se ordinata ad actum, et ad quem dicit essentialem ordinem; vel etiam quod in quocumque genere invenitur potentia et actus : non tamen intelligitur quod, si in aliquo genere est actus totalis et completus, debeat in eo genere inveniri potentia quæ sit materia componens et recipiens talem actum.

** supra, n. 20

† q. 1, a. 1, ad 5

* supra, n. 20 *Et secundo*

* RE II, 224 *b*, 253 *b*-254 *a*

** magis in *de Anima*, RE III, 64 *b*

ARTICULUS III

Utrum repugnet dari plures Angelos solo numero differentes.

1. DUPLEX in hac parte POTEST ESSE DIFFICULTAS. — *Prima et principalis* est, supposito quod in Angelis nulla datur materia, neque corporea neque spiritualis, sed sint formæ subsistentes : utrum habeant in se principium multiplicationis individualis, an vero careant illo, hoc ipso quod careant omni materiâ. Quæ[2] controversia non solum respicit id quod naturaliter esse potest, sed etiam id quod de potentiâ absolutâ : quia si caret natura angelica principio multiplicationis, non solum ex natura rei sed etiam de potentiâ absolutâ non poterunt multiplicari : quia principium multiplicationis debet convenire rei quæ multiplicatur per sua intrinseca, eo quod individuatio est prædicatum intrinsecum ipsius individui, et consequenter multiplicatio ejus per principia intrinseca fieri debet; et ita principium individuationis et multiplicationis individuorum non potest per extrinsecum principium suppleri, et ab extrinseco

(1) Sic MLC, corrupte || P *esse modus... et convenire*, haud felici correctione || Opinamur legendum : *iste modus* || Aut, alia emendatione : *esse modus... et ei convenire*.

(2) Ita rite emendant LC || MP *Qua controversia...*

advenire. Quare idem est inquirere utrum natura angelica careat principio multiplicationis individualis in suâ intrinsecâ substantiâ, atque inquirere an possit de quâcumque potentiâ dari multiplicatio individualis Angelorum intra eamdem speciem.

2. *Secunda difficultas* est ex suppositione quod natura angelica non careat principio multiplicationis individualis, eo quod tale principium non sumatur a materia : an saltem propter extrinsecum finem non expediat, quod de facto multiplicentur intra eamdem speciem. Sicut sol et luna sunt individua habentia materiam, quæ est principium multiplicationis individualis, et tamen de facto multiplicata non sunt : quia non convenit ex fine extrinseco universi, in quo non bene coaptarentur plures soles, habendo universalem influentiam quam iste modo habet in hæc inferiora. Neque etiam conducit ad finem proprium ipsius naturæ solis : quia cum sit incorruptibilis, non indiget multiplicatione individuorum ad conservandam speciem : propter quem finem multiplicantur individua in istis inferioribus. Eodem modo potest inquiri, etiam dato quod natura angelica non careat principio multiplicationis individualis intrinseco, an saltem propter incorruptibilitatem naturæ angelicæ et propter ordinem universi non dentur de facto multi Angeli ejusdem speciei : quod in eo casu solum reducetur ad conjecturas aliquas, quia præcipua ratio reducitur ad voluntatem Dei, de qua nobis constare non potest nisi per ejus revelationem. — Prius ergo tractandum nobis est prior controversia. Deinde, aliquid circa secundam disquiremus.

IMPLICATIO MULTIPLICATIONIS INDIVIDUALIS NATURÆ ANGELICÆ.

3. DUPLEX ergo circa priorem controversiam SENTENTIA VERSATUR. Prima negat implicare contradictionem. Secunda affirmat. Quarum sententiarum præcipua fundamenta consistunt in reddendâ vel expungendâ implicatione. — *Primam sententiam,* scilicet non implicare, tenent Scotus (in II, D. 3, q. 7); Durandus (ibi, q. 3); D. Bonaventura (in II, D. 9*, q. 1, a. 1); Vazquez (in præsenti, disp. 181, c. 3); Alarcon (tract. 6 de Angelis, disp. 1, c. 7**); Suarez (in Metaph. disp. 5, sect. 2, n. 28; et lib. I de Angelis, c. 15). Et probabilem censent Capreolus (in II, D. 3, q. 1*); Bañez (super hanc quæst. 50, a. 4, dub. 2); Ferrariensis (II *Contra Gent.* c. 93); Bubalus (in præsenti**, quæsito 1, difficult. 3, § 1), aliique Thomistæ.

* art. 3, ad arg. 2um Durandi contra concl. 5
** I P. q. 50, a. 4

4. *Secundam vero sententiam* sequuntur communiter Thomistæ : Capreolus (loco citato†, ad 2um argumentum Durandi contra 2am†† conclusionem), dicitque esse de mente D. Thomæ; Cajetanus (*de Ente et essentia,* c. 5, q. 9); Hervæus[1] in II, D. 3, q. 1†††, a. 2); Nazarius (in hac quæst. 50, a. 4, controv. 2); Granados (controv. 7 generali, tract. 1, disp. 4, n. 9*); Collegium Carmelitanum (tract. 7 de Angelis, disp. 1, dub. 7), aliique plures.

† II, D. 3, q. 1, a. 1, concl. 5
†† verius : a. 3, ad arg. 2um Durandi contra concl. 5; et ibidem, ad ult. arg. Scoti, in fine
††† verius : q. 2, a. 2
* n. 9 et sqq.

5. *De mente S. Doctoris dubitatum* etiam est in hac parte, quia (in opusc. XVI , § ultim.) dicit contra Averroistas quod « valde ruditer argumentantur ad ostendendum quod Deus non possit facere quod sint multi intellectus ejusdem speciei[2], credentes hoc includere contradictionem. Dato enim, inquit S. Doctor, quod non esset de natura intellectûs quod multiplicaretur, non propter hoc oporteret quod intellectum multiplicari includeret contradictionem. Nihil enim prohibet aliquid non habere in sua natura causam alicujus, quod tamen habet illud ex alia causa : sicut grave habet ex sua natura quod non sit sursum, tamen grave esse sursum non includit contradictionem : sed grave esse sursum secundum suam naturam, contradictionem includeret. Sic ergo intellectus si naturaliter esset unus omnium, quia non haberet naturalem causam multiplicationis, posset tamen sortiri multiplicationem ex supernaturali causa; nec esset implicatio contradictionis ». Quem locum ita ponderat pater Suarez* ut velit, juxta sententiam D. Thomæ, non solum esse falsum, sed etiam valde rude et improbabile, dicere quod implicet Angelos multiplicari in eadem specie.

** *De unit. intellect.*
* lib. I de Angelis, c. 15, n. 3

6. **EX ALIA PARTE obstat non solum expressa auctoritas D. Thomæ, sed, quod multo ponderosius est, ejus ratio : quæ, si aliquid probat, impossibilitatem hujus multiplicationis simpliciter et in ordine ad potentiam absolutam probat.** Et ita recte dixit Scotus (ubi* supra) quod, si sequamur rationem

* II, D. 3, q. 7, n. 3

[1] Merito ita emendat P || MLC *Herbeus.*

[2] Inutile haud erit notare, duo hæc verba *(ejusdem speciei)* genuina nequaquam esse : ut animadvertit R. P. Leo W. Keeler, S. J., in sua istius opusculi editione critica *(Sti Thomæ Aquinatis Tractatus de unitate intellectus,* Romæ 1936, p. VI et p. 67-8).

D. Thomæ, tenendum est Angelos non posse solum numero differre. — AUCTORITAS EXPRESSA D. THOMÆ EST (in quæst. *de Spiritual. creat.* a. 8) ubi inquit quod, « si Angelus est forma simplex abstracta a materia, impossibile est etiam fingere quod sint plures Angeli unius speciei. » Et (in hac I P. q. 75, a. 7) dicit non posse Angelos et animas esse ejusdem speciei : « quia cum Angeli non sint compositi ex materia et forma, sed sint formæ subsistentes, manifestum est quod necesse erit in eis esse diversitatem in specie : non enim potest intelligi quod aliqua forma separata sit nisi una unius speciei : sicut si esset albedo separata, non posset esse nisi una tantum. » Et (q. 76 sequenti, a. 2 ad 1) ponens D. Thomas differentiam inter animas rationales et Angelos inquit quod, « licet anima intellectiva non habeat materiam ex qua sit, sicut nec Angelus, tamen est forma materiæ alicujus : quod Angelo non convenit; et ideo secundum divisionem materiæ sunt multæ animæ unius speciei, multi autem Angeli unius speciei omnino esse non possunt. »

7. *In quibus auctoritatibus in primis pondero* D. Thomam agere ex proposito et specialiter de multiplicatione Angelorum; et ita magis est accipienda mens ejus ex istis locis, ubi ex professo id tractat, quam ex uno illo loco* (opusculi XVI) ubi non agit specialiter de Angelis, sed de natura intellectuali in communi, seu potius de intellectu qui convenit hominibus : quem Averroistæ dicebant esse unum pro omnibus, et ita unum quod implicaret multiplicari ex vi ipsius naturæ intellectûs : quod omnino falsum est, cum ex præcisa natura intellectûs id non repugnet. In istis autem locis a nobis citatis* non procedit D. Thomas ex eo quod Angeli sint formæ intellectuales, sed quia sunt formæ separatæ subsistentes, et carentes omni materiâ et ordine ad illam. Unde ponit exemplum etiam in forma non intellectuali, dummodo separata subsistat : ut si albedo ex natura sua esset separata. Procedit ergo in istis locis (1) in opusculo XVI, ex diversis principiis : ibi ex sola ratione intellectûs, hic ex ratione formæ separatæ subsistentis et carentis omni materiâ. Ergo potius judicandum est de mente S. Doctoris quoad multiplicationem numeralem Angelorum ex istis locis, quam ex illo opusculo.

* cf. supra, n. 5

* supra, n. 6

(1) Sic omnes || Legendum censemus : *in istis locis [et] in opusculo...*

8. *Secundo, pondero* in locis allegatis* D. Thomam uti verbis significantibus impossibilitatem simpliciter circa multiplicationem numericam Angelorum : dicit enim quod « omnino non possunt esse unius speciei »; quod « non potest intelligi quod aliqua forma separata sit nisi una unius speciei »; quod « impossibile est etiam fingere quod plures Angeli sint unius speciei ». Quod autem neque intelligi, nec fingi potest, quomodo dicetur esse possibile, etiam de potentiâ absolutâ? quia quod sic est possibile, intelligi potest. Denique rationes D. Thomæ, quibus (in hac q. 50*, a. 4; et in II *Contra Gent.* c. 93; et in II, D. 3, q. 1, a. 3**) probat non posse esse plures Angelos ejusdem speciei, ita ab intrinseco procedunt, quod vel nihil probant, vel probant omnino implicare talem multiplicationem numeralem : quas rationes statim* expendemus.

9. *Prius tamen oportet respondere* ad locum allegatum** (ex opusc. XVI citato) : in quo supponendum est expresse agere D. Thomam non de multiplicatione Angelorum quatenus sunt formæ irreceptibiles, sed de substantia intellectuali qualis est anima rationalis : respectu cujus ponebant Averroistæ non posse multiplicari intellectum, sed esse separatum et unum, et nullo modo multiplicari posse, quia in se materialis forma non est; formam autem immaterialem dicebant non posse multiplicari, etiam per ordinem ad materiam, sed hoc implicare contradictionem : quia habere materiam dicebant requiri ad multiplicationem materialem. Ad quod D. Thomas dicit quod substantiæ separatæ sunt individuæ et singulares : non autem individuari ex materia, sed ex hoc ipso quod non sunt natæ in alio esse, et per consequens nec participari a multis. « Ex quo, inquit*, sequitur quod, si (2) aliqua forma nata est participari ab aliquo, ita quod sit actus alicujus materiæ, illa potest individuari et multiplicari per comparationem ad materiam. Ostensum est autem quod intellectus est virtus animæ, quæ est actus corporis. In multis igitur corporibus sunt multæ animæ. » Ita D. Thomas. Ex quo patet intentum illius in prædicto loco esse, quod non repugnat intellectualem naturam ex eo quod intellectualis est multiplicari, dummodo dicat ordinem ad materiam. De Angelis autem nihil ibi tractat : quia

* supra, n. 6

* I P. q. 50, a. 4

** magis : a. 4

* infra, n. 13 sqq.

** supra, n. 5

* opusc. XVI *(De unit. intellect.)*, c. 5

(2) Ita legendum cum C et edd. D. Thomæ || Corrupte MLP *quod sit aliqua...*

repugnantia multiplicationis eorum non oritur ex natura intellectuali, quia immaterialis et incorporea est, sed quia omnino separata et irreceptibilis, ita quod neque materiam includat nec ordinem dicat ad materiam : quæ ratio currit in quacumque forma, etiam si intellectualis non sit, ut si albedo esset separata ex natura sua.

* cf. supra, n. 5

10. *Sed majus dubium est,* quia dicit * D. Thomas quod, « dato quod non esset natura intellectûs quod multiplicaretur, non propter hoc oporteret quod multiplicari intellectum includat implicationem : » quia licet ex sua natura causam multiplicationis non haberet, haberet tamen illam ex alia causa. « Et sic * si intellectus naturaliter esset unus omnium, quia non haberet naturalem causam multiplicationis, posset tamen sortiri multiplicationem ex supernaturali causa; nec esset implicatio contradictionis. » Ergo sentit D. Thomas quod etiam Angeli, licet in sua natura non habeant causam multiplicationis, supernaturaliter tamen eam possunt habere : quia eadem consequentia est hîc et ibi.

* cf. supra, n. 5

11. *Respondetur :* D. Thomam in his verbis præcipue intendere reprobare illam consequentiam et formam argumentandi : quod, si aliquid ex natura sua repugnat alicui, etiam contradictionem implicet et supernaturaliter repugnet. Quam consequentiam merito D. Thomas rudem argumentationem vocat. Et expresse ibi * inquit se id notare, « ne hæc argumentandi forma ad alia extendatur : sic enim, inquit, possemus concludere quod Deus non potest facere quod mortui resurgant, » quia id ex natura sua non habent. Signum ergo est quod præcipuum intentum D. Thomæ est illam formam argumentandi reprobare : sic enim etiam in Angelis non valet, quod si ex natura sua non possunt multiplicari, id repugnet etiam ex potentia absoluta Dei. Si enim in hoc præcise fundaretur nostra sententia, ruditer et improbabiliter argumentaremur. Ceterum ex alio fundamento et principio, scilicet ex carentiâ omnis materiæ et ordinis ad illam, non negat D. Thomas (in illo loco) id repugnare etiam supernaturaliter, sicut affirmat in aliis locis a nobis citatis *.

* opusc. xvi (*De unit. intellect.*), c. 5

* supra, nn. 6, 8

** supra, n. 10

12. Et ad vim illius consequentiæ ** : D. Thomas dicit quod, etiamsi ex natura sua intellectus non esset multiplicabilis numero, posset tamen ex causa supernaturali multiplicari; ergo licet Angeli careant materiâ, quæ secundum naturam est principium multiplicationis individualis, non infertur quod supernaturaliter ex alia causa multiplicari non possint : — Respondetur non esse similem consequentiam. Sicut neque ista est similis : « Sol naturaliter non potest multiplicari individualiter, quia incorruptibilis natura id non petit; ergo non potest multiplicari supernaturaliter : » quia retinet materiam, quæ est capax divisionis et multiplicationis, saltem supernaturaliter, quando ex aliquo fine extrinseco naturali id non potest. Quare oportet bene perpendere vim consequentiæ D. Thomæ, ut in verbis ejus supra * relatis videri potest : solum enim dicit non esse bonam consequentiam, quod si non est de natura intellectûs multiplicari, ergo implicat contradictionem multiplicari; si non habet causam naturalem multiplicationis, ergo ex causa supernaturali non potest multiplicari. Has consequentias negat D. Thomas et vere negandæ sunt. At vero Angelus, et quælibet forma quæ nec est in materia nec dicit ordinem ad materiam, non ex eo est immultiplicabilis quia non habet causam naturalem multiplicationis, nec ex eo quod intellectualis est quomodocumque, sed ex eo quod ab omni materia et ab ordine ad materiam forma separata est. Esse autem sic separatam, sive sit forma intellectualis sine non, non solum est non habere causam naturalem multiplicationis, sed repugnare ejus quidditati, ut statim * ostendemus. Bona autem consequentia est : « Repugnat quidditati multiplicatio; ergo nec supernaturaliter dari potest. ».

* nn. 5 et 11

* infra, n. 13 sqq.

RATIO IMPLICATIONIS.

13. Unicâ ratione perpetuo utitur D. Thomas ad affirmandum, quod est impossibile Angelos multiplicari numero : quæ, ex hoc ipso quod unica est et semper affertur a D. Thoma, magni ponderis censeri debet : demonstrator enim non multiplicat media, ut inquit Aristoteles *. — **RATIO ergo D. THOMÆ TALIS EST : Angeli sunt formæ simplices carentes materiâ, sive ex qua componantur, sive quam informent et ad quam ordinentur; ergo carent omni principio distinctionis numericæ, et solum habent principium distinctionis specificæ.** Addo aliam consequentiam ex illâ priori concessâ evidenter deductam : **Sed si carent omni principio distinctionis numericæ ex naturâ suâ et propriâ quidditate, repugnat illis ab extrinseco convenire aliquod principium multiplicationis numericæ, id est, aliquam materiam vel ordi-**

* hoc effatum non invenimus; cf. tamen I *Posterior.*, c. 12; II *Posterior.*, c. 17; BK 78 *a* 14-15; 99 *a* 14-

nem ad materiam, seu aliquod principium materialis divisionis, nisi destruatur eorum natura et propria quidditas; ergo impossibile est stante naturâ angelicâ et ejus prædicatis intrinsecis dari plures Angelos solo numero differentes.

14. His duabus consequentiis tota ista implicatio pendet, in quibus solæ *duæ propositiones probandæ a nobis sunt.* — Prima est illa consequentia primi enthymematis. Nam antecedens, scilicet Angelos carere omni materiâ et omni ordine ad materiam, fuse a nobis probatum est (art. præcedenti *), nec in eo dissensio nobis est cum opposita sententia, sed in illo etiam nobiscum conveniunt **. Quod vero difficultatem facit est illa consequentia: ergo carent omni principio distinctionis numericæ. — Secunda propositio est illud antecedens secundi enthymematis : repugnat Angelis adjungi aliunde principium multiplicationis numericæ. His enim probatis, reliqua per se sunt manifesta.

[* supra, art. 2, n. 2 sqq. — ** cf. supra, n. 1]

15. *Circa primam * propositionem est advertendum,* quod D. Thomas non probat eam hîc **, sed supponit : quia pertinet ejus probatio ad controversiam de principio individuationis, de qua nos egimus in libris *de Generatione* (quæst. 9 *). Eam tamen propositionem desumpsit S. Thomas ex Philosopho, qui (XII *Metaph.* c. 8, textu 49 **) loquens de unitate numerica primi principii, qui est Deus, sic inquit : « Quæcumque numero sunt multa materiam habent : una enim et eadem ratio multorum, ut hominis, Socrates vero unus; ipsum vero quid erat esse primum, non habet materiam, cum actus sit; unum ergo, tum ratione, tum numero. » Itaque Philosophus unitatem numericam, et indivisibilem in plura numero, desumpsit ex carentia materiæ; et sic D. Thomas solum usus est principiis peripateticis, et ex lumine naturali petitis, ad investigandum principium multiplicationis numericæ : et stando in illis convincit ratio D. Thomæ, quod etiam in Angelis non datur principium divisionis numericæ, quia datur carentia omnis materiæ et ordinis ad illam. Quam vero constans sit Aristoteles in hac sententia, quod materia sit principium divisionis numericæ, constat : nam etiam (V *Metaph.* * textu 12) dicit quod « numero sunt unum, quorum materia una ». Et in pluribus aliis locis ** id docet. Ne vero explicentur de rebus corporeis, ideo principaliter argumentum deducimus ex loco citato (XII *Metaph.*) ubi loquitur de principio qui est Deus, quem Aristoteles incorporeum et immaterialem admisit; et tamen dixit esse unum numero, et non plures, quia caret materiâ.

[* supra, n. 14, *Prima est* — ** I P. q. 50, a. 4 — * art. 3; RE II, 769-781 — ** BK 1074 a 33-37 — * c. 6; BK 1016 b 31-33 — ** BK 278 a 13-15; 1034 a 7-8]

16. EX HOC vero sic CONFICITUR ARGUMENTUM : Philosophi lumine naturali agnoverunt dari unum Deum, non solum in specie, sed etiam numero, quia hoc pertinet ad plenam cognitionem divinitatis ejus : si enim plures deos agnoscerent, non attingerent veram divinitatem; ergo ratio, qua pervenerunt lumine naturali ad cognoscendum Deum esse unum et immultiplicabilem etiam numero, omnino admittenda est. Sed hæc ratio est ob carentiam materiæ et ordinis ad materiam. Ergo carentia materiæ est principium omnimodæ indivisibilitatis materiæ [1].

17. Primum antecedens est certum, et constat ex Apostolo (Rom. I, 20-21, 23) ubi inquit quod *invisibilia Dei a creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque ejus virtus et divinitas : ita ut sint inexcusabiles. Quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt. Et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, et volucrum, et quadrupedum, et serpentium.* Ergo constat ex Apostolo cognovisse philosophos veram divinitatem Dei, et consequenter unitatem ejus : quia si non cognovissent ut unum, neque cognovissent ut verum. Sed Aristoteles, qui præcipue de Deo cognovit et investigavit, deduxit esse unum numero quia caret materiâ, quæ est principium divisionis numericæ. Ergo ejus consequentia admittenda est. Ergo similiter bene deduxit D. Thomas quod, si Angeli carent materiâ et ordine ad materiam, etiam carent principio divisionis numericæ, illisque repugnat; aut si ista consequentia in Angelis non tenet, enervatur principium quo in doctrinâ peripateticâ et in solidiori philosophiâ naturali probatur unitas numerica veri Dei, sine quo vera ejus divinitas non esset agnita a philosophis : quod tamen est contra Apostolum.

18. PREMIT HOC ARGUMENTUM NIMIS auctores qui viam Aristotelis, scholamque ejus sequuntur. — Et quidem Scotus * interpretatur Philosophum, quod nomine materiæ intelligit non materiam primam, sed differentiam numericam, quam vocat hæcceitatem, quæ materialiter se habet

[* II, D. 3, q. 6, n. 20]

(1) Sic omnes, male || Censemus legendum : *indivisibilitatis numericæ.*

respectu specificæ naturæ quam contrahit. — Alii, ut Vazquez (II tomo I[æ] Partis, disp. 181, c. 1*), ingenue fatentur Aristotelem loqui de materia prima; sed Aristotelem omittit, nec ejus locum interpretatur, sed interponit argumentum aliud ad probandum quod distinctio numerica fit per divisionem continui seu quantitatis : cui respondet*, id intelligi in his quæ distinguuntur numero quantitative, sed non de multiplicatione numerica substantiali. Sed quid hoc ad locum Aristotelis? — Alii, ut P. Suarez (lib. I de Angelis, c. 15; et disp. 5 Metaph. sect. 2, a numero 23), dicunt formas istas individuari seipsis entitative. Sed ad istum locum Aristotelis (ex XII *Metaph.**) nihil respondet, sed solum ad varia loca quæ sumuntur ex VII *Metaph.***, et III *de Anima****, in quibus modo non facimus vim.

* n. 2: et magis, c. 3, n. 10

* Vazquez, ibidem, c. 3, n. 10

* cf. supra, n. 15

** c. 11; BK 1037 *a* 33-*b* 5

*** c. 5 (alias, c. 4); BK 429 *b* 10-11

19. Quare auctores isti, tacite vel clare, Aristotelem relinquunt in hac parte. *Et sic solum oportet probare* quod Aristoteles per materiam non intelligit hæcceitatem, sed materiam illam quæ est pars compositi et reddit naturam materialem et corpoream. Contra alios auctores[1], quod substantiæ non multiplicantur numero solum ratione entitatis, sine alio principio materiali quod sit ratio talis multiplicationis. — *Et primum patet manifeste :* quia si Philosophus nomine materiæ intelligit hæcceitatem, petit principium, et non probat intentum : dicit* enim, quod ideo Deus est unus numero tantum, quia non habet materiam. Si ergo nomine materiæ intelligit hæcceitatem, sensus est : ideo Deus est unus numero, et non plures, quia non habet hæcceitates seu differentias individuales. Sed hoc ipsum est probandum, quia de hoc est difficultas, quare non sint in Deo plures differentiæ individuales. Ergo petit principium. — Et secundo confirmatur : quia Philosophus probat non habere Deum materiam, quia est actus seu forma pura et incorporea; ergo id intelligit per materiam, per cujus carentiam redditur Deus incorporeus seu spiritualis, et forma pura. Sed non redditur spiritualis et incorporeus per carentiam hæcceitatis : nam per carentiam hujus dicetur aliquid universale, non incorporeum vel spirituale, neque actus purus. Ergo Philosophus loquitur de verâ materiâ substantiali, per cujus carentiam res dicitur incorporea, et[2] verâ potentialitate, per cujus carentiam dicitur actus purus seu spiritualis.

* cf. supra, n. 15

20. *Contra alios autem auctores* probatur* non posse aliquid multiplicari numerice ratione suæ entitatis quomodocumque consideratæ, sed ratione alicujus principii materialis : quod nisi conveniat tali entitati, non poterit multiplicari individualiter, retinendo eamdem speciem et differendo substantialiter seu entitative. Etenim differentiæ individuales et individualiter multiplicantes taliter se habent, quod sine quâlibet illius[3] determinate sumptâ salvatur species seu quidditas specifica alicujus substantiæ, et tamen ipsa divisio et multiplicatio substantialis est : sicut Petrus et Paulus differunt tamquam duæ substantiæ realiter distinctæ, et tamen non specifice diversæ; ergo oportet pro principio et radice hujus distinctionis accipere aliquid quod in se substantiale sit, dividatque substantias realiter : et tamen ejus divisio materialiter et per accidens se habeat ad speciem, ita ut sine tali multiplicatione et divisione in quolibet individuo possit salvari specifica natura, nec requiratur quodlibet determinatum individuum (in quantum tale) ad salvandam rationem specificam, atque adeo non sit differentia individualis constitutiva diversæ naturæ, sed ejusdem multiplicativa materialiter et non quantum ad speciem. In hoc enim distinguuntur differentiæ individuales a specificis quod, etsi possit sine qualibet illarum salvari genus, et quantum ad hoc dicuntur generi accidere, tamen constituunt intrinsece quidditatem et naturam specificam in ratione quidditatis et naturæ, tamquam ultimæ differentiæ essentiales facientes formaliter et quidditative differre naturam : ideoque debent provenire ab ipsa entitate rei secundum rationem aliquam formalem, ut formalis est. Individuales autem differentiæ, si multiplicantur in aliqua natura, oportet quod ita conveniant entitati, quod entitative quidem et substantialiter illam dividant et multiplicent, non tamen constituant naturam in ipsa ratione quidditativa et formali : quia differentia speciei atomæ est ultima in genere quidditativo et essentiali. Cujus manifestum signum est, quia duo individua non differunt quidditative et essentialiter, licet diversæ substantiæ sint; ergo necesse est quod faciant differentiam materialem in ipso genere substantiæ.

* cf. supra, n. 18

21. Unde in natura specifica habent se individua sicut partes integrales in uno supposito :

[1] Supple : [*oportet probare*]... — [2] Supple : *et* [*de*] *verâ*.

[3] Sic omnes || Forte legendum erat : *quâlibet illarum*.

quæ sunt quidem substantiales, tamen multiplicatio earum non requiritur per se ad ipsam quidditatem totius; et ideo diversa individua resultant per divisionem partium integralium. Quod est signum ita multiplicari individua et dividere ipsam naturam specificam, sicut partes integrales se habent ad ipsam substantiam totius; et sicut partes integrales non multiplicantur sine materia, ita neque individua sine divisione materiali. Male ergo dicitur quod quælibet entitas seipsâ individuatur et multiplicatur, non assignando aliud principium pro multiplicatione quam ipsam entitatem secundum se : quia in entitate, et datur principium constituendi ac distinguendi formaliter seu specifice ab aliis speciebus, et datur principium multiplicandi substantiam sine distinctione et divisione specifica. Et hæc duplex distinctio non potest ab eisdem principiis provenire : quia principia constitutiva speciei, quæ nos dicimus formalia (quia forma est quæ dat speciem rei), ita distinguunt substantiam, quod dividunt quidditatem specifice et entitative [1]. At vero principia individualia ita multiplicant substantiam, quod non distinguunt quidditative et specifice ipsam naturam, neque formam in ratione et officio formæ, quod est dare speciem, sed solum dividunt naturam materialiter; ergo debent tales differentiæ individuales sumi penes principia materialia seu ordinem ad materiam, non per formam secundum quod exercet officium formæ et specificationis.

22. Totus hic discursus applicatur speciebus angelicis, ostendendo quod principia multiplicationis individualis illis repugnent. Quia principium individualis multiplicationis non potest esse sola entitas rei considerata secundum se, sed juxta munus et officium quod facit divisio individualis, ut distinguitur a divisione specifica : quia videlicet ita dividit substantiam substantialiter, quod non formaliter et quidditative seu specifice; ergo non sufficit ad hoc forma seu principium formale ut exercet munus et officium formæ, quod est specificare et formaliter constituere ac distinguere : sed [2] debet esse entitas seu forma ut non exercet officium formæ, sed [ut] [3] per ordinem ad materiam vel ratione alicujus materialis principii distinguitur : divisio enim materiæ sic distinguit substantiam quod non dividit speciem specifice. Sed natura angelica non solum excludit materiam et principia materialia substantialia a sua compositione, sed etiam a sua connotatione : quia neque componitur ex materia, nec est forma receptibilis in illa, aut dicens aliquem ordinem ad illam : quia quicumque ordo ad materiam est tamquam ad recipientem; ergo debet esse ordo alicujus rei receptibilis; ergo formæ omnino irreceptibiles, sicut sunt Angeli, carent omni ordine ad materiam. Ergo carent omni principio multiplicandi materialiter substantiam et non specifice : quia remoto omni ordine ad materiam solum restat forma in ratione et officio formæ, hoc est in ratione specificandi et formalizandi : hoc enim est munus formæ, scilicet dare speciem rei; ergo non potest intelligi quod forma sub hoc respectu et consideratione formæ, et sine ullo ordine ad materiale principium, dividatur, et non specifice et formaliter.

23. *Circa secundam* * *propositionem,* scilicet quod repugnet Angelis adjungi ab extrinseco aliud principium, quod non sit materia, per quod fiat multiplicatio individualis, infra * (circa solutione 2^i argumenti) ostendemus id repugnare.

* cf. supra, n. 14, *Secunda propositio*

* n. 32-36

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

24. PRIMO, OBJICIES fundamentum oppositæ sententiæ : Ab eadem entitate seu forma provenit gradus genericus, specificus et individualis, si quidem isti gradus metaphysici non distinguuntur realiter, sed sunt idem a parte rei in eodem subjecto; ergo proveniunt ab eadem forma et principio. Ergo non indiget individualis multiplicatio distincto principio a specifico, ita ut sumatur distinctio numerica a materia, quæ est altera pars compositi; sed in quâlibet re simplicissimâ hæc tria inveniuntur, genus, species et individuum, ita quod unum prædicatur de alio : non minus enim genus prædicatur de specie, quam species de individuo; ergo ab eadem forma, a qua sumitur genus et species, sumitur etiam individuatio. Et rursus, sicut genus ut multiplicetur secundum speciem, non est necesse distingui secundum rem principium generis et speciei, seu distinctionis specificæ : nec etiam oportebit quod distinguatur secundum rem principium multiplicationis individui

(1) Ita omnes, recte quidem, sed non satis ad rem : individualia enim principia etiam dividunt *entitative;* recole superius dicta, circa finem numeri 20 || Suspicamur legendum : *essentialiter* aut fortasse : *quidditative*.

(2) Intelligendum : *sed [principium multiplicationis] debet*...

(3) Omittunt omnes vocem *ut,* quam necessariam ducimus.

a forma seu entitate a qua sumitur species et ejus multiplicatio. — Hanc objectionem ponit P. Vazquez* (ubi supra) tamquam fundamentum suæ sententiæ, intendens quod tam in substantiis simplicibus, quam compositis, non debet esse principium individuationis distinctum ab ipsa specie.

* I P., tomo II, disp. 181, c. 3, n. 8-9

25. NIHILOMINUS RESPONDETUR : Verum esse quod ab eadem entitate totali sumitur ratio generis, speciei et individui, sed non secundum eumdem respectum et ordinem, nec secundum easdem formalitates vel condiciones. Quia ad hoc ut sit principium gradûs generici vel specifici, sufficit forma secundum officium formæ, seu formalem rationem, magis vel minus contracte seu determinate accepta, atque adeo secundum statum magis potentialem et indifferentem, quod pertinet ad rationem generis, vel magis determinatum et actualem, quod pertinet ad rationem speciei : quia tam genus quam species constituunt ac dividunt quidditative, eorumque variatio, additio vel multiplicatio variat essentiam quidditative. Ad gradum vero individualem requiritur forma, non secundum officium formæ, qui est modus constituendi formaliter specifice : sic enim repugnat quod multiplicatio formæ, secundum hoc munus et officium formæ, possit esse radix et principium seu ratio distinguendi aliquam substantiam, non formaliter et specifice, sed substantialiter et individualiter : cum sub ista formalitate et consideratione forma solum exerceat illud quod est formæ et specificationis. Oportet ergo quod, si forma individuatur, extrahatur ab ista consideratione formalizandi et specificandi, quod est proprium munus formæ, et accipiatur secundum ordinem ad materiam, vel secundum condiciones divisibilitatis substantialis penes principia materialia : eo quod principium seu ratio multiplicationis individualis intrinsece et per se requirit illas duas condiciones supra* positas, scilicet quod sit ratio multiplicandi substantialiter, et non formaliter seu specifice : quod solum invenitur in principio substantiali materiali quatenus est capax plurium partium, quæ in eodem toto conjunctæ integrant ipsum substantialiter et tamen sine aliqua illarum [1] potest salvari natura illa (ut homo sine brachio vel sine manu), divisæ autem constituunt diversa individua seu supposita quæ essentialem quidditatem speciei non variant, licet substantialiter multiplicent. Quare illæ naturæ quæ puræ formæ sunt, ita quod omni ordine ad materiam carent, carent etiam omni principio multiplicandi individuationem : et per hoc solum, quod sunt irreceptibiles et incommunicabiles, in se unicam suam individuationem accipiunt.

* n. 20-22

26. Quapropter ad argumentum° in forma dicimus, quod ab eadem entitate sumitur gradus specificus et numericus, *distinguo :* ab eadem entitate sub eodem respectu et consideratione, *nego;* sub diverso, *transeat*. Et sic ab eadem entitate, ut induit respectum ad materiam substantialem vel ad condiciones materialis principii, sumitur gradus individuus et multiplicatio ejus; ab eadem autem entitate secundum respectum et munus rationis formalis sumitur gradus specificus vel genericus, prout forma habet rationem vel munus specificandi et formalizandi magis vel minus determinate [2] : quia proprium munus formæ est determinare et actuare, et consequenter distinguere essentiam diversâ actuatione et determinatione essentiali : sicut proprium munus est materiæ divisionem partium facere secundum diversam incommunicabilitatem, quia de se est ultimum subjectum ulterius incommunicabile : quæ diversitas et distinctio per modum incommunicabilitatis propria est individuorum, quæ dicunt gradum ultimum et incommunicabilem.

27. Nec obstat, quod a materia sumitur genus, et sic non poterit ab eo [3] sumi individuatio. — Dicitur [4] enim quod genus non sumitur a materia physica, sumendo materiam pro altera parte compositi : sed pro eo quod magis potentiale et indeterminatum est in ipsa natura seu forma. Et dato quod sumeretur a materia, non tamen sub eadem consideratione qua individuatio vel multiplicatio ejus. Genus sumitur a materia ut aliquid potentiale est ad plures formas, et formaliter determinabilis; individuatio a materia, ut ultimum subjectum incommunicabile; multiplicatio ab ea, ut divisibilis est substantialiter per partes, et non specifice.

28. *Secundo dicitur, ad majorem explicationem hujus**, quod ab eadem entitate et forma sumitur gradus specificus et individualis, *distinguo :* gradus individualis, cujus est capax talis natura, *concedo;* gradus individualis, ut multiplicati [5]

[1] Ita emendandum cum L ‖ MCP *aliqua illorum*.
[2] Ita emendandum cum L; cf. supra, n. 25, non longe ab initio ‖ MCP *determinante*.
[3] Sic omnes ‖ Arbitramur legendum : *ab ea*, id est, *a materia*.
[4] Ita legendum cum LC ‖ Corrupte MP *ducitur*.
[5] Sic omnes ‖ Arbitramur legendum : *multiplicatus*.

per varia individua, *nego*. Hæc enim multiplicatio et distinctio exigit, præter entitatem individuandam, principium aliquod et radicem in natura, ratione cujus sit multiplicabilis in substantia et non in specie. Itaque in naturâ angelicâ individuatio datur, sed unica, non multiplicata; et hæc individuatio sumitur ab eadem entitate seu forma, quatenus irreceptibilis est et incommunicabilis alicui materiæ, quia forma completa est et subsistens. Et sic ex eodem principio formali, non quatenus multiplicabilis est formaliter, sed quatenus incommunicabilis et irreceptibilis est, in se redditur (1) ultimate individuatus. Ceterum multiplicatio individuationis non potest habere pro principio id quod est ratio formalis specificationis : sed sub diversis respectibus et considerationibus entitas aliqua est multiplicabilis specifice et numerice. — Itaque aliud est dicere : in eodem individuo seu subjecto sumitur ab eadem entitate gradus specificus et individualis; aliud vero, quod ab eodem principio sumatur multiplicatio individualis et specifica. Hoc secundum est manifesta implicatio, et non potest verificari in aliqua natura, sive spirituali sive corporea : cum petant oppositas condiciones isti duo modi multiplicandi. Primum vero etiam in Angelis invenitur. Sed quia ille gradus individualis sumitur a forma ut irreceptibilis et incommunicabilis est materiæ, et ista incommunicabilitas non est alicujus rei habentis partes materiæ, quarum divisio non multiplicat specificam naturam, sed alicujus formæ omnino separatæ, quæ si dividitur et formaliter multiplicabitur : inde est quod principium individuationis in Angelo caret omni ratione multiplicationis in individuo, licet in se individuum sit.

29. Secundo arguitur : Etiam dato quod principium multiplicationis individualis sit distinctum a principio multiplicationis specificæ, adhuc invenitur in Angelis principium talis multiplicationis individualis; ergo non est quod negetur illis, saltem de potentia absoluta : licet de facto in illis non sit propter aliquos fines extrinsecos, sicut non sunt plures soles et plures lunæ. — *Antecedens probatur. Primo :* quia possunt plures hæcceitates poni in natura angelica, et cum diversis hæcceitatibus (2) a Deo produci; et tunc multiplicabuntur individualiter sine alio principio seu radice : quia ipsamet hæcceitas est formaliter constitutiva individui, et plures hæcceitates plurium individuorum.

30. *Secundo :* quia natura angelica, licet non habeat materiam ex qua componatur substantialiter, habet tamen causam materialem susceptivam accidentium : accidentia autem sunt proprietates individuales, ut patet in proprietatibus quas assignat Porphyrius (in cap. de Specie*), et in rebus corporeis per ipsam quantitatem signatur materia et dividitur ad distinguenda plura individua; ergo non repugnat naturam angelicam etiam signari diversis proprietatibus individualibus, atque adeo multiplicari individualiter. — Patet consequentia : quia possunt in Angelo esse plura accidentia numero distincta, ut plures actus intellectûs, plures motus, aut *ubi*, et diversæ aliæ qualitates, quæ a Deo poni possunt in essentia Angeli; ergo in ordine ad ista accidentia potest signari natura Angeli, et (3) dividi individualiter per ipsam naturam ut susceptiva est diversorum accidentium.

* *Isagoge*, c. 3 (alias, c. 2)

31. *Tertio :* natura angelica est capax subsistentiæ et exsistentiæ, quæ possunt ab ea tolli : ut si persona divina assumeret naturam angelicam; et iterum potest resultare alia subsistentia seu personalitas, si dimitteretur a persona divina; ergo est capax illa natura diversarum personalitatum numero distinctarum, quarum una succedat alteri. Cur ergo non erit capax plurium individuationum? si quidem est capax diversæ subsistentiæ, ut est terminus individuationis substantialis.

32. Respondetur negando antecedens*. — *Ad primam*** *probationem respondetur,* quod diversæ hæcceitates non sunt aliud quam plures individuationes, seu plures differentiæ individuales substantiales; istæ autem non possunt convenire alicui naturæ nisi ratione alicujus principii, ex quo habeant multiplicari et convenire tali naturæ, sicut differentiæ specificæ et genericæ ex aliquo principio sumuntur. Non est ergo dubium quin, si plures hæcceitates conveniunt alicui naturæ, et invenirentur in Angelo, multiplicaretur numerice : hoc enim non est aliud quam dicere quod, si haberet plures individuationes seu plures differentias individuales, multiplicaretur individualiter. Sed quia argumentum non ostendit quod tale principium detur in Angelo, ideo negamus suppositum : nempe

* supra, n. 29, *Etiam dato*
** supra, n. 29, *Primo*

(1) Supple : *redditur [Angelus]*...
(2) Supple : *[hæc natura seu plures Angeli] a Deo*...
(3) Supple : *et [plures Angeli] dividi*...

quod dentur plures hæcceitates, aut dari possint, supposito quod non habet principium unde illa resultent. Sicut si homo haberet hinnibilitatem, esset sicut equus, et si haberet alas, esset avis; tamen habere ista repugnat sibi. Et si in eodem Angelo essent plures differentiæ specificæ, idem Angelus differret specie; sed est impossibile quod idem Angelus id habeat. Sic hæcceitates plurificatæ repugnant Angelo; quas tamen si haberet, plurificaretur.

33. Instabis : Cur repugnat Deum supernaturaliter, seu de potentiâ absolutâ, alio modo multiplicare individuationem in Angelo, quam per istam divisionem materiæ, et sic sine illâ per plures hæcceitates multiplicare Angelum? — Respondetur quod, ut bene in hac parte notat Vazquez * (ubi supra), si in aliqua specie multiplicantur individua, id non posset esse per aliquod principium extrinsecum et supernaturaliter superveniens : eo quod individuatio in substantiis est gradus intrinsecus et substantialis, et sic intrinsecum principium postulat et substantiale. Nihil autem substantiale addi potest ab extrinseco et supernaturaliter, si quidem unum individuum intrinsecâ et substantiali distinctione ab alio differre debet. Ergo non est possibile quod id fiat sine aliquo substantiali principio, et tali quod possit distinguere substantiam entitative seu substantialiter, et materialiter, non distinguendo speciem formaliter : et ita non potest esse principium formale, neque ipsa forma secundum officium formæ; ergo solum potest esse secundum principium materiale seu per ordinem ad illud : quia modus hujus divisionis est proprius materiæ secundum habitudinem ad partes quibus divisibilis est. Nihil autem tale potest advenire naturæ per supernaturale principium : quia non potest supernaturalis additio substantiam materialem Angelo præbere, vel substantiale principium mutare.

* I P., tomo II, disp. 181, c. 3, n. 6

34. *Ad secundam* * *probationem respondetur :* substantiam angelicam esse capacem diversorum accidentium, sive specie sive numero distinctorum, pertinentium ad idem subjectum : non tamen dividentium illud et individualiter multiplicantium. Non enim accidentia seu proprietates individuales sunt principia multiplicandi individua : si quidem multiplicatio individualis substantialis est, et non potest pro principio et radice habere accidentia; sed illæ accidentales proprietates sunt effectus consecuti vel condiciones requisitæ ad individuationem. Unde præsupponunt principium substantiale, quod habeat capacitatem et radicem distinguendi substantiam entitative, et non specifice : quod non convenit formali principio, ut formale est : nec substantiæ ipsi, ut materiale susceptivum est accidentium, nisi aliquid amplius habeat, scilicet partes quæ per talia accidentia signari et dividi possunt : sicut materia prima habet partes divisibiles, et sic quantitate signari possunt. Et ex talibus partibus sic divisis resultare possunt diversa illa accidentia et proprietates individuales, ita quod tota substantialis distinctio individuorum reducatur per se ad diversum principium substantiale; accidentia autem et proprietates etiam, quibus designatur ista individuatio, solum se habent ut condiciones requisitæ vel concomitantes ad talem individuationem vel multiplicationem. Unde cum in Angelis proprietates illæ seu accidentia non supponant in substantia habilitatem seu capacitatem ut dividi possit entitative materialiter, et non formaliter specifice, consequenter plurium accidentium receptio non est signatura et divisio plurium individuorum substantialiter. Nec enim quælibet receptio diversorum accidentium constituit aut designat diversa individua substantialia : cum constet idem subjectum, sine ulla divisione sui, susceptivum esse plurium accidentium. Ista ergo pluralitas, præcise ex eo quod recipiatur in substantia, non importat neque facit distinctionem et multiplicationem individualem, nisi addatur principium materiale quod sit partibile substantialiter; et tunc diversa accidentia seu proprietates designabunt, non constituent, illa plura individua.

* supra, n. 30

35. *Ad tertiam* * *probationem dicitur,* quod substantia Angeli est capax plurium personalitatum succedentium in eadem natura, *distinguo :* respectu ejusdem individui, *concedo;* respectu diversorum, *nego.* Itaque eadem substantia seu natura individualis habet in se principium habendi subsistentiam, tamquam terminum : taliter quod, si ille terminus tollatur, resultat alius pertinens ad idem individuum : quia nascitur ab eisdem principiis individualibus. Unde talis multiplicatio subsistentiarum non infert multiplicationem individuorum : quia sunt subsistentiæ ejusdem individuationis, quarum una subrogatur in locum alterius ut pertinens ad idem individuum : sicut resultat frigus in aqua tamquam pertinens ad eamdem aquam : et ab eadem linea, si auferretur punctus terminans, resultaret alius. Unde talis Angelus, a quo

pluries resultaret personalitas seu subsistentia, non esset diversa persona, sed eadem : quia illæ plures personalitates non censentur diversæ in officio constituendi personam, licet entitative diversæ sint : quia succedunt et oriuntur ex eisdem principiis individualibus. Subsistentiæ autem quæ constituerent diversas personas, etiam multiplicarent diversa individua : quia orirentur ex diversis principiis individualibus. Et talis multiplicatio subsistentiarum, cum respectu ad diversa principia individualia, et ut constituentes diversas personas, repugnant[1] Angelo. Diversæ autem subsistentiæ cum respectu ad eadem principia individualia, et non constituentes diversas personas, sed sibi succedentes in officio et munere constituendi eamdem personam, non repugnant Angelo : quia sic pertinent ad idem individuum.

36. Et ex eadem ratione apparet quod subsistentia, ut subsistentia, non multiplicat individua : quia non est principium individuationis, sed terminus. Unde, nisi supponat diversum principium individuandi, per se solum non multiplicat individua. Et sic videmus quod eadem subsistentia divina potest plures naturas specie aut numero diversas assumere, nec tamen facit unam individuam naturam ex omnibus illis : et e converso plures subsistentiæ eamdem naturam possunt assumere, nec tamen plurificant illam; ergo ex subsistentiis non sumitur multiplicatio individuorum. — Et ex eadem doctrina solvitur fundamentum Durandi (in II, D. 3, q. 3*) probantis posse Deum multiplicare Angelos, quia potest multiplicare actiones annihilando modo Angelum, et postea producendo. Sed dico quod ista multiplicatio est circa eumdem Angelum producendum et reproducendum, non circa distinctos numeraliter diversos : sicut circa idem numero corpus Christi versatur actio generativa in incarnatione, et transubstantiativa in eucharistia. — De exsistentia vero dicimus quod illa non resultat ex propriis principiis naturæ, sed a Deo datur, et recipitur in natura; et ideo hæc multiplicari potest toties quoties Deus voluerit annihilare et reproducere eumdem numero Angelum. Non tamen multiplicatio exsistentiarum multiplicat individua, sed supponit ex principiis substantialibus multiplicata, si talis multiplicatio possibilis est.

* maximen. 14

37. Tertio arguitur : In Angelo invenitur vera individuatio, et tamen non habet materiam; ergo materia non est essentialiter principium individuationis in Angelo; ergo neque multiplicationis. — Patet consequentia : quia ideo in rebus corporalibus multiplicatio fit per materiam, quia etiam individuatio fit per illam : et sicut materia est principium individuationis, ita et multiplicationis. Ergo e converso, si in Angelis non est principium individuationis, sed aliquid loco illius individuat, etiam aliquid loco illius multiplicabit; et sic non est cur negetur Angelo principium multiplicationis absque materia, sicut neque illi negatur principium individuationis absque illa. — *Confirmatur :* quia * anima intellectiva est forma spiritualis carens in se omni materiâ et corporeitate, et tamen multiplicatur individualiter; ergo etiam forma spiritualis completa, qualis est Angelus. — Nec potest dici **, quod anima multiplicatur propter ordinem ad materiam quam informare potest : quo ordine caret Angelus : Contra enim est : quia materia est extrinseca ipsi animæ, et ordo ad illam non potest individuare substantialiter : quia individuatio substantialis non est per ordinem ad alterum, sed per ordinem ad se, cum ipsa anima res substantialis sit et ad se dicatur; ergo individuatio illa et multiplicatio non sumitur per ordinem ad materiam, sed antecedenter ad illam; idem ergo erit in Angelo.

* cf. Scotum, II, D. 3, q. 7, n. 4, § *Item animæ*

** cf. Scotum, ibidem, § *Quod si dicas*

38. Respondetur, quod individuatio sine multiplicatione naturæ non exigit materiam, neque materiale principium, neque ordinem ad illud : sed sufficit formam ipsam esse completam et irreceptibilem, seu non dicere ordinem ad aliquid in quo recipiatur, sed in se manere. Hoc enim ipso habet in se vim individuandi : quia habet vim constituendi gradum ulterius incommunicabilem, et sic solum prædicabilem de uno : quod est ipsamet ratio individuationis. Quod totum patet in Deo, qui habet individuationem et singularitatem sine aliqua materia vel ordine ad illam, et sine aliqua capacitate multiplicationis. At vero ad individuationem multiplicabilem numerice non sufficit incommunicabilitas naturæ seu formæ, sed requiritur materia divisibilis seu ordo ad illam : quia requiritur principium fundans divisionem substantiæ sine divisione et distinctione speciei formalis. Tale autem

(1) Omnes : *multiplicatio subsistentiarum... ut constituentes... repugnant* : de hac ad sensum concordantia consule Præfationem tomi I, cap. III, art. 2, § 3, n. 4, et n. 5, c).

principium non est sola incommunicabilitas formæ, sed debet esse aliqua substantia seu principium substantiale divisibile tali modo. Forma autem, si incommunicabilis est, non est divisibilis in quantum incommunicabilis : et sic non est divisibilis materialiter. Solum ergo erit divisibilis in vi formæ et modo formali, quod est specifice esse divisibilem. Remotâ ergo materiâ, et omni ordine ad materiam, manet remotum omne principium divisionis numeralis non specificæ, et consequenter non dabitur in Angelo principium talis multiplicationis individualis, licet detur principium individuandi sine materiâ. Quare in rebus corporeis non ideo materia est principium multiplicationis, quia est principium individuationis quomodocumque, sed quia est principium individuationis et divisibilitatis materialis, quæ est divisibilitas substantialis sine divisione et distinctione formali. Individuatio enim absolute sufficienter fit per principium incommunicabilitatis in aliqua substantia, etiamsi sit in ipsa forma : quia hoc ipso quod est incommunicabilis, constituit gradum individuum. Multiplicatio autem plus petit quam incommunicabilitatem, scilicet divisionem tali modo factam.

39. *Ad confirmationem** *respondetur* solutione ibi data. — Ad replicam** dicitur, quod ordo formæ ad materiam non est relatio prædicamentalis, sed transcendentalis, pertinetque ad ipsum genus substantiæ incompletæ; et licet substantia dicatur ad se, tamen substantia incompleta et partialis non est pure ad se, complete et determinative, sicut substantia completa, sed dicit ordinem ad aliam partem et ad totum, etiamsi substantialis pars sit. Unde anima, quæ est substantia incompleta, ipsâ suâ naturâ substantiali non est omnino ad se, sed ad alterum cui coaptatur et coordinatur, non ut relatio prædicamentalis, sed ut pars : et ideo potest individuari per ordinem ad corpus, cujus est forma substantialis; et consequenter multiplicatâ materiâ multiplicabitur etiam anima, in quantum forma illius est : quod totum non currit in Angelo.

* supra, n. 37, *Confirmatur*
** supra, n. 37, *Contra enim*

ANGELI NON ESSENT DE FACTO MULTIPLICATI NUMERO, ETIAMSI MULTIPLICATIO EORUM ESSET POSSIBILIS.

40. Ex suppositione oppositæ sententiæ, quam (1) hucusque defendimus, restat difficultas* : an, illâ datâ, de facto darentur plures Angeli numero distincti. Quæ quæstio solum potest reduci in tali casu ad voluntatem Dei, de qua nobis certo constare non potest nisi per revelationem. Unde dicit Damascenus (lib. II de Fide, c. 3*), loquens de Angelis : « Æquales naturæ inter se, an dispares sint, haudquaquam compertum habemus; solus ille scit qui eos creavit Deus; » et Augustinus (lib. contra Priscillianistas, cap. ultimo*) : esse Angelos, inquit, Principatus, et Virtutes libenter me scire fateor; quid autem sint, et qualiter sint, aut quomodo distinguantur, prorsus ignoro. — Quare in hac parte solum proponemus conjecturas, quæ pro utraque parte se offerunt, ut lector eligat quas firmiores esse judicaverit : licet nobis probabiliores et firmiores videantur illæ, quæ partem negativam suadent. Et obiter etiam solvemus aliqua Patrum testimonia, quæ objici possent contra sententiam supra* positam de impossibilitate multiplicationis Angelorum in eadem specie : quia si aliquid probant, etiam probarent de facto dari.

* cf. supra, n. 2
* PG 94, 869 C
* c. 11, n. 14; PL 42, 678
* n. 6 sqq.

41. IGITUR PRO PARTE NEGATIVA, quod non essent plures Angeli numero de facto, etiam si essent possibiles, sumitur conjectura in primis ex similitudine corporum cælestium. Videmus enim quod, licet corpora cælestia, ut sol et luna, possent multiplicari numero (quia materiâ et quantitate non carent), de facto tamen unus sol et una luna datur; et quælibet sphæra cælestis, cum suo planeta vel astris, diversæ speciei est, et unicus tantum planeta in qualibet sphæra, sicut unus sol in sua; et in firmamento licet sint plures stellæ quæ videntur solo numero distingui, tamen verius est stellas esse partes ejusdem cæli densiores, non autem globos illi affixos, ut nunc suppono ex philosophia. Hoc autem ideo est, quia illa corpora sunt incorruptibilia; ergo non indiget quælibet species illorum multiplicatione individuali, quæ ad hoc præcipue ordinatur juxta finem naturalem, ut species conservetur : quod sufficienter fit in unico individuo, quando natura est incorruptibilis, et illi individuo datur tota et universalis virtus illius speciei, ut soli. Ergo a fortiori sufficiet unicum individuum in qualibet specie angelica : quia incorruptibiles sunt, multo nobilius quam cæli; licet alias non repugnaret eos multiplicari.

(1) Intelligito : *Veram supponendo sententiam oppositam ei quam hucusque defendimus...*

42. *Secundo,* deducitur et explicatur amplius ista conjectura. Quia cum natura semper studeat paucitati et brevitati, numquam inducit pluralitatem individuorum nisi propter bonum speciei, quia scilicet ad ejus conservationem necesse est multiplicari individua; quod quidem non currit in rebus incorruptibilibus [1] : sed præsertim in Angelis, in quibus quodlibet individuum petit totam suam perfectionem habere a principio, nec eam per successiones et mutationes acquirit transeundo de imperfecto ad perfectum. Ergo quodlibet individuum petit totam perfectionem debitam speciei; et, si alterum individuum daretur, eamdem prorsus perfectionem haberet, quam aliud. Si enim quodlibet individuum haberet diversas perfectiones quam [2] aliud, unus haberet plus et alter minus; et ille, qui haberet minus, esset capax habendi majorem : cum esset ejusdem speciei cum alio, et sic ejusdem perfectionis capax; ergo esset minus perfectum, et capax majoris perfectionis. Ergo in Angelis dabile esset quod procederent de imperfecto ad perfectum in perfectionibus suæ naturæ acquirendis. Unde consequenter peterent discursum, qui fundatur in natura intellectuali procedente de imperfecto ad perfectum, et non habente statim a principio omnem suam perfectionem : quod totum est contrarium naturæ angelicæ. Ergo etiam conformius est naturæ suæ, quod unum tantum individuum detur in qualibet specie, quod totam perfectionem habet suæ naturæ debitam; et si aliud daretur, non adderet novam perfectionem, sed omnino esset similis alteri, et sic superflueret.

43. *Denique,* perfectior ordo videtur si multiplicatio Angelorum fiat per diversas species : si quidem si omnes Angeli, qui nunc sunt, specie differunt, maxima erit perfectionum varietas (quilibet enim addit super alterum diversam perfectionem specificam) : quæ non tanta esset, si multi eorum solo numero differrent; major quippe est si illi, qui plures sunt numero, etiam specie differrent. — Ad quod etiam videtur facere auctoritas illa S. Dionysii (in 5 cap. de Cælesti hierarchia) ubi inquit : « Enuntiant sanctorum voluminum traditiones, superiores substantias esse graduum inter se celsitudine differentes [3]. » Differentia autem gradualis ad minus significat differentiam specificam : nam plura individua solo numero differentia non differunt inter se diversis gradibus, seu graduum celsitudine.

44. Pro opposita sententia aliquas conjecturas affert P. Suarez (lib. I de Angelis, c. 15 *,) et P. Vazquez (hîc, disp. 181, c. 3 **). In primis ducuntur auctoritate aliquorum Patrum, qui tamen vix aliud dicunt, quam quod Angeli sunt unius naturæ vel essentiæ : quod de natura intellectuali generica sufficienter intelligitur, nec cogunt intelligi de natura una specie atoma. Sic loquuntur Nazianzenus (orat. * in laudem virginitatis), ubi de Angelis loquens inquit : « Idem quisque sibi, natura est omnibus una; » S. Basilius (lib. III contra Eunomium **) : « Angeli omnes ut appellationis unius, sic ejusdem sunt naturæ inter se. » Anselmus (lib. II Cur Deus homo, c. 21 ***) : « Omnes Angeli sunt unius naturæ. » S. Gregorius Nyssenus (lib. de creatione hominis, c. 18 †) ubi dicit : « Infinita Angelorum millia consistere in eadem essentia. » S. Augustinus (in Enchiridio, c. 29 ††) inquit non fuisse eamdem rationem reparationis in Angelis sicut in homine, eo quod non tota Angelorum natura corruerit. — Quæ auctoritates non cogunt nos intelligere de natura specifica in atomo, sed de natura generica. Augustinus tamen in illa auctoritate non dicit quod tota natura Angelorum non corruerit, sed quod « tota multitudo Angelorum », quod multo minus urget. Nyssenus autem (in illo c. 18 *) nihil tale dicit; sed (c. 17 **) inquit quod Angeli « ad infinita prope millia sunt diffusi, et una natura, et multi esse numero possunt ». Ubi ly *multi numero,* non est idem quod solo numero differentes, sed multitudinem magnam habentes, sive specie differant, sive non. Et similia verba habet idem sanctus (orat. 4 in Cantica *, circa finem).

45. *Difficilius potest objici* Athanasius (in quæst. ad Antiochum, q. 8 *) dicens [4] : « Una et eadem est essentia Angelorum, sicut et hominum; » et iterum ** : « Sicut Angeli unius speciei sunt, ita credimus de nostra natura; » constat autem nostram naturam esse ejusdem speciei

* n. 15-16; et c. 12, n. 1-2
** magis c. 2
* carmen *in laud. virg.*, ℣. 38; PG 37, 525
** PG 29, 656 B
*** nunc c. 22; PL 158, 430
† c. 17; PG 44, 189 B
†† PL 40, 246
* PG 44, 192-6
** PG 44, 189 B
* PG 44, 856 B
* PG 28, 604 A
** q. 24; PG 28, 612 CD

(1) Mendose omnes : *corruptibilibus.*

(2) *Diversas... quam,* cf. tomi I Præfationem, cap. III, art. 2, § 3, n. 7, a).

(3) Hæc depromit auctor ex versione Ambrosii Camaldulensis, quæ tamen eo loco sat longe vagatur ab originali Dionysii textu, siquidem quinque ultima verba *(graduum inter se celsitudine differentes)* purum putumque sunt interpretis additamentum. Cf. R. P. Phil. Chevallier, O. S. B., *Dionysiaca*, p. 823; P. G., t. III, col. 196 B.

(4) Corrupte omnes : *dicentis.*

† alias : lib. I; PG 95, 108 B atomæ. Et Damascenus (lib. II † Institut. c. 7) inquit : « Eas quæ sola individua continent species infimas vocari : cujusmodi sunt Angeli, homo, et equus; » ergo sentit non omnes Angelos specie differre. — *Sed respondetur :* D. Athanasium sumere essentiam Angelorum generice, prout est una in ratione intellectualis et spiritualis sine ullo corpore; sicque condistinguitur a natura hominum, quæ non est pure spiritualis. Et comparatur atque condistinguitur species subalterna Angelorum cum specie infima hominum, non autem species infima Angeli : eo quod species illa subalterna Angelorum in modo essendi comparatur et distinguitur a specie hominum tamquam unum extremum, propter unum modum essendi spiritualiter sine corpore.

46. Vel etiam potest dici, secundum solutionem quam assignat D. Thomas (quæst. *de Spiritual. creat.* a. 8 ad 1), solvens auctoritatem Augustini supra * allatam, quod sancti, quando comparant naturam Angelorum cum natura humana, non considerant eorum distinctionem secundum esse naturæ, sed secundum ordinem quem habent ad beatitudinem, in quo omnes sunt ejusdem rationis. Alias vero loquens Athanasius de distinctione istorum in genere naturæ (in tractatu * quodam, ad illa verba Matthæi : *Omnia mihi tradita sunt a Patre meo*) inquit quod « homines qui similes sunt inter se homousii, hoc est ejusdem substantiæ, censeri debent; Angeli quoque inter se generis ratione et ejusdem naturæ ». Ubi solum genericam rationem communem illis tribuit : et ex hoc loco explicandus est locus in argumento allatus. — Damascenus * autem affert inter exempla speciei infimæ Angelum, sicut hominem et equum : et bene, quia in Angelis datur species infima. Sed quod illa species habeat plura individua, Damascenus ibi non dicit; licet loquendo de aliis speciebus, ut homine et equo, et generaliter de specie infima, dicat quod est illa quæ sola individua continet, quia de se species individua multa potest continere : non tamen in omni specie necesse est quod plura dentur.

(* n. 44; * nil simile in hoc tract.; PG 25, 208-220; * supra, n. 45)

47. *Secunda * conjectura est :* quia multitudo individuorum pertinet etiam ad perfectionem universi. — Tertia ** : quia ad politicam gubernationem principis pertinet, quod sint in omni ordine seu gradu plures personæ. — Quarta *** : id etiam pertinet ad ordinem amicitiæ, ut habeant similes in eadem specie. — Quinta † : quia inveniuntur plures beati ejusdem gloriæ in eodem gradu : ergo, et plures Angeli in eadem specie. — Denique †† : quia alias, si in qualibet specie non essent plures Angeli, sequeretur quod plures species totaliter damnarentur : quod videtur incongruum divinæ pietati.

(* Suarez, lib. I *de Angel.*, c. 15, n. 15; ** ibi, n. 16; *** ibidem; † ibidem; †† ibidem)

48. *Respondetur :* has omnes conjecturas parum probare. Illa enim secunda non tenet in rebus incorruptibilibus, in quibus multitudo individualis non conducit ad ordinem universi, ut patet in sole et luna. — Ad tertiam dicitur, quod cælestis politia et amicitia sufficienter salvatur in diversis speciebus Angelorum : quia est politia incorruptibilium substantiarum, quarum quælibet suâ perfectione implet totam speciem, neque exigit plura individua ejusdem speciei. Et sicut Angeli et animæ separatæ unam politiam constituunt, licet inter se anima et Angelus specie differant, ita et plures Angeli inter se. — Unde solvitur quarta conjectura : quia ordo amicitiæ solum requirit communicationem intellectualem, sive naturæ ipsæ specie atomâ differant, sive non : cum sit amicitia substantiarum incorruptibilium, quæ non exigunt ex se multiplicationem individualem; præsertim cum omnes ordinentur ad eumdem finem beatitudinis, in quo conveniunt eodem modo, possuntque habere communicationem ejusdem rationis inter se et cum hominibus. — Ad quintam dicitur, quod beati sive habeant æqualem visionem, sive inæqualem, tamen illa visio ejusdem speciei est in omnibus, sive Angelis sive hominibus. Unde ex hoc non potest fieri argumentum ad distinctionem, quam habent in genere naturæ. — Ad ultimam dicitur, quod sicut non est inconveniens quod tota aliqua species integre beatificetur in quolibet Angelo beatitudinem consequente, ita non debet reputari inconveniens quod tota aliqua species damnetur : recompensatur enim integra damnatio aliquarum specierum integrâ aliarum beatificatione.

49. TANDEM circa hunc articulum INQUIRI POTEST DE NUMERO ANGELORUM seu multitudine, sive distinguantur specifice sive numerice : an videlicet multitudo eorum excedat multitudinem rerum corporearum. De qua re certum est secundum sacros doctores numerum Angelorum excedere rerum materialium numerum. Nam, juxta antiquos philosophos, intelligentiæ seu substantiæ separatæ multiplicabantur juxta numerum aliquarum rerum sensibilium : sicut Plato *, qui substantias separatas ponebat esse ideas rerum sensibilium, et consequenter esse tot quot

(* *Respubl.*, 596 a-597 d; *Cratyl.*, 389 b-d; *Parmen.*, 130 b-d; *Timæus* 28-30, 51 b-52 a.)

species sensibiles. Aristoteles autem posuit intelligentias separatas juxta numerum primorum motuum, qui sunt in orbibus cælestibus (ut patet in XII *Metaph.* c. 10** et 8***) : quem secutus est Rabbi Moyses† quantum ad numerum substantiarum pure spiritualium; sed tamen addit †† multo plures numerari Angelos in Scriptura, quia ibi dicuntur Angeli etiam homines divina nuntiantes; ut omittam Algazelem†††, inter cujus errores refertur (in IIa Parte *Directorii* inquisitorum*, q. 4) quod dixerit tantum esse decem Angelos. Et alios hæreticos refert D. Thomas (in II, D. 10**, q. 1, a. 1), qui dixerunt solum esse unicum Angelum, qui varia ministeria exercet, et ideo multorum nomine nominatur.

** nil tale in cap. 10
*** BK 1073 a 14-1074 a 17
† *Guide des égarés*, pars II, c. 4-6, 9-10 (ed. Munck, t. II, p. 55-75, 80-9)
†† c. 6 (ibid. p. 66-75)
††† *Metaph.*, pars I, tract. 5 (ed. Muckle, p. 121)
* Nicolai Eymerici (ed. Peña, p. 240 A)
** revera : D. 3, q. 1, a. 3

50. Apud sacros autem doctores constat numerum Angelorum esse in maxima multitudine : quia dicitur (Dan. VII, 10) : *Millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia assistebant ei.* Et D. Dionysius (cap. 9*** Cælestis hierarchiæ) [dicit] quod «beati exercitus supernarum mentium excedunt infirmam et constrictam nostrorum materialium numerorum commensurationem»; et (c. 14) dicit quod «transcendit[1] multitudo Angelorum omnem materialem multitudinem». Et D. Thomas (in hac q. 50†, a. 3) inquit : «Rationabile esse quod substantiæ immateriales excedant secundum multitudinem substantias materiales incomparabiliter;» et idem affirmat infra (q. 112††, a. 4 ad 2; et II *Contra Gent.* c. 92). Et videri potest D. Gregorius (lib. XVII Moral. c. 9*), et D. Hieronymus (in cap. VII** Danielis); et scholastici communiter hoc sequuntur. Et D. Thomas communiter† utitur illâ comparatione quod, sicut corpora quanto superiora sunt tanto amplius in quantitate excedunt inferiora, ita ut respectu supremi cæli totus globus terræ sit instar puncti : ita superiora entia, quæ sunt substantiæ spirituales, debent secundum multitudinem excedere omnes res materiales et corporeas. Et Cajetanus (super hunc art. 3, quæst. 50*) intelligit de mente S. Thomæ quod multitudo Angelorum non excedat numerum individualem omnium corporum, v. g. omnes arenas maris, et lapillos et pulverem terræ, et omnia grana frumentorum, etc., quia hoc videtur magna absurditas; sed quod excedunt incomparabiliter omnes species rerum corporearum : quod expressit S. Thomas (q. 6 *de Potent.* a. 6**) dicens quod excedunt omnes «species materialium». Numerum ergo specierum excedunt incomparabiliter, non tamen perveniunt ad hoc ut excedant numerum omnium individuorum totius rei corporeæ. Quantum autem excedant numerum specierum, cum dicitur quod incomparabiliter excedant omnes naturas seu species materiales, quis hominum poterit cognoscere? Cum sit proprium Dei id quod dicitur (Isa. XL, 26) : *Qui educit in numero militiam eorum* (Angelorum), *et omnes ex nomine vocat.*

*** revera : c. 14; PG 3, 321
† I P. q. 50, a. 3
†† I P. q. 112
* alias, c. 13, n. 18; PL 76, 20
** VII, 10; PL 25, 532; cf. PL 24, 407 A
† *de Pot.*, q. 6, a. 6; I P. q. 50, a. 3; II *Contra G.*, c. 92; etc.
* I P. q. 50, a. 3, n. 5-6
** non longe a fine corp.

[1] Nota alterum hunc Dionysii locum nihil prorsus esse nisi priorem, quem proxime allegabat Joannes, at decurtatum aliisque redditum verbis, qualem apud D. Thomam reperit auctor noster (I P. q. 112, a. 4 ad 2).

ARTICULUS IV

Utrum Angeli sint per naturam incorruptibiles.

1. DUO IN HAC PARTE SUNT EXTRA OMNEM CONTROVERSIAM. — *Primum est :* Angelos naturâ suâ esse physice incorruptibiles et immortales respectu cujuscumque agentis creati, et sumendo ly *corruptibile* prout opponitur generabili : sicut enim corruptio opponitur generationi, ita et corruptibile opponitur generabili. Unde sicut Angelus nullo modo est generabilis, quia caret materiâ, ita nullo modo est corruptibilis corruptione physicâ, quæ est per separationem formæ a materia. Unde cum nullum agens creatum operari possit nisi ex materia, quia nullus potest creare ex nihilo (ut disp. præced.* ostensum est), manifestum est quod, sicut Angelus caret corruptione physicâ et materiali, ita in suo esse est independens ab omni agente creato. Unde sicut definitur in concilio Lateranensi sub Leone X (sess. VIII*) animam rationalem esse immortalem naturâ suâ, ita a simili certum esse debet Angelos esse immortales naturâ suâ per respectum ad quamcumque potentiam agentis creati.

* supra, disp. 38, a. 4
* Hardouin IX, 1719 D

2. *Secundo, certum est* Angelos esse annihilabiles a Deo, sicut sunt creabiles; et ita per

eamdem extrinsecam potentiam, qua sunt creabiles a Deo, sunt etiam annihilabiles : ita quod sicut beneficio Dei creati sunt, ita eodem beneficio conservantur in esse. Quod beneficium, cum liberum sit, potest Deus subtrahere cum velit; ideoque gratiâ Dei creatoris dicuntur naturaliter permanere. Unde nulla creatura est quæ possit dici absolute immortalis, id est, independens in suo esse a beneficio creatoris, sed *solus Deus habet immortalitatem,* ut dicitur (I Tim. VI, 16). Qua ratione etiam multi sancti* dicunt Angelos esse immortales gratiâ, et non naturâ : non quod ly *gratia* pertineat ad donum supernaturale quo ordinamur ad beatitudinem, sed ly *gratia* sumitur pro[1] dono creationis, quod etiam gratuitum beneficium est; et sic nulla creatura datur, cujus naturæ repugnet desinere esse. Sed omnis natura creata, sicut est capax exsistendi per beneficium creatoris et liberam voluntatem Dei, juxta illud (Sap. XI, 26) : *Quomodo posset aliquid permanere, nisi tu voluisses, aut quod a te vocatum non esset conservaretur?* ita est capax desinendi esse, si Deus velit suspendere concursum.

3. PUNCTUS ergo DIFFICULTATIS SOLUM REDUCITUR AD HOC : an hæc capacitas, quâ Angeli sunt annihilabiles a Deo, constituat illos naturâ suâ corruptibiles, non quidem physicâ corruptione per separationem formæ a materia, cujus capaces non sunt (supposito quod sunt formæ simplices), sed corruptione annihilativâ per ordinem ad omnipotentiam Dei : ita quod non solum ab extrinseco per potentiam Dei dicantur annihilabiles, sed etiam ex natura sua intrinseca corruptibiles dicantur, quasi corruptionem annihilationis potius ex natura sua petentes quam continentiam in esse : solum autem incorruptibiles gratiâ Dei conservantis eos in esse.

4. *In quo puncto P. Vazquez* (hîc, disp. 182, c. 2) tenet Angelos naturâ suâ non posse dici immortales et incorruptibiles, sed gratiâ Dei, si sumatur corruptibile et mortale relate ad potentiam Dei, a qua conservatur et sine qua desinere potest et corrumpi; si vero sumatur relate ad potentiam creatam, naturâ suâ immortales et incorruptibiles sunt. — *At vero D. Thomas* (in hoc art. 5*) absolute docet Angelum per naturam suam esse incorruptibilem et immortalem, ita quod in se caret omni principio corruptionis, et solum potest corrumpi per potentiam Dei extrinsecam quæ potest subtrahere suam conservationem; et idem affirmat supra (q. 9*, a. 2; et II *Contra Gent.* c. 30); Cajetanus et Ferrariensis, ad ista loca D. Thomæ, et ejus expositores : Collegium Carmelit. (tract. 7 de Angelis, disp. 1, dub. 8); Navarrete (III tomo, controv. 41); Suarez (lib. I de Angelis, c. 9 et 10) qui affirmat* annihilationem Angeli ita esse miraculosam, sicut si igni negetur concursus ad calefaciendum.

*I P. q. 9, a. 2

* ibi, c. 9, n. 7 sqq.

5. Et licet ista quæstio et dissidium sententiarum multum habeat de modo loquendi, tamen si aliquid difficultatis habet, in hoc solo puncto constat : utrum Angelus secundum suam naturam ita recipiat exsistentiam per influxum Dei, quod ex natura sua et connaturalitate ad esse illud petat, ex suppositione quod creatus est, et fieret illi violentia essetque supra leges naturæ et miraculosum annihilare Angelum : sicut ignis, suppositâ suâ productione et exsistentiâ, connaturaliter petit concursum Dei ad calefaciendum, ita quod esset miraculum illum denegare igni : quia pertinet hoc ad legem naturæ, licet beneficio Dei tota natura habeat influxum ipsius quoad esse, et concursum quoad agere. Et sicut ignis habet naturalem inclinationem ad calefaciendum, et consequenter ad concursum Dei requisitum ad calefaciendum, licet Deus libere illum conferat, possitque suspendere : ita oportet videre utrum Angelus inclinetur naturaliter ad ipsum esse perpetuum, et ad influxum Dei quo sibi confertur, licet Deus libere illum det, possitque tollere si velit.

6. **SIT CONCLUSIO : Angeli etiam hoc modo sunt incorruptibiles naturâ suâ, et solum dicuntur annihilabiles per potentiam Dei extrinsecam, quatenus libere præbet concursum neque est alligatus legibus naturæ ad conservandum esse; non tamen in Angelo est naturalis ordo ad desitionem, sed potius naturalis inclinatio et ordo ejus est ad exsistendum, suppositâ ejus creatione** : licet totum hoc habeant[2] ex libera voluntate et beneficio Dei, non superaddito naturæ et ipsi improportionato, sed juxta eorum naturam et proportionat[3] illi, non tamen debito. — Hæc conclusio directe est contra intentionem sententiæ Vazquez,

[1] Ita scite corrigit C || MLP *per dono...*
[2] Subaudi : *Angeli.*
[3] Sic omnes, fortasse non omnino male || Melius tamen legetur : *proportionato.*

qui ex hoc quod Angeli beneficio creationis et gratuitâ voluntate Dei habent esse, colligit* quod non per naturam suam, sed per gratiam Dei habent incorruptibilitatem seu perpetuitatem essendi, loquendo de Angelis per ordinem ad potentiam Dei qua possunt annihilari, non per ordinem ad agentia a quibus non possunt corrumpi.

* disp. 182, c. 2, n. 8-10

7. *Sed tamen etiam D. Thomas hanc mentem Vazquez prævidit* (infra, q. 104*, a. 4), ubi ostendit nihil ex rebus creatis annihilari a Deo, quia hoc neque pertinet ad cursum naturalem rerum, neque ad miraculorum [1]. Non ad naturalem : quia res si sunt immateriales, non est in eis potentia ad non esse; si vero sunt materiales, saltem ratione materiæ sunt incorruptibiles, quia materia non corrumpitur. Ratione vero miraculi non annihilatur aliquid a Deo : quia non pertinet hoc ad manifestationem gratiæ, in ordine ad quam solum fiunt miracula. Sentit ergo quod annihilatio, si fiat, non est juxta naturam rerum, quia non est in rebus potentia ad non esse. Specialiter autem ponit ipsum fundamentum Vazquez (q. 5 *de Potent.* a. 3, arg. 12) : quia scilicet res incorruptibiles dependent a voluntate Dei; ergo non sunt simpliciter necessariæ, sed libere causantur a Deo; ex quo dicto « videtur sequi quod nihil sit in creaturis simpliciter incorruptibile, sed quod omnia sint corruptibilia : quod est inconveniens ». Et respondet S. Doctor (ad 12) : « Dicendum quod licet creaturæ incorruptibiles ex Dei voluntate dependeant, quæ potest eis esse præbere et non præbere, consequuntur tamen ex divina voluntate absolutam necessitatem essendi, in quantum in tali natura causantur, in qua non sit possibilitas ad non esse : talia enim sunt cuncta creata, qualia Deus esse ea voluit, ut Hilarius dicit (lib. de Synodis*). » Et (solut. ad 9) distinguit de his quæ sunt incorruptibilia per naturam, vel per gratiam : « Quia in illis, inquit, quæ sunt per naturam incorruptibilia, non præintelligitur potentia ad non esse, quæ tollatur per aliquid a Deo receptum; sed in illis, quæ sunt incorruptibilia per gratiam, subest possibilitas ad non esse in ipsa natura, quæ tamen totaliter reprimitur ex virtute Dei. »

* I P. q. 104, a. 4

* n. 58; PL 10, 520 C

8. Ex quo sumitur fundamentum hujus sententiæ, tum a priori, tum a posteriori. — *A priori quidem :* quia tunc aliquid habetur per gratiam, ut distinguitur a natura, quando est super principia ipsius naturæ et supra exigentiam [2] ipsius naturæ : licet etiam ipsa natura creata sit quoddam beneficium libere collatum a Deo, quod tamen simpliciter non dicitur gratia : quia licet totum, quod natura est, ex Dei participatione et derivatione sit, tamen quia ipsamet voluntas Dei dat quibusdam naturis necessitatem et exigentiam alicujus rei, aliis vero contingentiam, non dicitur facere gratiam et beneficium condistinctum a natura in eo quod ei datur juxta exigentiam et necessitatem talis naturæ. Sicut non est gratia quod sol oriatur et illuminet, vel quod ignis calefaciat : quia licet totum hoc ex libera Dei emanatione dependeat, tamen quia fit juxta exigentiam et proportionem naturæ, non dicitur fieri ex gratia superaddita naturæ. Tunc autem dicitur Deus præbere necessitatem naturæ, et non ex gratia superaddita aliquid illi conferre, quando facit naturam sine potentia vel inclinatione ad oppositum, sed solum cum ordine ad unum : licet hoc unum Deus ipse possit tollere, si velit. Sed quod non tollat, non est gratia superaddita naturæ, sed in ipsamet naturæ largitione continetur : quæ solum generalissimo modo dicitur gratia, non gratia ut distinguitur a natura, de qua solum loquimur in præsenti quando disputamus utrum Angeli sint incorruptibiles per naturam vel per gratiam, id est, per gratiam ut condistinctam a natura et superadditam illi.

9. Quod autem natura Angeli ita sit creata ex voluntate libera Dei, quod tamen non habeat potentiam et inclinationem ad non esse, sed solum [ad esse] [3], ut locis citatis* dicit S. Thomas, ex eo constat : quia in Angelo non est potentia ad aliquam formam, per quam tollatur suum esse quod habet a Deo per creationem; ergo neque habet naturam aliquam inclinantem ad non esse. — Patet consequentia : quia nulla inclinatio et potentia potest esse primo et per se ad non esse, quia esset inclinatio ad nihil, et consequenter esset nulla inclinatio; sed omnis inclinatio vel potentia ad non esse est secundario, quatenus est ad aliquam formam ex qua non-esse alterius sequitur, vel quia habet potentiam deficientem quæ modo defectibili tendit ad aliquod esse. Respectu autem ipsius esse, quod

* cf. loca D. Thomæ citata supra, nn. 4 et 7

[1] Ita omnes, vix tolerandum || Proclivis emendatio : *ad miraculosum.*

[2] Male omnes : *exigentia.*

[3] Mendose omittunt omnes bina hæc verba.

natura Angeli per creationem recipit a Deo, potentiam et inclinationem habet determinatam : quia unumquodque propendit in suum esse et in suam conservationem, et hoc ex Deo habet. Ergo si a Deo non recipit potentiam ad aliquam formam tollentem suum esse, nec inclinationem immediate et per se ad non esse, sed inclinationem ad ipsum esse, consequens est quod Angelus non indiget aliquâ gratiâ superadditâ ipsi naturæ ad hoc quod incorruptibilis sit, sed solum ipsâ naturæ largitione, quæ etiam largo modo potest dici gratia, sed non distincta a natura; homines autem quando reddentur incorruptibiles in resurrectione, id erit per gratiam superadditam naturæ, quia id natura hominis ex suis principiis non petit. Condistinguenda est ergo incorruptibilitas corporis gloriosi ab immortalitate Angeli, quod illud ex gratia, hic ex natura (licet beneficio Dei accepta) incorruptibilis sit.

10. *A posteriori autem deducitur ratio :* quia igni vel soli non dicitur fieri gratia per hoc quod detur sibi concursus ad calefaciendum vel illuminandum : quia hoc est debitum naturæ ex vi suæ primæ creationis, licet libere conferatur a Deo, etiam suppositâ creatione; sed totum hoc pertinet ad gratiam creationis, quæ non est simpliciter gratia, quia non est distincta et superaddita naturæ : et sic non appellatur a Patribus simpliciter gratia, sed gratia creationis. Sed* suppositâ creatione Angeli, et aliarum rerum incorruptibilium, similiter non requiritur gratia superaddita naturæ ut conservetur in esse, magis quam requiratur [1] concursus ignis ad comburendum : sed sufficit gratia indistincta a collatione naturæ et primæ creationis. Ergo Angeli non sunt per gratiam incorruptibiles, sed per naturam, licet a Dei voluntate productam : sicut ignis non est calefactivus per gratiam (id esset magnum absurdum) sed per naturam, licet totum hoc ex libero Dei concursu et beneficio pendeat. Nobis autem sufficit contra Vazquez probare quod Angelus ita sit incorruptibilis per naturam et non per gratiam, sicut ignis est calefactivus per naturam et non per gratiam.

* hæc minor infra probatur, n. 11

11. Minor* probatur : quia prima creatio Angeli non fuit gratia superaddita naturæ, sed fuit solum gratia creationis, qua producta est natura. Conservatio autem in esse non est aliud quam continuatio primæ creationis; ergo non est alia gratia et beneficium a gratia creationis : continuatio enim ista non fit contra aliquam naturam seu formam, quæ petat non continuari talem gratiam primæ creationis, nec contra potentiam aliquam quæ sit in ipsa natura Angeli ad oppositum, sed juxta inclinationem ipsius naturæ ad suum esse, quia [2] non est minor quam ad suum operari, sed multo intimior : quia unaquæque res naturaliter inclinatur ad conservandum suum esse multo magis quam ad operari, quia operari sequitur esse. Sed ignis habet ex vi suæ primæ creationis inclinationem naturalem ad suum operari; et ideo concursus, ei debitus ad calefaciendum, non est gratia superaddita naturæ et dono creationis. Ergo si inclinatio naturæ Angeli ad suum esse, quod habet a Deo, non est minor quam inclinatio ignis ad suum operari quod etiam habet ex concursu Dei, cur dicemus non esse istam conservationem naturalem, et non ex gratia superaddita naturæ, sicut illa operatio ignis et concursus ad illam est naturalis et non gratuitus?

* n. 10, *Sed suppositâ*

12. Ex dictis autem CONVELLUNTUR FUNDAMENTA OPPOSITÆ SENTENTIÆ*. — *Nam primo fundatur* in hoc quod aliqui Patres simpliciter affirmant conservationem rei exsistentis, etiam Angeli, esse ex gratia Dei, non ex natura rerum : quia scilicet gratiam a Deo sortiti sunt, qui immortalitatem eis largitur et incorruptibilitatem; ergo denegatio conservationis Angelo non est ei violenta, neque contra naturam : et sic conservatio gratuita erit, et non naturalis. — Antecedens passim asseritur a Patribus, et videri potest Cyrillus Alexandrinus (lib. IV Thesauri, c. 2*); Damascenus (lib. II de Fide, c. 3**); Sophronius (in epist. relata in VI synodo, act. 51***, et recepta act. 13†). — Consequentia vero patet : quia in sensu Patrum id, quod naturæ debetur, non vocatur simpliciter gratia, sed gratia creationis; ergo si simpliciter dicunt Angelos habere immortalitatem ex gratia, et non per naturam, non censent esse gratiam quæ pertineat ad donum creationis.

* cf. supra, n. 4

* assert. 20; PG 75, 345 C D
** PG 94, 868 B
*** rectius : act. 11; Mansi XI, 492 A
† Mansi XI, 556 D

13. *Secundo :* quoniam Angelus nunc exsistens non petit naturaliter durationem crastinam, neque potentiâ activâ, neque passivâ. Non activâ, quia non se conservat. Non passivâ, quia Angelus hodie exsistens non recipit actionem perseve-

[1] Intelligito : *magis quam requiratur gratia in casu concursus qui igni datur ad comburendum.*

[2] Ita omnes ‖ Suspicamur legendum : *quæ non est.*

rantem cras : quia est eadem actio exsistens hodie et cras; et quod duret cras, solum est extrinseca denominatio, quia jam exstitit hodie et non producitur de novo cras. Ergo non est debita illa actio crastina Angelo, sed ex mera Dei voluntate illam habet, sicut et hodiernam; nec recipit illam, quæ cras erit, in actione qua conservatur hodie. Ergo non inclinat ad talem conservationem crastinam, secundum exsistentiam quam habet sua natura. Essentia autem Angeli, remotâ exsistentiâ, tantum est essentia secundum prædicata quidditativa et secundum esse possibile; hoc autem nullam inclinationem habet ad exsistentiam magis quam ad nonexsistentiam : alioquin fieret violentia rebus possibilibus quæ non accipiunt esse. Ergo Angelo nulla fit violentia, ex eo quod annihiletur; ergo quod non annihiletur gratia Dei est. — Confirmatur : quia antecedenter ad omnipotentiam Dei dicitur res aliqua possibilis ex non-repugnantiâ ut sit, non potentiâ physicâ et receptivâ, sed logicâ et objectivâ; ergo similiter dicetur Angelus corruptibilis ex non-repugnantiâ nativâ et intrinsecâ, quam habet, ut non sit.

* supra, n. 12, *Nam primo*, 14. AD PRIMAM * RESPONDETUR : Patres loqui de gratia large accepta pro dono creationis, quando dicunt res omnes, etiam Angelos, per gratiam Dei conservari et permanere in esse, id est, ex voluntate Dei per quam sunt omnia, juxta illud (Apo. IV, 11) : *Tu creasti omnia, et propter voluntatem tuam erant et creata sunt*. Non autem loquuntur de gratia distincta a dono creationis : cum revera per donum creationis acceperint esse et id quod naturæ est, non aliquid superadditum naturæ. — Et licet * donum creationis non vocetur a Patribus simpliciter gratia, quando agunt de gratia ad salutem requisita contra Pelagium, tamen quando non agunt contra ipsum, sed de eo quod est in re, simpliciter vocant donum creationis « beneficium » et « gratiam Dei », quia vere sic est.

* supra, n. 12 *Consequentia*

* supra, n. 13 15. *Ad secundam* * *dicitur*, quod Angelus non habet durationem crastinam, neque hesternam proprie loquendo : quia non mensuratur præterito et futuro quod pertinet ad tempus, sed ævo quod est supra tempus, et non habet præteritum neque futurum; et sic juxta naturam suam suppositâ creatione petit hanc durationem continuatam et perseverantem per modum ævi, non potentiâ activâ, qua se conservet in esse, sed potentiâ passivâ, qua recipit conservationem. — Et cum instatur *, quod Angelus exsistens non recipit conservationem crastinam, quia non est distincta ab exsistentiâ et conservatione hodiernâ : Respondetur quod non recipit illam de novo, sed recipit continuationem ejus; et ad istam continuationem inclinatur ex natura sua, sicut quælibet res inclinatur ad sui conservationem : quæ non est inclinatio ad recipiendum de novo, sed ad continuandum esse jam receptum, et ad non habendum contrarium. Inclinatio autem naturalis non solum est ad recipiendum aliquid de novo, sed etiam ad quiescendum in recepto : sicut res, quæ acquisivit suum finem, quiescit in illo. Et D. Thomas (supra, q. 19 *, a. 1) dicit quod « quælibet res hanc habet habitudinem ad suam formam naturalem, ut quando non habet ipsam, tendat in eam, et quando habet, quiescat in ea ». — Nec tamen * Deus violentiam inferret Angelo per annihilationem, nec cuicumque rei naturali tollendo ab illa esse : quia Deo, ut primo principio, omnia obœdiunt, et nihil illi resistit sive efficiendo [1], sive tollendo ab eis. Et sic proprie non fit violentia a Deo : quia, licet faciat contra inclinationem propriam naturalem, non tamen contra universalem naturæ ad obœdiendum creatori, quando operatur ut primum principium omnium; sicut nec aquæ fit violentia adscendendo ad replendum vacuum, licet sit contra inclinationem particularem ejus : quia in hoc servit universali bono naturæ, ad quod magis inclinatur. Et quamdiu fit aliquid juxta inclinationem saltem universalem, non fit violentia.

* supra, n. 13, *Non passivâ*

* I P. q. 19, a. 1

* cf. supra, n. 13, *Essentia autem*

16. Ad confirmationem * respondetur : in Angelo esse non-repugnantiam ad annihilationem, non per intrinsecam potentiam inclinantem ad non esse, sed per dependentiam a voluntate Dei, a qua omnis natura accipit esse, non necessitate, sed voluntate ejus. Et ita pertinebit incorruptibilitas Angeli ad gratiam Dei quæ est donum creationis, non ad aliquam gratiam superadditam naturæ et dono creationis. * supra, n. 13, *Confirmatur*



[1] Id est : *sive efficiat* [*Deus*], *sive tollat* [*aliquid*] *ab eis*.



QUÆSTIO LII

DE COMPARATIONE ANGELORUM AD LOCA

SUMMA LITTERÆ



TRACTAT HIC D. THOMAS SECUNDAM COMPARATIONEM ANGELORUM ad res corporales, scilicet non tamquam ad aliquid a se assumptum, sicut corpora in quibus apparent, sed ut aliquid cui assistunt, vel in quo exsistunt per modum loci. — Tractat autem de loco Angeli per tres articulos.

In primo inquirit utrum Angelus sit in loco; et resolvit esse in loco, non tamen eo modo, quo corpus, sed æquivoce cum illo : quia corpus est in loco per contactum quantitatis, quo commensuratur loco, Angelus vero per contactum seu applicationem virtutis; nec enim in Angelis est quantitas molis, sed virtus.

In secundo articulo inquirit utrum Angelus possit esse in pluribus locis; et respondet quod solum potest esse in uno loco, cui applicatur sua virtus, non ubique, neque in pluribus simul : quia, cum sit virtus finita, non potest nisi ad aliquid finitum et determinatum applicari; et illud determinatum, cui applicatur, correspondet ei tamquam unus locus, sive sit punctum, sive sit aliquid divisibile.

In tertio inquirit an, e converso, plures Angeli possint esse in eodem loco; et respondet non posse : quia sunt in loco per applicationem virtutis tamquam motores seu

continentes locum, non contenti a loco; continent autem locum tamquam perfectæ virtutis, cum Angeli sint supremæ causæ creatæ in universo; ergo eodem modo repugnabit esse plures Angelos in eodem loco, sicut plures causas perfectas et adæquatas respectu ejusdem effectûs vel passi. Non potest autem idem effectus procedere a duplici causa totali et perfecta. Ergo neque plures Angeli habere rationem exsistendi in eodem loco formali, id est, in eodem ut operatum et contentum ab illis.





QUÆSTIO LIII

DE MOTU LOCALI ANGELORUM

SUMMA LITTERÆ

SEQUITUR TERTIA COMPARATIO ANGELORUM ad rem corpoream tamquam ad rem motam. Agendo enim de loco Angeli, oportebat agere de motu, quo et loca mutant, et se movent et corpora. — Inquirit autem tria.

In primo articulo, an possit Angelus moveri localiter; et respondet posse. Modum autem movendi dicit proportionari debere modo exsistendi in loco : sicut enim est in loco per contactum virtutis, ita et movetur penes diversos contactus suæ virtutis ad loca. Unde[1] non habent divisibilitatem ex parte Angeli, sed ex parte locorum quæ tangit; qui contactus si sint continui ex parte locorum, dicetur continuo moveri in loco; si vero sint discreti, ita ut totus locus simul deseratur, et alius acquiratur, dicetur motus discretus.

In articulo secundo inquirit utrum Angelus moveatur transeundo per medium; respondet quod si movetur motu continuo, impossibile est quod transeat ad extremum nisi per medium; si vero movetur motu discreto, potest moveri de uno ad aliud non transeundo per medium : quia non alligatur legibus loci et commensurationi illius, cum non contineatur a loco, sed contineat illum.

In tertio articulo inquirit an motus Angeli sit in instanti; et respondet non posse, sive moveatur motu discreto, sive continuo : eo quod in uno *nunc* seu in uno instanti non potest esse motus, si toto tempore ante quievit mobile, sed oportet quod nunc aliter se habeat, quam ante, si vere movetur. Ubi autem sunt plura *nunc*, est tempus : sive discretum, si illa plura instantia non continuentur partibus intermediis : sive continuum, si continuentur. Ergo omnis motus Angeli in instanti non est.

(1) Supple : *Unde* [*contactus*] *non habent*... || Aut, fortasse, alio modo supplendum : *Unde* [*motus*] *non habent*...





DISPUTATIO XL

DE LOCO ET MOTU ANGELORUM

ARTICULUS I

Quæ sit in Angelo ratio exsistendi in loco.

1. DUPLEX in philosophia solet distingui locus : alter intrinsecus rei locatæ, qui abusive dicitur locus, proprie autem est *ubi;* alter extrinsecus, qui est ipsum corpus seu superficies externa, cui assistit locatum in aliquo spatio : et ex tali coexsistentia ad illud corpus, a quo circumdatur, resultat in locato ille modus qui dicitur *ubi*, qui est ipsa præsentia formalis qua res adstat ipsi corpori locanti in tali spatio, et circumdatur seu ubicatur ab illo in tali distantia. — *Quare tria concurrunt ad hoc quod aliquid sit in loco.* Primum est ipsum subjectum, seu substantia rei quæ ponitur in loco. Secundum est ratio illa per quam res tangit locum cui adstat, seu ab illo ubicatur et conjungitur illi in aliqua distantia : sicut corpora ratione quantitatis replent et tangunt locum, quatenus illi commensurantur. Tertium est ipsa præsentia seu *ubi*, quod est modus quidam resultans in re locatâ ex eo quod adstat loco, et conjungitur in tali distantiâ illi. Et hic modus seu *ubi*, vel præsentia, est id quod acquiritur vel deperditur per motum : non enim per motum localem acquiritur subjectum seu substantia quæ est in loco, nec quantitas seu ratio tangendi locum, sive sit quantitas molis, sive virtutis : hæc enim per motum localem non variatur; sed id quod acquiritur vel perditur per motum est præsentia ipsa et *ubi*.

2. *In præsenti non est difficultas* de primo, scilicet de subjecto exsistente in loco : nullus enim dubitat substantiam Angeli præsentem fieri loco, vel absentem, tamquam subjectum seu res quæ est in loco, vel movetur aut removetur a loco; non autem sola operatio vel effectus Angeli dicitur esse in loco, aut Angelus ratione illius, ita quod sua substantia abstrahat a loco, id est, loco præsens non sit. De hoc dubium esse non potest : vere enim substantia Angeli movetur de loco ad locum ut infra * ostendemus tractantes de ipso motu Angeli. Et est expressa sententia S. Thomæ : quia, ut docet (III P. q. 52, a. 2), anima Christi Domini descendit ad limbum patrum per suam realem præsentiam et substantiam, ad infernum autem damnatorum per suos effectus; alias non vere descenderet, si secundum suam substantiam eo non accederet. — Unde Durandus * non bene audit, qui ausus est negare animam Christi ad inferos descendisse secundum suam realem substantiam, sed (1) secundum effectus tantum : quem late impugnat Cajetanus (loco citato IIIæ Partis *), et ibidem Suarez (disp. 43 **, sect. 2), et nos diximus (in lib. *de Anima*, q. 12, art. ultimo ***). — Sic enim semper intellectum est ab Ecclesia illud verbum symboli de vero et proprio descensu ad inferos, secundum substantiam animæ : non vero quod anima Christi dicatur mansisse in terra, et solum descendisse ad inferos metaphorice, quia ibi effectum aliquem operata est : hac enim ratione posset etiam dici quod tunc non solum descendit ad inferos, sed etiam quod adscendit ad cælos in illo triduo, vel quod iverit ad paradisum terrestrem, vel in Jerusalem aut ad alia loca, in quibus operabatur anima Christi in illo triduo aliquos effectus sicut in inferno. Dicitur ergo specialiter descendisse

* art. 4, præsertim in initio

* III, D. 22, q. 3, nn. 6, 9, 11

* III P. q. 52, a. 2, n. 4 sqq.
** de Incarn., Pars II, disp. 43
*** RE III, 422 *b*-423 *a*

(1) Supple : *sed [dixit descendisse] secundum* ‖ Vide tomi Præfationem, cap. III, art. 2, § 3, n. 1, b).

ad infernum, quia ibi præsentiam suam posuit. Eodem autem genere motûs movetur Angelus, quo anima separata; et multo melius, quia perfectior substantia est et activior quam anima, et sic per motum potest substantiam suam movere mutando locum et præsentiam quam habet : quia, ut dicit S. Thomas (loco citato III^æ Partis, art. 1 ad 3), « anima Christi descendit ad inferos eo genere motûs quo Angeli moventur, ut in I^a Parte dictum est. » Sentit ergo quod moventur Angeli, et consequenter exsistunt in loco, vel mutant illum, applicando illi præsentiam suam et substantiam. Et in hoc sensu non controvertitur ista quæstio : immo in hoc sensu videtur damnata opposita sententia, quæ asserit substantiam Angeli non esse in loco, aut non mutare locum (quæ non est D. Thomæ), inter articulos (1) quosdam Parisienses quos refert Henricus (quodlib. 2, q. 9 *) et ex eo Suarez (lib. IV de Angelis, c. 4).

III P. q. 52, a. 1, ad 3

* fol. 36v (ed. Paris. 1518)

3. *Secundo, non est difficultas* aliquam præsentiam seu modum dari quem acquirat Angelus in loco : quia movetur intrinsece in sua substantia, et non solum secundum aliquem effectum extrinsecum, ipsâ substantiâ immobili permanente; de qua præsentiâ seu modo plura dicemus (art. 4 *) agentes de motu Angeli. Convincitur enim dari istum modum seu præsentiam intrinsecam in Angelo, quia præsentia Angeli ad locum est mutabilis, quæcumque illa sit, et per motum localem Angeli acquiritur aliqua præsentia et amittitur alia : quia duæ præsentiæ simul in eodem loco inveniri non possunt, et multo minus eadem præsentia pro duobus locis; ergo modus præsentiæ per modum termini motûs, quo formaliter Angelus in se denominatur præsens, nullo modo negari potest. Quæ præsentia superaddita est ipsi substantiæ Angeli, et rationi formali qua contactum habet ad locum : sicut anima nostra præter rationem formalem informandi corpus, quæ est ratio causæ formalis, habet rationem præsentiæ seu unionis ad corpus, et mediante illo ad locum corporis. In Angelo autem clare apparet quod substantia et virtus Angeli manet eadem, præsentia autem mutatur per motum : sicut in corporibus perditur et acquiritur *ubi* modificans ipsum corpus, permanente eâdem substantiâ et quantitate, quæ est ratio contactûs corporei. — Nec dici potest, quod hoc *ubi* seu præsentia est in loco intrinsece, et in Angelo extrinsece. Quia locus non movetur, sed Angelus; ergo si intrinsece movetur, intrinsece habet mutatum esse : ergo (2), et præsentiam. Hæc enim acquiritur per motum localem. Est autem illa præsentia in se spiritualis ex parte subjecti, et terminative divisibilis ex parte rei quam tangit, ut (in fine articuli *) dicemus : quia ista præsentia non est commensurationis ad corpus, sed continentiæ et superioritatis ad ipsum. Unde ex parte suâ spiritualis et superior esse debet, et consequenter indivisibilis, in subjecto in quo est, scilicet in Angelo; ex parte autem effectuum et termini attacti potest esse divisibilis.

* n. 5 sqq.

* infra, n. 54

4. Quare qui dicunt Angelum esse in loco per *ubi*, seu per modum præsentiæ superadditum substantiæ, verum dicunt, nec contra sententiam D. Thomæ : nam etiam D. Thomas admittit *ubi* angelicum, quod vocat diffinitivum (opusc. XLVIII *, tract. *de Ubi*, c. 1 **) : ut infra *** latius videbimus. Multi autem difficultates istas confundunt, et existimant illos qui dicunt Angelum exsistere in loco per operationem, seu contactum virtutis, negare quod Angelus sit in loco per *ubi* intrinsecum : quod etiam illis videtur tribuere P. Suarez (lib. IV de Angelis, c. 2 *). Sed nihil minus illi dicunt : sicut enim qui dicit corpora esse in loco per quantitatem, non negat esse per *ubi* intrinsecum, quia quantitas est ratio formalis contactûs rei ad corpus immediatum a quo ambitur vel locatur : ita qui dicit Angelum esse in loco per quantitatem virtualem, quæ tangit rem sibi immediatam, non per commensurationem quantitatis ad quantitatem, sed per virtutem operantem, non negat (3) præsentiam formalem, quæ motu ipso acquiritur vel deperditur, licet ipsa virtus non perdatur aut acquiratur : sicut quantitas in corporibus non acquiritur vel amittitur per motum localem, sed solum ipsa præsentia localis seu *ubi*, quod acquiritur per motum, et resultat ex positione in tali spatio et circumscriptione corporis ambientis. In Angelis autem non potest resultare ex circumscriptione corporis adjacentis, in cujus spatio ponitur præsens : sed oportet inquirere aliam rationem formalem, quæ sit fundamentum illius *ubi* seu præsentiæ, quam

* *Summa totius logicæ*
** alias : tract. 6, c. 10
*** n. 29-54

* n. 2; cf. Metaph. disp. 51, sect. 3

(1) Opinio 204a, inter 219 a Stephano Tempier, episcopo Parisiensi, damnatas die 7 Martii 1277, ejus modi est : « Quod substantie separate sunt alicubi per operationem; et quod non possunt moveri ab extremo in extremum, nec in medium, nisi quia possunt velle operari aut in medio, aut in extremis.— Error, si intelligatur, sine operatione substantiam non esse in loco, nec transire de loco ad locum » (Denifle-Châtelain, *Chartul. Universit. Paris.*, t. I, p. 554).

(2) Intelligito : *ergo [intrinsece habet] et præsentiam.*

(3) Ita bene corrigit L ‖ MCP *negant.*

motu suo Angelus acquirit vel amittit, quidquid illud sit.

5. REDUCITUR ERGO PUNCTUS DIFFICULTATIS ad assignandum fundamentum hujus *ubi* seu præsentiæ localis in Angelo, et rationem formalem habendi contactum cum corporibus : ex modo enim quo Angelus contactum potest habere cum corpore, dependet modus habendi præsentiam localem ad ipsa corpora, et consequenter acquirendi præsentiam localem in ipso corpore : quia hæc ex contactu nascitur. Cum enim Angelus sit substantia indivisibilis, et tamen possit tangere rem divisibilem corpoream et ejus spatio correspondere, difficile apparet modum hujus præsentiæ et fundamentum ejus assignare. Licet enim anima nostra spiritualis sit, et corpori quantitativo uniri possit, tamen non correspondet spatio immediate per seipsam, sed mediante corpore sibi unito; et similiter etiam corpus Christi sacramentatum non correspondet loco et spatio nisi mediantibus speciebus accidentium, quibus colligatur et sub quibus continetur. Angelus autem, cum sit spiritus non unitus corpori, valde difficile percipitur quomodo possit immediate correspondere corpori, ita quod in se sit modo indivisibili, et tamen correspondeat rei divisibili.

VARIÆ SENTENTIÆ.

6. Mirum est, quantum in hac parte auctores inter se disconveniant : PRINCIPALES tamen SENTENTIÆ AD QUATUOR PRÆCIPUAS REDUCUNTUR.

7. *Prima* affirmat Angelum esse in loco ratione suæ substantiæ, et per suam voluntatem : quia voluntas est causa effectiva qua Angelus ponitur in loco, substantia autem ratio formalis; nec alia forma quærenda est, qua reddatur præsens loco, sicut quantitas in corporibus per seipsam est in loco immediate : substantia autem Angeli per seipsam habet id quod quantitas in corporibus.— Hæc est sententia Scoti (in II, D. 2, q. 6*), Bonaventuræ**, Gabrielis***, Gregorii† et aliorum. — Omitto opinionem Durandi qui (in I, D. 37, q. 1††, circa 2[am] partem distinctionis) tenet quod Angelus est præsens omni corpori quod potest movere, non quidem per suam substantiam vel operationem, sed per ordinem ad illa : ita quod illud, quod est situatio in corporibus, est ordo in Angelis. Moveri autem Angelum dicit, non per suam substantiam [(1)], sed per suos

* maxime n. 11 sqq.
** II, D. 2, pars 2, a. 2, q. 1 et q. 3
*** II, D. 2, q. 2, a. 2, concl. 3-4
† II, D. 2, q. 2, a. 2
†† nn. 26-39

effectus, seu quoad manifestationem : quod fit per operationem Angeli circa locum, ut inquit (ibidem, q. 2*).

* n. 3

8. *Secunda sententia* est quod Angeli exsistunt in loco per contactum virtutis, id est, per virtutem ut operantem circa corpus. — Quæ sententia communis est inter Thomistas, ut fundatur in D. Thoma qui id ita affirmat (in hac q. 52*, a. 1; et locis postea ** citandis). Sed dividuntur in ea explicanda auctores. Quia aliqui dicunt Angelum esse in loco per ipsam formalem operationem, qua operantur [(2)] in corpore : ut Ferrariensis (III *Contra Gent.* c. 68), Ægidius* et alii, qui videntur ipsum *ubi* seu præsentiam Angeli ponere non pertinentem ad ordinem essendi, sed ad ordinem operandi, ac proinde non distingui formaliter ab ipsa operatione seu contactu virtutis : ut exsistimant Carmelitani Salmanticenses (tract. 7 de Angelis, disp. 2, dub. 5, assert. 2). Alii vero dicunt Angelum esse in loco per aliquid antecedens operationem, et ad instar operationis se habens, scilicet per applicationem virtutis suæ ad inchoandam operationem ex aliquo corpore : ita attribuitur Cajetano (in præsenti, q. 52, a. 1), de cujus tamen mente statim* dicam, Capreolo**, Argentinæ*** et aliis pluribus quos citant P. Suarez et Vazquez statim† citandi.

* I P. q. 52, a. 1
** infra, nn. 14, 16, 31-2
* I, D. 37, 2ª pars dist., q. 1 et 2, cf. II, D. 8, q. 2. a. 4

9. *Tertia sententia* est quod Angeli sunt in loco per aliquam formam sibi superadditam antecedenter ad eorum operationem, quæ immediate recipitur in ipsa substantia; quæ forma non est aliud quam modus seu præsentia aut *ubi* angelicum, quod est sibi formalis ratio exsistendi in loco; nec aliam assignat rationem formalem, quæ sit fundamentum hujus præsentiæ seu *ubi* et formalis ratio contactûs : in quo valde ab ipso [(3)] differimus. Hoc autem *ubi* seu præsentia est modus quidam intrinsecus, cum connotatione seu dependentiâ ad spatium determinatum divisibile, licet ex parte subjecti indivisibilis sit : et ita variato spatio, quod connotat tamquam terminum, variatur iste modus seu præsentia intrinseca : et hoc fit ad voluntatem Angeli. Et quia connotat seu respicit determinatum spatium, dicitur præsentia diffinitiva, id est, determinata ad tale spatium; et consequenter potest ratione talis determinatæ præsentiæ habere propinquitatem et distantiam, etiam sine interventu corporum quibus coexsistunt [(4)]. — Ita P. Suarez

* infra, n. 30
** II, D. 2, q. 1, a. 1, concl. 1
*** I, D. 37, q. 1, a. 2, ad 1[m] contra concl. 1
† infra, n. 9-10

(1) Male omnes : *substantiam, et per*... ‖ Durandi sententia favet nostræ emendationi.

(2) Sic omnes ‖ Subaudiendum : *Angeli*.

(3) Sic omnes ‖ Legendum censemus : *ab ipsa*.

(4) Sic omnes, forte subintelligendo : *Angeli* ‖ Melius legeretur : *coexsistit*.

(lib. IV de Angelis, c. 2 et 3, et c. 7 et 8; et antea eam explicuerat in Metaph. disp. 51, sect. 3 et 4). Eademque est sententia Molinæ (super hanc q. 52, a. 1, disp. 1, memb. 5 *); Arrubal (disp. 154, c. 3); Granados (tract. 9, disp. 3, sect. 2), et aliorum recentiorum.

* IP 1640-4

10. *Quarta sententia* est Angelum non posse esse præsentem in spatio nisi mediante aliquo corpore cui uniatur. Et in hoc convenit cum anima rationali, quæ etiam non potest esse præsens loco et spatio nisi mediante corpore cui unitur. Neque corpus Christi sacramentatum est præsens spatio nisi mediantibus speciebus quantitativis, quibus unitur. Ita Angelus non redditur præsens loco per seipsum immediate, sed mediante unione ejus ad corpus. Sed quia ista unio Angeli non est informativa sicut animæ, nec sacramentalis sicut corporis Christi ad species, restat quod sit unio operativa : quatenus Angelus per operationem aliquam circa corpus producit modum quemdam spiritualem in seipso, per quem unitur corpori : cui sic unitus redditur præsens loco, ubi est corpus. — Ita P. Vazquez (hîc, disp. 188, c. 7; et 195, c. 4), quem latissime impugnat Suarez (ubi * supra, c. 6). Et sententiam Vazquez sequitur Alarcon (tract. 6 de Angelis, disp. 6, cap. 5 et 6); qui cum (in cap. 2 **) retulisset sententiam Thomistarum, qui dicunt Angelum esse in loco per operationem transeuntem et contactum virtutis, in eamque efferatus falsam esse censeret, immo risu * quodam exciperet eorum responsionem, qui dicunt operari Angelos in aliquibus corporibus aliquas qualitates occultas : mitior tamen factus (in cap. 5) docet operationem istam transeuntem in corpus vel applicationem virtutis, quam philosophi et theologi antiquiores posuerunt pro præsentia Angelorum ad locum, venerandam, et sequendam esse sentit, quia sic conducit ad opinionem P. Vazquez : non ut Angelus per operationem vel applicationem virtutis habeat rationem contactûs, ut dicunt Thomistæ, sed ut Angelus per talem operationem producat illam unionem ad corpus, qua mediante exsistat in loco, ut dicit Vazquez.

* lib. IV de Ang., c. 6

** n. 1-2

* Alarcon, ibid., n. 3-4

RESOLUTIO EX MENTE D. THOMÆ.

11. **DICO PRIMO : Absolute loquendo Angeli sunt in loco.** — *Hæc conclusio simpliciter pertinet ad fidem.* Unde D. Thomas (in I, D. 37, q. 3, a. 1) dicit esse hæreticam opinionem quorumdam philosophorum dicentium quod Angeli vel intelligentiæ nullo modo sunt in loco. Dicit autem D. Thomas esse hæreticam, quia secundum fidem nostram ponimus Angelos immediate circa nos operari. Et hoc constat de fide ex pluribus locis Scripturæ, in quibus referuntur aliquæ actiones Angelorum factæ immediate circa nos, et movendo se de loco ad locum, sicut (Gen. XVIII, 16, 22 et XIX, 1) dicitur Angelos venisse ad Abraham et Loth; et (Judic. II, 1) dicitur : *Angelum adscendisse de Galgalis ad locum Flentium;* et (Tob. VIII, 3) dicitur quod *Raphael Angelus apprehendit dæmonium, et religavit illud in deserto superioris Ægypti;* et (Apo. XII, 8) dicitur de diabolo et angelis ejus : *Neque locus inventus est eorum amplius in cœlo;* et (infra *) : *Et projectus est in terra, et angeli ejus cum eo missi sunt;* et (Luc. X, 18) : *Videbam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem.* — Idem communiter docent Patres : ut Nazianzenus *, relatus a D. Thoma (loco citato, D. 37 **); Athanasius (in epist ***. ad Serapionem); Basilius (de Spiritu S. c. 16 †); Gregorius (lib. II Moral. c. 2 ††; et homil. 24 ††† in Evangel.); Damascenus (lib. II de Fide, c. 3 *; et lib. I, c. 17 **).

* Apo. XII, 9

* rectius : Nemesius; PG 40, 601 A
** I, D. 37, q. 3, a. 1
*** ep. I, n. 26; PG 26, 592-3
† n. 38; cf. c. 23; PG 32, 137 A; 168
†† c. 3; PL 75, 556-
††† hom. 34, n. 12-13; PL 76, 1254-5
* PG 94, 869
** c. 13; PG 94, 852-3

12. ET RATIO EST MANIFESTA : Quia Angeli non sunt ubique, sed moventur, habentque propinquitatem et distantiam et etiam contactum ad corpora (ut patet ex multis operationibus Angelorum, quæ in prædictis locis Scripturæ et in aliis referuntur), et quia spirituales substantiæ ex naturâ suâ operativæ sunt circa corpora, illaque possunt regere ac movere : id enim non repugnat spirituali substantiæ, cum videamus animam nostram esse spiritualem et uniri corpori, illudque regere ac movere; ergo Angeli, qui sunt perfectiores spiritus, multo melius poterunt corpora movere eaque tangere, non quidem informando sicut anima, neque contactu quantitatis (quia carent illâ), sed contactu alicujus virtutis vel spiritualitatis, qua supra ipsa corpora operari possunt. Sed hoc ipso quod possunt uniri corpori vel juxta illud poni aut tangere, et ab illo recedere et distare, oportet quod dicant præsentiam vel absentiam ad locum in quo est tale corpus. Ergo Angelis convenit esse in loco.

13. *Ex quo colliguntur duo.* — Primum est, quod Angelis debet convenire causa effectiva, qua ponantur in loco vel ab eo recedant : quæ est voluntas, cum sufficienti potestate ad immutandum corpora et movendum se circa illa, vel accedendo, vel recedendo; alias essent Angeli

substantiæ immobiles, et cum non sint ubique, non possent operari in diversis locis, ad quæ esset opus accedere vel recedere. An vero ista potestas effectiva sit ipsa voluntas cum imperio practico intellectûs, ita quod per actum immanentem moveat corpora : an vero per virtutem superadditam, quæ sit vis motiva distincta ab intellectu et voluntate : postea attingetur; de quo etiam diximus in lib. *de Anima* (q. 12, a. 7 *, in fine), et supra (disp. 11 **) tractando de potentia Dei activa.

* RE III, 425
** nunc disp. 31, a. 2 (supra, t. III, p. 592-6)

14. Secundum est, quod Angeli non possunt esse in loco eo modo quo sunt corpora : quia ista exsistunt in loco tamquam commensurata illi juxta mensuram quantitatis ad quantitatem, seu ad superficiem corporis locantis; unde sunt contenta in loco tamquam mensuratum sub mensurâ quantitativâ. Angeli autem carent quantitate, et consequenter omni tali commensuratione, sed solum debent esse in loco tamquam aliquid superius et independens ab illo, non ut commensuratum illi : sicut anima nostra est in corpore, et sicut ipsum corpus Christi hoc ipso quod est in sacramento non modo quantitativo, sed ad modum rei spiritualis, non est ibi tamquam in loco eo modo quo corpora, sed longe diverso, ita Angeli longe alio modo sunt quam res corporeæ in loco. Et ita esse in loco non potest unicum et univocum modum significare pro Angelis et pro corporibus. Et hac ratione D. Thomas frequenter dicit quod Angelus est in loco æquivoce ac [1] corpus (ut patet in hac q. 52 *, a. 1; et q. 53, a. 1; et in I, D. 37 supra citata, ubi id confirmat ex Nazianzeno **).

* I P. q. 52, a. 1
** Nemesio; cf. supra, n. 11, circa finem.

15. **DICO SECUNDO : Substantia Angeli, secundum se et remotâ operatione, non est formalis et immediata ratio contactûs angelici ad locum, neque immediatum et proximum fundamentum præsentiæ localis : sed solum radicale principium, in quantum est radix operationis et virtutis. Per seipsam autem illa substantia non est quantitas virtualis.**

16. *Hæc conclusio est expressa D. Thomæ* in locis quæ postea * citabimus : ubi docet Angelum esse in loco per contactum suæ virtutis et operationis. Constat autem quod virtus Angeli et ejus operatio non est ejus substantia et esse, ut docet S. Thomas (infra, q. 54, a. 2). Specialiter autem pro ista conclusione, quatenus negat substantiam Angeli esse rationem unionis et præsentiæ Angeli ad corpus, ponderari potest locus D. Thomæ (infra, q. 76, a. 6 ad 3) ubi ponit hanc differentiam inter animam et Angelum, quod Angelus « unitur corpori solum ut motor [2], et ideo unitur ei per potentiam vel virtutem; anima autem intellectiva unitur corpori ut forma per suam essentiam ». Intelligit ergo D. Thomas quod ratio, qua Angelus est in corpore, non est substantia, sed virtus qua movet corpus. Qua ratione etiam hoc excludit (in I, D. 37, q. 3, a. 1) dicens quod Angelus non est secundum formam in re locali, quia non est actus corporis. — Nec D. Thomas agnoscit quod ipsa substantia Angeli sit quantitas virtualis : quia quantitatem virtualem semper ponit in Angelis ratione virtutis operativæ : quia id quod in corporibus est quantitas dimensiva, in Angelis dicit esse virtutem operativam, ut constabit ex locis postea * citandis.

* infra, n. 31-32
I P. q. 54, a. 2
I P. q. 76, a. 6
* infra, n. 31-2

17. FUNDAMENTUM HUJUS CONCLUSIONIS EST : Quia contactus Angeli, et præsentia ejus ad corpus, est aliquid accidentale in Angelo et variabile : quia potest modo esse in uno loco, modo in alio, et modo esse in majori, modo in minori corpore, multo melius quam anima rationalis, quæ aliquando informat parvum corpus, aliquando majus, illique assistit. Ergo non potest talis præsentia et contactus fieri immediate per ipsam substantiam Angeli. — Patet consequentia : quia unio seu contactus accidentalis non potest fundari immediate in ipsa substantia in quantum substantia est. Quia substantia non potest uniri alteri rei nisi tamquam substantia incompleta (scilicet forma aut materia), vel tamquam completa (scilicet ut subjectum vel ut efficiens) : quia omnis ista conjunctio debet esse in aliquo genere causæ, et non est causalitas substantiæ præter istas. Primo modo non potest uniri Angelus corpori et illud tangere : tum quia est substantia completa; tum quia nec est forma corporis, nec ejus materia. Secundo modo non unitur tamquam subjectum corpori, cum corpus non sit ejus accidens. Ergo unitur et tangit ut efficiens et agens : ergo mediante virtute et operatione, non per substantiam suam. — Item, substantia in suo esse substantiali semper manet eadem in Angelo; ergo non potest esse ratio exsistendi modo diverso in loco seu commen-

(1) Id est : *non eodem modo ac corpus.*
(2) Ita bene correxerunt LC, cum edd. D. Thomæ ‖ Prave MP habent : *ut motori.*

suratione ad alterum, ut modo sit in loco majori et modo in minori, sine aliquo superaddito quo ista variatio fiat : nam et corpus ipsum non tangit locum per suam substantiam, sed per quantitatem.

18. *Dices :* Substantiam Angeli secundum se non habere istam variationem, sed secundum diversam applicationem suæ voluntatis, qua ad determinatum locum applicari potest, aut ad alium determinari. Et juxta diversam determinationem potest applicari majori vel minori loco, magis vel minus adæquato sibi. Sicut etiam anima rationalis per suam substantiam immediate informat corpus, et potest modo informare corpus majus, modo minus; non tamen sequitur quod ista unio et præsentia fiat mediante aliquo accidente, sed per ipsam animam immediate solum, supposità diversà dispositione corporis. Et eadem ratione corpus Christi sacramentatum potest modo uniri majoribus, modo minoribus speciebus juxta quod tales species illi applicantur, et juxta voluntatem consecrantis vel dividentis species.

19. *Sed contra est :* quia si substantia Angeli per se immediate est ratio exsistendi in loco, non juxta dispositionem loci cui unitur, sed juxta suam voluntatem, necesse est quod ipsa ratio formalis exsistendi in loco, et tangendi, sit per seipsam capax hujus inæqualitatis, non autem solum id reducatur ad voluntatem Angeli ut ad rationem formalem : quia ista voluntas solum est applicativa, et per modum causæ efficientis se habet in constituendo Angelum in loco. Nam si se haberet per modum causæ formalis, hoc ipso incideretur in sententiam D. Thomæ, quod Angelus esset in loco per operationem suæ virtutis. Quare voluntas Angeli solum effective et applicative se habet ad talem contactum; supponit ergo rationem formalem per quam contactus fiat. Si ergo contactus inæqualiter fieri potest juxta applicationem ipsius Angeli, nunc in magis, nunc in minus, necesse est quod ipsa substantia Angeli non sit immediata ratio ponendi in loco : quia substantia in se est una et ejusdem rationis, nec potest magis vel minus habere ex ipsa ratione substantiæ : et sic applicatio illius non potest esse nisi juxta naturam ejus, quæ semper est una.

* supra, n. 18, *Sicut etiam*
20. Exemplum* autem de anima rationali, et de corpore Christi sacramentato, non quadrat. Quia anima rationalis non est pro libito suo in majori vel minori corpore; unde non indiget ratione formali subordinatâ ipsi voluntati, et applicabili ab ipsa ad diversam materiam et locum; sed ista unio animæ est naturalis, juxta quod materia apponitur ipsi formæ cum dispositionibus requisitis ut informetur ab illa. Et sic, prout major vel minor materia illi apponitur, ipsa magis [1] vel minus corpus informat eique assistit et unitur : quia unio illa est per modum substantiæ incompletæ informantis, non ut substantiæ completæ tangentis sicut Angelus. Et similiter corpus Christi* ponitur sub speciebus juxta modum materiæ consecrabilis, ita quod sub tantis speciebus continetur corpus Christi, quanta fuerit materia quæ ibi apponitur consecranda et convertenda in corpus Christi. Quare utraque præsentia, tam animæ rationalis quam corporis Christi, potest fieri immediate per substantiam sic indivisiliter [2] se habentem, et tamen esse ad majorem vel minorem quantitatem corporis vel specierum : quia hæc præsentia non habetur per positionem et coaptationem ipsius animæ ad corpus, vel corporis Christi ad species, sed per conjunctionem ipsius materiæ vel uniendæ et informandæ ab anima, vel consecrandæ et convertendæ in corpus Christi : et juxta diversam quantitatem ipsius materiæ sic unitæ vel conversæ dicitur esse anima vel corpus Christi in majori vel minori quantitate, præsentiâ quâdam per accidens in ipsa anima, resultante ex unione substantiali quæ potest esse ad majus vel minus, non ex se aut per contactum proprium, sed ex quantitate materiæ sibi unitæ, vel consecratæ. At vero Angelus opposito modo procedit : nam, etiam stante eadem quantitate corporis non sibi uniti, substantialiter potest contactu suo attingere et applicari magis vel minus, in majori vel minori quantitate corporis; ergo oportet quod ratio formalis hujus contactûs non sit substantia unibilis in vi substantiæ, sed in vi alicujus accidentalis virtutis plus vel minus applicabilis.

* cf. supra, n. 18, *Et eadem*

21. DICO TERTIO : Sententiæ Suarez et Vazquez supra* relatæ non explicant sufficienter præsentiam Angeli in loco, et rationem formalem exsistendi in illo.

* n. 9-10

22. ET QUIDEM SENTENTIA P. SUAREZ, quæ est etiam Molinæ, explicat quidem formam ipsam *ubi* intrinseci, quo Angelus formaliter redditur

(1) Sic omnes || Forte legendum : *majus*.
(2) Male omnes : *invisibiliter* || Cf. infra, n. 85, *Tertio*; n. 38, in fine; n. 54.

præsens loco; non tamen explicat fundamentum istius præsentiæ, et rationem formalem habendi contactum ad corpora et loca quibus Angelus assistit. — Sine contactu autem non potest explicari, quomodo et qualis sit illa præsentia angelica, et in quo distinguatur a præsentia corporali. Nam quod Angelus habeat præsentiam ad loca in quibus est vel ad quæ movetur, nulli dubium esse potest; sed tota difficultas est in explicando modum quo ista præsentia ponitur, et distinguitur a præsentia corporali. Quod sine aliqua ratione contactûs intelligi non potest : quia juxta modum habendi contactum erga alias res variatur modus habendi præsentiam. Sicut alio modo habet præsentiam unum corpus ad alterum per quantitatem, qua illi commensuratur : alio modo anima rationalis, quæ habet contactum ad corpus informando : alio modo spiritus increatus per immensitatem : alio modo spiritus creatus per contactum virtutis, non molis, nec quantitatis. Ergo oportet explicare in quo consistat ille diversus contactus, et diverso modo factus ab uno et ab alio, ratione cujus illa diversa præsentia resultat. Itaque hæc sententia in eo est diminuta, quia explicat præsentiam seu *ubi* in Angelo, sed non contactum erga corpora : cum tamen non possit explicari unum sine altero, quia præsentia localis seu *ubi* resultat ex aliqua conjunctione ad locum, et hæc conjunctio sine contactu non fit.

23. Et præterea, quia Angelus potest agere in corpora, et movere illa de loco ad locum, et movere se in talibus locis et corporibus; ergo oportet quod habeat aliquem contactum ad talia corpora in quæ agit, et habendo contactum habet præsentiam; ergo non sufficit explicare exsistentiam Angeli in loco per hoc solum quod habeat *ubi* seu præsentiam ad locum, sed etiam oportet explicare quomodo habeat contactum sine quo non est præsentia. — Denique, *ubi* est modus exsistendi in loco, qui resultat ex accessu et conjunctione rei locatæ cum loco, quæ conjunctio per aliquem contactum vel unionem fit : in corporibus quidem per contactum circumscriptivum, quo tangitur et commensuratur una quantitas alteri; in animâ autem nostrâ erga corpus per informationem; in corpore Christi sacramentato per colligationem cum speciebus, quatenus continetur sub illis loco substantiæ conversæ; ergo etiam in Angelo oportet assignare modum habendi contactum et conjunctionem cum corpore, ut resultet *ubi*. Ponere autem *ubi* seu modum præsentiæ non resultantem ex conjunctione ad corpus et ad locum, est tollere rationem *ubi*, et aliam rationem præsentiæ inducere quæ non est præsentia localis seu *ubi*; et ideo sine explicatione contactûs Angeli insufficiens est sententia quæ solum explicat hanc exsistentiam seu contactum in loco per præsentiam in loco : nihil enim aliud est *ubi* quod ponit Suarez, quam præsentia in loco.

24. Secunda pars conclusionis contra sententiam Vazquez imprimis probatur : Quia multum derogat perfectioni angelicæ, quod ad exsistendum in loco dependeat ex unione ad corpus. Quod graviter reprehendit D. Thomas (q. 3 *de Potent.* a. 19) ubi inquit : « Quidam antiqui dixerunt quod illud, quod non est in loco, non est : ut in IV *Physicorum* * dicitur. Et ex simili errore quidam moderni dixerunt quod Angeli absque creatura corporali esse non possunt, intelligentes Angelos tamquam ea quæ imaginaverunt situaliter distincta; quod quidem præjudicat sententiæ antiquorum qui Angelos ante mundum fuisse posuerunt. Præjudicat etiam dignitati angelicæ naturæ : quæ, cum naturaliter sit prior quam creatura corporalis, nullo modo a creatura corporali dependet. » Ita D. Thomas. Ergo in sententia Vazquez, in qua Angelus non potest per seipsum assistere loco nisi prius uniatur corpori, præjudicatur dignitati angelicæ : quia non potest per seipsum, independenter a corpore seu unione ad corpus, præsens esse alicui loco.

* c. 1 (BK 208 *a* 29-30)

25. *Deinde,* quia Angelus ex se, et non ratione corporis adjuncti, est forma activa et motiva corporum immediate (sicut patet quod Angeli movent cælos, et ipsa corpora possunt assumere et immutare illa) : naturaliter enim natura corporalis regitur per spiritualem, ut sæpius * ex Augustino ** docet D. Thomas; ergo oportet quod Angelus seipso, et non solum ratione corporis adjuncti, possit assistere ipsi corpori, et movere illud, et movere seipsum : ergo etiam mutare locum, quia motus localis circa locum est; et sicut forma spiritualis informans (quæ est anima rationalis) habet per se immediatam habitudinem ad corpus, ita forma spiritualis activa et motiva corporum debet habere immediatam habitudinem ad corpus quod potest movere. Ergo per seipsum Angelus, et non mediante corpore sibi unito, potest præsens vel absens reddi alicui corpori seu loco. — Confirmatur hoc : quia omnis unio supponit extrema unibilia, id est, habilia et apta ut uniantur, et sic oportet quod ipsa unio fiat inter

* v. g. I P. q. 110, a. 1; III *Contra G.*, c. 79 et 83
** III de Trin., c. 4; PL 42, 873; VIII de Gen. ad lit., c. 23-5; PL 34, 390-1

extrema secundum aliquam proportionem quam habent inter se : sicut uniuntur aliqua tamquam forma et materia, actus et potentia, vel tamquam agens et passum, vel ut duæ quantitates contiguæ et commensuratæ. Oportet ergo explicare qualis sit ista unio Angeli ad corpus, et in quo fundetur, non autem solum in communi dicere quod per unionem ad corpus est in loco. Potest enim hæc unio bene vel male explicari, aut nihil de illa explicari. Si enim est per modum formæ et materiæ, aut quantitatis vel partium se commensurantium, est falsa : cum nihil tale sit inter Angelum et corpus. Si est unio causæ agentis et operantis ad passum, mediante operatione, est nostra sententia. Si nihil horum dicit, nihil est.

26. *Denique* hæc sententia, ponendo istum modum unionis, *incidit in sententiam quam vult evitare* et impugnare, scilicet quod Angelus exsistat in loco per contactum et operationem virtutis. Nam ideo auctores oppositi negant rationem formalem præsentiæ angelicæ esse operationem, quia ad operationem requiritur simultas seu conjunctio operantis cum passo; sed ille modus, quo Angelus unitur loco, consequitur ad operationem Angeli, quia scilicet per voluntatem suam producit illum modum unionis ad corpus, mediante quo substantia Angeli unita corpori exsistit in loco; ergo non potest ille modus unionis esse ratio formalis Angelo exsistendi in loco. — Patet consequentia : quia ante illum modum requiritur operatio productiva illius, et unitiva ad talem locum; ergo præcedit simultas seu conjunctio Angeli agentis, seu producentis modum illum, respectu corporis in quo illum producit : ergo et præsentia : nam conjunctio seu simultas agentis cum passo non potest intelligi sine præsentia et contactu erga passum. Restat ergo explicare, quando Angelus producit istum modum unionis in corpore, quomodo habet contactum erga illud redditurque illi præsens et conjunctum, ut producere possit illam unionem ad illud corpus, nisi per virtutem ipsam operativam, quæ est virtualis contactus formæ spiritualis activæ.

27. Restat etiam alia difficultas in ista sententia, quando Angelus non voluntate suâ activâ, sed vi alterius passive in se receptâ, alligatur alicui corpori : sicut (Tob. VIII, 3) dicitur quod *Raphael Angelus alligavit dæmonium in deserto superioris Ægypti :* quomodo tunc exsistat in loco per unionem ab alio productam, et non per voluntatem propriam, et quomodo possit imprimi ille modus in Angelo ab alio superiori ut alligetur et uniatur corpori. Non ergo universaliter est verum quod Angelus exsistit in loco per modum unionis ad corpus, suâ productum voluntate.

28. *Ac denique confirmatur :* quia inconveniens est quod substantia Angeli, quæ est nobilissima, non possit per se esse in aliquo loco nisi per accidens. Et sequela patet : quia antequam Angelus uniatur corpori, non potest esse in loco; et remoto omni corpore, ut in vacuo, Angelus non potest moveri : quia non potest esse in loco, et consequenter neque illum acquirere, quod est moveri. Ergo per se, id est, ratione sui non est in loco vel non adest aut tangit locum, sed solum per aliud, id est, per corpus cui unitur. — Hoc autem esse inconveniens constat : quia Angelus per se seu ratione sui est superior omni corpore, potestque illud movere : movet enim cælos; potest ergo comparari ad illud per modum motoris, atque adeo medio modo se habet inter Deum, qui est productor ipsius corporis in esse, et animam [1], quæ est informativa corporis. Sed Deus ratione sui habet præsentiam ad corpus per immensitatem et operationem, qua est productor corporis; anima etiam per se, in quantum informativa est, potest habere præsentiam ad corpus. Ergo similiter spiritus non informator corporis, ut anima, nec productor corporis, ut Deus, sed motor illius, potest per se habere immediatam præsentiam seu contactum ad corpus : quia motor illius est, non solum quia unitus, nisi unio illa sit ipse contactus moventis seu agentis : quod est per operationem esse in loco.

29. **DICO QUARTO [2] : Formalis ratio contactûs Angeli ad corpus, in quo fundatur *ubi* seu præsentia angelica, si connaturali modo fiat, est virtus operativa Angeli ad corpus, ex quo vel in quo agit : ita quod eadem virtus et operatio Angeli, et est applicatio Angeli, et formalis ratio exsistendi in corpore. Si autem modo præternaturali exsistat in corpore, potest etiam per passivam receptionem vel alligationem ad corpus esse in illo.** — Dicimus : « ex quo vel in quo agit » Angelus, id est, unde incipit operatio illius : nam bene potest mediante virtute a se diffusâ operari in locum remotum, atque adeo non exsistet in illo per

(1) Corrupte omnes : *animæ*.

(2) Corrupte omnes : *secundo*.

præsentiam suæ substantiæ, et tamen operari in illud. Sed tamen, quia non incipit inde operatio Angeli, sed solum ibi terminatur, non dicitur esse ubi operatur quomodocumque, sed ubi incipit operatio.

30. *Hæc conclusio aliqualiter conciliat diversas Thomistarum opiniones,* et explicat sensum S. Thomæ. Inter discipulos enim S. Doctoris est differentia in hoc quod aliqui existimant requiri, ad hoc quod Angelus sit in aliquo loco, operationem proprie et formaliter dictam; alii sufficere operationem largo modo sumptam, id est, applicationem ordinatam ad operandum. Cajetanus autem (in præsenti *, art. 1, § *Sed advertendum*) utrumque conciliare intendit, supponens quod in Angelo est duplex præsentia, scilicet præsentia ordinis, et præsentia operationis. Prima est præsentia inchoata et incompleta, seu in actu primo, quæ solum dicit ipsum actum practicum intellectûs, et expeditionem voluntatis ad operandum aliquid seu in aliquo corpore. Secunda vero est præsentia operationis, quando scilicet actualiter incipit operari in aliquo passo; redditur ibi substantia Angeli complete collocata : tunc enim est perfecte conjunctus ipsi corpori, atque adeo præsens illi eâ præsentiâ quæ Angelo competere potest, qualis est continentis ad contentum, agentis ad passum : quæ tunc est perfecta quando actu elicit operationem ex passo, tunc autem inchoata quando coordinatur seu applicatur illi ut eliciat.

* I P. q. 52, a. 1, § *Sed advert.*, et §§ sqq.

31. *Hæc ergo conclusio,* sic explicata, *est de mente S. Thomæ* qui perpetuo docet Angelum esse in loco per contactum virtutis : ut patet (in hac q. 52, a. 1) ubi condistinguit contactum quantitativum contra contactum virtutis, et sic concludit quod per applicationem virtutis angelicæ ad aliquem locum qualitercumque dicitur Angelus esse in loco corporeo. Et quod hæc virtus qua Angelus habet contactum non possit explicari de virtute radicali, quæ est substantia Angeli, sed de formali, quæ est potentia superaddita, ostendit locus supra citatus (ex q. 76, a. 6) : quod, quia Angelus unitur ut motor, unitur per potentiam vel virtutem; anima autem, quia unitur ut forma, unitur per essentiam suam, id est, per substantiam suam; ergo condistinguit unionem Angeli per virtutem, ab unione per substantiam, quæ est virtus radicalis; ergo illa virtus, qua Angelus unitur, est virtus formalis.

I P. q. 52, a. 1

I P. q. 76, a. 6, ad 3

Item (in I, D. 37, q. 3, a. 1) inquit quod « Angelus et quælibet substantia spiritualis non potest esse in corpore vel in loco nisi per operationem, quæ effectum aliquem in eo causat ». Operatio autem, quæ effectum causat in corpore, est propria operatio, et procedit ab Angelo mediante virtute operativâ. Ergo per istam virtutem superadditam Angelus est in loco, sicut corpus per quantitatem superadditam.

32. Quod expressit etiam D. Thomas (in *quodl.* 1, a. 4) ubi inquit quod « contactus corporis est per quantitatem dimensivam, quæ in Angelo non invenitur, cum sit incorporeus : sed loco ejus est in eo quantitas virtualis; sicut ergo corpus est in loco per contactum dimensivæ quantitatis, ita Angelus est in loco per contactum virtutis. Si quis autem velit virtutis contactum operationem vocare, propter hoc quod operari est proprius effectus virtutis, dicatur quod Angelus est in loco per operationem : ita tamen quod per operationem non intelligatur sola motio, sed quæcumque unitio qua suâ virtute se corpori unit, vel præsidendo, vel continendo, vel quocumque alio modo ». Ubi D. Thomas non excludit operationem Angeli qua [1] unitur et fit præsens corpori, quando dicit per operationem non intelligi solam motionem; sed docet quod, ut Angelus sit in loco, non requiritur operatio quæ est motus localis, et quod corpus ipsum cui assistit moveatur localiter : sed sufficere quamcumque aliam actionem qua se determinat et applicat circa aliquod corpus, etiamsi actio illa motus localis non sit : sicut (citato * loco ex D. 37) dicit quod « Angelus est in loco quatenus operatur circa aliquod corpus locatum, vel motum, vel lumen, vel aliud hujusmodi, cui tamen esse non confert ». * supra, n. 31

33. DEINDE PROBATUR RATIONE : Quia formalis ratio, qua Angelus exsistit in loco, debet esse talis, quod non contineatur nec mensuretur corpore locante, sed quod contineat corpus, et fundet *ubi* non circumscriptivum, nec subjectum legibus loci et extensionis, sed superius loco : sicut anima nostra est in corpore ut superior et continens illud : sic enim a fortiori debet Angelus esse in corpore seu in loco, superiore modo quam anima, scilicet non ut informans, sed ut motor. Tale autem fundamentum et ratio habendi contactum non est sola substantia Angeli, propter rationem supra * dictam : quia si substantia * nn. 17, 19

[1] Ita bene corrigit L ‖ MCP mendose : *quia*.

Angeli unitur corpori locanti a se distincto, et unio accidentalis est, oportet fundari in aliquâ ratione accidentali superadditâ substantiæ. Corpus autem, cui Angelus conjungitur tamquam loco, substantia est. Non ergo potest substantia Angeli illi uniri, nisi mediante aliquâ accidentali ratione qua accidentaliter comparetur ad tale corpus. Non potest autem fundari in aliquo accidente ipsius Angeli, per se et formaliter commensurabili corpori, quia hoc esset quantitas : nec enim alio accidente commensurabilis est formaliter quantitas corporis locantis. Debet ergo esse accidens virtualiter commensurans Angelum corpori. Nec est alia virtus sic commensurans, quam virtus operativa vel receptio passiva ab alio operante.

34. *Et horum omnium ratio est,* quæ jam supra * est insinuata : quia Angelus est substantia completa. Unde non potest uniri accidentaliter alteri, nisi vel tamquam causa effectiva operatione suâ, vel tamquam subjectum accidenti, vel sicut ea quæ commensurantur quantitate, ut vestes corpori, locus locato, vel ea quæ loco appropinquant, ut plura quæ in acervo conjunguntur, quæ est conjunctio locorum. — Per commensurationem quantitatis vel distantiæ localis Angelus non unitur loco, quia caret quantitate. Nec tamquam subjectum accidenti, quia corpus non subjectatur in Angelo, nec e contra; ergo ut efficiens passo, vel passum agenti. — Nec sufficit operatio immanens : quia hæc solum potest esse in Angelo per intellectum aut voluntatem; operatio autem intellectûs et voluntatis compatitur cum absentia rei circa quam versatur, nec requirit physicam præsentiam objecti, sed intentionalem : cum possimus intelligere et amare rem absentem. Et dato quod intellectio versetur circa rem præsentem, ut quando est intuitiva, tamen adhuc non ponit in ipsa re nisi denominationem extrinsecam, qua res redditur visa : quod non pertinet ad constituendum formaliter rem in loco, sed supponit esse præsentem localiter.

35. Requiritur ergo ad istam conjunctionem et contactum virtualem aliqua operatio transiens, vel passio a tali operatione proveniens : quia in hac concurrunt condiciones requisitæ ad rationem formalem exsistendi in loco. Nam primo requirit præsentiam, saltem in ea parte immediata unde incipit motus. Secundo, operatio Angeli est [1] superior ad corpus, cum sit actio rei spiritualis; vel, si Angelus alligatur corpori, manet illi subjectus non per commensurationem ad ejus quantitatem, sed per subjectionem ad actionem corporis ut instrumenti divini. Tertio, commensuratur Angelus virtualiter rei extensæ manendo indivisibilis in se : quia subjicit sibi corpus tamquam superior illo in agendo plus vel minus secundum efficaciam suam, sicut anima commensuratur extensioni [2] corporis, subjiciendo illud sibi per informationem. Ergo habet omnes condiciones ut resultet *ubi* spirituale, et habeatur contactus quo indivisibilis substantia extenso corpori sit præsens plus vel minus juxta virtutem et efficaciam operationis suæ : ut etiam (art. 3 *) ponderabitur. * infra. a. 3, n. 2 sqq.

36. *Ex quo colligitur* quomodo non sola virtus Angeli possit esse actualis, sine operatione quæ aliquo modo conjungat spiritum ipsum loco. Nec dico quod operatio solum se habet ut applicans, virtus autem Angeli ut ratio qua habetur contactus; sed operatio ipsa se habet ut applicatio suæ substantiæ a qua exit, ut formalis ratio actualis tangendi corpus seu locum : sicut si quantitas esset activa in tangendo alterum corpus, non tangeret entitative, ut sic dicam, sed operative, et operando tangeret seque applicaret. Quod colligitur ex duobus. — Primo : quia in sententia D. Thomæ (art. 3 hujus quæst. 52) ideo non possunt plures Angeli esse in eodem loco, quia virtus Angeli « tangit locum per modum continentis perfecti » : unde, cum non possint plures causæ completæ et perfectæ operari circa eamdem rem, nec etiam poterunt plures Angeli esse in eodem loco. Quæ ratio nihil probat, si operatio ipsa solum se haberet ut applicatio virtutis, non ut formalis ratio exsistendi in loco : nam si operatio solum se habet ut applicatio, posset responderi quod causæ completæ operantes in actu et applicatæ repugnant quidem respectu ejusdem effectûs vel passi, sed operantes virtualiter seu in actu primo tantum non repugnant, nisi solum quando operantur in actu. Et sic si operatio se habet ut applicatio, et virtus ipsa, ut in actu primo applicata, est ratio formalis exsistendi in loco, possent duo Angeli esse simul in eodem loco, si applicarent virtutes suas ad locum, non autem operarentur effectus : sicut si homo applicaretur alicui loco, non tamen opera- I P. q. 52, a. 3

[1] Ita corrigit P ‖ MLC *Angeli, et superior...*

[2] Sic recte emendant LC ‖ MP *extensio rei corporis,* prave omnino.

retur circa illum. Tota enim repugnantia plurium causarum circa eumdem effectum est ex operatione, non ex applicatione virtutis. Quare si ratio illa probat non posse plures Angelos esse simul in eodem loco, oportet quod formalis ratio non sit sola virtus applicata, sed etiam operatio : quia ex operatione formaliter sumitur repugnantia operandi eumdem effectum, et consequenter exsistendi plures Angelos in eodem loco; illa est autem formalis ratio exsistendi in loco, unde sumitur repugnantia coexsistendi cum altero, et causandi cum altero.

37. Secundo idem colligitur : quia Angelus potest intra sphæram suæ virtutis esse in majori vel minori loco : ut asserit S. Thomas (in hac q. 52, a. 2 *), et dicemus (sequenti art. **), et constat : quia (Marc. v, 9) dicitur fuisse in uno homine legio dæmoniorum; et cum quilibet Angelus majus spatium occupare possit quam anima humana, quæ est illi inferior, oportet quod, si in uno homine erat legio dæmonum, occuparent minorem locum quam possent occupare. Virtus autem Angeli non potest minor esse vel major in se, bene tamen operatio ejus circa corpus potest versari et applicari circa majus vel minus spatium. Ergo ipsa operatio, et non solum virtus, est ratio formalis exsistendi in loco, ut possit contrahi vel extendi talis assistentia Angeli ad locum; sicut in anima nostra ipsa actualis informatio est ratio formalis habendi præsentiam ad corpus, et non solum substantia ut potens informare : ideoque aliquando anima informat exiguum corpusculum, ut in infantia, aliquando majus juxta actualem capacitatem et informationem, quæ est ratio habendi istam præsentiam et contactum informativum ad corpus. Ita Angelus, qui est forma non informans corpus sed operans in illud, per ipsam operationem majori vel minori corpori redditur præsens, secundum quod incipit a majori vel minori parte.

38 *Ubi adverte,* posse Angelum diffundere virtutem suam ad effectus faciendos etiam ultra locum ubi adest, licet substantia non sit præsens toti illi corpori : sicut Angelus movens cælum non est in toto cælo, sed in una parte unde motum diffundit. Et ita S. Thomas (in hac q. 52, a. 1 *) dicit quod « totum corpus, cui per virtutem suam applicatur Angelus, correspondet ei ut unus locus » : eo quod « non applicatur virtus ejus nisi ad id quod primo movetur ab ipso ». Et de anima Christi Domini dicit D. Thomas (III P. q. 52, a. 2) quod in aliqua parte inferni fuit per suam præsentiam [et] (1) substantiam, in aliis per operationem seu effectum : eo quod substantia fuit in aliqua parte immediate, in aliis mediate, id est, per effectus suos. Intelligimus ergo quod, quando Angelus operatur in corpore per actionem transeuntem, cum illa actio (utpote eductiva) non possit operari nisi dependenter a corpore, et consequenter debeat conjungi corpori a quo immediate educit effectum, ibi adest tota virtus et substantia Angeli, unde primo incipit ejus operatio transiens : quia ubi primo incipit operatio, oportet quod sit virtus et principium a quo immediate effluit, et consequenter etiam passum a quo educit suum effectum. Cum ergo virtus sit indivisibilis ex parte Angeli, dicetur applicari toti illi corpori quo primo utitur ad elicientiam actionis : sicut anima applicatur toti illi corpori quod informat et vivificat. Et sic subjectio corporis ad virtutem indivisibilem Angeli et ad operationem ejus, ut primo exeuntem a virtute et substantia Angeli et simul a corpore a quo educit effectum, est ratio quæ constituit contactum spiritualem seu virtualem Angeli. In corpore autem ulteriori, per quod diffundit suam virtutem post primam elicientiam operationis, non ponitur præsens substantia Angeli per se et immediate, sed mediate, id est, mediantibus effectibus suis. Ad immediatam autem præsentiam virtus operativa præbet fundamentum : quia præbet quantitatem virtualem, id est, virtutem potentem tangere corpus, et actu se coaptantem tanto vel tanto corpori, quatenus ipsa ratio agendi fundat præsentiam ad passum per modum formæ continentis active ipsum, non rei contentæ et circumscriptæ a loco cui unitur.

39. Quare contactus Angeli virtualis non habet pro ratione formali et fundamento aliquid antecedens virtutem operativam et ejus operationem; sed eadem Angeli operatio, cum procedat a formâ seu virtute agenti independente a commensuratione cum loco, nec loco subjectâ sed quæ subjicit sibi locum, oportet quod contactum faciat operando, id est, subjiciendo sibi locum seu passum unde operetur; non subjicit autem nisi agendo. Sed illa operatio respicit duos effectus. Primus est subjicere sibi passum, conjungendo illud sibi ut formæ agenti independenti ab ejus commensuratione. Secundus est ipse effectus quem ex tali

(1) MP *præsentiam, substantiam* : male || Mutilum textum resarciunt LC *præsentiam et substantiam*.

passo educit. Et ponimus primum effectum eâ necessitate, quia spiritus est forma pure agens in corpus, non substantia illi commensurata : unde non nisi agendo illud sibi unit et subjicit; et sic tangit operative, non quantitative seu commensurative.

40. *Et si dicas :* Quid facit in corpore per hunc contactum? — *Respondeo* ponere corpus applicatum seu unitum sibi, ut ex eo agat in tanto vel tanto spatio, vel parte. In applicatione enim passi ad agens duo inveniuntur. Primum indistantia localis, et commensuratio utriusque in loco; hanc non habet spiritus. Secundum est coordinatio et subjectio ad agens, ut ex illo agat : per quod ponit ordinationem seu modum quemdam, et subjectionem passi ad effectum ex illo educendum; sicut virtus feminæ subjicitur virtuti masculi, non solum localiter, sed causative, ordinando illam ad effectum. Hoc secundum causat contactus virtutis Angeli in corpore, deinde educit effectum *.

* cf. infra, a. 2, n. 4-5

** supra, n. 29, *Si autem modo*

41. SECUNDA PARS ** CONCLUSIONIS, scilicet quod Angelus modo præternaturali possit esse in loco per passionem, et non per operationem, constat : Quia aliquando alligatur alicui corpori per operationem superiorem, sive a Deo inferente illi torturam per ipsum corpus tamquam per instrumentum, sive ab alio superiori spiritu : sicut supra * diximus ex illo loco (Tob. VIII, 3) ubi dicitur quod « Angelus Raphael alligavit dæmonium in deserto superioris Ægypti ». Sed tamen Angelus tunc non est connaturaliter in loco, sed præternaturaliter seu violente : sicut anima non est connaturaliter nisi in corpore quod vivificat et informat, extra illud vero est præternaturaliter aut violente. Unde Cajetanus (in hac q. 52 *, a. 3) docet Angelos naturaliter locari in loco per operationem, dæmones vero per pati potius quam per agere. Sed de hoc plenius agemus infra * (circa quæst. 64) tractando de pœna dæmonum per ignem : hanc enim fere semper explicat nobis Scriptura per modum alligationis et detentionis qua dæmones cruciantur in illo igne, ut (II Pet. II, 4) : *Rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos;* et (in canon. Jud., 6) : *Vinculis æternis sub caligine reservavit;* et (Act. II, 24) : *Quem Deus suscitavit solutis doloribus inferni, juxta quod impossibile erat teneri illum ab eo.*

* n. 27

* I P. q. 52, a. 3, n. 3

* disp. 44, a. 3

42. Quomodo autem possit corpus alligans Angelum ex tali contactu producere in eo *ubi* spirituale? — Dicitur hoc ideo esse, quia agit ut instrumentum Dei vel superioris virtutis, quæ tali instrumento utitur ad ponendum in Angelo aliquid spirituale, ut ibi * dicemus. Unde ex tali effectu spirituali, posito in Angelo ab aliquo corpore ut instrumento divinæ virtutis, resultat in Angelo virtualis contactus passivus ad illud corpus, cui tamquam instrumento alligatur a Deo Angelus, et producit in illo effectum illum spiritualem : si quidem ille spiritualis effectus habet ordinem ad instrumentum corporeum a quo fit, et non potest habere contactum cum illo corpore nisi virtualem, in quantum est effectus spiritualis a tanto vel tanto instrumento factus, et illi alligans spiritum : quia ad hoc fit ille effectus, ut Angelus alligetur corpori, et non possit uti suis potentiis ut voluerit. Et ideo ad tantum corpus habebit contactum virtualem Angelus, ad quantum fuerit alligatus per illum effectum passive receptum in Angelo; et sic non correspondet corpori per commensurationem, sed per virtualem contactum spiritualis effectûs subjicientis et alligantis Angelum tanto vel tanto corpori, ut impeditivo suarum operationum, quatenus est instrumentum Dei. Quis autem effectus sit ille quem ignis ponit in Angelo quando torquetur vel detinetur a corpore, dicemus infra (disp. 24 *).

* infra, disp. 44, a. 3

* nunc disp. 44, a. 3

43. DICO ULTIMO : Ex contactu virtuali seu spirituali Angeli ad locum per operationem in ipso, resultat in Angelo *ubi* intrinsecum, quod proprie non est de prædicamento *ubi*, sed reductive : est enim directe præsentia agentis ad passum, et secundario locati ad locum, quia tale passum est in loco; utrumque tamen facit modus ille intrinsece receptus in Angelo, qui vocatur abusive *ubi*.

44. Hæc est contra P. Suarez (lib. IV de Angelis, c. 2, n. 9) ubi tenet *ubi* angelicum pertinere ad prædicamentum *ubi*. Et (c. 8, n. 3) aperte admittit posse fundari distantiam et propinquitatem inter duos Angelos, aut inter unum Angelum et corpus : quod utique petit *ubi* ita proprium sicut *ubi* corporum, quatenus ponit situm et distantiam localem, licet desit circumscriptio corporis locantis. — At vero P. Vazquez (hîc, disp. 195 *) censet *ubi* angelicum esse solum denominationem extrinsecam, quia ipse non aliam præsentiam agnoscit quam unionem Angeli ad corpus; præsentiam autem ad locum solum dicit esse mediatam quatenus illud corpus, cui Angelus adest, est in loco. Quod totum nos dicimus fieri proxime et formaliter per illum modum

* c. 3, n. 7-9; c. 4, n. 13-16; c. 5, n. 23

qui est præsentia intrinsece resultans in Angelo : licet contactus, ex quo ista præsentia resultat, sit virtus ipsa operans Angeli.

45. NIHILOMINUS, quod in Angelo debeat DARI *UBI* seu præsentia intrinseca, jam supra (in principio art. *) SUPPOSUIMUS ET OSTENDIMUS, eo quod Angelus vere et proprie movetur in seipso : si quidem ejus substantia non manet immobilis, nec simul est in cælo et in terra, sed vere et proprie descendit de cælo, ut Scriptura sæpe loquitur *; et anima Christi vere et proprie descendit ad inferos, ut est articulus fidei. Ergo oportet quod per istum motum Angelus aliquid acquirat vel perdat, cum proprie mutetur de uno loco ad alium. Et hoc, quod per motum acquiritur seu perditur, non in ipso loco seu corpore subjectatur : quia locus non movetur sed est immobilis, id autem quod movetur est Angelus. Ergo in ipso Angelo, non in loco seu corpore circumstante, debet ponit terminus productus per motum. Cum ergo Angelus per illum motum acquirat præsentiam ad diversum locum, consequenter id quod acquirit in se per motum præsentia localis est, et hæc vocatur *ubi*.

* art. 1, n. 2-4

* cf. supra n. 11

46. QUOD VERO ISTUD *UBI*, acquisitum per motum localem in Angelo, NON SIT DE PRÆDICAMENTO *UBI*, DEDUCITUR EX D. THOMA : Tum quia (in opusc. XLVIII *, tract. de *ubi*, c. 1 **) expresse rejicit *ubi* angelicum a prædicamento *ubi*. Tum quia (in hac q. 52 †, a. 1) affirmat Angelum æquivoce esse in loco et corpus; oportet ergo quod *ubi* angelicum, et corporeum, æquivoce dicantur.

* *Summa totius logicæ* ** alias : tract. 6, c. 10 † I P. q. 52, a. 1

47. *Ratio autem est :* quia *ubi* prædicamentale est illud quod primo et per se directe facit præsentiam loci, seu distantiæ in loco, non autem aliud genus præsentiæ, v. g. agentis ad passum, vel formæ ad materiam : licet talis præsentia ex consequenti inferat præsentiam localem. Sicut videmus quod præsentia et conjunctio animæ ad corpus, in quantum informat illud, non est primo et per se præsentia ubicalis, licet non possit informare nisi in aliquo loco; et præsentia vestis ad rem vestitam, licet sine loco esse non possit, per se tamen et directe non constituit rem in loco seu ubicatam, sed indutam. Ergo similiter si contactus Angeli est contactus virtutis operativæ erga corpus, vel passive receptus ab alia virtute superiori, oportet quod præsentia seu modus præsentiæ, quæ ex tali contactu resultat ad corpus, primo et per se sit præsentia virtutis agentis ad passum, vel e contra, et secundario sit ad locum, eo quod tale passum in loco est : sicut anima rationalis, cum infunditur corpori, primo et directe habet præsentiam informationis, non ubicationis, licet ex consequenti sit in loco corporis cui unitur. Quod autem anima spiritualis facit informando corpus, Angelus facit agendo : quia est forma activa, non informativa.

48. Et si dicas : Ergo non est necesse Angelum acquirere *ubi* intrinsecum præter ipsam operationem cum contactu ad corpus : sicut anima rationalis, ex eo quod informat corpus, non acquirit *ubi* intrinsecum in corpore : — Negatur consequentia : quia Angelus est in corpore mobiliter, quia potest per motum localem separari a corpore et ab illo recedere, et alium locum acquirere. Unde oportet quod ejus contactus ad corpus talis condicionis sit, quod in ipso Angelo aliquam præsentiam ponat, quæ possit acquiri vel perdi; et quia hæc reddit præsentem loco, saltem secundario, ideo ponimus *ubi* intrinsecum in Angelo : licet, quia resultat ex contactu virtutis operativæ, prius efficiat præsentiam agentis seu operantis erga passum, quam locati erga locum. Anima autem est informativa in corpore immobiliter, nisi dispositiones corporis removeantur : et sic non potest per motum localem recedere a corpore, et aliud acquirere. Et sic ex vi informationis non oportet quod acquirat *ubi* seu præsentiam, quæ possit motu locali in ipsa anima subjectato immediate acquiri vel perdi : sed quidquid de loco acquiritur vel perditur, in corpore subjectatur, et corporaliter ac circumscriptive fit; solum ergo extrinsece tangit animam. Angelus vero non circumscriptivâ corporis locatione movetur, sed per seipsum ab illo recedit, vel illud tangit.

49. *Denique, probatur hæc pars :* quia *ubi* prædicamentale duas condiciones habet, quæ desunt *ubi* angelico. Prima est, quod secundum illud mensuratur distantia vel propinquitas unius ad aliud : quia distinguuntur diversa *ubi* secundum diversas distantias. Secunda est, quod per *ubi* habetur circumscriptio corporis locati a locante; unde definitur * *ubi* prædicamentale, quod est « circumscriptio passiva corporis locati a corpore locante proveniens ». Istæ autem duæ condiciones desunt *ubi* angelico; et sic non competit illi definitio *ubi* prædicamentalis. — Et quidem hæc secunda condicio, manifestum est quod non convenit Angelo : quia circumscribi non potest a corpore id quod illi non commensuratur, nec sub modo mensurationis ejus continetur. —

* a Gilberto Porretano, PL 188, 1264 B; cf. inter opp. S. Thomæ opusc. XLVIII (*Summa tot. logic.*), tract. de *Ubi*

Prima etiam condicio deest : quia unus Angelus non potest directe et ratione sui fundare distantiam erga alium, ita quod remoto corpore possit ista distantia mensurari inter Angelum et Angelum; ergo non habet *ubi* distantiale, ut sic dicam.

50. Et ratio est : quia distantia est quædam extensio spatii : vel negativa, si spatium fuerit vacuum : vel positiva, si plenum. Hanc autem extensionem seu distantiam non potest facere Angelus extendendo se per spatium, eo quod caret extensione. Neque potest fundare illam per modum extremi seu termini, ita ut ab ipso possit tendi funiculus seu mensura distantiæ : quia sicut distantia diffunditur per spatium et per partes ejus, ita terminatur in termino talium partium seu diffusionis earum in quem desinit situatio seu positio partium in spatio; et ita terminus ille habet positionem seu situationem, cum in ipsum continuatio spatii et distantiæ terminetur. Angelus autem est extra omnem situationem et positionem, non solum tamquam pars, sed etiam tamquam terminus indivisibilis habens positionem in continuo. Ergo non potest ab eo sumi mensura tamquam ab extremo et termino distantiæ. Sicut inconvenienter diceretur, quod a visione beatifica Christi Domini, qui est in cælo, potest sumi mensura et funiculus distantiæ usque ad terram : eo quod visio illa spiritualis est extra omnes terminos situationis et distantiæ, licet subjectum, in quo exercetur, in aliquo loco sit.

51. *Quod vero aliqui dicunt* ponendum esse in Angelo modum aliquem, qui non solum sit *ubi,* seu id quod formaliter acquiritur vel perditur per motum, sed etiam sit ipsa quantitas virtualis Angeli fundans tale *ubi,* cui potest attribui distantia virtualis : — *Contra hoc est :* quia talis modus vel caret fundamento, vel idem facit erga locum quod virtus operativa et ejus operatio. Debet enim talis modus reddere Angelum præsentem aliquâ speciali præsentiâ distinctâ a circumscriptione, quatenus scilicet non debet contineri a loco, sed locum sibi subjicere et continere : quia spiritui debetur esse non subjectum loco, si connaturali modo in loco exsistit. Hoc autem melius facit vis operativa : quia locus et quodcumque corpus subjicitur Angelo tamquam agenti. Ergo ratio subjiciendi sibi locum debet esse ipsa virtus operativa : quia hæc pertinet ad rationem agentis ut agens est. — Deinde, quia ille modus non est substantialis, quia nec est subsistentia, neque exsistentia, neque unio substantialis; est ergo accidentalis. Ergo debet identificari cum aliquo accidente, et non immediate afficere substantiam : sicut figura non afficit substantiam immediate, sed mediante quantitate, et intensio afficit mediante qualitate, et *ubi* et situs mediante circumscriptione; et sic omnis modus accidentalis mediante accidente, cum quo identificatur, afficit. Effectus autem illius modi est similis effectui quantitatis in corpore, cum dicatur esse quantitas virtualis; ergo potius debet esse accidens quam modus, et tale accidens non potest esse aliud quam virtus operativa.

52. Denique ille modus, si pertinet ad quantitatem virtualem, debet esse unus pro omnibus locis, sicut quantitas in corporibus est contactiva omnium locorum et corporum. Ergo non poterit Angelus pro libito se accommodare majori vel minori corpori intra suam sphæram, et reddi præsens majori vel minori loco : sicut per quantitatem molis non potest corpus modo majori, modo minori loco attemperari. Quod tamen facile potest Angelus per operationem in corpus, tangendo suâ operatione modo majus corpus, modo minus, prout voluerit; et ita operatio, prout incipit ab aliqua determinata parte corporis, illi assistentem reddit Angelum et præsentem.

53. *Quod si dicas :* Quia ex tali operatione non potest resultare *ubi* intrinsecum in Angelo : quia hoc non potest esse nisi spirituale, cum sit in ipso Angelo receptum; non potest autem ex actione illa, quæ tangit corpus, resultare *ubi* spirituale : quia talis actio, cum tangat corpus, non producit in illo corpore nisi aliquid corporale; ex effectu autem corporali non potest resultare spirituale *ubi* in Angelo. — *Respondetur,* quod *ubi* resultat et consequitur actionem Angeli prout ab Angelo est, non ex effectu passivo quem relinquit in corpore : quia modus illius ubicationis est modus exsistentis in loco per modum continentis et agentis, non contenti et commensurati a loco. Quando autem Angelus præternaturaliter exsistit subjectus loco et passive alligatus illi, jam diximus * quod non sequitur talis passiva exsistentia in loco ex actione propriâ corporis, ut corporea est, sed ex spirituali operatione superioris virtutis, ut instrumentaliter exercetur per corpus.

54. Adhuc autem multi inveniunt difficultatem, quomodo illud *ubi* Angeli sit indivisibile, quia in Angelo est, et correspondeat divisibili et

extenso loco, cui Angelus præsens est formaliter per tale *ubi*. — Sed respondetur, quod illud *ubi* subjective, id est, ut tenet se ex parte Angeli in quo subjectatur, est indivisibile et spirituale; sed terminative, id est, ex parte termini quem tangit, est divisibile et extensum. Sicut etiam ipsa operatio Angeli et substantia accommodatur rei divisibili per superioritatem in ipsam, et in se indivisibilis est; et anima nostra corpori divisibili accommodatur, et si in ipsâ animâ est unio ad corpus, illa spiritualis est et terminatur ad rem extensam; et *ubi* sacramentale corporis Christi est indivisibile, et terminatur ad species divisibiles eisque assistit.

ARTICULUS II

Expediuntur difficultates contra sententiam propositam articulo præcedenti.

1. AD *duo vel tria præcipua capita reduci videntur* omnes difficultates, quas auctores aliqui inveniunt contra nostrum modum dicendi. — Primo enim argumentantur a priori, quia Angelus antecedenter ad operationem est in loco. — Secundo, aliquibus exemplis, quibus ostenditur Angelum aliquando esse in loco sine operatione. — Tertio, ab inconvenientibus.

2. PRIMUM ergo ARGUMENTUM PROPONITUR SIC : Prius naturâ Angelus est præsens corpori, quam operetur in corpore et ex corpore; ergo ratio formalis præsentiæ angelicæ ad corpus est anterior ad ipsam operationem transeuntem (de immanenti enim non loquimur : quia hæc impertinens est ad exsistendum in loco, cum non tangat corpus, sed intra ipsum operantem et potentiam ejus immanenter exsistat). — Antecedens probatur : Tum quia operatio Angeli est causa efficiens *ubi* angelici; ergo non ratio formalis. Tum quia prior est applicatio agentis ad passum, quam operatio circa passum : eo quod operatio Angeli transiens est eductiva, habetque pro subjecto eductionis ipsum corpus seu passum circa quod operatur; ergo oportet quod operatio egrediatur ab ipso agente ut conjuncto tali passo; ergo prius est conjungi quam operari, et sic prior est ratio formalis præsentiæ et conjunctionis ad corpus quam operatio.

3. *Confirmatur :* quia Angelus movet totum cælum, et tamen non est in toto cælo. Et potest movere corpus non motus cum corpore, sed quiescens. Ergo operatio non est ratio formalis essendi in loco : alias ubi esset operatio, esset substantia operans.

4. RESPONDETUR DISTINGUENDO ANTECEDENS : Prius est Angelus in loco quam operetur, præsentiâ ordinis, quæ est præsentia in actu primo, *transeat;* præsentiâ completâ et applicatâ, quæ est in actu secundo *nego*. Dicitur præsentia ordinis * quando incipit Angelus ordinare se erga aliquem locum per applicationem practicam, qua dirigit motum erga aliquem locum, sive per motum discretum sive continuum. Dicitur completa et applicata quando actu tangit corpus; sed tunc jam operatur quia ipsâ operatione tangit et effectum facit, non antecedenter tangit et postea facit. — Et ad probationem * dicitur quod, licet operatio eliciatur per actionem eductivam, quæ habet pro subjecto eductionis ipsum corpus, tamen illa actio utrumque præstat, et contactum applicativum Angeli agentis ad corpus, in quo fundatur præsentia seu *ubi* angelicum, et productionem ipsam effectûs : ita quod, cum in actu secundo incipit elicere operationem, incipit actualiter tangere passum, et simul ex illo aut in illo effectum operari.

* cf. supra, a. 1, n. 30

* supra, n. 2, *Tum quia operatio*

5. Et quando dicitur *, quod ad eductionem alicujus formæ ex subjecto præsupponitur præsentia et applicatio agentis ad passum : — Respondetur requiri quidem talem præsentiam et applicationem, sed non prærequiri quod aliâ actione fiat; sed eadem actio habet vim et conjungendi agens ad passum in actu secundo complete, et producendi effectum ex subjecto applicato : eo quod ipse contactus activus est, et per modum continentis et subordinantis ipsam rem contactam Angelo se habet. Sicut si quantitas in nobis esset activa, operando et agendo tangeret aliud corpus; et sicut anima nostra informando tangit corpus, habetque eâdem causalitate informationis, et constituere rem informatam, et se præsentem. Sic ergo contactus activus seu virtualis non antea habetur, quam ipsamet actio; contactus autem passivus præsupponit actionem a qua fiat. Et sicut ipsa actio applicativa in corporibus, cum

* supra, n. 2, *Tum quia prior*

sit etiam actio eductiva talis præsentiæ (modus enim præsentiæ eductivâ actione fit), utique facit eam effective, et ut faciat debet esse præsens, sed non per aliam applicationem sed per seipsam (alias esset processus in infinitum) : ita etiam ipsa actio, qua Angelus se applicat ad passum, est simul applicativa et contactiva sui, et eductiva effectûs. Nec oportet istas actiones dividere : tum propter eminentiam suam et perfectionem, qua potest una actio in plura; tum quia Angelus tangendo operatur, nec prius commensuratur corpori quam operetur, sicut agens corporeum, sed quia operatur commensuratur. — Nec operatio formaliter separat agens a passo, ut aliqui objiciunt, eo quod operatio est in aliquid distinctum. Bene enim stat, quod operatio sit in aliquid distinctum, non tamen separando et elongando illud a se, sed conjungendo : sicut agens per applicationem conjungitur locato, et forma materiæ, et humanitas Verbo, licet sint distincta.

* supra n. 3

6. *Ad confirmationem* * *respondetur*, quod Angelus movens cælum, aut diffundens virtutem suam ut operetur in aliquid distans, non est in omni parte ubi est effectus virtutis et operationis, sed ubi primo incipit operari : inde enim egreditur primo actio, et sic ibi est substantia operantis, ut etiam advertit S. Thomas (in hac q. 52 *, a. 2). — Quod vero dicitur **, quod Angelus quiescens potest movere corpus : Respondetur posse fieri, si illa pars unde primo incipit actio Angeli ita detineatur ab ipso quod non moveatur loco, sed impulsum aliis partibus imprimat : sicut qui tenet arcum, et per ipsum impellit sagittam, arcu non moto a loco. Si vero non ita detineat illam partem immediatam unde incipit actio, sed illam etiam moveat, movebitur Angelus cum ipsa per accidens : sicut qui agitat currum, movetur cum eo.

* I P. q. 52, a. 2

** supra, n. 3, *Et potest*

7. Secundo, fit argumentum ex aliquibus exemplis, quibus ostenditur Angelum posse esse in loco in quo non operatur. — *Et in primis* Angelus potest alligari alicui corpori, nihil in ipsum agendo : sicut dæmon alligatur igni inferni, in quo nihil operatur; ergo operatio non potest esse formalis ratio exsistendi in loco. — Nec potest dici quod est in loco per passionem : Nam id quod est formalis ratio alicujus, ita est requisita [1], ut eâ deficiente effectus formalis deficiat. Si ergo formalis ratio essendi in loco est operatio in Angelo, non potest per passionem in eo exsistere. — Et præterea, in animabus separatis patet quod aliquando sunt in loco ubi nihil operantur, nec tamen patiuntur : sicut animæ quæ sunt in limbo, et olim erant in sinu Abrahæ ubi nihil patiebantur, et tamen ibi erant nihil operando : quid enim ibi operabantur? — Et ipsa anima Christi descendens ad inferos in aliqua parte inferni fuit secundum substantiam, in aliis vero per operationem seu effectum, ut docet S. Thomas (III P. q. 52, a. 2). Ergo distinctus modus exsistendi est per substantiam, a modo exsistendi per operationem.

8. Item, licet dæmones patiantur ab igne, tamen prius est esse alligatos igni, quam pati ab eo : ut docet S. Thomas (in IV, D. 44, q. 3, a. 3, qla 3); ergo ipsa passio, resultans ab actione ignis, non est illis ratio formalis essendi in illo loco : quia quando ignis agit, jam est illis conjunctus. — Denique, illa pœna et actio ignis in dæmones æque torquet ipsos sibi propinquos, et a se distantes, sicut torquet dæmones in hoc aere exsistentes; ergo non est ratio exsistendi in loco ipsis spiritibus, si quidem compatitur passio illata ab igne cum distantiâ eorum.

9. *Secundum exemplum* est de exsistentia Angelorum in cælo empyreo, ubi certum est Angelos esse, et tamen ibi nihil operantur actione transeunte : quia Angeli non possunt operari in corpore nisi per motum localem, ut docet S. Thomas (infra *, q. 110, [2] a. 3). Cælum autem empyreum non potest moveri motu locali ab Angelo, cum sit corpus immobile. Ergo nihil in illo operantur. Nec etiam ab illo patiuntur, cum Angeli beati nihil patiantur. Ergo sunt in aliquo loco sine operatione aliqua, vel passione. — Nec potest dici quod sunt ibi præsentes præsentiâ ordinis, non operationis : quæ est præsentia in loco incompleta et imperfecta. Contra enim est : quia ista præsentia ordinis non est aliud quam actus practicus intellectûs, quo Angelus expeditur et ordinatur ad exsistendum in tali loco, et sic quasi in actu primo dicitur ibi esse; sed Angelus non potest habere actum practicum quo ordinetur ad operandum in illo loco, ubi scit nihil se posse operari, id est, in illo cælo; ergo non potest ibi habere præsentiam ordinis, seu in actu primo. — Dicere etiam quod in cælo empyreo operantur Angeli occultâ aliquâ operatione, hoc est confu-

* I P. q. 110, a. 3, maxime in arg. *Sed contra*

[1] MP *Nam id... ita est requisita, ut eâ deficiente* : de hac concordia secundum sensum cf. tomi I Præfationem, cap. III, art. 2, § 3, n. 3-4 ‖ LC *requisitum, ut eo* : facilius omnino.

[2] Mendose omnes : *q. 210*.

gere ad rem incertam et non fundatam : et sic non potest impugnari quod ipsâ ignorantiâ se occultat.

10. *Tertium exemplum* est de animabus separatis consideratis secundum suam naturam : quas certum est esse in loco, ut in cælo, in purgatorio, in limbo; et aliquando veniunt ad nos, sicut anima Samuelis apparuit Sauli *. Sed animæ separatæ nihil operantur circa corpora, etiam motu locali, ut docet S. Thomas (infra, q. 117 **, a. 4) : quia anima propter sui limitationem et imperfectionem limitatur ad movendum solummodo corpus vivificatum a se, cujus est forma, et mediante corpore vivificato potest alia movere, non autem per se immediate; ergo non potest esse in loco per operationem suam. Nec etiam per passionem : quia multæ animæ non patiuntur in loco ubi sunt, ut animæ beatæ in cælo empyreo, et animæ in limbo.

* I Sam. xxviii, 11-20

** I P. q. 117

11. *Ultimum exemplum* est de Angelo exsistente in vacuo, sicut D. Thomas concedit quod potest esse super cælum empyreum (in *quodlib.* 6, a. 3) : et tamen Angelus in vacuo non operatur in actu secundo. Nec potest operari in actu primo : quia ubi est impossibilis operatio, est impossibilis actus primus præparans ad illum [1]. Nec patitur ab aliquo in vacuo : cum ibi nihil sit. Ergo non est ibi Angelus per operationem, vel passionem.

12. Confirmatur : quia potest moveri Angelus in vacuo : nec enim in hoc aliqua apparet repugnantia. Si enim corpus per vacuum moveri potest, ut ostendimus (in iv *Physic.* *), cur non etiam spiritus, qui est activior corpore et independentior ab illo? Alias ubi non esset corpus, Angelus esset substantia immobilis. In illo autem motu acquirit aliquam præsentiam quæ sit terminus motûs, scilicet *ubi*, et tamen non habet ibi contactum per operationem aut passionem; ergo ista non est ratio habendi præsentiam.

* q. 17, a. 2; RE ii, 365-9

13. Respondetur, quod antequam ad singula exempla descendamus, oportet nos esse admonitos multo nobis occultiorem esse vim virtutis angelicæ, et modum quo operatur erga corpora, quam virtutes multorum lapidum vel herbarum, de quibus nescimus reddere rationem quomodo tam multa insolita operentur. Et ideo valde infirmi et constricti intellectûs est velle nos reddere rationem de modo quo operantur Angeli in cælo vel intra terram, aut quid operantur animæ in limbo, et similia multa : in quibus fateri oportet multo plura nobis esse occulta, quam quæ ratione investigari possint, dicente Scripturâ (Eccli. xliii, 36) : *Multa abscondita sunt majora his : pauca enim vidimus operum ejus.* Unde si quando in his confugimus ad occultas Angelorum operationes et modos, quibus aut detinentur aut operantur in loco, non debet mirum videri aut derisibile, sed magis sobrie accipiendum est. Et meminisse debemus verbi Augustini (ii * de Trin. c. 10), ubi quæstionem illam pertractans, an spirituales substantiæ possint miracula facere, tandem concludit : « Mihi omnino utile est ut meminerim virium mearum, fratresque meos admoneam ut meminerint suarum : ne ultra, quam tutum est, humana progrediatur infirmitas. Quemadmodum enim hæc faciant Angeli, vel potius quemadmodum Deus hoc faciat per Angelos suos, nec oculorum acie penetrare, nec fiduciâ rationis enucleare, nec provectu mentis comprehendere valeo, ut tam certus loquar ad omnia quæ requiri de his rebus possunt quam si essem Angelus, aut propheta, aut apostolus. » Ita Augustinus.

* verius : iii de Trin., c. 10, n. 21; PL 42, 881

14. Quibus suppositis *ad primum exemplum* * *jam supra* ** *diximus*, quod Angelus connaturaliter est in loco per operationem : præternaturaliter autem vel violenter per passionem. — Neque hoc est mutare rationes formales * exsistendi in loco, sed proportionate assignare illas : sicut corpus naturaliter exsistit in loco per extensionem, supernaturaliter autem per indivisibilitatem, sicut corpus Christi in sacramento. — Addo quod spiritus, alligati corpori, fortasse non ita alligantur quod priventur omni operatione in ipsummet corpus, ita ut pure exsistant per passionem, sed aliquid permittuntur operari etsi non ad voluntatem suam, sed magis vel minus, prout fuerit strictior vel minus stricta alligatio, per quam illud corpus ut instrumentum Dei impedit et coercet virtutem operativam Angeli, sicque causat in illo majorem vel minorem pœnam. Et ad hoc moveor, quia multi dæmones sunt in isto aere, qui cruciantur ab igne inferni, et tamen permittuntur aliqua operari circa ista corpora. Quid ergo nos vetat intelligere, quod illi qui sunt intra terram in ipso inferno aliquid permittantur operari in ipsomet igne in quo sunt, et in alias animas vel dæmones, torquendo illos? Et in hoc dabitur latitudo : ita

* supra, n. 7, *Et in primis*

** art 1, n. 29 sqq.

* cf. supra, n. 7, *Nam id quod*

[1] Sic omnes; intellige : *ad illum* [*actum secundum*] ‖ Fortasse tamen legendum erat : *ad illam*, id est, ad operationem.

ut qui habent minorem pœnam, minus coerceantur et impediantur ab operando in illo corpore cui sunt alligati. Qui autem acerbiorem pœnam sentiunt, multo magis impediti sunt ab operando. Quod si totaliter impediantur agere, et pure passive sint alligati illi corpori, erit cruciatus vehementissimus. Sicut in nostro corpore experimur quod, quando per externas poenas vel per intrinsecam distemperantiam humorum ita facultates naturales premuntur, ut suas naturales operationes exercere non permittantur, est acerbissimus cruciatus : sic existimandum est quod secundum quod potentia spiritualis magis vel minus impeditur a sua libertate operandi, et intellectus magis fatigatur in applicatione vehementi ad cogitandum de illa pœna, tanto acerbior est cruciatus : eo quod dolor objectivus consistit in malâ dispositione facultatis et potentiæ præternaturali et violentâ, sicut delectatio in connaturali. Et licet nobis occultum sit quid operentur dæmones in illo igne cui alligati sunt, tamen promptum est cogitare quod, sicut dæmones in isto aere vel terra aliquid operantur, ita aliquid poterunt operari circa illum ignem, vel movendo se, vel movendo ignem aut animas aut alios dæmones.

* supra, n. 7, *Et præterea* ** infra, maxime n. 22

15. Ad instantiam * de animabus in limbo, dicemus circa tertium exemplum **. Interim sufficit dicere quod, si animæ in sinu Abrahæ nihil ibi operabantur, exsistebant per passionem in illo loco, id est, per detentionem, non quidem pœnalem, sed carcere quodam honorario : quia non permittebantur inde exire, et sic quasi vinctæ erant ibi, ut insinuatur in illo (Zach. IX, 11) : *Tu autem in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu in quo non erat aqua*. Et idem significant illa verba (Luc. XVI, 26), ubi Abraham loquitur ad divitem damnatum : *Inter vos et nos chaos magnum firmatum est : ut hi, qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neque inde huc transmeare*. Ergo etiam ad alia loca pœnalia non poterant illæ animæ moveri, sed erant impeditæ : non quidem ex natura sua, sed ex ordinatione divina; alioquin non peteret dives, ut Lazarus mitteretur ad se et ad domum patris sui, si non possent animæ moveri. Ergo erant animæ ibi detentæ, et sic passive exsistentes in loco. — An vero possint active operari circa alia corpora, et sic per modum agentis poni in loco, dicemus respondendo ad tertium exemplum *, ubi etiam de animabus in limbo.

* infra, n. 20-21

16. Quod vero attinet ad animam Christi Domini **, quando descendit ad limbum Patrum, S. Thomas (in III, D. 22, q. 2, a. 2, qla 1) sentit quod etiam lucem sensibilem et exteriorem produxit in illo loco, qua illum illustravit. Quando vero (in III P. q. 52 *) distinguit, quod ad quædam loca inferni descendit anima Christi secundum essentiam suam, ad alia per effectus suos, manifestus est sensus : quod ibi erat præsens secundum essentiam suam ubi operabatur immediate, v. g. lucem illam producendo, vel aliquid simile; in aliis autem locis pœnalibus erat per effectus mediatos, quia spiritus inferni increpavit, seu, ut dicit D. Petrus (epist. I, cap. III, 19), *his qui in carcere erant spiritibus veniens prædicavit*; sicut sol in visceribus terræ est per effectus mediatos, in isto vero aere per lucem manifestantem præsentiam ejus.

** supra, n. 7, *Et ipsa*

* a. 2

17. Quod vero additur * ex D. Thoma (in IV, D. 44) : Dicimus S. Doctorem non ibi dicere quod prius sit spiritum esse ligatum igni, quam pati ab eo, sed solum dicit quod res corporea habet ex sua natura quod spiritum loco definiat, sed non quod detineat vel alliget illi loco : sed hoc superadditur illi igni, ut est instrumentum divinæ justitiæ, « quod sic detinet spiritum, et ita efficitur ei pœnalis, retardans eum ab executione propriæ voluntatis, ne scilicet possit operari ubi vult et secundum quod vult. » Ubi D. Thomas nihil aliud docet, quam doctrinam hucusque traditam. — Denique, ad id quod additur * de actione ignis inferni in dæmones exsistentes in hoc aere : non urget. Dicimus enim quod ille ignis non est ratio ponendi spiritum in loco per passionem, nisi quando detinet illum apud se, et ligat ne alibi operetur. Si autem alibi operari permittit, sicut dæmones qui sunt in isto aere, erit quidem illi pœnalis, secundum quod magis vel minus restringit operationem ejus in alio loco, ne juxta voluntatem suam faciat [1] : non tamen est ratio ponendi illum in loco distanti, quia non operatur aliquam passionem immediate in eo receptam; sed in loco illo distanti ponetur spiritus per operationem quam ibi exercere permittitur ab igne, qui ex hoc illi pœnalis redditur.

* supra, n. 8

* supra, n. 8. *Denique*

18. *Ad secundum exemplum* *, in quo magnam vim faciunt auctores oppositi, quid scilicet operentur Angeli in cælo empyreo : Dico quod possunt producere aliquam lucem, aut augere

* supra, n. 9

[1] Mendose omnes : *faciant*.

eam quam illud cælum habet. Nam quod Angeli possint in corporibus lucem producere, affirmat S. Thomas (in I, D. 37, q. 3, a. 1 in corp.); et hoc conveniens est pluribus testimoniis Scripturæ, in quibus dicuntur aliqua loca sensibiliter ab Angelis illuminata, ut (Act. XII, 7) : *Angelus Domini adstitit* [1], *et lumen refulsit in habitaculo carceris;* et (Luc. II, 9) : *Angelus Domini stetit juxta illos : et claritas Dei circumfulsit illos;* et (Mat. XXVIII, 3) : *Erat autem adspectus ejus sicut fulgur.* Licet autem possint Angeli producere lucem, non tamen immediate poterunt alias qualitates alterativas producere, v. g. calorem aut frigus, nisi applicando activa passivis : eo quod lux est qualitas cælestis et magis pertinens ad qualitates intentionales, et ideo congruentius est ab Angelo produci quam qualitates elementales. Ex hac autem luce corpus illud cæleste maxime condecoratur : nam si de beatis dicitur (Apo. XXI, 24) quod *afferent gloriam suam et honorem in illam,* id est, in civitatem cælestem, multo magis Angeli luce suâ speciali gloriosissimam efficient habitationem illam. Et quia lux illa superioris perfectionis est, etiam conducere poterit ad aliquas influentias cæli empyrei in corpora inferiora : quia licet illud cælum sit immobile motu locali, tamen aliquid influere in hæc inferiora pertinens ad dignitatem seu permanentiam docet S. Thomas (I P. q. 66, a. 3 ad 2) retractans oppositum quod tenuerat (in II, D. 2, q. 2, a. 3).

19. Nec obstat quod cælum illud non emittit lucem suam ad nos. Hoc enim ideo est, quia illud corpus est subtilissimum : lux autem non ejaculatur radios, nisi sit in corpore denso, sicut sunt astra et planetæ : quibus astris caret illud cælum. Tamen nihil obstat quominus illa lux, utpote corporis ita nobilis, suas occultas qualitates influat in hæc inferiora : ad quod plurimum adjuvari poterit a perfectione lucis angelicæ, qua decoratur.

* supra, n. 10 20. *Ad tertium exemplum* respondetur :* non deesse qui existimant animas separatas per seipsas moveri non posse, eo quod circa nullum corpus operari possunt, ut agendo et movendo illi assistant, et præsentiam acquirant; sed moveri dicuntur, quia portantur ab Angelis; et sic solum passive assistunt in loco, non active. Sicut dicitur de anima Lazari (Luc. XVI, 22) : *Factum est ut moreretur mendicus, et portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ.* De anima autem Christi, quia certum est secundum fidem descendisse ad inferos, et iterum adscendisse ad sepulcrum, dicunt non fuisse motam naturaliter, nisi ut instrumentum Verbi divini. — Quorum fundamentum est : quia anima separata non potest per se movere aliquod corpus, ut docet S. Thomas (citata q. 117, a. 4, infra); ergo neque potest se movere per modum agentis, seu per modum contactûs activi erga corpora; solum ergo movebitur ab alio. I P. q. 117, a. 4

21. Ceterum in lib. *de Anima* (q. 12, art. ultimo*) ostendimus hoc non posse stare, sed animam rationalem esse substantiam per se mobilem : quia in separationis statu habet se sicut spiritus, et ad modum spiritûs operatur. Est autem inconveniens quod spiritualis et intellectualis substantia in vi statûs separationis deterior et imperfectior reddatur corpore se movente, et ipsa non possit nisi tantum moveri. Frustra etiam daret illi natura appetitum seu voluntatem circa res absentes et loco distantes, et privaret illam potentiâ motivâ exsecutivâ talis voluntatis, sed deberet exspectare si quis Angelus vel dæmon vellet illam ferre : quod certe esset deficientissima providentia in substantia ita nobili. Quod vero habeant voluntatem exsistendi in loco distanti, patet : nam animæ quæ sunt in purgatorio desiderant esse in cælo, et anima illa divitis petebat ut mitteretur ad se anima Lazari, et ad domum patris sui, et illi respondit Abraham quod chaos magnum firmatum erat inter illa loca, *ut hi, qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neque inde huc transmeare.* Supponit ergo quod volebant, sed impediebantur. Naturaliter ergo possunt animæ separatæ velle mutare loca; non ergo a natura debet eis denegari potentia loco motiva seu exsecutiva, quibus concessa est voluntas : cum etiam animalia vilissima, quæ appetitum habent et sensum de re absenti, loco motiva sint, ut dici solet (in lib. *de Anima*). Hæc et alia ibi* ostendimus, et explicavimus S. Thomam quod, quando negat animabus separatis vim loco motivam, loquitur de illis in ratione formarum, non in quantum operantur ut spiritus in vi statûs separationis : ut bene notat et sentit Cajetanus (III P. q. 52, a. 2, § *Quoad tertium*). Quare cum anima, in quantum forma, habeat vim movendi corpus vivificatum a se, in statu separationis habet vim spiritûs, ut possit etiam movere corpora non vivificata a se, aut in

* art. 7, punct. 2; RE III, 422-5

Luc. XVI, 24, 26

* RE III, 424

[1] Mendose omnes : *assistit.*

eis aliquid operari : sicut ad intelligendum accipit species infusas ratione statûs illius. Quare non est quod negemus animas posse habere contactum virtualem ad corpora quæ non informant, et movere illa, ac movere se per contactum et assistentiam ad illa : licet multo infirmior sit vis motiva naturalis in anima, quam in Angelo; et præternaturaliter esse poterunt per detentionem et alligationem passivam, sicut de Angelis dicemus (disp. 24 *).

* nunc disp. 44. a. 3

22. Quid vero in limbo operentur animæ parvulorum, aut quomodo ibi sint? — Respondetur quod, si animæ separatæ nihil possunt agere circa se vel circa corpora, non est dicendum quod sint ibi per aliquam operationem : sed omnino animæ sunt extra locum ex sua natura. Dicuntur autem ex divina ordinatione esse in istis vel illis locis alligatæ vel receptæ, quatenus ibi Deus aliquid operatur circa illas, aut quatenus vident se proportionem habere cum dignioribus vel indignioribus locis : nam, ut dicit S. Thomas (in *Addition*. q. 69, a. 2 * ad 2), « quædam animæ cum quibusdam locis magis conveniunt, sicut animæ spiritualiter illuminatæ cum corporibus luminosis, animæ vero obtenebratæ per culpam cum locis tenebrosis. » Si autem animæ separatæ agunt vel movent aliquod corpus et seipsas, possunt animæ in limbo aliquem motum exercere circa illa loca : quamvis propter generalem naturæ defectum, quæ est culpa originalis, non possint circa quælibet loca operari vel motum habere, sed tantum circa illa tenebrosa. Et sic « sunt in loco modo spiritualibus substantiis convenienti », ut ibidem dicit S. Thomas (ad 1 *).

* revera : *Suppl*. q. 69, a. 1, ad 2

* *Suppl*. q. 69, a. 1, ad 1

** supra, n. 11

23. *Ad quartum exemplum* ** de Angelo exsistente in vacuo : In primis, quod attinet ad D. Thomam, dicimus quod in illo *quodlibet* dicit Angelum posse esse in convexo cæli empyrei, id est, in ultima superficie, ubi adhuc non est vacuum, sed ibi terminatur ultimum corpus : ubi adhuc operari potest et contactum habere virtutis, atque adeo esse ibi ut in loco positivo. Si vero demus Angelum totaliter poni extra hunc mundum, aut fuisse productum a Deo ante hunc mundum visibilem, talis Angelus non esset ibi tamquam in loco saltem complete et juxta modum contactûs sui, qui est contactus operativus (unde ubi nihil est, non tangit : nec alias replet illud vacuum, sicut corpus). — Posset tamen habere ibi aliquam præsentiam ordinis seu in actu primo *, quatenus posset formare dictamen de operando in tali vel tali parte spatii illius vacui determinate, si ibi adesset corpus : ita quod ex vi talis dictaminis, si poneretur corpus, determinate operaretur et tangeret illud. Nec posset tunc inter duos Angelos in spatio illo positos fundari aliqua distantia positiva et formalis, quasi inter terminos extensionis et mensurationis; sed solum daretur distantia negativa et imaginaria, non fundata super Angelos, sed in ipso spatio imaginario, qualis modo datur etiamsi ibi Angeli non sint. Sicut enim, Angelo assistente alicui corpori, non ab ipso Angelo sed a corpore sumitur distantiæ mensura et extensio : ita remoto corpore et considerato solo spatio imaginario, non ab ipso Angelo sed a spatio sumitur imaginaria distantia.

* cf. supra, n. 11, *Nec potest*

24. Quod vero dicitur *, Angelum posse moveri per vacuum : — Si agatur de motu continuo positive transeunte per medium, negatur sic posse Angelum moveri : quia non movetur nisi secundum aliquem contactum virtualem et activum : nec enim repletivum spatii habere potest; activum autem in vacuo non potest exercere, cum ibi nihil sit in quod agat. Secus est de corpore, quod non habet contactum activum, sed repletivum spatii. Unde potest diversas repletiones mutare, et induere propinquitatem vel distantiam ad aliud corpus, quæ etiam acquiritur per motum. Et ideo remoto omni alio corpore non posset moveri : quia non haberet quid acquireret per motum, ut (in dicta quæst. 17 * *Physicorum*) notavimus. — At vero motu [1] discreto non transeunte per medium, bene posset Angelus exsistens in vacuo moveri ad corpus distans, eo modo quo dicemus infra *. Et sic non est inconveniens quod, secundum motum continuum, minus possit Angelus moveri in vacuo quam corpus : quia nobiliori motu movetur, scilicet per contactum virtualem non repletivum loci, et illius motûs vacuum non est capax; nec tamen manet immobilis, quia motu discreto moveri potest.

* supra, n. 12

* art. 2; RE II, 368-9

* art. 4.

25. TERTIO, ARGUITUR AB INCONVENIENTIBUS : Nam, si Angelus exsistit in loco per operationem transeuntem actualiter operantem, ergo si velit cessare ab omni operatione immutante corpus, ut si pure vellet contemplari, nullibi esset. Quod

[1] Omnes : *motu non discreto* : prave omnino.

est impossibile : quia res, exsistens in hoc universo, alicubi est, aut in universo non est.

26. *Confirmatur :* quia D. Thomas non exigit ad exsistentiam Angeli in loco operationem proprie operantem in rem extra. Dicit enim sufficere quod præsideat loco, etiamsi non moveat locum (ut patet *quodlib.* 1, a. 4); ergo ante operationem transeuntem, per solam præsidentiam in loco quæ potest esse per actum immanentem, Angelus exsistit in loco. Ergo non est necesse quod contactus Angeli ad locum sit per operationem erga locum; sed independenter a tali operatione debet dari contactus per aliquam unionem ipsius virtutis ad locum ante operationem in illo. Quia semper requiritur conjunctio et approximatio agentis ad passum, antecedenter ad operationem in ipsum passum et ex ipso passo elicita (1).

27. RESPONDETUR : Nullum debere censeri inconveniens quod Angelus maneat in hoc universo absque omni loco positivo : id enim expresse admittit S. Thomas (in I, D. 37, [q. 3], a. 1 ad 4) : « Hoc, inquit, non reputo inconveniens quod Angelus sine loco (2) possit esse, et non in loco, quando nullam operationem circa locum habet; nec est inconveniens, ut tunc nusquam, vel in nullo loco, esse dicatur : sicut etiam non est inconveniens, quod nullo colore coloratus esse dicatur. Sed tamen hoc non est imaginabile, quia imaginatio continuum non transcendit. » Itaque illud magnum absurdum quod aliqui reputant, quod Angelus possit non esse in loco, est inconveniens imaginationis, non rationis : ratio enim dictat quod substantia pure spiritualis, sicut Angelus, nullo modo subjicitur loco, neque dependet ab illo aut commensuratur illi, sed potius se habet ut quædam vis activa in illud superior omni corpore : et sic contactus ejus ad corpus debet esse per modum activitatis. Et hæc, cum operetur ex subjectione ad voluntatem liberam, potest cessare omnino; et sic manebit Angelus sine contactu erga illud corpus : quod est manere sine conjunctione seu præsentiâ positivâ ad corpus, quia hæc per aliquem contactum fit. Sicut etiam Deus, si velit destruere omnes creaturas, non erit in loco positive, sed solum in seipso : sicut modo non est positive in spatiis imaginariis, ut latius ostendimus (præcedenti tomo, disp. 8 *). Angelus ergo, si nihil velit operari erga corpus, solum poterit ibi esse præsens præsentiâ ordinis, id est, in actu primo, et secundum potestatem et ordinem ad talem locum, non secundum applicationem et contactum in actu secundo.

* art. 4; supra, tomo II, p. 23-32

28. Quando vero dicitur * quod illud, quod nullibi est, neque est : — Intelligitur quando nullibi est nec formaliter, nec radicaliter, ita quod neque secundum capacitatem ordinetur ad locum. Si autem de se potest esse si velit, et in actu primo et potestative est in aliquo loco, sed de facto et applicate non vult illum tangere, quia independens est ab illo, non sequitur quod nihil sit, ex eo quod alicubi formaliter non sit.

* supra, n. 25. *Quod est impossibile*

29. *Ad confirmationem* * *respondetur,* quod secundum D. Thomam ** Angelus est in loco non solum per motionem corporis, sed quocumque modo operetur in illo, vel uniatur illi aut præsideat illi. Sed tamen si præsideat sine aliqua operatione erga corpus, qua tangat illud, solum habebit præsidentiam (3) ordinis et in actu primo, quæ pertinet ad illud dictamen practicum quo Angelus ordinat se erga aliquem locum. Si autem præsideat operando aliquid applicate et in exercitio erga locum, erit in illo per positivum contactum et præsentiam formalem; et similiter si uniatur illi unione aliquâ passivâ, per quam exsistit modo præternaturali in loco. — Et ad id quod dicitur * de approximatione seu conjunctione ad locum antecedenter ad operationem : Jam supra ** diximus eâdem operatione Angelum posse se applicare et tangere locum, et operari effectum ex illo et in illo. Quod habet Angelus propter eminentiam suam et superioritatem erga corpus, ad quod non habet contactum nisi per modum virtutis activæ non subjectæ corpori, neque dependentis ab illo, ita ut prius indigeat illi commensurari et applicari quam operari. Itaque conjunctio et applicatio agentis ad passum tunc antecedit operationem ejus, quando fit per commensurationem et coaptationem quantitativam agentis cum passo, et tunc sequitur operatio; quando vero agens est omnino superius ad passum, ita quod non indiget illi commensurari per quantitatem, tunc non prius unitur quam operetur, sed ipsâ operatione subjicit sibi passum, et ex illo elicit effectum.

* supra, n. 26
** cf. supra, art. 1, n. 32
* supra, n. 26. *Quia semper*
** n. 4-5; et art. 1, n. 39-40

(1) Sic omnes : quod tolerari potest, si hoc verbum refertur ad nomen *approximatio* ‖ Censemus tamen legendum esse : *elicitam.*

(2) Corrupte omnes : *sine loco non possit esse* ‖ Emendamus ex edd. Divi Thomæ.

(3) Ita omnes, haud male ‖ Suspicamur tamen legendum : *præsentiam;* præsentia enim ordinis, et in actu primo, rectius opponitur præsentiæ operationis, seu formali et in actu secundo; cf. supra, art. 1, n. 30; art. 2, n. 4, 27.

30. Ultimo arguitur contra ultimam conclusionem : Quia Angeli possunt fundare distantiam et propinquitatem etiam ratione sui; ergo non solum habent *ubi* et præsentiam per modum actionis aut passionis, sed per modum distantiæ aut indistantiæ. — Antecedens probatur : nam si sint duo Angeli, alter in cælo, alter in inferno, plus distant quam duo exsistentes in aere; et non solum ratione corporum, cum ipsi independentes sint a corpore : ergo per seipsos. — Cujus etiam signum est : quia si Angelis sic exsistentibus annihilarentur omnia corpora, magis distantes manerent Angeli qui antea erant in cælo et in inferno, quam qui erant in aere; ergo ratione sui capaces sunt hujus distantiæ : alias non posset Deus destruere corpora, nisi destrueret Angelorum *ubi* et præsentiam.

31. *Confirmatur :* quia si Angeli ponerentur a Deo extra totum mundum visibilem, vel crearentur ante mundum visibilem, non essent substantiæ immobiles : alias dependerent in motu a natura corporea. Si autem moverentur, aliquid deberent acquirere per motum : quod non posset esse nisi aliqua distantia vel propinquitas; ergo sunt capaces *ubi* distantialis.

32. Respondetur : Angelos illos non fundare distantiam in se immediate, sed mediante corpore aut spatio in quo sunt : quia sicut in se positionem non habent in loco, ita neque distantiam aut propinquitatem, quæ positionem aliquam seu situationem importat. Solum ergo ratione corporis, cui assistunt, distantiam fundare possunt positivam et formalem, vel ratione spatii distantiam imaginariam. Et hoc modo dicerentur magis distantes Angeli qui sunt in cælo et inferno, quam qui sunt in aere. — Si autem annihilarentur* omnia illa corpora interjacentia, non manerent illi Angeli distantes vel propinqui positivâ distantiâ, sed negativâ, ratione spatii vacui seu imaginarii quod maneret; ratione autem sui unus Angelus non distat neque indistat ab alio. Sicut Angelus se extendens ad totam suam sphæram non dicitur secundum unam partem [distare a seipso secundum aliam partem] (1) quia correspondet multis partibus sine positione ad partes : sicut anima exsistens in pede non distat a seipsa ut exsistente in capite, cum tamen pars unius et ejusdem corporis distet ab alia. Sic duo spiritus non sunt capaces distandi inter se ratione sui, sed ratione corporis quod tangunt, vel spatii in quo remanent : non quia ipsi dependeant a loco ut sint, sed ut tangentes sint : quia non possunt contactum habere, si nihil tangunt.

* cf. supra, n. 30, *Cujus etiam*

33. *Ad confirmationem* respondetur,* quod Angeli extra omne corpus positi non sunt mobiles motu contactûs virtualis, et consequenter nec possunt acquirere *ubi* ob defectum materiæ circa quam sit contactus : sicut, si non essent corpora, animæ non essent informantes, nec modo informativo ob defectum materiæ. Posset tamen unus Angelus tunc agere in alium actione morali vel illuminativâ, et ex consequenti detinere illum per imperium practicum, formando et excitando in illo tam vehemens dictamen per imperium suum ut non auderet vel non posset inferior Angelus moveri, ex defectu dictaminis ad se movendum, impeditus ex imperio alterius.

* supra, n. 31

ARTICULUS III

Utrum repugnet unum Angelum esse in pluribus locis, vel plures in uno.

1. Sub hoc titulo *comprehendimus omnes difficultates,* quæ pertinent ad modum quo Angelus exsistit in loco : *quæ reducuntur ad quatuor.* — Prima : utrum Angelus ita sit in loco quod possit modo esse in majori, modo in minori, pro sua voluntate; an vero habeat modum uniformem essendi in loco, ita quod semper eodem modo in loco sit : sicut corpus, quod ratione quantitatis commensuratur loco, non potest pro libito collocari modo in majori, modo in minori, nisi juxta extensionem quantitatis. — Secunda : utrum Angelus possit simul esse in diversis locis adæquatis. — Tertia : utrum saltem in pluribus inadæquatis esse possit, intra eamdem videlicet sphæram suæ virtutis. — Quarta : an plures possint esse in eodem loco; an vero repugnet pluribus Angelis identitas loci, sicut pluribus corporibus.

(1) Omnes : *non dicitur secundum unam partem, qua correspondet...* sententia prorsus manca atque corrupta || Quæ inter quadratos uncinos addimus difficilem hunc locum satis apte sanare credimus.

ANGELUS POTEST ESSE IN MAJORI VEL MINORI LOCO INTRA EAMDEM SPHÆRAM.

2. *Communis theologorum sententia est*, Angelum intra sphæram suæ virtutis non coarctari ad exsistendum in loco determinato, sed posse esse in majori vel minori : licet Vazquez (in præsenti, disp. 191, c. 1) ex Gregorio [1] referat opinionem cujusdam Hibernici [2] (in I, D. 8, q. 2), qui dicebat Angelum ita postulare sibi determinatum locum, ut neque in majori neque in minori esse posset [3] : immo dicebat locum Angeli esse circularis figuræ; quod si Angelus aliquando assumit corpus minoris quantitatis quam possit, dicebat substantiam illius aliquâ ex parte esse extra tale corpus. Et eamdem sententiam tribuit Bassolio (in II, D. 2, q. 4, a. 1, præsertim in solutionibus argumentorum).

3. Scotus vero (in II, D. 2. q. 6, § *De isto articulo* *) dixit Angelum habere locum determinatum versus maximum, ita quod non posset esse in minori [4], licet (§ sequenti *) fateatur rem hanc esse dubiam. — Alii existimant Angelum habere determinationem loci versus maximum, non tamen versus minimum, sed posse esse in minori et minori in infinitum. Pro qua sententia Vazquez * citat plures ex antiquis : Bonaventuram **, Gabrielem ***, Majorem †, Marsilium †† et alios. — Ipse autem Vazquez (ibidem, c. 2) sentit habere quidem terminum, quoad maximum, exsistentiam Angeli in loco, et posse in minori collocari; esse vero incertum utrum versus minimum habeat aliquem terminum, an vero possit esse in minori vel minori loco in infinitum.

* § De isto igitur articulo, n. 13
* n. 14

* I P., disp. 191, c. 1, n. 2
** II, D. 2, pars 2, a. 2, q. 3, ad 3
*** II, D. 2, q. 2, a. 3, dub. 2
† II, D. 2, q. 9
†† II, D. 2, q. 2, a. 2 concl. 6 et 7

4. *Sensus autem D. Thomæ manifestus est* (in hac q. 52, a. 2) ubi inquit quod « non est necesse quod Angelo determinetur unus locus indivisibilis secundum situm : sed vel divisibilis vel indivisibilis, vel major vel minor, secundum quod voluntarie applicat suam virtutem ad corpus majus vel minus. Et sic totum corpus, cui per suam virtutem applicatur, correspondet ei ut unus locus ». I P. q. 52, a. 2.

5. *Ex quo duo deducuntur*, in quibus communiter auctores conveniunt; in uno vero est major difficultas. — Primum est quod, cum virtus Angeli sit limitata, non potest esse in quocumque loco quantumvis maximo, sed in loco finito et determinato. Alioquin esset ubique, si determinatum locum non haberet : quod esset incidere in opinionem Durandi * supra ** rejectam de exsistentia Angeli ubique.

* I, D. 37 pars 2, q. 1, n. 26-39
** art. 1, n. 7

6. Secundum est quod intra illam sphæram, cui potest Angelus assistere, non cogitur semper toti illi loco præsens esse et illum tangere, sed posse esse in minori intra talem sphæram. Quam sententiam non solum discipuli D. Thomæ communiter, sed etiam alii auctores supra * citati, præter Hibernicum et Bassolium, sequuntur. — Et convincuntur ad hoc, tum exemplo animæ rationalis quæ aliquando informat corpus minus, aliquando majus intra suam sphæram; et tamen, quando informat minus corpus, non collocat substantiam suam extra illud in aliquo loco sibi correspondente, ut impleat totam suam sphæram. Si quidem anima non potest esse nisi informando, vel separata; modo autem separata non est, cum informet corpus nostrum. Extra illud autem non informat aliud corpus; nec est extra illud tam-

* n. 2-3

(1) Reverà Gregorius Ariminensis (in II, D. 2, q. 2, a. 2, post medium) hanc opinionem recitat quasi quam sustinuerit « quidam doctor », silens de nomine. At in multis ejus editionibus (v. g. in Mediolanensi 1494 ; in Veneta 1503, 1518, 1522, etc.) ad marginem addita est notatio hujusce modi : « Hibernicus, lib. I, dist. 8, q. 2, in solutione 4^ti argumenti ».

(2) De Thoma Hibernico legendus est B. Hauréau in *Histoire littéraire de la France*, t. XXX, p. 398-408; item P. Féret, *La Faculté de théologie de Paris*, Moyen-âge, t. III, p. 238-241.

(3) Hujusmodi sententia reperitur in codice Parisiensi (Bibl. nation., ms. latin 15853) qui Thomæ Hibernici Quæstiones super Sententias exhibet, nempe sub quæst. 16 (quæ Distinctioni 8 libri I^i correspondet, ut fol. 102^v ad marginem notatur), in responsione ad 4um argumentum, fol. 107^v, col. A : « Hoc mihi videtur probabiliter posse dici... quod [fol. 107^v, col. B] angelus circumscribitur loco ratione essentie sue, modo tamen quo dixi in propositione tertia : scilicet quod, cum fuerit per se non in corpore et fuerit locus undique juxta ipsum, tunc est in aliquo loco vel situ spherico maximo in quo potest esse ex se. Nec potest ex se esse in majori vel minori, pro suo libito : sed semper, quantum est ex se, in tanto loco vel situ ; licet per potentiam Dei posset esse in minori loco per unionem cum corpore, sicut anima humana unitur. Et similiter potest Deus facere ipsum esse in majori loco... absque corpore aliquo. — Ad argumentum, concedo conclusionem, quod angelus potest esse simul in locis maxime distantibus : et hoc per potentiam Dei, uniendo ipsum cum corpore. Sed non ex potentia propria potest esse nisi in unius quantitatis loco, et hoc dico in loco spherico : sive assumatur sibi corpus, sive non, dum tamen non uniatur corpori assumpto nisi per se, scilicet tali unione quam potest libere dimittere; tunc enim, nisi corpus illud fuerit tante quantitatis quante quantitatis est suus locus qui ipsum consequitur naturaliter, ille angelus non solum erit in isto corpore, sed etiam extra. Nec potest esse ex se in loco vel corpore longinquiori quam suus locus naturalis, ut ita loquar; et sic intelligit Damascenus et similiter alii auctores, cum dicunt quod angeli non possunt simul esse in celo et in terra : scilicet, non possunt hoc ex se ; sed potest fieri per potentiam Dei »...

(4) Intelligito : *esse in minori* [*et minori in infinitum*]; quod patebit legenti Scotum in II, D. 2, q. 6, n. 11-14.

quam separata, quia unita est corpori; nec partim unita, partim separata, cum careat partibus. Eadem ergo substantia animæ modo est in minori corpore, modo in majori. Ergo similiter poterit Angelus esse. Sicut etiam, quia corpus Christi est in eucharistia ad modum spiritualis substantiæ, modo correspondet minori hostiæ, modo majori. — Ex Scriptura etiam colligimus fuisse in uno homine legionem dæmonum (Marc. v, 9, et Luc. VIII, 30), et similiter septem dæmonia de Maria Magdalena exiisse * : quod stare non potest nisi illi spiritus in minori parte corporis essent, quam secundum se esse possint : cum aliquando unus Angelus in majori corpore appareat. Nos autem colligimus locum Angeli majorem vel minorem ex corporibus in quibus manifestantur.

* Luc. VIII, 2

7. Difficultas est in duobus. Primo, in reddenda ratione quare Angelus possit esse in minori parte seu loco quam possit esse intra suam sphæram. Secundo, an possit esse in loco indivisibili. — Nam circa primum, qui sentiunt Angelum esse in loco per suam substantiam *, vel per aliquod *ubi* seu modum intrinsecum antecedenter ad omnem operationem et contactum Angeli *, difficile possunt reddere hujus rei rationem : quia substantia non potest mutari in quantum substantia est, ita ut modo correspondeat majori spatio, modo minori. Ipse autem modus seu *ubi* intrinsecum non potest modo esse majus, modo minus, nisi detur aliqua causa et principium fundans talem mutationem; hoc autem non potest fundari in ipsa substantia secundum se sumpta, quia substantia de se est indifferens ut sit in majori vel minori loco; ergo oportet aliquid superaddere quod talis varietatis sit ratio et fundamentum.

* cf. supra, art. 1, n. 7

* cf. supra, art. 1, n. 9

8. *Nec sufficit* assignare, pro causa hujus majoris vel minoris præsentiæ, ipsam voluntatem Angeli tantum, ut assignat Suarez (lib. IV de Angelis, c. 11). Nam voluntas est quidem sufficiens causa effectiva motûs et applicationis Angeli ad locum; non tamen potest ipsa, pro sua libertate, immutare modum quo res aliqua assistit in loco. Sicut nos etiam liberâ voluntate movemur ad loca, non tamen possumus in minori aut majori loco esse pro nostra voluntate : sed debemus accommodare nos loco juxta modum extensionis et commensurationis ad locum. Si autem possemus in majori vel minori loco pro nostro arbitratu constitui, deberet in ipso corpore assignari ratio aliqua seu commensuratio, ratione cujus posset modo majori loco correspondere, modo minori. Cum ergo Angelus ita possit exsistere, oportet præter voluntatem (quæ est causa effective applicans virtutem motivam Angeli) assignari ex parte ipsius Angeli rationem, per quam est habilis ad exsistendum in majori vel minori loco.

9. Nec sufficit pro ratione hujus assignare ipsam indivisibilitatem substantiæ Angeli, ut assignat Arrubal *. Hoc enim est commune omnibus Angelis, quod habeant indivisibilitatem; et tamen unus potest occupare majorem locum quam alius. Quod non potest provenire nisi ex aliqua majore virtute, seu ratione positiva : nam indivisibilitas, quæ est negatio quantitatis, æqualis est in omnibus. Similiter stante eadem indivisibilitate in uno Angelo potest modo esse in majori loco, modo in minori; ergo oportet assignare rationem unde illa indivisibilitas sic potest variare modum præsentiæ, et non eamdem semper habere : cum tamen indivisibilitas, seu carentia quantitatis, eadem omnino sit. — Nec denique ipsum *ubi*, seu modus præsentiæ aut unionis, potest esse ratio et fundamentum hujus diversitatis. Nam hoc est quod inquirimus : ex quo principio proveniat, quod istud *ubi* aliquando sit majus vel minus, id est, majori loco vel minori correspondeat; vel etiam ipsa unio * ad corpus, cur modo sit ad tantum corpus, modo ad minus. Dicere ergo quod ratio et principium hujus est ipsum *ubi*, est petere principium : quia de hoc inquirimus.

* disp. 157, c. 2, n. 9

* cf. supra, art. 1, n. 10

10. At vero **in sententia D. Thomæ * facillime assignatur ratio et fundamentum ex parte Angeli, quare possit esse in majori vel minori loco intra suam sphæram : nimirum, quia contactus Angeli est contactus formæ agentis et virtutis ejus ad passum, in quantum illud sibi conjungit ut ex ipso vel in ipso incipiat aliquid operari, ita quod ex illo educat aliquem effectum per virtutem suam.** Et cum virtus ista sit pure activa, et non quantitativa seu in quantitate exsistens, non prius applicatur quam agat, sed agendo applicatur, ut supra * diximus : quia in agendo non dependet a commensuratione quantitativa cum passo, tamquam a condicione requisita, sed est virtus subjiciens sibi passum ad operandum ex illo. Non autem subjicit illud sibi informando, sicut anima nostra, sed operando et agendo ex illo : ita quod eadem operatio Angeli propter eminentiam suam, quia est actio virtutis liberæ et independentis a condicionibus et quan-

* cf. supra, art. 1, n. 8

* art. 1, n. 39-40; art. 2, n. 4-5, et n. 29

titate corporis, non aliter commensuratur corpori quam subjiciendo illud sibi, non autem prius se illi commensurando per aliquod accidens nonactivum, sicut corpus per quantitatem applicatur et commensuratur corpori prius quam agat.

11. Et quia non est in manu agentis corporei dilatare vel coarctare istam quantitatem per quam est in loco, ideo non potest esse in loco majori vel minori, nisi juxta exigentiam suæ quantitatis. Angelus autem non supponit aliquod accidens vel aliquam rationem antecedentem ad suam virtutem, per quam commensuretur loco; sed primus et immediatus contactus Angeli ad corpus est per ipsammet virtutem activam, ut subjicientem sibi tale passum. Et quia virtus activa non subjicit nisi operando, oportet quod ipsa operatio habeat duo officia : et facere effectum ex subjecto : et subjectum ipsum sibi conjungere et subjicere, quatenus ex illo vult operari; et hoc munus est prius quam ipsa productio effectûs. Virtus autem Angeli operatur ex directione voluntatis, quæ potest applicare illam et moderari seu temperare ad tantum vel tantum effectum; et consequenter potest applicare virtutem ad tantum vel tantum passum, prout voluerit circa illud vel ex illo operari.

* cf. supra, n. 7, *Secundo*

12. CIRCA SECUNDUM * vero, quod in hac parte facit difficultatem, videlicet an possit Angelus se constituere in indivisibili, non solum in superficie vel lineâ (quia ista simpliciter habent partes et divisibilia [1] sunt, licet quantum ad aliquid indivisibilitatem habeant), sed etiam in puncto, quod est omnino indivisibile : — Vazquez (hîc, disp. 192, c, 2) tenet cum Scoto (in II, D. 2, q. 6, § *Ad propositum* *) nihil in hac re compertum esse, et fundamenta S. Thomæ, qui tenet Angelum esse in loco per contactum operationis, infirma esse ad probandum posse Angelum esse in puncto : quia non potest virtus Angeli aut operatio ejus recipi in puncto, neque per punctum posse derivari et communicari virtutem Angeli in reliquum corpus; ergo non potest Angelus poni in puncto ratione operationis suæ, quia punctum non est capax talis operationis.

* n. 11; et magis n. 14

13. **NIHILOMINUS expresse D. Thomas (in hac q. 52, a. 2) affirmat locum Angeli posse esse divisibilem et indivisibilem** (idem affirmat in I, D. 37, q. 3, a. 2). — *Et hoc probatur :* quia ex parte Angeli nulla est dependentia a partibus continui; et ex alia parte potest aliquis effectus ejus terminari ad punctum . Nihil enim inconvenit quod possit aliquod corpus tangere aliud in puncto, et moveri per puncta : ut est communis casus in philosophia, si corpus perfecte sphæricum tangat perfecte planum. Inde enim probatur dari indivisibilia (in VI *Physic.* *) : quia talis globus tangeret perfecte planum in indivisibili, et moveretur ex parte [2] : quia tangeret planum motu discreto saltando partes, et solum tangendo indivisiblia. Sed dari talia duo corpora, scilicet perfecte sphæricum et perfecte planum non repugnat, sive per naturam, sive per artem et operationem ipsius Angeli, sive etiam ab ipso Deo immediate. Ergo non repugnabit tunc etiam Angelum uniri illi corpori sphærico, et movere illud majori velocitate vel minori per illud corpus planum, tangendo id in quo fit motus vel contactus corporis sphærici. Ergo si solum tangit in puncto, solum Angelus constituet se in puncto; ergo non est cur negemus quod Angelus possit se constituere in puncto et movere in puncto, si id potest corpus. — Præterea non repugnat quod Angelus possit designare aliquod punctum in loco vel in lapide, et illud extrahere seu corrumpere ut resultet aliud punctum loco illius; ergo poterit tunc applicari soli puncto, et in illo operari aliquem effectum, vel extrahendo illud, vel designando, aut aliquid simile, vel etiam movendo corpus motu aliquo discreto : sicut movetur corpus ipsum, quando est perfecte sphæricum in perfecte plano.

* cf. auctoris *Curs. phil.*, RE II, 417*b*: 431-2

14. Quare pro hac parte stabilienda non est necesse plures rationes multiplicare, nec illam difficultatem decidere : an possit Angelus diffundere virtutem vel operationem in corpus, incipiendo a puncto, aut etiam motum imprimere partibus per punctum. Quidquid enim sit de hoc, sufficit nobis contra Vazquez evidenter ostendere quod non repugnet fieri motum in puncto, saltem discretum, sicut potest ab ipso corpore fieri : eodem enim modo non repugnabit Angelo illum facere. Et tunc, si corpus movetur in puncto, et ad motum illius omnes partes moventur (quia totum illud corpus sphæricum mutatur de loco ad locum), quid prohibet quod etiam Angelus moveat idem corpus taliter quod ex puncto incipiat motus, et diffundatur ad partes : sicut quando

[1] Ita, manifeste, legendum ‖ Mendose omnes : *indivisibilia.*

[2] Omnes : *ex parte* ‖ Suspicamur emendandum : *ex [hac] parte* ‖ Aut fortasse : *ex puncto.*

globus tangit planum in puncto omnes partes ejus moventur? — Quare ad fundamenta Vazquez *, quæ solum petunt quem effectum possit Angelus operari in puncto, ex dictis manet plene responsum : quia jam assignavimus quid possit operari, scilicet illum motum.

ANGELUS NON POTEST ESSE SIMUL IN PLURIBUS LOCIS ADÆQUATIS.

15. Circa secundam difficultatem, initio articuli * propositam, *sententia D. Thomæ est,* quod unus Angelus non potest esse in pluribus locis sibi adæquatis. Quod omnino certum est, supposito quod Angelus habeat limitatam virtutem et efficaciam, seu rationem exsistendi in loco : nomine enim adæquati loci intelligimus maximum locum quem potest tali virtute vel ratione attingere. Unde si est maximus in quem potest, non potest in vi naturalis virtutis in alio extra illum, sive adæquato sive inadæquato, exsistere. — Quæ ratio in omnium sententia procedit : nam sive substantia Angeli, sive unio ad corpus, sive modus aliquis præsentiæ, sive ipsa operatio sit ratio exsistendi in loco, constat quod quidquid ponatur, totum est finitum; ergo debet habere terminum quo adæquetur talis finita ratio, et consequenter ex vi illius rationis non potest ultra illam adæquationem seu terminum exsistere. Ergo idem est exsistere in pluribus locis adæquatis, atque excedere terminum adæquatum suæ limitatæ virtutis. Si autem hoc semel potest excedere, non restat aliqua ratio unde limitetur; et sic poterit esse ubique.

16. DIFFICULTAS vero EST RESPECTU POTENTIÆ DEI ABSOLUTÆ : an possit Angelus exsistere ultra locum adæquatum naturalem, extendendo virtutem contactivam taliter ut, sine ulla additione substantiæ, ultra proprium et adæquatum locum excurrat : hæc enim addi non potest, cum sit indivisibilis, et partes non admittat, quæ sequuntur materiam. Si autem adderetur Angelo virtus ultra limitationem naturalem, quam de se habet, jam inciperet pro loco adæquato habere majorem sphæram quam antea habebat. Et sic numquam videtur verificari quod Angelus sit in duplici loco adæquato formaliter loquendo, si exsistit in loco per virtutem operativam : bene tamen in duplici loco materiali, id est, in eo quod antea erat locus adæquatus naturali limitatione suæ virtutis, et ultra illum in alio qui sibi convenit per virtutem superadditam; sed tamen, suppositâ istâ additione et augmento virtutis, jam sibi convenit pro loco adæquato aliquid amplius quam antea. Unde hâc suppositione factâ mutatur terminus adæquatus loci angelici, et incipit habere novam sphæram et terminum, et positio intra illum erit intra locum adæquatum : intra quem poterit esse in minori, qui inadæquatus erit termino quem nunc habet suppositâ additione virtutis, licet respectu virtutis minoris (quæ antea erat) adæquatus fuerit. Si autem non fiat aliqua additio virtutis vel operationis secundum quam potest habere contactum ad locum, sed maneat eadem quæ antea erat, non poterit per modum operationis esse in alio loco, quam qui tangitur a tali virtute.

17. **QUARE unico verbo RESPONDETUR, quod in nostra sententia de exsistentia Angeli in loco mediante contactu virtuali operationis non potest Angelus esse in duplici loco adæquato formaliter, id est, in aliquo loco ultra terminum qui sibi competit ex virtute contactiva naturali vel superaddita a Deo; bene tamen potest esse ultra locum adæquatum suæ propriæ et naturali virtuti, si illa a Deo augeatur;** nullâ tamen superadditâ virtute, non poterit Angelus esse in aliquo loco ultra adæquatum terminum suæ virtutis quam habet.

18. *Patet hoc :* quia contactus iste, de quo loquimur, est contactus operativus, qui necessario fit per virtutem aliquam et operationem procedentem ab ipso Angelo; ergo si talis virtus non superaddatur, non poterit habere contactum operativum ultra terminum proprium. Si autem non potest ultra illum operari, neque potest tangere : quia tangere est operari. — An vero possit esse in duplici loco, in uno per actionem connaturaliter, in alio per passionem præternaturaliter : non apparet aliqua implicatio, ut dicemus * in solutione argumentorum; sicut corpus potest esse quantitative in loco per modum connaturalem, et indivisibiliter seu sacramentaliter in alio loco, ut contingit in corpore Christi. * infra, n. 23-24

19. *Sed objicies :* Non [1] repugnat Angelum sine additione virtutis poni in alio loco a Deo; ergo potest esse in duplici loco formali adæ-

[1] Corrupte omnes : *Nam repugnat...*

quato. — Antecedens probatur : quia Deus potest facere quod ignis, qui calefacit hîc, calefaciat Romæ, nullâ superadditâ virtute; ergo etiam poterit facere quod Angelus, qui operatur hîc, operetur in cælo, nullâ virtute superadditâ. Sed per te Angelus habet contactum ad locum per operationem. Ergo poterit habere contactum ad illum duplicem locum, ubi operatur, sine additione virtutis. Ubi autem habet contactum Angelus, etiam habet præsentiam localem; ergo potest esse in duplici loco adæquato formaliter. — Confirmatur : quia Angelus potest esse in loco per passionem, sicut per operationem; ergo poterit Deus facere quod Angelus patiatur in inferno, et operetur in cælo; et sic utrobique erit ejus substantia secundum diversas rationes exsistendi in loco.

20. *Secundo arguitur* ex alia parte : Quia repugnat Angelum esse in pluribus locis adæquatis, etiam materialiter, et ultra sphæram quam naturaliter habere potest, etiam per additionem virtutis : quia virtus addita de novo non affert novam additionem substantialem : nec enim se habet sicut quantitas corporea, quæ, si superadditur, affert secum novam partem materiæ, ut sibi correspondeat; ergo non potest illa virtus superaddita collocare substantiam Angeli in loco distincto. Alias posset Angelus vel anima ubique exsistere : quia sine additione substantiæ potest, eadem manens, in aliis locis sine termino poni solum per additionem virtutis.

21. Confirmatur : quia virtus superaddita ad virtutem naturalem Angeli solum potest esse instrumentalis, quia per illam movet Deus Angelum ut operetur in loco ubi naturaliter non potest; sed virtus instrumentalis Dei æque potest agere in propinquum et remotum; ergo ex vi illius compatitur distantiam seu absentiam Angeli quando operatur in rem distantem; ergo non potest esse ratio habendi contactum seu præsentiam in loco.

22. *Ad primum* respondetur,* quod bene potest Deus facere quod virtus Angeli hîc exsistens operetur in cælo : sed non æque immediate atque hîc, nisi addatur distincta virtus per quam inde etiam incipiat operari immediatione suppositi, sicut hîc. Sicut etiam ignis, exsistens hîc, potest operari Romæ ubi non exsistit : non tamen operabitur Romæ immediatione suppositi, nisi ibi collocetur a Deo tamquam in loco; sed solum dicitur operari Romæ, quia ponit ibi calorem sine transitu per aerem medium. Et hoc ideo est : quia immediata applicatio, seu operatio immediatione suppositi, non est quæcumque operatio agentis, sed illa unde primo egreditur motus ab agente et passo. Non potest autem duplex operatio æque primo et immediate oriri ab aliquo agente ex duplici passo distante, supposito quod tota ejus virtus adæquatur isti loco, et non additur illi major virtus ut alteri etiam loco assistat tamquam ad sphæram suam pertinente, ita ut etiam ab illo æque primo incipiat. Quare si virtus divina facit ut operetur Angelus in loco distante ultra propriam sphæram, sine additione novæ virtutis, ille effectus erit mediatus, perinde ac si virtus Angeli per diffusionem sui tangeret illum locum; id autem, quod Deus supplet, est ut, sine diffusione virtutis per medium, operetur Angelus hîc exsistens in loco remoto. Constat autem quod substantia Angeli non collocatur in loco per virtutem diffusam, sed ut primo operantem et egredientem ab ipso agente : potest enim diffundi virtus et effectus Angeli etiam ultra locum ubi est ejus substantia. Sed si illi superadderetur tanta virtus, ut posset immediate incipere suam operationem a majori sphæra, ita ut inciperet ab eo loco in quo nunc est, et ab alio qui sibi ante erat distans, tunc non repugnabit quod Angelus sit etiam in illo loco per suam substantiam : quia tunc haberet majorem sphæram.

23. Ad confirmationem* respondetur : nullum esse inconveniens quod Angelus sit in duplici loco divinitus, in uno connaturaliter et per operationem, in altero præternaturaliter vel supernaturaliter per passionem. Neque hoc est contra D. Thomam : quia solum loquitur de duplici loco connaturali et de exsistentia in loco per operationem. Sicut etiam in corporibus non repugnat quod per unam rationem formalem, v. g. per circumscriptionem, sit corpus in uno loco, et in alio per modum sacramentalem. Et similiter si vellet Deus convertere substantiam panis hîc exsistentem in substantiam Angeli exsistentem in cælo, sicut convertit eam in corpus Christi exsistens in cælo, tunc substantia Angeli esset in cælo et hîc, non tamen utrobique modo connaturali. Ut tamen passio constituat Angelum in alio loco, oportet quod ita retineat Angelum apud se in vi passionis, quod non impediat ipsum operari alibi, ut ibi connaturaliter exsistat : sed detineat sine alligatione potentiarum, sicut erant animæ in sinu Abrahæ.

* supra, n. 1 *Confirmata*

24. *Ad secundum* [1] * *respondetur* : virtutem illam posse addi Angelo sine additione novæ substantiæ : sicut docet D. Thomas (infra, q. 117, a. 4) quod animæ rationali, quæ in virtute suæ naturæ non potest movere corpus nisi vivificatum, potest superaddi ei aliquid virtute divinâ, ut moveat corpus non vivificatum a se. Quia ergo substantia spiritualis obœdientialiter est capax ut sibi major ac major virtus superaddatur, quam quæ naturaliter est in illa, ideo substantia Angeli potest non naturaliter, sed obœdientialiter, in majori et majori loco esse, fortificando et augendo ejus virtutem operativam et contactivam corporis. — An vero possit superaddi usque in infinitum syncategorematice, an vero habeat certum terminum illa virtus, ultra quem transire non possit : Dependet ex opinionibus de extensione vel intensione virtutis, an terminentur [2] termino aliquo intrinseco, etiam in ordine ad potentiam Dei, vel possit in infinitum crescere sine termino. In hac enim opinione concedi debet quod Angelus potest esse in toto mundo divinitus : sicut potest Deus convertere substantiam omnium corporum exsistentium in mundo in corpus Christi, et tunc esset in toto mundo; sed non esset sicut Deus ubique : quia non per se primo esset ubique, sed ex adjuncto.

25. Ad confirmationem * respondetur : virtutem illam, sic superadditam Angelo ad tangendum corpus et operandum in illo, non esse instrumentalem, sed ejusdem rationis cum præcedente : quia eam auget in sua intrinseca ratione, magisque extendit; licet quoad modum supernaturaliter augeatur, quia ex propriis causis non est debita quoad tale augmentum. Sicut etiam lux solis augebitur post diem judicii, juxta illud (Isa. xxx, 26) : *Et lux solis erit septempliciter*. Et ipsi beati habebunt lucem clariorem luce solis, ut affirmat S. Thomas (in *Addition.* q. 85, a. 2 ad 2; et opusc. x *, art. 36).

ANGELUS QUOMODO POSSIT ESSE IN DUPLICI LOCO INADÆQUATO.

26. Circa tertiam * difficultatem duplici modo controvertitur, utrum Angelus possit esse in duplici loco inadæquato : Uno modo intra suam sphæram exsistendo in duplici parte inadæquatâ illius, licet divisâ et discontinuatâ inter se. Secundo, utrum extra sphæram propriam possit habere unam præsentiam inadæquatam, et alteram etiam inadæquatam intra suam sphæram. Verbi gratia, si Angelus habet pro sphæra et termino in quo possit exsistere præsens unam leucam, potest esse difficultas : utrum intra illam leucam possit habere discontinuatas præsentias inadæquatas, v. g. exsistendo in quadrante leucæ, et similiter in alio quadrante, cum discontinuatione intermediâ; vel secundo, utrum possit habere præsentiam inadæquatam intra istam leucam, v. g. dimidiam leucam occupando hîc, et aliam dimidiam in loco longe distante, v. g. in cælo.

27. *In hac re, qui existimant* præsentiam Angeli non fundari in operatione, sed in ipsa substantia, seu modo superaddito, difficile reddunt rationem cur non possit Angelus divisim exsistere in pluribus locis inadæquatis, non exsistendo in intermediis. — Ex una enim parte urget illa ratio : quia Angelus ita exsistit in loco, quod totus exsistit in toto et totus in qualibet parte; ergo, etiamsi aliquibus partibus illius totius non exsisteret, nihil propterea deperiret Angelo; nec apparet in quo fundetur essentialis dependentia Angeli a continuitate assistentiæ in loco. — Et confirmatur exemplo præsentiæ corporis Christi in eucharistia : potest enim esse in una hostia, et in alia quantumcumque distanti; ergo id non repugnabit Angelo, qui etiam exsistit totus in toto et totus in qualibet parte, sicut corpus Christi.

28. Ex alia vero parte instat illud maximum inconveniens : quia alias posset Angelus naturaliter esse simul in cælo et in terra; immo in locis distantissimis in infinitum posset simul operari, dummodo in quolibet haberet præsentiam inadæquatam : si semel non dependet a continuitate corporis seu loci, cui applicatur, ut exsistat hîc et ibi, nulla est ratio cur non possit in quacumque distantia poni simul. Quod communiter negant Patres, ut Damascenus (lib. I de Fide, c. 17 *) ubi inquit : « Nec enim in pluribus aut diversis locis Angelus operari in eodem tempore potest; » et (lib. II, c. 3 **) inquit quod « Angelus, quando est in cælo, non est in terra ». Et Didymus (in lib. de Spiritu S., longe a principio ***) inquit quod « Angelus, qui aderat Apostolo in Asia oranti, non poterat simul adesse aliis in ceteris mundi partibus constitutis ». Ergo Angelus non potest ita dividere operationes suas

* nunc c. 13; PG 94, 853 A

** PG 94, 869 A

*** n. 6; PG 39, 1038 B

[1] Ita corrigit P || Malc MLC *secundam*.

[2] Sic omnes || Opinamur legendum : *terminetur*.

inadæquatas, ut possit extra suam sphæram poni in pluribus locis inadæquatis sibi. — Immo sequeretur non indigere Angelum moveri de uno loco ad alium : sed exsistendo in uno loco, et non relinquendo illum, posset in alio longe distanti operari. Videtur autem hoc repugnare ex intrinsecâ naturâ rei exsistentis in loco : quia, hoc ipso quod loco applicatur, non potest nisi uni loco et per unicum medium applicari : ut inductione constat in corporibus, et similiter in anima rationali quæ non potest informare duo corpora quantumvis parva, nisi sint continua per modum unius. Licet super hoc possit dispensare virtus divina, sicut dispensat in corpore Christi exsistente in eucharistia per supernaturalem virtutem discontinuando diversa loca : quia non ponitur ratione sui, sed ratione panis in ipsum conversi, in quibuscumque locis panis vel accidentia ejus sint. Quod autem aliquid per seipsum connaturali modo possit loco discontinuari, non apparet conforme modo et rationi exsistendi in loco.

29. *Qui vero existimant* Angelos esse in loco per præsentiam fundatam in operatione vel contactu virtutis, (sicut Thomistæ), communiter tenent posse Angelum intra suam sphæram esse divisim in locis inadæquatis : eo quod potest operationem suam intra illam sphæram divisim inchoare a diversis partibus non continuis, quæ sunt loca inadæquata : eo quod non dependet Angelus a continuitate spatii in operando, nec subjicitur legibus loci. At vero extra sphæram illam dicunt non posse Angelum operari in locis distantibus, etiam partialibus et inadæquatis. Ita magister Bañez (hîc, in hac q. 52, a. 2, dub. 1 *; et ibidem, a. 2, ad 3m inconveniens), Ferrariensis (III *Contra Gent.* c. 68), et hoc propter inconvenientia allata ** : nam a priori vix potest reddi ratio cur Angelus non possit esse in locis distantibus partialibus, quorum unus sit extra suam sphæram, dummodo uterque non excedat adæquationem ejus et efficaciam operandi, si simul jungerentur.

* concl. 3 et 4

** supra, n. 28

30. Res ista omnino nobis occulta est. **VEROSIMILIUS TAMEN VIDETUR, quod naturaliter loquendo non potest Angelus discontinuare locum suum, neque intra suam sphæram, neque extra; sed hoc ipso quod determinatur ad operandum, debet unicâ operatione, et ex unâ et determinatâ parte majori vel minori, vel ex totâ suâ sphærâ, prout voluerit, inchoare operationem suam, et consequenter ibi solum collocare substantiam suam : quia hæc collocatur per operationem, ubi immediate et primo incipit ex aliquo passo, quatenus reddit illud sibi conjunctum ad operandum ex illa** [1].

31. *Hæc resolutio* habet pauciora inconvenientia, et *est conformior D. Thomæ*. Dicit enim (art. 2 in fine, q. 52) quod « totum illud, cui Angelus applicatur, reputatur unus locus, licet sit [2] continuum » ; ergo quod continuum non fuerit, non apparet quomodo reputatur ut unus locus. Sed in hoc non facimus tantam vim, sicut in ipsa ratione D. Thomæ, qua utitur (in illo art.) : quod, « quia virtus Angeli finita est, non se extendit ad omnia, sed ad aliquid unum determinatum : oportet enim quidquid comparatur ad unam virtutem, ut unum aliquid comparari ad ipsam. » Si autem Angelus potest æque primo incipere diversas operationes a diversis locis partialibus, non subsistit ratio D. Thomæ : quia illa plura loca neque continuitate sunt unum, cum sint divisa et discontinua, neque ordine, cum non derivetur operatio ex uno ad aliud, sed æque primo incipiat ab utroque; alias non collocaret utrobique suam substantiam : quia ibi solum collocatur unde primo incipit motus et operatio, non ubi diffunditur. Quod autem uterque locus contineatur intra sphæram Angeli, parum interest : si quidem non utitur totâ illâ sphærâ tamquam uno, sed tamquam pluribus divisim se habentibus.

I P. q. 52, a. 2

I P. q. 52, a. 2

32. Unde semper urget illud inconveniens supra * allatum : quod si Angelus potest intra suam sphæram discontinuare operationes et præsentiam localem, incipiendo æque primo a pluribus locis inadæquatis plures operationes, non potest assignari ratio quare non possit æque primo illas incipere a locis distantissimis et quæ sunt extra suam sphæram, dummodo ita sint inadæquata illa loca quod, si conjungerentur, non facerent majorem terminum quam sphæræ suæ. Ut si potest Angelus esse in una leuca et potest operari in extremitatibus, relictis locis intermediis, non videtur aliquid obstare quominus possit unam extremitatem operari in cælo, et aliam extremitatem in terra : quia utraque extremitas si jun-

* n. 28

(1) Sic omnes || Opinamur legendum : *ex illo*.

(2) Sic omnes, consentientibus editionibus D. Thomæ plerisque cum torrente mss. codicum (v. g. duodecim mss. lat. Bibliothecæ Nation. Parisiensis, quos consulere potuimus) || Nonnulli tamen editores, post Patrem Nicolaï, O. P., præferunt : *non sit continuum*.

geretur, non faceret plus quam leucam. Quod vero intermedia loca, quæ relinquuntur ab Angelo, sint plura vel pauciora, magis distantia inter se vel minus, omnino impertinenter se habet : quia si semel potest discontinuare operationes suas operando in unaquaque inadæquate, parum refert quod multum vel parum discontinuentur.

33. RATIO autem A PRIORI EA EST : Quia natura agentis limitati hoc videtur postulare, quod, si operatur per unicam virtutem, operetur etiam unicâ operatione, nec possit duas æque primo elicere quæ inter se ordinatæ non sint; sed si plures operationes æque primo elicit, semper reducuntur ad diversas virtutes : ut si homo simul videt et loquitur et ambulat, ista fiunt per diversas virtutes. Nulla tamen virtus æque primo incipit plures operationes; sed si plures effectus facit, ordinate procedit in illis, et non æque primo plures operationes elicit : quia natura semper studet unitati, id exigente finitâ et limitatâ naturâ. Ita perpetuo D. Thomas negat plura, ut plura, posse simul intelligi, et multo minus operari : quia intellectus liberior est in apprehendendo, quam virtus in operando; præsertim cum Angelus per imperium practicum operetur ad extra, et per ipsum imperium moveat cælum, ut docet D. Thomas (opusc. XI *, a. 3). Sed non potest Angelus simul plura, ut plura, intelligere, ut docet S. Thomas (infra, q. 58 **, a, 2). Ergo non potest æque primo plura ut plura operari. Ut autem Angelus simul esset in pluribus partibus et locis inadæquatis intra eamdem sphæram, deberet æque primo habere plures operationes ut plures : quia neque essent ordinatæ inter se et connexæ seu unitæ ex parte operantis, neque ex parte continuitatis loci. Ergo nullo modo potest sic poni seu operari in pluribus locis inadæquatis. Videmus enim quod anima rationalis ut informet aliquas partes per modum unius, non sufficit partes ipsas esse intra sphæram suæ extensionis, sed oportet quod inter se sint continuæ et unitæ; ergo etiam spiritus non informans sed agens, qualis est Angelus, ut assistat intra suam sphæram pluribus partibus, oportet quod illæ sint continuatæ et unitæ inter se, non solum intra suam sphæram contentæ etsi discontinuatim : sicut nec potest plura, ut plura, etiam inadæquate simul intelligere in sententia S. Thomæ. Et ideo hæc ratio fortius me inclinat ad istam partem juxta sensum S. Doctoris et ejus principia.

* *Responsio ad lect. Venet. super 36 art.*
** I P. q. 58, a. 2

34. *Ad fundamentum* oppositum respondetur,* quod nihil deperit Angelo ex eo quod sit in pluribus locis, si quidem non dividitur; deperit tamen unitati operationis. Quia, si est in diversis locis inadæquatis, non potest habere operationem ut unam, hoc est, neque entitative unam, neque ordine unam. Plures autem operationes, ut plures, non potest habere Angelus, nisi pluribus virtutibus operetur ad extra. Nobis autem non constat Angelum plures virtutes habere ad operandum circa corpora, et tangendo illa. — Nec propter hoc ponimus Angelum dependentem a quantitate loci : quia non dependet ab eo quantum ad commensurationem, sed solum ut a condicione requisita ad unitatem operationis ejus : quia pluribus locis discontinuis non potest unicâ operatione incipere, licet uterque ille locus intra suam sphæram contineatur : quia non coordinantur inter se illæ inadæquatæ operationes, cum non continuentur.

* supra, n. 27, *Ex una enim*

35. Ad id vero quod dicitur* de corpore Christi in eucharistia : Respondetur esse disparem rationem. Tum quia id non fit in virtute naturali, sed supernaturali : de quo in præsenti non loquimur. Divinæ enim virtuti non repugnat quod Angelus simul sit in pluribus locis per plures immediatas operationes secundum plures virtutes, vel in uno per operationem, in altero per passionem. — Tum quia in eucharistia non ponitur corpus Christi per aliquam operationem suam, sed per hoc quod panis convertatur in ipsum, vel quantitas specierum dividatur; et sic etiam potest Deus ponere Angelum in pluribus locis per hoc quod res diversorum locorum convertantur in ipsum. In præsenti autem solum loquimur de modo connaturali quo Angelus exsistit in loco, scilicet per operationem : hæc enim dividitur, si æque primo procedit a pluribus locis.

* supra, n. 27, *Et confirmatur*

36. *Sed adhuc aliqui objiciunt* aliqua exempla. Nam Angeli, qui excæcaverunt simul omnes Sodomitas (Gen. XIX, 11), simul omnes excæcaverunt; et tamen illi erant loco distantes inter se, nec operabantur Angeli aliquid in locis intermediis; ergo erant simul in pluribus locis inadæquatis. Et eodem modo Angelus, qui occidit milites Sennacherib (Isa. XXXVII, 36), simul omnes occidit; qui tamen erant in diversis locis castrorum, et in intermediis nihil Angelus operabatur. — Eodem modo Angelus superior, qui præficitur a Deo uni integro regno vel provinciæ, potest simul occurrere negotiis quæ in tali loco geruntur, licet sint inter se discontinua et loco distan-

tia : alias non sufficienter provideretur custodiæ illius regni per Angelum; ergo oportet quod possit esse in pluribus locis discontinuis. — Denique, Angelus potest se movere de uno loco ad alium, non transeundo per medium : ergo etiam exsistere in locis extremis, non exsistendo in locis intermediis. Similiter potest Angelus intra sphæram spatii adæquati applicare se ad partem quam voluerit, vel etiam subtrahere se ab omnibus partibus, ita ut nullibi sit formaliter; ergo etiam poterit subtrahere se a partibus intermediis, non operando in illis, et applicare se ad operandum solum in extremitatibus.

37. *Respondetur* : Angelos efficientes illum effectum, qui in Scriptura narratur, non constare quod fecerint illum in omnibus illis hominibus unico et indivisibili instanti : sed tantâ celeritate, ut moraliter reputetur in instanti fieri; et sic quasi in ictu oculi et brevissimo tempore potuerunt Angeli omnes illos Sodomitas percutere cæcitate, et omnes milites exercitûs Assyriorum simul interficere, simultate brevissimi temporis, non simultate instantis physici et operationis. Qua ratione Patres hanc Angelorum celeritatem ita exaggerant, ut videantur ubique esse, vel momento omnibus adesse : sicut Hieronymus (epist. 53 *, contra Vigilantium) explicans illud, *Sequuntur Agnum quocumque ierit* **, affirmat Angelos summâ celeritate ubique esse. Et Nazianzenus (orat. 34 ***, in fine) inquit : « Angelos omnibus impigre adesse, tum ob ministerii promptitudinem, tum ob naturæ levitatem. » Et acute Tertullianus (in Apologet. c. 32†) : « Omnis spiritus, inquit, ales est : hoc Angeli et dæmones; igitur momento ubique sunt. » Quare bene potuerunt illi Angeli brevissimo tempore, et quasi simultate imperceptibili, percutere illos homines inter se distantes, effectum cæcitatis vel mortis per motum operando de uno in alium.

* lib. *contra Vigilant.*, n. 6; PL 23, 344 B
** Apo. XIV, 4
*** nunc 28, n. 31; PG 36, 72 C
† c. 22; PL 1, 407

38. Quod si persistatur, dicendo quod unico instanti physico omnes illos effectus simul effecerunt : — Tunc dicendum est, quod in toto illo loco operabatur unus Angelus diversos effectus ex unica operatione provenientes, videlicet intra corpora hominum motum aliquem, quo morerentur vel cæci fierent, et in aere intermedio aliquem alium motum vel effectum prout vellent : sicut sol unicâ operatione producit in aere lucem, in terra herbam, in visceribus terræ aurum, etc. — Similiter * Angelus custos unius regni vel provinciæ potest adesse diversis locis ejusdem provinciæ simultate temporis brevissimi. Vel, si sunt simultate instantis physici, erunt in intermediis locis operando aliquid aliud, continuatum tamen vel coordinatum effectui quem operantur in extremitatibus distantibus : sicut de effectibus solis dictum est.

* cf. supra, n. 36, *Eodem modo*

39. Ad secundum * dicimus : bene posse Angelum se movere de uno loco ad alium sine medio per motum discretum, quatenus vult operari in uno loco distanti, et non in intermediis *; sed tunc, quando transit Angelus ad locum distantem, relinquit priorem quem habebat. Ceterum simul exsistere in locis distantibus requirit quod simul exeant plures operationes ab uno Angelo, non continuando vel coordinando unam alteri : quod omnino est inconveniens in agente per modum virtutis finitæ et limitatæ. Unde videmus quod, in motu discreto Angeli, potest moveri ad quamcumque distantiam sine termino; et sic potest descendere de cælo in terram, nihil de intermediis corporibus attingendo. Auctores autem oppositi * non concedunt quod potest Angelus simul exsistere in locis inadæquatis ad quamcumque distantiam, sed solum intra sphæram suæ limitationis. — Similiter concedimus *, quod Angelus libere operatur in termino adæquato totius suæ sphæræ, vel in parte illius majori vel minori, prout voluerit, vel etiam abstrahere se ab omni operatione; si tamen voluerit de facto applicare suam virtutem et operari in dicto loco, non debet pluribus operationibus simul, sed unicâ, se applicare. Hoc autem stare non potest si dividat loca inadæquata : quia tunc incipit una operatio ab una parte loci, et alia ab alia parte, non communicando nec coordinando illas inter se, neque continuando unam cum alia.

* supra, n. 36, *Denique*
* de quo plura dicuntur infra, art. 4
* cf. supra, n. 29
* cf. supra, n. 36, *Similiter*

NON POSSUNT ANGELI ESSE SIMUL IN EODEM LOCO FORMALI.

40. SENTENTIA D. THOMÆ (quam explicat q. 52 *, a. 3) CONSISTIT IN TRIBUS DICTIS. — **PRIMUM EST : in eodem loco materiali non repugnat, absolute loquendo, plures Angelos vel plures spiritus esse, si operentur diverso modo vel diversos effectus : non autem respectu unius et ejusdem effectûs, in ratione continentis talem locum.** — Constat hoc (ex solutione ad 3) ubi docet quod Angelus et anima possunt esse in eodem corpore, quia « non comparantur secundum eamdem habitudinem causæ : quia anima exsistit ut forma, non autem dæmon ».

* I P. q. 52, a. 3
I P. 52, a. 3, ad 3

41. Et manifeste constat, quod intra idem corpus in quo est anima, non solum ut informans sed etiam ut movens, potest exsistere Angelus vel dæmon, torquendo illud corpus per alterationem et motum, vel etiam fovendo et confortando. Similiter ergo poterit unus Angelus esse in uno loco materiali operando, et alius patiendo : sicut Angelus, qui apprehendit dæmonium et religavit illud (Tob. VIII, 3), simul erant [1] in eodem loco deserti superioris Ægypti, unus ut alligans, et alius ut alligatus. Similiter ergo si unus Angelus producat unum effectum, v. g. lucem, in hac parte aeris, et alius aliquem motum, non repugnabit esse in eodem loco materiali secundum illos diversos effectus : quia si non repugnat subjectum suscipere diversos effectus, neque repugnabit agentia illi uniri in ratione diversi agentis. — Constat etiam aliquando plures Angelos simul concurrisse in eodem loco, ut cum tres Angeli venerunt ad Abraham (Gen. XVIII); et similiter (Marc. v, 9) dicitur fuisse in uno homine legio dæmonum. Ergo ille homo erat materialis locus illorum spirituum, nisi unusquisque vellet solum operari in aliqua parte illius loci, et alius in alia : quod non constat; sed possunt diversos effectus operari circa id [2] subjectum. Neque enim impediuntur esse in loco propter repletionem, cum sint indivisibiliter, sed propter unitatem operationis.

42. *Quod si dicatur :* Quia Angeli sunt diversæ speciei, et consequenter operationes eorum semper sunt diversæ speciei; ergo si applicentur eidem loco materiali, numquam se impedient, sed semper erunt simul, quia semper operationes eorum erunt diversæ. Et tamen hoc non videtur conducere ad pluralitatem loci, dummodo istæ operationes exerceantur respectu ejusdem spatii. Sicut in loco corporeo parum interest quod superficies continentes sint diversorum corporum secundum speciem, v. g. superficies aquæ vel aeris, dummodo omnes contineant in eodem spatio. Ergo similiter, licet plures Angeli distinctæ speciei contineant eumdem locum, non facient distinctum locum spiritualem.

43. *Respondetur* quod Angeli, licet sint distinctæ speciei, possunt tamen producere etiam effectus ejusdem speciei, v. g. motum localem vel lucem : quia non repugnat virtutem superiorem producere effectum ejusdem speciei cum inferiori : sicut homo movetur localiter progressive, et etiam equus vel canis; et sol producit lucem, et similiter ignis. Sic similiter possunt duo Angeli, specie distincti, convenire in aliqua operatione vel effectu specifico secundum rationem communem spiritualis substantiæ, licet virtus unius sit perfectior quam alterius. Et tunc, si Angeli operentur in loco materiali diversum effectum specie, facient distinctum locum spiritualem seu formalem, de quo statim * dicemus. Si autem eumdem effectum specie velint operari, tunc se impedient, et non poterunt esse in eodem loco materiali, nisi eo modo quo statim ** dicemus.

* infra, n. 44-45

** infra, nn. 48, 51-2

44. Illud vero exemplum *** de superficie continente et locante, quando est diversæ speciei, non est ad propositum : quia licet illa corpora sint diversæ speciei in sua substantia, tamen in ratione quantitatis locantis et ambientis sunt ejusdem rationis : quia quantitas non convenit corporibus ratione speciei, sed ratione genericâ corporis. Ceterum Angeli habent contactum ratione virtutis operativæ, quæ potest sequi speciem : et secundum diversas virtutes fiunt diversi contactus, et consequenter resultant diversa loca spiritualia seu formalia, id est, in ratione attacti, licet in eodem spatio materiali. In Angelis autem, ut jam diximus *, ipsa præsentia seu *ubi* non respicit primo et per se spatium, sed contactum agentis ad passum, et ex consequenti spatium in quo fit talis contactus : sicut anima primo et per se respicit corpus informando, et ex consequenti spatium in quo informat.

*** supra, n. 42, *Sicut*

* supra, n. 10-11; et art. 1, nn. 29-39, 43-51

45. SECUNDUM DICTUM D. THOMÆ EST, quod si Angeli exsistant in loco secundum contactum operativum ejusdem effectûs, et se habeant tamquam causæ completæ et perfectæ, id est, totales talis effectûs, repugnat quod duo Angeli simul sint in eodem loco formali. — Vocatur « locus formalis » ipse effectus seu contactus, ratione cujus formaliter sunt in loco : eo quod, ut diximus *, locatio Angeli non respicit directe spatium, sed agentiam seu contactum, et simultatem agentis ad passum; locus autem materialis dicitur corpus illud seu spatium in quo exercetur.

* supra, n. 44

46. Ratio est : Quia non potest idem effectus numero exire a duabus causis totalibus et adæquatis creatis, ut late probavimus (in II *Physic.*

[1] Ita MLC, haud male; cf. tomi I Præfationem, cap. III, art. 2, § 3, n. 4 et n. 7, b) || P minus feliciter corrigit : *erat*.

[2] Sic omnes || Fortasse legendum sit : *circa idem*...

* verius : q. 10, a. 5; RE II, 213 sqq.

q. 12 *). Cum ergo Angeli, juxta nostram sententiam, sint in loco tamquam formæ seu virtutes activæ, et per contactum activum, juxta hoc regulandum est, an possint plures Angeli esse in eodem loco formali : videlicet an possit idem effectus procedere a duabus causis totalibus. Quod quia in omnium sententia certum est saltem naturaliter id esse impossibile, quia ad minus est superfluum, et superfluitatem natura abhorret, non solum in istis causis inferioribus, sed multo magis in entibus perfectissimis sicut sunt Angeli : et in nostra sententia etiam de potentia absoluta id videtur impossibile, loquendo de causis creatis adæquatis, ut in loco citato late expendimus; ideo absolute existimamus non posse plures Angelos esse in eodem loco formali, quando operantur ut causæ completæ et adæquatæ eumdem effectum : quia locus formalis Angelorum, ut diximus *, est effectus seu contactus virtualis Angeli ad passum. — Qui vero tenent Angelum exsistere in loco ratione suæ indivisibilis substantiæ, vel modi superadditi erga locum, non apparet qua ratione negare possint plures Angelos posse esse in eodem loco seu spatio : cum non appareat in tali substantiâ vel modo spirituali repugnantia aliqua et oppositio respectu ejusdem loci corporalis, cum non habeant quantitatem qua se invicem excludant.

* supra, n. 45

47. **TERTIUM DICTUM,** quod sumitur ex D. Thoma (in hoc art. 2 *, q. 52), **EST quod, de facto et ordinarie, Angeli non sunt in eodem loco formali; possunt tamen absolute loquendo esse quasi præternaturaliter et per accidens, ut si duo Angeli pluresve partialiter et inadæquate ad eumdem effectum concurrant, vel unus sit in eodem loco per passionem et alius per operationem.** — PRIMUM CONSTAT EX DOCTRINA D. THOMÆ : Quia Angeli sunt in loco, et « tangunt illum per modum continentis perfecti ». Quia, cum sint entia suprema in universo, non operantur tamquam agentia insufficientia; nec decet eorum dignitatem (præsertim in bonis Angelis) quod operentur sicut agentia partialia per se loquendo, quia hoc sonat quamdam insufficientiam. Unde, per se et ordinarie loquendo, quilibet Angelus operatur ut agens perfectum et perfecte continens effectum. — Nec obstat quod Deus cooperatur simul cum creatura : Hoc enim non facit Deus ut partialis causa, sed ut prima et superior, quæ facit ut causæ inferiores faciant. In genere autem primæ causæ est solus, et non est alius præter eum.

* revera : I P. q. 52, a. 3

I P. q. 52, a. 3

48. CETERUM PER ACCIDENS non repugnat quod accommodent suam virtutem, quæ alias esset sufficiens ad totum effectum, et attemperent illam ut partialiter conjungatur cum alio ad eumdem effectum faciendum : quia, cum sint agentia libera, possunt moderatione uti in exercitio suæ virtutis, et sic coaptare illam cum virtute alterius in ordine ad eumdem effectum. Et tunc dicentur esse in eodem loco formali, id est, in eodem effectu seu contactu partialiter et inadæquate procedente a multis. Quare D. Thomas locutus est (in art. illo 3) solum de modo exsistendi in loco con- I P. q. 52, a. 3
naturaliter et ordinarie, ut bene advertit Cajetanus (super eumdem art.) : tum quia D. Thomas non posuit conclusionem de possibili, sed de inesse, et sic non loquebatur de eo quod absolute posset fieri; tum quia loquitur expresse de pluribus motoribus perfectis et completis. Quod autem Angeli semper sint agentia perfecta et totalia, non habetur nisi ex quâdam convenientiâ : quia sunt supremæ causæ in universo, et consequenter semper operantur perfecte : quod non esset si operarentur partialiter. Quod tamen non procedit de possibili, sed de eo quod modus connaturaliter postulat. Cum enim sint causæ liberæ, bene possunt virtutem suam contemperare et non uti illâ secundum totam sufficientiam; et sic operari poterunt eumdem effectum numero per inadæquatas operationes.

49. *Nihilominus tota hæc resolutio* D. Thomæ et ejus ratio *displicuit P. Vazquez* (disp. 193, c. 2 et 3). Et primo objicit contra ipsam conclusionem : quia non est superfluum, nec impossibile, plures Angelos esse in eodem loco physice, cum constet eumdem hominem posse intra se habere plures dæmones : sicut (Luc. VIII, 30) dicitur quod erat in homine legio dæmonum, et in arreptitiis plures dæmones esse solent; ergo id negandum non est. — Nec valet distinctio Cajetani * et Ferrariensis ** de loco materiali et formali : nam si semel concedatur posse duos Angelos esse in eodem corpore, dicendum est quod sunt in eodem loco formali : quia ad rationem formalem loci non spectat fundamentum et contactus exsistendi in illo, quod est operatio; sed materialis locus Angeli est ipsa latitudo vel longitudo corporis, formalis autem ratio est respectus distantiæ ad puncta fixa : sicut in loco corporum superficies ambiens est locus materialis, respectus autem ille est formalis ratio.

* I P. q. 52, a. 3, n. 3. ** III Contra G., c. 68, n. 16

50. Confirmatur : quia unus Angelus potest expellere alium de loco aut detinere; quod non

posset esse, nisi simul coexsisterent in eodem loco. — Certe exsistente Angelo custode in nobis, vel circa nos, potest dæmon accedere ad tentandum; alias non posset tentare dæmon nisi absente Angelo; ergo possunt simul illi spiritus esse in eodem loco.

* supra, nn. 40-44, 47-48

51. *Respondetur ex dictis* * : plures spiritus posse esse in eodem loco materiali, operando diversas res seu effectus; posse etiam partialiter conjungi, et contemperare suas virtutes in ordine ad eumdem effectum numero producendum. Potuisse etiam plures dæmones esse in eodem homine, unoquoque occupante seu operante in aliqua parte valde parva corporis, specialiter illam torquendo; neque oppositum hujus probat Vazquez aut aliquam rationem contra id affert. Potuerunt etiam, ut supra * dicebamus, in eadem parte aut toto corpore simul esse tamquam in materiali loco, seu materiâ suæ operationis, sed diversos effectus seu torturas inducendo, aut partialiter ad eamdem concurrendo : partialiter enim concurrere non est inconveniens in dæmonibus, *qui principatum* et dignitatem suam *non servant* *.

* nn. 41, 48

* Judæ I, 6

** supra, n. 49, *Nec valet*

52. Quod vero dicit ** contra distinctionem de loco materiali et formali, frivolum est : quia licet in loco corporum respectus ad puncta fixa sit aliquid formale respectu superficiei ambientis, tamen locus Angeli spiritualis est formaliter, et secundum operationem virtutis. Totum autem illud, quod in loco corporeo est superficies et respectus distantiæ ad puncta fixa, materialiter et secundario se habet in loco Angeli : ipsa enim Angeli substantia non potest immediate et directe fundare respectum distantiæ ad talia puncta. Et ideo quod formale est in loco corporum, materialiter se habet respectu loci Angeli; formale vero loco [1] Angeli est id quod ad spiritualitatem pertinet, scilicet contactus virtualis et operatio virtutis, unde resultat *ubi* angelicum : quod directe non est ad spatium seu distantiam, sed secundum habitudinem agentis ad passum, continentis ad contentum : sicut præsentia animæ ad corpus, et corporis Christi ad species, pro materiali respiciunt distantiam ad puncta fixa spatii hujus universi, quatenus corpus, cui adest, in loco est.

* cf. supra, n. 50

53. Ad confirmationem * respondetur, quod quando unus Angelus expellit alium physice a loco, et non solum moraliter per imperium, tunc operatio Angeli expellentis non est simul cum operatione Angeli expulsi : quia potius, si expellit illum, non est cum illo; nec supponitur prius tangere alterum Angelum, quam expellere : quia iste contactus est activus, et sic prius inducit effectum operationis qua expellit, quam simul coexsistat cum expulso. Quod si tandem necesse sit Angelum, expellentem alium a loco, tangere simul eumdem locum ut alter expellatur, id faciet per contactum superioris virtutis, ita vehementem et contrarium contactui Angeli expellendi, quod non permittat illum esse simul in eodem loco. Unde talis contactus expulsivus alterius Angeli non sufficit quod sit superioris virtutis et diversæ speciei, ut sit in eodem loco simul cum altero contactu : sed debet esse contrarius et oppositus illi; alias non expellet illum : quia hæc expulsio non est per quantitatem, sed per contrarietatem operationum et effectuum. Unde non oportet quod tales contactus expulsivi sint simul cum re expulsâ, sed ad positionem unius tollatur alter. — Et ad id quod dicitur * de Angelo custode : Dicitur quod, etiam ipso non recedente, potest dare locum dæmoni tentanti, quatenus ex diversis partibus intra eumdem hominem possunt inchoare suas operationes et immutare corpus seu [2] phantasiam, unus ad suggerendum bonum, et alter malum. Sed tamen dum unus suggerit unum, præparando tales vel tales species, potest alter alias species oppositas præparare ut vivacius moveant, et sic circa diversa operari simul.

* supra, n. 50, *Certe exsistente*

54. *Secundo objicies :* quia si propter aliquam rationem non possent plures Angeli esse in eodem loco, maxime propter rationem D. Thomæ (in hoc art. 3), quia scilicet non possunt duæ causæ perfectæ simul ad eumdem effectum concurrere; hæc autem ratio non est sufficiens. Tum quia non repugnat unum Angelum juvari ab altero in aliquo effectu : sicut plures dæmones, ut magis torqueant, in eodem homine sunt. Et hoc vel propter liberum modum operandi : quia possunt uti non totâ efficaciâ suæ virtutis, sed contemperando illam cum virtute alterius, ut uterque partialiter se habeat et inadæquate. Vel etiam quia ipse effectus tantus est ut non possit ab uno solo Angelo fieri : ut si unus Angelus, v. g., posset movere velocitate et fortitudine ut octo, effectus

I P. q. 52, a. 3

[1] Ita MP, non male ‖ Sine vera necessitate corrigunt LC *loci angelici*.

[2] Ita recte emendant LC ‖ Prave MP *sed phantasiam*.

vero sit tantæ difficultatis quod exigat velocitatem seu fortitudinem ut viginti; tunc oportebit alium Angelum conjungi cum isto ad faciendum eumdem effectum; ergo erunt simul in eodem loco. — Tum etiam quia possunt duo Angeli operari in eodem corpore diversas operationes, v. g. unus motum rectum, et alter circularem; ergo saltem tunc poterunt esse simul in eodem loco. Sicut etiam sunt intra hominem simul cum anima informante corpus.

* supra, nn. 47-8, 51-2

55. *Respondetur ex dictis** : posse Angelos sic operari et esse in eodem loco per inadæquatam operationem, seu partialem influxum in aliquem effectum. Hoc tamen non est ita connaturale ipsis Angelis, propter suam perfectionem et dignitatem : quia semper partialitas influxûs sonat quamdam insufficientiam. Absolute tamen non repugnat id fieri, si voluerint Angeli uti suâ virtute partialiter et inadæquate cum altero. — Quando vero effectus aliquis excedit virtutem alicujus Angeli *, existimant aliqui quod, etiamsi adunentur duo Angeli, non poterunt causare talem motum : quia, etsi virtus agentis corporalis possit intendi ex conjunctione alterius virtutis, non tamen virtus spiritualis operativa circa materiam exteriorem. Quod tamen non video quo fundamento dicatur : quia, licet potentiæ non sint capaces intensionis, tamen conatus potentiæ et operatio ejus erga aliquid, etiamsi spiritualis sit, non apparet quare non sit capax intensionis : præsertim si operatio Angeli ad extra fit immediate per imperium practicum intellectûs. Tunc enim sicut Angelus inferior potest confortari ab Angelo superiori quoad vim illuminationis, ut sentit S. Thomas (infra, q. 106, a. 1), ita etiam quoad efficaciam dictaminis, ut fortius imperet et moveat. Sed, præter hæc omnia, poterunt duo Angeli in eodem loco materiali uniri ad aliquem effectum, operando illum ex diversis partibus illius corporis, et in unaquaque applicando totam suam virtutem, quæ simul cum virtute alterius Angeli applicata ex altera parte illius corporis efficiet integrum motum : ut si sit movenda magna moles, v. g. integer mons, qui exigat virtutem ut viginti ad hoc ut avellatur ex loco suo, et sint duo Angeli, unus virtutis ut octo, alter ut duodecim, poterit unusquisque totam suam virtutem imprimere diversis partibus montis, et sic totum simul movere.

* cf. supra, n. 54, *Vel etiam quia*

I P. q. 106 a. 1

56. Ad secundam * probationem dicitur, quod illi Angeli seu spiritus, sic producentes diversos effectus seu operationes in eodem corpore seu in eadem parte corporis, erunt in eodem loco materiali, non formali, formalitate loci spiritualis et contactûs virtualis, non (1) formalitate solum distantiæ, quæ in loco angelico materialiter se habet, ut explicatum est *.

* supra, n. 54, *Tum etiam*

* supra, n. 52

ARTICULUS IV

Utrum Angelus, in suo motu, necessario debeat transire per media.

1. SUPPONIMUS DUO TAMQUAM CERTA in hac difficultate. Primum est Angelos localiter moveri. Secundum est, posse moveri tam motu continuo, quam discreto.

[*Suppositum prius.*]

* I, D. 37, pars 2, q. 2, n. 3
** I, D. 35, q. 1, a. 2
† I, D. 35, q. 1, a. 1

1 bis. *Primum negatur* a Durando * et Hervæo **, quos citat Vazquez (hîc, disp. 194, c. 1) : Hervæus quidem, quia existimat Angelum nullo modo esse in loco †, ex quo fit consequens non posse moveri de loco ad locum; Durandus vero, quia existimat Angelum simul esse in omnibus locis in quibus esse potest ††, id est, esse ubique intra suam sphæram, in qua potest adesse. Utrique falsum dicunt, et contra communem modum loquendi Scripturæ et Patrum; et sic ista sententia non est tuta in fide.

†† I, D. 37, pars 2, q. 1, nn. 26, 33-35

2. DE SCRIPTURA CONSTAT MANIFESTE (Exo. XIV, 19) : *Tollensque se Angelus Dei, qui præcedebat castra, abiit post eos;* (Job I, 1) dicitur de diabolo : *Circuivi terram, et perambulavi eam;* (Isa. VI, 6) : *Et volavit ad me unus de Seraphim;* (Luc. I, 38) : *Et discessit Angelus ab ea*, et (cap. II, 15) : *Et factum est ut recesserunt Angeli in cœlum;* (Mat. XXVIII, 2) : *Angelus autem*

(1) Ita omnes, non male ‖ Sententia hujusmodi est : *illi Angeli... non erunt in eodem loco formali, intelligendo locum formalem ex formalitate contactûs virtualis, non formalitate solum distantiæ (quæ est opinio Vazquesii)...* cf. supra, n. 49, sub finem.

Domini descendit de cælo. Descendere autem, recedere, abire, circuire, moveri est. — Deinde, quia est articulus fidei, animam Christi descendisse ad inferos*; et de anima Lazari dicitur (Luc. XVI, 22) quod *portata est ab Angelis in sinum Abrahæ;* descensus autem sine motu intelligi non potest, si verus et proprius descensus est, quem in anima Christi fateri oportet; ergo similiter in Angelis verus motus erit.

* I Pet. III, 19. IV, 6; cf. Denzinger-B., n. 6 et n. 40

3. *Eodem modo sensum Scripturæ Patres sequuntur,* et aperte motum tribuunt Angelis : ut Nazianzenus (orat. 34* circa finem), dum dicit de Angelis : « Loca omnia peragrant, omnibusque impigre adsunt, tum ob ministerii promptitudinem, tum ob naturæ levitatem. » Et Damascenus (lib. I de Fide, c. 17*) : « Angelus ob naturæ pernicitatem celeriter transit, in diversis locis operatur; » et (lib. II, c. 3**) dicit quod, « cum Angeli a cælo in terram mittuntur, non manent in cælo. » Hoc enim consonat ei quod dicitur (Apo. XII, 8) : *Neque locus inventus est eorum amplius in cælo.* Denique, videri potest Ambrosius (lib. I de Spiritu S., c. 10*); Chrysostomus (homil. 3** in epist. ad Hebr., ad illa verba : *Omnes sunt administratorii Spiritus****); Hieronymus (epist. 53† contra Vigilantium), et alii multi. — Ex quibus fit quod, quando Scriptura ponit Angelos descendere et adscendere, mitti, etc., non possit id explicari ratione alicujus effectûs de novo, sicut explicamus descensum et missionem divinarum personarum : quia supponitur apud Scripturam et Patres Angelos non esse ubique, sed mutare loca. Et tunc nomen « descensus » debet sumi proprie, sicut sumitur de descensu animæ Christi ad inferos.

* nunc 28, n. 31; PG 36, 72 C
* nunc 13; PG 94, 853 A
** PG, 94, 869 A
* nunc c. 11, n. 116; PL 16, 732
** n. 3; PG 63, 30-31
*** Heb. I, 14
† lib. contra Vigilant., n. 6; PL 23, 344 B

3. DENIQUE, RATIO MANIFESTE HOC PROBAT : Quia Angeli non sunt ubique, cum sint substantiæ finitæ et limitatæ; et habent (1) intellectum et voluntatem, quibus valent cognoscere et velle præsentiam in alio loco, vel absentiam ab illo : sicut dæmones rogabant Christum, ne irent in abyssum (Luc. VIII, 31). Ergo debent habere potentiam ut moveantur : frustra enim Angelis tribueret natura voluntatem seu appetitum mutandi loca, et denegaret (2) potentiam loco motivam, præsertim tam perfectissimis et nobilissimis creaturis.

5. *Statim autem se offerebat difficultas* de isto motu locali, an sit intrinsecus in Angelo, et intrinsecum terminum producat. — *Hoc tamen* ex dictis in superioribus articulis* *facile dignosci potest :* Dicimus enim in Angelo, quando movetur de loco in locum, dari intrinsecam mutationem, et aliquid de novo produci et relinqui in Angelo quando movetur, si moveatur per se et non solum per accidens. Hæc tamen mutatio non acquirit aliquid intrinsecum in Angelo, quod pertineat ad exsistentiam spatii et distantiam vel propinquitatem penes puncta aliqua fixa : sed producit aliquid pertinens ad contactum activum, quo Angelus tamquam forma activa applicatur diversis corporibus exsistentibus in diversis spatiis, et subjicit ea sibi tamquam passum agenti; et quia talia corpora sunt in diversis distantiis, dicitur consequenter et mediate respicere distantiam. Sicut si posset anima rationalis informare diversa corpora, transeundo de uno in aliud, non acquireret primo et per se distantiam, sed unionem seu conjunctionem informativam, et ex consequenti distantiam; et idem esset si corpus Christi in sacramento relinqueret istas species, et poneretur sub aliis.

* supra, a. 1, n. 3-51; a. 2, n. 24-33, etc.

6. Quod enim mutatio seu motus in Angelo ponat aliquid intrinsecum in ipso, et non solum in spatio seu corpore, ut putavit Cajetanus (q. 53, a. 1), constat : quia Angelus vere et proprie movetur de loco in locum; ubi autem est mutatio, ibi est motus. Si autem tota mutatio passiva esset in spatio seu corpore, Angelus solum moveret active, non autem moveretur vere et proprie : quod est incidere in sententiam Durandi* impugnatam. — Nec obstat, quod Angelus in suo motu locali non perficitur a loco, sed perficit locum. Licet enim non perficiatur a loco materiali, sicut corpora quæ a loco dependent et in loco conservantur, et sic acquirunt perfectionem ex motu, tamen Angelus potest acquirere perfectionem ex loco formali, id est, ex ipsa operatione qua immutat et perficit locum : quia ista actualis operatio pertinet ad perfectionem agentis. Nullum enim agens creatum operatur actu, quin perficiatur in hoc quod est agere in actu secundo, quantumcumque illa actio sit perfectiva alterius; et quia ista perfectio agendi non potest esse in Angelo nisi dependenter ab aliquo passo, ex quo educit suum effectum, oportet quod acquirat aliquam præsentiam seu conjunctionem resultantem ex contactu suo virtuali, quod vocamus* *ubi* ange-

* cf. supra, n. 1bis
* cf. supra, art. 1, n. 43-53

(1) Male omnes : *et habeant* ‖ Omnino legendum est : *habent;* hæc est enim quasi minor hujus argumenti.

(2) Ita bene corrigunt LC ‖ Mendose MP *denegare.*

licum : quod non consistit in pura denominatione extrinseca.

7. *Nec obstat,* quod aliquando D. Thomas docet per motum localem non acquiri aliquid intrinsecum, sed motum localem esse ad formam extrinsecam : ut docet infra (q. 110*, a. 3) ex Philosopho (VIII *Physic.* ** textu 59); hoc enim est commune tam locali motui corporis, quam spiritûs. — *Dicitur autem* corpus in motu locali esse in potentia ad aliquid extrinsecum, scilicet ad locum, quia forma seu *ubi* quod acquiritur per motum localem non est forma in se absoluta, sicut in alteratione est qualitas, et in augmentatione quantitas : sed est dependens ab aliquo extrinseco, a quo accipitur denominatio, sicut esse vestitum a veste, et esse locatum a loco ambiente. Non tamen ipse locus denominat nisi mediante aliquo modo intrinsece recepto in corpore locato, per quod dicitur subesse loco. In Angelo autem non est modus quo dicatur subesse loco, sed quo subjicit sibi locum; redditur tamen illum tangens virtuali suo contactu, eique conjunctus. — Ex quo sequitur quod tale *ubi* angelicum, seu terminus intrinsecus qui acquiritur in Angelo per motum, non consistit in aliquo modo intrinseco importante respectum distantiæ ad puncta fixa, aut dicente per se et immediate ordinem ad exsistentiam et distantiam loci, quam Angelus suo motu acquirat, et ita univoce conveniat cum motu corporeo.

* I P. q. 110, a. 3
** c. 10 (alias 7); BK 261 a 20-22

8. *In quo contradicimus sententiæ P. Vazquez* (hic, disp. 195, c. 4) *et Molinæ* (super q. 52*, a. 1). — Vazquez enim dixit quod, quando Angelus per se movetur, debet quidem dari variatio modi intrinseci in ipso Angelo, id est, illa unio seu modus quem ipse dicit producere Angelum in se, ut sit in loco; sed tamen docet quod motus localis Angeli non consistit formaliter in variatione illius modi, sed in extrinsecâ quâdam denominatione distantiæ a punctis fixis : ac proinde terminus motûs non est ille modus realis, sed distantia illa. — At vero Molina tenet quod motus Angeli est « continua * acquisitio exsistentiæ Angeli in alia ac alia parte spatii, quæ est in substantia Angeli tamquam in subjecto, pertinetque ad prædicamentum *ubi* ». Unde id quod Vazquez ponit in extrinseca denominatione distantiæ, cujus variatio acquiritur per motum Angeli, id Molina ** videtur ponere in forma aliqua denominante intrinsece, et constituente Angelum præsentem in diversis partibus spatii secundum diversam distantiam.

* IP: 554
* in I P. q. 53. a. 1, concl. 1; IP: 558
** ibidem, IP: 559

9. Ceterum neutra sententia sustinenda est : quia Angelus est forma activa sine quantitate, et non tangit corpus neque illi redditur præsens per aliquid quo illi commensuretur, id est, per aliquid antecedens operationem seu applicationem virtutis. Unde non est in Angelo aliquid quod immediate et directe fundet distantiam, sive ad partem spatii, sive ad puncta fixa, ut supra * satis ostendimus : quia omnia ista fundantur in aliqua extensione aut commensuratione cum loco. Angelus autem non est substantia subjecta loco, sed locum sibi subjiciens et continens. Ergo motus Angeli non subjicitur legibus loci materialis et extensi, nec primo et per se ordinatur ad acquirendam distantiam vel propinquitatem aut commensurationem cum loco : cum abstrahat ab omnibus condicionibus loci et quantitatis; et sic est incommensurabilis ipsi, nec potest respicere locum tamquam mensuram suæ potentiæ. Quare motus corporis et spiritûs non possunt univoce convenire in acquirendo terminum localem, nec in habendo contactum erga corpus. Quia motus corporis acquirit *ubi* circumscriptivum, quod est commensuratum loco et ab illo dependens, et distantiam seu extensionem in illo habens; *ubi* autem angelicum non potest habere talem commensurationem, quia contactus Angeli non est per modum extensionis seu commensurationis ad extensionem corporis. Et cum distantia non possit intelligi nisi ratione extensionis (si quidem major vel minor distantia mensuratur per extensionem), consequenter dicendum est quod Angelus, qui omnis extensionis expers est, non potest moveri localiter ad hoc ut acquirat aliquam distantiam seu exsistentiam vel præsentiam ad locum secundum extensionem loci : ita quod antecedenter ad operationem et contactum virtutis acquiratur in Angelo aliqua præsentia commensurabilis distantiæ spatii, quæ commensuratio activa non sit, sed antecedens ipsam operationem seu activitatem agendi : sicut corpora, antequam operentur, prius commensurantur quantitati spatii, ut ex illa operentur, eo quod applicatio corporum ad operandum est dependens a quantitate, quæ activa non est, sed antecedit operationem. Non est autem commensurabile aliquid ad distantiam et extensionem spatii, antecedenter ad operationem, nisi per aliquam extensionem : cum ipsa distantia quædam extensio sit, nec possit coaptari aliquid ad extensionem, nisi vel virtualiter, quia virtus subjicit aliquam extensionem et distantiam sibi, vel formaliter,

* art. 1, nn. 15. 21-28, 46-50; art. 2, n. 32; art. 3, n. 52

quia antecedenter ad virtutem et operationem illi coaptatur et commensuratur : et hoc non potest intelligi, nisi per aliquam extensionem. Quare cum Angelus antecedenter ad virtutem operativam, qua subjicit sibi corpus et extensionem ejus, non habeat aliquid quo passive et formaliter coaptetur extensioni loci, consequenter neque motus ejus acquirere potest aliquam præsentiam seu exsistentiam quæ immediate dicat rationem distantiæ seu commensurationem ejus ad partes et extensionem spatii, vel ad puncta fixa : quia ista puncta solum respiciuntur ratione elongationis vel approximationis, quæ pertinet ad rationem distantiæ et extensionis, cujus omnino expers est Angelus.

10. Quare motus Angeli non potest habere terminum intrinsecum, qui univoce conveniat cum termino motûs localis corporum : haberet autem si acquireret distantiam aliquam ad puncta fixa immediate in se, vel exsistentiam ad partes spatii antecedenter ad operationem. Sed id, quod acquirit per motum, est modus aliquis qui resultat ex conjunctione formæ angelicæ, in quantum activa est, ad corpus et ad extensionem ejus tamquam ad passum quod sibi subjicit et ex quo incipit operari : quia si contactus Angeli est contactus virtutis, consequenter modus, qui resultat in Angelo ex tali applicatione ad agendum circa tantam quantitatem corporis, debet esse modus conjunctionis agentis cum passo, non extensionis cum distantia. Non est autem inconveniens, quod ex conjunctione agentis spiritualis cum passo resultet in ipso agente aliquis modus præsentiæ et conjunctionis cum tali passo : qui modus immediate et per se pertinet ad præsentiam seu conjunctionem agentis in ratione et lineâ agentis cum passo, consequenter autem et mediate importat ordinem distantiæ vel indistantiæ, ratione ipsius corporis cui unitur. Sicut anima rationalis, ex eo quod unitur corpori, acquirit modum aliquem seu statum exsistendi in corpore, informando illud, quem non habet quando exsistit separata : qui modus subjective est in ipsa anima, ut ostendimus in Physica (q. 6, art. ultimo *); qui non est modus importans *ubi* seu distantiam ad puncta fixa et ad locum immediate, ut ex parte animæ se tenet, sed immediate importat habitudinem formæ informantis erga corpus, in quo habetur ipsa præsentia et distantia ad locum, non ratione sui, sed ratione corporis. Et si posset anima de uno corpore ad aliud transire, mutaret immediate et per se istos modos informationis; non tamen immediate acquireret distantiam vel propinquitatem erga locum, sed mediate et ex consequenti, quatenus illa informatio est ad corpus in aliquo loco.

* art. 3, in fine; RE II, 117-8; cf. RE III, 294-5

11. Et similiter si corpus Christi sub speciebus posset transire ad alias species, illisque conjungi, mutaret uniones seu præsentias ad species; non acquireret distantiam vel propinquitatem localem immediate et ratione sui, sed mediante quantitate specierum, quibus subesset. Sic Angelus, quia est forma activa superior omni corpore, quando mutat applicationem et conjunctionem erga corpora, non mutat propinquitatem vel distantiam localem fundatam in se, sed præsentiam agentis erga passum : et mediante tali passo, cui assistit, dicit respectum ad distantiam vel propinquitatem loci. Quando autem Angelus, anima et corpus Christi Domini non mutant conjunctionem ad corpus vel species, quibus sunt conjuncta, et tamen ipsa corpora moventur, tunc moventur res illæ per accidens, id est, per aliud : et mutant locum, non ad quem immediate dicunt respectum, sed ad quem dicit respectum ipsum corpus, cui sunt conjuncta. Et sic non est necesse quod tunc acquirant *ubi* intrinsecum, seu modum intrinsecum suæ præsentiæ : quia ille motus corporis non potest acquirere modum et præsentiam indivisibilem et spiritualem quam habent Angelus et anima et corpus Christi, ut advertimus in Physica (q. 16, art. 2, circa 2am difficult. *).

* RE II, 344-5

[*Suppositum alterum.*]

12. Secundum quod supponimus in hoc articulo est, motum Angeli posse esse continuum vel discretum. — DE MOTU CONTINUO NON EST DIFFICULTAS : Quia sicut non repugnat animam rationalem successive informare diversas partes corporis per augmentationem, ita non repugnabit Angelum successive applicari partibus continuis spatii, incipiendo operationem suam a partibus immediatioribus : et sic continuando operationes suas per applicationem ad aliquam partem aliquotam et determinatam, et post ad aliam etiam determinatam immediate sequentem. Et sic continuo movebitur, penes partes aliquotas se applicando. Nam ad partes proportionales et indeterminatas non potest substantiam suam continuo diversis operationibus applicare : quia non possunt partes istæ diversis operationibus tangi : quia infinitæ sunt, et diversis operationibus singillatim unaquæque

attingi non potest. Requiritur autem, ad hoc quod substantia Angeli exsistat in loco, quod non solum ejus virtus ab eo diffusa continuatim per partes se extendat, sed quod virtus ejus, quæ est in ejus substantia et unde incipit operatio, applicetur continuo ipsis partibus : quod non potest esse nisi diverso modo incipiendo operationes suas. Et hæc diversa inceptio non potest esse numerando partes improportionales [1] quæ continuatim sequuntur : bene tamen applicando se partibus determinatis, et continuatim ad partes immediatas, etiam determinatas, se applicando. Quod non accidit in anima rationali, quæ in augmentatione paulatim informat partes materiæ alimenti secundum partes proportionales : quia introducitur in materiam juxta modum quo materia se disponit, scilicet uniformiter difformiter *, et per partes proportionales ingrediendo materiam : non sicut Angelus applicando sibi passum, unde operationem incipiat. Hoc ergo modo Angelum se applicare continuo partibus per motum neque repugnat ex parte ipsius Angeli, cum a qualibet parte corporis possit incipere aliquando operationem suam, et sic continuo applicari diversis partibus; neque etiam id repugnat ex parte corporis, cum omnes ejus partes, etiam si sint continuæ, æque subjicibiles sunt ipsi Angelo.

13. *Quod si dicas,* requiri ad motum continuum, quod mobile partim sit in termino *a quo,* et partim in termino *ad quem :* quod Angelo non convenit, quia est indivisibilis. Immo ex hoc ducitur argumentum contra ipsum motum Angeli absolute : quia Angelus debet se movere, cum sit vivens; ergo debet habere partem moventem et partem motam : cum omne, quod movetur, ab alio moveatur; quod non apparet quomodo distinguatur in Angelo.

14. *Ad priorem partem difficultatis respondetur* ex D. Thoma (in hac q. 53, a. 1 ad 1) : Angelum non esse partim in termino *a quo* et partim in termino *ad quem* ex parte sui, sed ex parte corporis seu spatii, cujus partem immediatam deserit, et partem immediatam acquirit. Unde obiter colligitur quod, cum D. Thomas hîc expresse posuerit motum continuum in Angelo, non refert quod negaverit illum in I, D. 37 * : sic enim id correxit.

15. Ad posteriorem partem ** dubii respondet P. Arrubal (hîc, disp. 159, c. 2 ***), quod in Angelo, qui est substantia indivisibilis, non est necesse distinguere partem moventem et partem motam : sed sufficit recipi motum in substantia, et effici a virtute ipsius substantiæ. — Ceterum, licet verum sit non esse in Angelo partes, inconvenienter tamen dicitur motum effici a virtute ipsius substantiæ, et recipi in substantia Angeli : quia nulla virtus vel accidens exsistens in aliquo subjecto effective agit in illud, ita quod distinguatur virtus efficiens a substantia recipiente. Quia virtus alicujus substantiæ non agit nisi ut recepta in substantiâ ipsâ, et consequenter substantia per talem virtutem est quæ agit : sicut calidum est quod calefacit, non calor; sed calor agit ut *quo,* calidum ut *quod.* Et sic substantia cum virtute agit, illa ut principium *quod,* ista ut *quo ;* utrumque tamen ut unum agens : non unum ut agens, aliud ut recipiens. Ergo non se habet substantia solum ut recipiens, et virtus ut efficiens.

16. Unde respondetur, quod in Angelo non distinguitur pars movens et pars mota formaliter, sed virtualiter : quia sunt diversi actus in voluntate et in intellectu, vel etiam in potentia motiva (si ab istis distinguitur), quorum unus oritur et movetur ex alio : sicut electio ex intentione, et ex electione imperium, et ex imperio applicatio ad exsecutionem; et exsecutio operatur erga aliud, scilicet erga corpus, ex qua operatione resultat etiam ipsum Angelum moventem coordinari et præsens fieri ipsi corpori. Quare non est inconveniens quod, quando aliquid movet aliud a se, ex consequenti resultet in se aliquis modus seu terminus motionis, sicut est ipsum *ubi :* quia hoc non est primo et per se esse movens et motum; sed primo et per se distinguitur movens et motum, et deinde ex ipso moveri resultat aliqua mutatio seu ordinatio et præsentia in eo qui movet : quia sic se applicat ad movendum alia a se per diversos actus, quorum unus est pars movens, et alius pars mota, seu ratio moventis et moti; licet ipsa substantia sit movens et mota ut *quod* secundum diversa, seu secundum ordinem ad diversos actus.

17. *Quod si ulterius inquiras :* an in motu continuo Angeli debeant esse plures operationes, vel una tantum? — *Respondetur* utroque modo posse contingere motum continuum, ut ex Cajetano * docet P. Suarez (lib. IV de Angelis, c. 20 **) : * I P. q. 53 a. 1, n. 8
ita quod, si diversis operationibus velit Angelus ** n. 9
continuo moveri, oportebit quod diversæ opera-

[1] Sic omnes !! Nisi fallimur, legendum est : *proportionales.*

tiones respiciant continuationem spatii, et attingant diversas partes designatas seu aliquotas diversis operationibus, non disparate se habentibus, sed coordinatis et ipsam continuationem spatii intendentibus : ita quod, quando assistit uni parti, velit immediatam occupare, et postea aliam immediatam usque ad certum terminum, et sic efficiatur motus continuus propter continuitatem spatii; licet operationes, quæ continuitatem illam consumunt, sint diversæ, inter se tamen ordinatæ. Si vero sit unica operatio, tunc habebit continuitatem non formaliter et ex parte operationis, sed virtualiter : quia operatio illa indivisibilis attingit continuum spatium per modum unius, volendo omnes illos contactus usque ad talem terminum. Et sic etiam dabitur tempus continuum, non secundum prius et posterius in ipsamet operatione, quia unica et indivisibilis est : sed secundum prius et posterius in ipso effectu et re operatâ, quatenus unicâ operatione vult Angelus plures partes alicujus spatii attingere, non omnes simul habendo, sed unam immediate, et ordine quodam post aliam; et sic continuatim mutat loca, licet operatio non mutetur, quia unica operatio plures effectus continuatos et subordinatos habere potest.

18. De motu autem discreto* possumus loqui dupliciter. Uno modo quod sit discretus solum [(1)] ratione temporis et durationis, quia scilicet aliquâ quiete interrumpitur; et de hoc non est dubium quod possit Angelus moveri motu discreto, sicut etiam corpus : quia non semper operatur et movetur, sed aliquando cessat; ergo interrumpit motum. Alio modo dicitur motus discretus per interruptionem locorum, ita ut mobile, non cessando a motu, transeat de uno extremo ad aliud non attingendo spatium intermedium; et de hoc est tota difficultas, ut jam explicamus.

NON REPUGNAT ANGELUM MOVERI DE UNO LOCO AD ALIUM, NON TRANSEUNDO PER MEDIUM.

19. Certum est quod, si datur motus discretus discretione se tenente ex parte spatii, necesse est quod aliquæ partes maneant intactæ a motu et contactu Angeli : quia, ut optime convincit D. Thomas (in hac q. 53, a. 2), si omnes partes medii Angelus tangeret motu discreto, numeraret omnes partes continui : et cum sint partes in potentia infinitæ, si omnes illas numeraret diverso motu et discreto, numeraret infinitum, quod non est pertransibile; oportet ergo quod in motu discreto aliquæ partes relinquantur intactæ. *Sed ex hoc ipso nascitur difficultas :* an talis motus detur, et possit Angelus per illum pertransire quamcumque distantiam, transeundo ad extremum sine contactu aliquo in partibus intermediis. Unde D. Thomas prius (in loco citato) ostendit quod, dato seu posito motu discreto, necesse est aliquas partes continui intermedias relinquere intactas, nec possunt plures operationes discretæ ab Angelo fieri tangendo singulas partes continui; postea (in fine corporis) docet absolute posse dari hunc motum discretum, quia [(2)] ex illo priori requisito redditur valde difficilis. Immo hæc est difficultas, quæ maxime elongatur a nostra intelligentia in motu spiritualis substantiæ.

[*Sententiæ.*]

20. *Circa quem est duplex sententia.* — Altera affirmat posse Angelum transire de uno loco ad alium quantumcumque distantem, sine eo quod attingat media. E[s]t valde communis hæc sententia inter Thomistas. Illam tenet Cajetanus (in præsenti*, q. 53, a. 2); Bañez (ibidem**); Ferrariensis (II [(3)] *Contra Gent.* c. 102); Capreolus (in II, D. 6, q. 1, a. 1, concl. 3†); et idem sentit P. Vazquez (hîc, disp. 196, c. 2). — Secunda sententia tenet non posse Angelum moveri nisi transeundo per medium. Quæ tribuitur S. Bonaventuræ††, Ricardo†††, Ægidio*, aliisque antiquioribus; et tamquam probabiliorem sequitur P. Suarez (lib. IV de Angelis, c. 19).

* I P. q. 53, a. 2
** q. 53, a. 2, dubio 2
† et art. 3. § 3
†† I, D. 37, pars 2. a. 2, q. 2
††† I, D. 37, a. 3, q. 2
* I, D. 37, pars 2, a. 2, q. 2
** q. 12

21. Inter has duas sententias fuit sententia media Scoti (in II, D. 2, quæst. ultima**), quem sequitur P. Arrubal (hîc, disp. 160, c. 2) : videlicet Angelum posse moveri de extremo ad extremum sine medio participante extrema, non tamen sine medio non-participante. Medium participans apud Scotum est idem quod partes medii non designatæ, seu proportionales et communicantes inter se; medium autem non-participans est idem quod partes designatæ seu aliquotæ, quarum una addit supra aliam distinctam magni-

(1) Ita bene emendant LC || Male MP *solus.*

(2) Sic omnes, non omnino male || Forsitan tamen legendum sit : *qui...*

(3) Sic omnes, mendose : liber II etenim nonnisi 101 capitula habet. Legendum videtur : *III Contra Gent. c. 102*, ubi circa 6um D. Thomæ argumentum multa quidem disserit Ferrariensis de Angelorum motu, at opinionem præsentem implicite tantum insinuat.

tudinem, et in nullo communicantem seu imbibitam in alia parte. Dicit ergo hæc sententia quod, ut Angelus transeat de extremo ad extremum, debet tangere omnes partes medias designatas et aliquotas, non tamen omnes indesignatas et communicantes inter se. In quo nihil fere addit supra secundam sententiam : nam si omnes partes designatas et determinatas debet Angelus tangere, in illis ingrediuntur et consumuntur omnes indesignatæ, et sic omnes tangere debet; sicut etiam in motu corporis per assistentiam ad partes spatii et mutationem continuam, qua tangit partes designatas, fit transitus per partes indesignatas, quæ in illis designatis continentur.

22. Quare FUNDAMENTA ISTIUS SECUNDÆ SENTENTIÆ late prosequitur Suarez (loco citato) et VARIE ASSIGNANTUR A SUIS AUCTORIBUS; sed tamen omnia inefficacia sunt. — *Primo enim ducuntur* ex proportione corporum, quæ non possunt moveri de extremo ad extremum nisi transeundo per medium; ergo idem videtur dicendum de spiritibus. — *Ceterum* consequentia ista nulla est, nec transcendit imaginationem : quia spiritus non alligatur legibus quantitatis et loci. Unde non deducitur proportio ex corporibus, quæ quantitate moventur et per commensurationem ad locum, ad spiritus qui carent aliquâ commensuratione et subjectione ad locum, quia carent partibus et quantitate, quæ sola commensuratur loco : et ratione illius oportet quod partes loci non prætermittantur totaliter a motu, qui fit per commensurationem ad locum. Certe nullus dubitat posse Deum non solum substantiam spiritualem, sed etiam corporalem, de extremo ad extremum transferre non attingendo medium : sicut per conversionem panis in corpus Christi id facit ponendo illud modo spirituali. Cur ergo repugnabit quod hoc ipsum sit connaturale Angelo, qui independens est a quantitate et commensuratione ad locum? obligatio autem et necessitas transeundi semper per medium oritur ex commensuratione partium ipsius mobilis cum ipso spatio. Ubi autem non commensuratur cum partibus spatii, nec dependet ab illis, cessat ista ratio et obligatio transeundi per medium.

23. *Secundo,* alii recurrunt ad institutum divinum, qui[1] sic disposuit hoc universum, ut nihil transeat de extremo ad extremum nisi per medium. — *Ceterum,* si ista institutio est ex solo beneplacito et voluntate divinâ, oportet illam aliquo testimonio ostendere. Si autem est juxta exigentiam naturæ rerum, petitur principium : de hoc enim quærimus cur hoc repugnet naturæ spirituali.

24. *Tertio,* alii id fundant in inconvenienti : quia alias darentur duo instantia immediata, scilicet instans quo Angelus est in isto loco, et instans quo sine motu continuo invenitur in alio. — *Ceterum* hoc nullum est inconveniens : quia motus discretus est ille qui componitur ex pluribus instantibus, id est, operationibus indivisibilibus (indivisibilitate se tenente ex parte operantis, non ex parte rei operatæ) immediate inter se conjunctis. Si enim inter ista instantia, quibus componitur motus discretus, daretur aliquod medium divisibile quod non esset instans sed tempus, talis motus et operatio aut esset divisibilis, si in se et ex parte operationis continuitatem illam haberet, vel saltem non esset motus discretus, quia continuum spatium tangeret, vel continuum effectum haberet : quæ sunt capita ex quibus desumitur ratio motûs continui, ut distinguitur a discreto. Cum autem Angelus moveatur et tangat loca ratione virtutis et operationis applicativæ ad locum, clarum est quod si attingit plura loca non continuata inter se, quod necesse est contactus ipsos discontinuari, et consequenter operationes, quia contactus operationes sunt. Quod si discontinuantur operationes, quia plures sunt et una sequitur immediate post aliam, hoc ipsum est dare plura instantia angelica immediata : quia ista instantia nihil aliud sunt quam operationes indivisibiles, ut ex parte Angeli se tenent.

25. *Quarto,* alii putant hoc esse commune substantiæ corporeæ et spirituali : quia etiam substantia denudata quantitate, si moveretur, deberet transire per medium; et similiter corpus Christi in sacramento si non esset conjunctum speciebus, et moveretur, transiret per medium; ergo etiam videtur id convenire substantiæ spirituali ut, si movetur, debeat transire per medium. — *Ceterum* hæc exempla neque in se certa sunt, neque consequentiam illam inferunt. Non sunt in se certa : quia corpus sine quantitate vel sine extensione ad locum, ut est corpus Christi in eucharistia, non est mobile motu corporeo et extenso, quia non est commensurabile loco. Unde si moveretur, esset alio genere motûs quam per commensurationem ad locum; et talis

[1] Ita omnes ‖ Intelligito : *institutum Dei, qui...* ‖ Aut erit corrigendum : *quia.*

motus non apparet quod necessitaretur fieri transeundo per medium, eo quod esset motus independens a loco. Et sic assumitur aliquid valde dubium, quando dicitur quod talia corpora deberent transire per medium : si quidem vel non moverentur remotâ quantitate (motu scilicet extenso et commensurato ad locum), vel si moverentur, deberent moveri motu ab omni extensione et commensuratione loci libero : qui hoc ipso non dependeret a transitu per medium.

25 bis. Non infertur autem consequentia prædicta : quia[1] dato quod corpora remotâ quantitate non possint transire ad extremum nisi per medium, hoc ideo est, quia non sunt immaterialia, nec per modum agentis immaterialis uniuntur corpori et tangunt illud, sed per modum cujusdam contactûs substantialis antecedentis omnem operationem; et talis substantia non habet principium mutandi loca ita independenter, quod possit tangere extrema non contactis mediis : eo quod corporea substantia est, et licet non commensuretur quantitative loco, non tamen est superior illo, neque continet illum, et sic non est omnino independens ab illo. At vero substantia spiritualis habet contactum omnino independentem ab ipsis locis : quia ejus operatio est pure spiritualis, et ordinata ad perficiendum locum sine ulla commensuratione et subjectione ad ipsum. Unde non cogitur operationem suam diffundere et inchoare secundum continuationem ipsius corporis, sed secundum applicationem suæ virtutis ubicumque voluerit : eo quod ad applicandam suam virtutem neque dependet a dispositione loci, neque a commensuratione ejus erga se; et ideo potest applicare corpori quod sibi placuerit sine dependentia ab ejus legibus et commensuratione. Sicut si anima rationalis haberet vim informandi diversa corpora, prout essent disposita, posset transire ad aliud corpus dispositum ad sui informationem, sine hoc quod corpora intermedia informaret. Quod autem facit anima tamquam forma informans, agit Angelus tamquam forma activa, non minus independens a quantitate et extensione loci in sui applicatione, quam anima in sui informatione, quæ solum dependeret a dispositione corporis, ad hoc ut illi uniretur. Angelus autem nullam aliam exigit dispositionem quam suæ activitatis applicationem per voluntatem, et quod corpus sit mobile ab ipso.

26. *Tandem P. Suarez* (ubi supra*) illâ ratione innititur : quia difficillime percipitur a nobis quod aliquid mutetur de extremo ad extremum, et non per medium; ergo licet non ostendatur in hoc aperta repugnantia, videtur tamen superare modum naturalem cujuscumque creaturæ. Præsertim quia alias posset Angelus in infinitum spatium se transferre, si semel non dependet a medio. — *Ceterum* hoc non est declarare repugnantiam, sed difficultati succumbere; et in istis spiritualibus, in quibus oportet maxime abstrahi a sensu et imaginatione, velle hanc impossibilitatem regulare penes id quod in sensibus et in re corporali impossibile judicatur, valde constricti et infirmi animi est. Non enim minus difficulter apprehenditur unum corpus indivisibiliter poni sub pluribus speciebus, sicut fides docet in corpore Christi, aut etiam unum corpus divisibiliter esse in pluribus locis, sicut ipsemet Suarez concedit*; et tamen non propterea hoc judicatur repugnans, quia difficile. Cur ergo judicabitur repugnans quod Angelus ex sua spiritualitate connaturaliter habeat non dependere a transitu per medium : quod corpus potest habere supernaturaliter? Si quidem spiritus naturaliter non dependet a commensuratione corporis, sicut dependet corpus; ergo quod corpus supernaturaliter accipit, potest Angelus connaturaliter habere.

* n. 20, in fine

* in III P. q. 75, a. 1, disp. 48, sect. 4, *Dico 3°*

26 bis. Quod vero dicitur* posse sic Angelum ad infinitum spatium se transferre : Dico non esse inconveniens quod transferat se ad spatium infinitum syncategorematice, id est, quolibet signato possit ad majus; de facto tamen et categorematice numquam transfertur ad infinitum, quia nec datur corpus infinite distans, nec infinitum vacuum sub certam intentionem cadit.

* supra, n. 26, *Præsertim quia*

[*Resolutio.*]

27. Quare, cum opposita sententia nullam efficaciam repugnantiæ adducat ad probandum quod non possit Angelus transire de extremo ad extremum nisi per medium, **DICENDUM EST quod potest Angelus sic moveri motu discreto, sine hoc quod pertranseat per aliquod medium, quodcumque illud sit, sive communicans, sive non communicans, sive intra suam sphæram, sive extra.**

28. *Est expressa sententia S. Thomæ :* nam (in ista quæst.*, a. 2) inquit quod « moveri de extremo in extremum, et non per medium,

* I P. q. 53, a. 2

[1] Ita bene corrigit C || ML *qua*, mendose || P *quo*, mendosius.

potest convenire Angelo »; et (in I, D. 37, q. 4, a. 2) : « Angelus, inquit, potest transire de loco in locum, ita quod transeat omnia media; et potest esse quod transeat de loco in locum sine hoc quod sit in aliquo mediorum. » Et idem habet (in I *ad Annibald.* dist. 37 *, q. 2, a. 1 ad 4; et *quodlib.* 1, a. 5) ubi inquit quod « Angelus, si vult, potest moveri de uno extremo ad aliud, absque hoc quod pertranseat medium ». Unde patet quod, quando D. Thomas admittit motum Angeli posse esse continuum et discretum (ut in hac q. 53 *, a. 1 et 2; et D. 37 ** citata, q. 4, a. 1, et alibi *** sæpe), non solum loquitur de discretione ex parte durationis, sed etiam ex parte loci seu medii, ut in præfatis verbis videmus. — Et ita, ut supra † diximus, D. Thomam communiter sequuntur ejus discipuli, aliique theologi quos citant Carmelitani Salmanticenses (tract. de Angelis, disp. 3, dub. 5).

* D. 37, pars 2, q. 2, a. 1, ad 4

* I P. q. 53

** I. D. 37, q. 4, a. 1 et 2

*** quodl. 9, a. 9; quodl. 11, a. 4

† n. 20

29. RATIO autem ET FUNDAMENTUM HUJUS SENTENTIÆ potest sumi tum a priori, tum a posteriori. — *A priori* quidem *perpetuo D. Thomas illam ponit rationem* : quia Angelus non est in loco per contactum quantitativum, qui commensuretur loco vel ab eo dependeat, sed potest unico et indivisibili modo, et æque primo, comparari ad plures partes corporis. Sicut enim anima rationalis comparatur ad corpus, quod informat, indivisibili modo et æque primo assistens totali corpori, et similiter corpus Christi speciebus panis : ita Angelus, qui est forma activa spiritualis respectu corporum, potest uniri alicui corpori et partibus ejus æque primo et indivisibili quodam modo, propter spiritualitatem suam, qua superior est extensione corporis circa quod operatur. Ergo ad deserendum illud corpus, et conjungendum se alteri, non obligatur prius conjungi partibus immediatis et deinde remotioribus, sed potest æque primo et indivisibili modo totum istum locum deserere, et alteri uniri; alioquin non indivisibili modo se conjungeret corpori, si non posset pluribus partibus corporis simul et unicâ indivisibili præsentiâ seu contactu se conjungere. Ergo potest Angelus, independenter a partibus intermediis, alicui corpori extremo se conjungere. — Probatur consequentia : quia si semel habet Angelus talem vim præsentiæ quod potest simultanee et indivisibili modo pluribus partibus corporis se applicare, non tenetur paulatim partes spatii acquirere, et alias deserere; ergo potest simul totum spatium quod occupat deserere, et simul, id est, indivisibili quodam modo totum aliud acquirere. Si autem semel potest omnes partes quas occupat simul et indivisibiliter deserere, nihil illi obstat quominus possit etiam simul et indivisibiliter totum spatium simul acquirere, et illi adesse. Tunc autem, quando deserit totum locum quem occupat, nullo modo est ligatus vel dependens ab illis partibus immediatis, et conjunctis loco quem antea occupabat; ergo potest præsentiam suam adhibere partibus seu spatio distanti, et non conjuncto illi quem antea occupabat. Unde enim talis obligatio provenit Angelo, si nullo modo continetur ab hoc, nec subjacet illi, sed potest indivisibiliter et simul totum locum quem habebat deserere aut occupare?

30. Et confirmatur : quia operatio Angeli qua habet contactum ad corpus ita libera est, quod potest a quacumque parte universi inchoare suam operationem; et super quodcumque corpus habet potestatem ut illi se applicet, non quidem tamquam forma informans, sed tamquam forma agens : et præcipue quia est agens omni corpore superius, et nulli alligatum determinate, et sine extensione illi commensuratâ. Ergo Angelus qui habet contactum ad unam partem spatii, quia ex illa inchoat operationem suam, potest a tali operatione omnino cessare, et inchoare suam operationem a corpore distanti et non ab intermedio, quia suâ virtute non vult aut non potest aliquid operari circa corpus intermedium. Ergo hoc ipso quod substantia spiritualis Angeli est forma activa, ita elevata et libera quod potest a quacumque parte corporis in hoc universo suam inchoare operationem, et illi se conjungere tamquam passo et materiæ ex qua operetur, neque ad hoc indiget dispositione corporali ex parte materiæ, sed virtutis suæ applicatione, poterit etiam se movere ad quodcumque corpus distans independenter ab intermediis : quia non semper vult applicare suam virtutem corporibus intermediis, et motus Angeli fit secundum diversam applicationem suæ virtutis ad corpus ex quo operatur, non per dependentiam et commensurationem ad illud corpus.

31. *A posteriori* autem *sumitur ratio* hujus motûs discreti in Angelo, independenter a spatio intermedio, ex aliquibus effectibus vel exemplis, quibus id explicatur. — Primo : nam Angelus, occupans totam magnitudinem suæ sphæræ, potest in minori se ponere, et alias partes relinquere; et e converso exsistens in minori parte potest in tota sua sphæra se ponere. Hoc autem

non facit Angelus per contractionem aut dilatationem suæ substantiæ, sed per indivisibilem contactum suæ præsentiæ, quo potest indivisibili modo nunc plures, nunc pauciores partes suæ sphæræ tangere. Ergo in retrahendo vel dilatando suæ substantiæ præsentiam non dependet a partibus intermediis. Alias non posse[t] (1) unico et indivisibili modo ab illis partibus se retrahere, vel ad illas extendi, nisi prius partes intermedias paulatim ingrederetur vel egrederetur, quando minus spatium occupat ab illo quod antea occupabat, vel e contra. Quod tamen magnum inconveniens est : quia sicut Angelus potest in aliqua sphæra suæ magnitudinis simul et indivisibili modo poni, ita potest ad minorem locum se retrahere, non per partes spatii se retrahendo, sed simul unicâ et indivisibili præsentiâ minori loco assistendo et reliquas partes omittendo. Ergo eodem modo poterit Angelus diversum locum occupare, omittendo omnia loca intermedia : quia si non dependet in retrahendo se et occupando minorem locum a partibus intermediis, nec etiam dependebit in occupando distinctum locum.

32. Juvatur etiam hoc aliquibus exemplis. Nam corpus Christi modo indivisibili assistens speciebus, si dividantur illæ species, assistit in parte distanti ubi species divisa ponitur, et non in corpore intermedio. — Item, si anima rationalis, ut supra * diximus, posset de suo corpore migrare in aliud, immediate informaret illud, etiamsi esset distans, non informando prius corpora intermedia. Ergo similiter Angelus poterit uniri corpori distanti, non informative, sed active, non uniendo se ut agens corpori intermedio : quia non utitur corpore intermedio tamquam passo ex quo operationem eliciat.

* nn. 25bis et 29

33. Quare tota intelligentia hujus motûs discreti sine medio reducitur ad hoc, quod intelligamus motum Angeli non esse primo et per se motum localem acquirentem distantiam vel propinquitatem, ut supra * jam diximus : sed quod primo et per se est unitivus virtutis operativæ Angeli ad passum, respectu cujus Angelus est forma activa superior independens ab omni commensuratione, distantiâ vel extensione passi : et habet pro materia, cui potest conjungi ad operandum, quodcumque corpus ab eo mobile. Et ideo in toto universo potest se applicare et conjungere cuicumque corpori voluerit, sine dependentia ab eo quod deserit, vel a spatio quod deserit. Et ideo potest, sine hoc quod uniatur et operetur ex corporibus intermediis, incipere operationem suam a corpore distanti : quia Angelus non vincit distantiam per remotionem vel propinquitatem spatii, sed per unionem et applicationem suæ virtutis et operationis ad passum ex quo vult operari, sive in ratione distantiæ sit ei propinquum, sive remotum : hoc enim ipsi Angelo ut agenti per accidens est, sicut in exemplo de anima nostra in informando diversa corpora, et non intermedia, manifestatur.

* nn. 5, 9-11

34. Quod si Angelus præternaturaliter ponatur in loco, non per operationem, sed per passionem seu contactum passivum, multo melius potest intelligi quod Angelus moveatur non transeundo per medium : quia potest ab alio Angelo vel a Deo alligari ad aliquod corpus, v. g. ad ignem inferni, non alligando illum corpori intermedio, v. g. terræ vel aquæ; et sic contactus ejus passivus immediate potest esse ad aliquid distans, et non ad intermedia, quia id fit virtute divinâ.

35. *Ex dictis colliges*, quomodo tempus Angeli componatur, et sit distinctum et independens a tempore nostro, nec illi simile : sicut neque motus ejus, cum spiritualis sit, non (2) est similis motui nostro, ut S. Thomas advertit (in hac q. 53, a. 3) I P. q. 53, a. 3
loquendo tam de tempore et motu continuo, quam de discreto. Constat autem quod tempus est numerus et mensura motûs secundum durationem : et qualis fuerit motus, tale erit tempus. Motus autem Angeli non constat partibus, quia est operatio indivisibilis : sed componitur ex pluralitate operationum, quarum quælibet in se est indivisibilis, et ideo vocatur instans. Neque motus iste ordinatur primo et per se ad vincendam distantiam spatii, sed ad conjungendum se per modum formæ activæ alicui corpori, cui per accidens est quod sit distans vel propinquum; et ideo neque tempus ejus proprie et directe habet velocitatem et tarditatem in transeundo. Nam, ut bene advertit S. Thomas (in hac q. 53, a. 3 I P. q. 53, a. 3
ad 1), « velocitas motûs Angeli non est secundum quantitatem suæ virtutis, sed secundum determinationem suæ voluntatis. » Et sic immediate proportionantur Angelus et corpus in ratione moventis et mobilis : sed solum ratione magnitudinis, in qua fit motus. Angelus enim juxta suam voluntatem applicat se ubi vult et quomodo vult, et inde sumitur velocitas durationis

(1) MLC *posse* ‖ P *posset* : facilius.

(2) Altera hæc negatio superfluit.

sui motûs, non ex quantitate virtutis vincentis distantiam spatii, aut resistentiam mobilis : quæ doctrina D. Thomæ valde notabilis est pro hujus rei explicatione.

36. Igitur tempus discretum Angeli est illa duratio quæ componitur ex pluribus instantibus seu operationibus, quarum una sequitur post aliam ex parte Angeli sic elicientis illas; sed tamen ex parte effectuum quos faciunt non continuantur immediate, neque per immediatas partes alicujus spatii applicant Angelum. Motus autem continuus Angeli differt ex parte effectuum, quos per suam operationem seu motum Angelus facit : quia operatur effectus immediate se habentes, seu in partibus immediatis spatii se continuantes, et Angeli præsentiam illis unientes. Istæ autem operationes Angeli indivisibiles sunt in se : quia non sunt operationes procedentes de potentia ad actum, et per partes successivas procedentes, sed sunt actus perfecti; sed quia successione carent, vocantur instantia. Non tamen est necesse quod correspondeant unico instanti nostri temporis, quod est ex omni parte indivisibile, tam formaliter quam virtualiter : sed possunt durare secundum correspondentiam ad multum tempus nostrum, ut si Angelus perseveret uno die in sua operatione indivisibili sine aliqua ejus mutatione vel successione partium. Unde talia instantia seu operationes, quæ ut procedunt ab Angelo sunt indivisibiles formaliter, dicuntur virtualiter divisibiles : quia æquivalent et correspondent durationi divisibili [1] nostri temporis, quamdiu Angelus vult illam operationem durare.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

37. PRIMO ARGUITUR : Nam anima rationalis non potest informare partem extremam corporis, non informando intermediam; ergo neque Angelus agere et transire ad extremam partem priusquam ad mediam : quia sicut anima se habet in informando, ita Angelus in agendo.

38. *Confirmatur* : quia Angelus non est infinitæ virtutis; ergo non potest in quocumque spatio remoto se collocare, non transeundo per medium. Alias posset etiam in loco infinite distanti se collocare : quia si semel non obstat distantia media, neque ab illa dependet in acquirendo locum, a nulla dependebit; ergo potest in infinitum se collocare in aliquo loco distanti.

39. *Confirmatur secundo* : quia D. Thomas (in hac q. 53, a. 2) ponens secundum argumentum, quod anima potest suâ cogitatione transire de uno extremo ad aliud sine medio, ergo et Angelus poterit sic moveri, respondet non esse simile : quia Angelus dum movetur applicat suam substantiam diversis locis; anima autem non applicatur rebus quas cogitat, sed potius res applicat ad se. Ergo sentit D. Thomas quod Angelus non transit motu locali de extremo ad extremum sine medio, sicut potest transire cogitatio animæ. I P. q. 53, a. 2

40. RESPONDETUR : esse disparem rationem inter Angelum et animam : quia anima est forma corporis, et exsistit in illo solum informando. Ut autem informet unum corpus non transeundo ad aliud, dependet a dispositionibus requisitis ut materia uniatur formæ : quia solum potest informare corpus organicum. Istæ autem dispositiones, cum sint corporeæ et modo extenso recipiantur in corpore, dependent a continuatione partium corporis earumque colligatione, sine qua non est recte dispositum corpus. Et consequenter dependet a partibus intermediis, sine quibus non fit continuatio, neque communicatur virtus vitalis, quæ residet in spiritibus et sanguine : quæ omnia, cum corporea sint, non possunt communicari partibus extremis sine dependentiâ a mediis : quia modo extenso se communicant res corporeæ. At vero Angelus non exsistit neque conjungitur corpori ut forma, sed ut motor et ut agens independenter a quacumque dispositione corporis. Unde potest ad quamcumque partem corporis voluerit se applicare, et inde inchoare operationem suam independenter a quacumque distantiâ vel extensione intermediâ, ut ostensum est *. * supra, maxime nn. 30, 33

41. *Ad primam* ** *confirmationem respondetur* : Angelum posse moveri motu continuo vel discreto in infinitum syncategorematice : quia ex nulla parte positus est illi terminus intra quem non possit moveri si velit : neque ex parte sui, quia non fatigatur in movendo : neque ex parte termini, quia nullus ei repugnat ratione cujuscumque distantiæ. Sed tamen quicumque motus in singulari determinatum terminum habet, et finitus est, ut supra * diximus. Ad hoc autem ut sine medio moveatur, non requiritur virtus infinita, sed sufficit independentia a commensuratione loci, ut possit sine transitu per illum poni in loco distanti. ** supra, n. 38 * n. 26

[1] Ita, manifestissime, legendum ; Mendose MLP *indivisibili* (C *invisibili*).

** supra, n. 39 42. *Ad secundam confirmationem respondetur*, quod in illo argumento D. Thomas loquitur de motu continuo, et vult [1] ostendere quod etiam in illo potest Angelus transire de loco ad locum sine transitu per medium, eo quod anima sic potest cogitare de locis extremis non cogitando de mediis : quod utique potest anima facere, etiam per cognitionem continuam. Et sic, comparando cognitionem continuam motui continuo, recte ponit differentiam D. Thomas inter cogitationem et motum : quod illa cogitatio, licet sit continua, non tamen applicat substantiam ipsis rebus, sed trahit res ad se; potest autem trahere ad se cogitatio continua res non continuas. Per motum autem continuum non potest applicare spatiis non continuis substantiam suam, quia hoc est contra ipsam rationem continuitatis ex parte motûs.

43. Secundo arguitur : Angelus non potest pertransire de tempore præterito in futurum, nisi per præsens; ergo similiter non poterit pertransire de spatio extremo ad extremum, nisi per spatium intermedium. — Consequentia patet : quia non minus est ordo essentialis inter partes permanentes spatii, quam inter partes successivas temporis; ergo si illæ non possunt pertransiri sine medio, neque etiam istæ. — Et præsertim hoc urgetur *: quia ordo præfixus a Deo inter partes universi est ordo situalis, quem non potest Angelus pertransire, quia a Deo præfixus est; ergo non potest tangere extrema, non contactis mediis.

* cf. Scotum, II, D. 2, q. 12, n. 3

44. *Confirmatur* : quia Angelus non potest movere aliquod corpus de extremo ad extremum, v. g. lapidem, non transeundo per medium; ergo neque seipsum poterit sic movere. — Patet consequentia : quia motus corporis et Angeli eodem modo se habent in ratione successivi; ergo eodem modo se habent in dependentiâ a partibus mediis respectu extremorum.

45. *Confirmatur secundo* : quia Angelus non potest extra suam sphæram collocari in passo distanti, quin collocetur in spatiis intermediis : si quidem collocatur mediante operatione, et non potest operari ultra suam sphæram; ergo neque etiam poterit id facere intra sphæram propriam. — Patet consequentia : quia operatio Angeli, quando relinquit propriam sphæram, et acquirit aliam, dependet a spatiis intermediis; ita ut non possit in quamcumque distantiam eam collocare; ergo etiam non poterit intra suam sphæram eamdem virtutem applicare, nisi dependenter a spatiis intermediis. Si enim semel dependet a continuitate spatii ut se faciat præsentem, semper dependebit, et motu discreto non poterit moveri : quia hoc non regulatur penes majorem vel minorem virtutem in movendo, sed penes dependentiam vel independentiam a commensuratione loci, et ab ejus distantia.

46. Respondetur : esse disparem rationem inter coexsistentiam Angeli ad partes temporis et ad partes spatii : quia partes spatii permanenter exsistunt, et a parte rei, et quælibet est capax assistentiæ Angeli; nec ipse Angelus per commensurationem ad earum quantitatem coexsistit, sed independenter ab extensione spatii; potest ergo assistere cui voluerit sine transitu per partes. At vero tempus futurum nondum est, nec est capax ut ei coexsistat Angelus antequam sit in se : nec enim in duratione Angeli exsistit antequam in se : id enim est proprium æternitatis. Debet ergo Angelus exspectare præsentiam partis futuræ ut ei coexsistat, quia ante non est capax. Unde Angelus non coexsistit tempori per operationem et contactum suum in ipsum, sed per meram concomitantiam ad temporis decursum; decursus autem temporis fit per præsens ad futurum, et non aliter; hoc ergo debet exspectare Angelus ut ei coexsistat. At vero coexsistentia ad spatium non est sola concomitantia in exsistendo, sed est applicatio et contactus Angeli ad spatium et ad corpus, ut ex illo et in illo operetur. Non obligatur autem virtus Angeli, propter suam immaterialitatem et eminentiam, ad adhibendum contactum suum juxta commensurationem loci et extensionem corporis; et ideo potest applicare suam virtutem in ratione formæ agentis corpori extremo, et non corpori intermedio.

47. Quod vero* ordo constitutus a Deo inter partes universi sit ordo situalis, quem non potest Angelus prætermittere : Dicimus hunc ordinem esse positum a Deo quoad ipsas partes universi inter se, ut quod ignis sit sursum, et terra deorsum : et hoc non potest Angelus prætermittere, faciendo quod ipsæ partes quantitativæ inter se collocentur sine partibus intermediis. Sed tamen, quoad coexsistentiam Angeli ad tales partes universi, non est positus [2] ordo a Deo, ut prius Angelus tangat partes intermedias, quam extremas : quia ad hoc, in vi suæ immaterialitatis, nullâ ratione obligatur.

* cf. supra, n. 43, *Et præsertim*

[1] Intellige : *vult [argumentum] ostendere...*

[2] Ita bene corrigunt LC; Male MP: *non est positus ordo.*

* supra, n. 44

48. *Ad primam* confirmationem respondetur,* quod Angelus non potest movere corpus tollendo ab illo modum proprium, quem habet ex sua propria extensione quantitativa, ratione cujus subjacet commensurationi loci; nec potest moveri corpus motu locali nisi per contactum quantitativum, nec iste contactus haberi potest, aut intelligi, nisi cum dependentiâ a commensuratione loci, et secundum leges distantiæ et propinquitatis. Unde S. Thomas (in hac q. 53, a. 2) absolute negat corpori quod possit moveri motu discreto, et id absolute concedit spiritui : « quia corpus et mensuratur et continetur sub loco, » non vero spiritus. Quare, si Angelus movet aliquod corpus, non potest nisi motu continuo illud movere, et seipsum ad motum illius.

I P. q. 53, a. 2

* supra, n. 45

** cf. Carmel. Salmant., disp. 3, dub. 5, n. 112

49. *Ad secundam* confirmationem,* aliqui** existimant non posse Angelum moveri motu discreto ad quamcumque distantiam, sed solum quando passum distans non distat extra sphæram suæ activitatis, sed continetur in loco quem potest occupare. — Ceterum motus discretus Angeli non fundatur in quantitate suæ virtutis, neque regulatur secundum sphæram suæ activitatis, sed solum propter independentiam a commensuratione ad locum : nec enim posse moveri sine [1] transitu per loca media fundatur in majori vel minori velocitate qua movetur Angelus, aut in minori vel majori virtute et activitate secundum quod habet majorem vel minorem sphæram, quam simul potest actuare; sed fundatur in sola superioritate quam habet ad locum continendo illum, et non contentus sub eo. Unde S. Thomas, (in hac q. 53, a. 2) ex hoc præcise quod substantia Angeli non est subdita loco ut contenta, sed superior eo ut continens, infert quod « in potestate ejus est applicare se loco prout vult, vel per medium, vel sine medio ». Nec in hoc ponit aliquam differentiam respectu locorum quæ sunt intra sphæram, vel extra sphæram Angeli : sed absolute dicit quod absque medio potest se applicare loco prout vult. Et præterea, quia sphæra activitatis Angeli mensuratur secundum quantitatem virtutis ejus, secundum quam potest majorem vel minorem sphæram occupare; sed « velocitas motûs Angeli non est secundum quantitatem suæ virtutis, sed secundum determinationem suæ voluntatis », ut expresse dicit S. Thomas (in hac q. 53, a. 3 ad 1). Ergo etiam quod moveatur motu discreto omittendo plura media (quod etiam pertinet ad velocitatem motûs Angeli), non regulatur penes quantitatem virtutis, sed secundum determinationem suæ voluntatis; ergo neque attenditur penes loca contenta intra suam sphæram, vel extra : quia continentia sphæræ, et quod sit major vel minor, regulatur secundum quantitatem virtutis, non secundum determinationem voluntatis.

I P. q. 53, a. 2

I P. q. 53, a. 3, ad 1

50. Quare dicendum est, quod in motu discreto nulla datur sphæra in Angelis, sed ad quodcumque passum, sive intra sive extra sphæram suam, potest se applicare prout voluerit : quia hoc non fundatur in majori virtute motivâ et activitate, qua potest circa majus passum vel minus operari et illi simul assistere, sed fundatur in omnimodâ independentiâ et superioritate a commensuratione loci : quod omnibus Angelis et spiritibus commune est, in quantum sunt formæ activæ immateriales. Nam ad vincendam dependentiam a locis intermediis ut transeatur ad extremum, nihil conducit velocitas vel activitas virtutis, sed hæc solum servit ut distantia illa pertranseatur breviori tempore; ad hoc vero ut nullo modo pertranseatur, velocitas seu activitas nihil conducit, sed solum independentia a commensuratione loci. Unde cum Angelus nullis legibus loci sit adstrictus, et ex quocumque corpore possit sibi constituere passum ex quo operetur, poterit pro sua voluntate applicare se corpori cui voluerit sine dependentiâ ab ejus distantiâ intermediâ : quia ad relinquendam totam suam sphæram quam occupat Angelus, ad collocandum se in alia, non indiget attingere corpus immediatum seu partes illius; ergo poterit, independenter a partibus immediatis et conjunctis termino suæ sphæræ, aliam acquirere et occupare. Qua ergo ratione potest immediatas partes relinquere, et ad distantem sphæram transire, potest quascumque intermedias relinquere, et ad quamcumque distantiam se applicare : quia non est major ratio quod sit independens in applicando se ad corpus a partibus immediatis, et non sit a quibuscumque aliis intermediis : cum hoc non innitatur virtuti et activitati se movendi, sed independentiæ a commensuratione loci.

51. Et cum dicitur *, quod Angelus collocat se in spatio mediante operatione : ergo non potest in quamcumque distantiam operari : — Respondetur, quod collocat se in loco mediante operatione, quatenus independens est a commensuratione

* supra, n. 45, *si quidem collocatur*

[1] Ita legendum cum LC ‖ Mendose MP *si transitu*...

loci, non quatenus vincens est resistentiam seu distantiam medii. Et quia talis independentia est a quacumque commensuratione et distantiâ loci, potest ad quamcumque partem voluerit inchoare operationem suam et ibi collocare seipsum.

52. Ultimo arguitur : Quia in quolibet motu debet dari aliqua successio, et aliquod moveri ante mutatum esse; ergo etiam debet dari aliquod medium inter mutatum esse, quod est in termino *ad quem*, et illud quod est ex parte termini *a quo*. — Patet consequentia : quia quando Angelus est in termino *ad quem*, tunc non est in moveri, sed in mutato esse; quando autem est in termino *a quo*, nondum incipit motus, quia adhuc non recedit ab illo termino; ergo, ut detur motus, necesse est quod detur aliquis transitus per medium. — Et præsertim hoc urget in motu locali : quia per illum acquirit Angelus aliquam distantiam et propinquitatem ad puncta fixa, et consequenter oportet quod acquirat istam distantiam et propinquitatem juxta leges (1) ipsius distantiæ, quæ consistit in hoc quod non possit attingi distans nisi prius attingatur propinquum. Sicut homo, licet se applicet libere alicui loco, tamen quia modo corporeo se applicat illi, debet subdi legibus loci. Ergo, quia Angelus acquirit distantiam vel propinquitatem, debet subdi legibus distantiæ et propinquitatis.

53. Respondetur, quod in motu continuo ad quodlibet mutatum esse præcedit moveri per modum successionis et continuitatis, non tamen in motu discreto : eo quod in motu continuo mutatum esse non est pars motûs, sed terminus ejus, et ita extrinsece se habet ad ipsum motum; in motu autem discreto non præcedit aliquod moveri ipsum mutatum esse, quia motus discretus in Angelo non habet mutatum esse pro termino extrinseco, sed pro parte componente ipsum : eo quod motus discretus componitur ex duplici instanti, sine aliquo medio continuante : quia, si daretur continuativum intermedium, ille motus non esset discretus, sed continuus. Et ita motus discretus componitur ex duplici operatione indivisibili, seu duplici instanti, quorum unum succedit alteri immediate : et primum instans desinit per ultimum esse, et ex illo ut desinente, et altero instanti ut succedente, componitur motus ille discretus. Et sic non est motus qui consistit in aliquâ tendentiâ intermediâ inter terminum *a quo* et terminum *ad quem* : sed consistit in acquisitione instantaneâ unius termini seu mutati esse, non absolute, sed ex termino *a quo* desinente per ultimum esse; et ex illo instanti desinente et isto de novo posito, tamquam ex duabus partibus indivisibilibus seu duobus instantibus, componitur istud genus motûs. De quo iterum dicemus articulo sequenti *. * infra, art. 5, præsertim n. 19-22

54. Ad id vero quod dicitur ** de acquisitione distantiæ vel propinquitatis ad puncta fixa in motu Angeli : Jam supra *** diximus, motum Angeli primo et per se non tendere ad distantiam vel propinquitatem : quia hæc in ipso Angelo, qui est purus spiritus, fundari non potest; sed primo et per se tendere ad conjunctionem virtutis activæ Angeli cum corpore, quod quia in aliquâ distantiâ est, ex consequenti dicitur Angelus acquirere vel perdere distantiam ratione corporis cui conjungitur. — Neque fundamus * istam independentiam Angeli a distantia et spatio intermedio in eo solum quod fiat per voluntatem Angeli libere operantem, tamquam a causa efficiente et applicante : sed ex eo quod fit mediante contactu virtutis omnino spiritualis, independentis ab omni commensuratione loci. Homo autem licet libere moveatur, tamen contactus ejus ad locum est omnino corporeus : quia mediante corpore movetur, et mediante quantitate ponitur in loco; et ita non est deobligatus a legibus loci, sed omnino illi subjectus, quia corporeus est : quod non currit in Angelo.

** supra, n. 52, *Et præsertim*
*** nn. 9-10, 33
* cf. supra, n. 52, *Sicut homo*

ARTICULUS V

Utrum motus Angeli in spatio possit fieri in instanti.

1. Ut sensus difficultatis hujus percipiatur, *advertendum est* dupliciter posse controverti an motus Angeli sit in instanti. Primo, loquendo de instanti non solum angelico, sed etiam nostro. Secundo, loquendo de instanti angelico tantum. — Tunc instans in Angelis dicitur non solum indivisibile ex parte sui, sed etiam ex parte nostri, quando operatio Angeli, quæ

(1) Omnes : *juxta leges... quæ consistit...* || Forsitan legendum : *juxta legem;* vide tamen Præfationem tomi I, cap. III, art. 2, § 3, n. 5, c).

secundum se indivisibilis est, non correspondet in sua duratione nisi tantum instanti nostri temporis. Tunc autem instans angelicum disconvenit ab instanti nostro, quando non correspondet in sua duratione solum instanti nostri temporis, sed perseverat et durat etiam per partem temporis nostri. Itaque operationes (1) Angeli, quibus motus ejus et tempus seu duratio numeratur, in se semper est indivisibilis prout ab Angelo procedit, nec a nostro tempore et successione ejus dependet; sed tamen, quia coexsistit duratio Angeli et operationis ejus nostro tempori, quia concomitanter se habent istæ durationes, ideo potest coexsistere duratio Angeli, et similiter duratio operationis e[jus] (2) durationi temporis nostri, vel in multum vel in parum : et aliquando potest duratio operationis angelicæ coexsistere durationi unius tantum instantis nostri. Quando ergo inquiritur, an possit motus Angeli fieri in instanti, præcipue controvertitur hoc de instanti angelico, non de instanti nostri temporis : nec enim mensuratur operatio Angeli instanti nostro; sed, sicut est supra omne tempus, ita super omnia instantia temporis nostri. Itaque sensus controversiæ est : utrum motus Angeli unicâ ejus operatione perfici possit, atque adeo unico instanti angelico, sive correspondeat et coexsistat tempori nostro, sive non, sed solum instanti.

2. *Secundo, advertendum est* quod Angelus potest de novo poni in aliquo loco dupliciter. Uno modo per simplicem mutationem, alio modo per motum proprie dictum. Per simplicem mutationem idem est ac per unicam mutationem. Per motum proprie dictum idem est quod per transitum de uno loco ad alium, constantem duplici mutatione : altera qua deseritur unus locus, altera qua acquiritur alius. — Tunc erit unica et simplex mutatio in acquisitione loci, si præsupponatur Angelus absolutus ab omni loco, et incipiat de novo esse in loco positive ; hoc solum fiet per simplicem et unicam mutationem, quia acquiretur taliter locus de novo, quod non relinquetur locus aliquis positivus : sed a simplici negatione exsistendi in loco, de novo collocatur in loco. — Tunc autem erit vere et proprie motus, quando est inter duo loca positiva, relinquendo unum et acquirendo alium : tunc enim necessario intervenit duplex mutatio illius duplicis loci, scilicet desitio seu derelictio unius, et acquisitio alterius.

3. De hoc ergo motu currit difficultas, utrum possit unico instanti seu operatione angelicâ fieri, ita quod complectatur illud instans et illa operatio tam desitionem unius loci, quam acquisitionem alterius. Et dato quod unica operatio non sufficiat complecti utramque mutationem utriusque loci, seu termini *a quo* et *ad quem*, an saltem sola acquisitio termini *ad quem*, quæ unicâ operatione instantique perficitur, habeat vim motûs seu acquisitionis et tendentiæ ad terminum. Exsistentia vero in termino *a quo* non pertinet ad motum, sed ad quietem : quia totâ duratione ante exsistentiam et acquisitionem termini *ad quem*, exsistit mobile in termino *a quo*. Et in hoc sensu ultimo controvertitur a D. Thoma (in hac q. 53, a. 3). I P. q. 53, a. 3

VARIÆ SENTENTIÆ.

4. *Circa hoc punctum duæ sunt extremæ sententiæ, et una media.* — Prima sententia affirmat Angelum posse moveri in instanti quocumque genere motûs, sive sit continuus sive discretus, sive transeat per medium sive non. Ita P. Suarez (lib. IV de Angelis, c. 20 et 21 *); Molina (ad istam quæst. 53, a. 3 **); Scotus ***, Gabriel †, Gregorius ††, Major †††, Ægidius (3), et alii quos pro hac sententia citant Carmelitani Salmanticenses (tract. de Angelis, disp. 3, dub. 7 * et 8).

* etiam c. 22 — ** concl. 1; IP² 561 — *** II, D. 2, q. 11-12 — † II, D. 2, q. 3, a. 3, dub. 1 — †† II, D. 6, q. 3, a. 2 — ††† II, D. 2, q. 12 — * dub. 7, § 5, n. 150

5. Alia sententia est in alio extremo : quod Angelus neque in motu discreto, neque in continuo, potest moveri in instanti. Ita D. Thomas (in hac quæst. 53, a. 3 **), Cajetanus (ibi), Nazarius ***, Bañez, Zumel †, Ripa ††, Ferrariensis (III *Contra Gent.* c. 102), Navarrete (controv. 48), Salmanticenses citati et alii.

** I P. q. 53, a. 3 — *** controv. 1 (alias 18) — † a. 3. q. 1, concl. 3-4 — †† dub. 2

6. Tertia sententia media est aliquorum, qui dicunt posse Angelum moveri in instanti, motu discreto et quando non transit per medium. Ita P. Arrubal (hîc, disp. 162, c. 2), qui pro se alios citat, videlicet Cajetanum (4), Ferrariensem,

(1) Omnes : *operationes Angeli... est indivisibilis* ‖ Cf. supra, p. 533, notam 1, et tomi I Præfationem, cap. III, art. 2, § 3, n. 5, c).

(2) MP *duratio operationis edurationi...* ‖ LC *duratio operationis, durationi...* ‖ Censemus litterulam *e* reliquum quoddam esse vocis *ejus*, quæ casu malo sublata est.

(3) Revera, Ægidius D. Thomæ sententiam sequitur; quem videsis in I, D. 37, parte 2, principali (seu art.) 2, q. 3.

(4) Immerito affert Arrubal, quasi suæ sententiæ faventes, Cajetanum in I P. q. 53, a. 3, et Ferrariensem in III *Contra Gent.*, c. 102. Prior enim nihil tale habet, præter verba quædam subobscura circa titulum articuli; apud posteriorem vero probatur opinio Arrubalis, sed in argumento quod sibi proponit auctor (ed. Leonina, n. VII, 4) et postea solvit (n. XII et XIII). Neque jure allegandus erat Valentia, qui (I P., disp. 4, q. 4, puncto 2) sententiæ D. Thomæ clare adhæret.

* concl. 3; IP*562 Molinam *, Valentiam. — Vazquez autem (hic, disp. 197, c. 2) sentit quod, quando Angelus movetur per medium, non potest moveri in instanti, sed in tempore; non tamen probat rationem S. Thomæ quando (in art. 3**) id probat. ** I P. q. 53, a. 3. De motu vero discreto Angeli, quando non transit per medium, sentit (cap. 4) non fieri in instanti, sed componi ex pluribus instantibus tamquam ex partibus motûs : non tamquam ex terminis extrinsecis ipsi motui, sicut in nostro motu terminus *a quo* et *ad quem* extrinsece se habent ad motum.

RESOLUTIO.

7. *Sententia S. Thomæ* a nobis eligenda est, I P. q. 53 a. 3 quæ in articulo 3 (hujus quæst. 53) aperte explicatur : scilicet nullum motum Angeli, sive continuum sive discretum, posse esse in instanti, sed debere esse in tempore, ut patet in illis verbis : « Relinquitur quod motus Angeli sit in tempore : in continuo quidem tempore, si sit motus ejus continuus : in non continuo autem si motus sit non continuus. » (Et idem docet in I, D. 37, q. 4, a. 3; et in IV, D. 44, q. 2, a. 3, qla 3; et *quodl.* 11, a. 4; et aliis locis.)

8. Ceterum, quia contingere potest quod Angelus ponatur in loco sine motu, et unico instanti, oportet distinguere prius istum modum instantaneum acquirendi locum, a modo acquirendi illum per motum : qui numquam potest fieri in instanti, si verus motus est. — DICO ERGO PRIMO : **Angelus per simplicem mutationem, quæ motus non sit, potest acquirere locum, et applicare substantiam suam toti suæ sphæræ instantaneâ actione, non solum quæ sit instans angelicum, id est, unica et indivisibilis operatio circa locum, sed etiam quæ correspondeat unico instanti nostri temporis.**

9. PROBATUR HÆC CONCLUSIO, assignando casus in quibus hoc potest fieri sine motu, et per unicam ac simplicem mutationem. — *Primus est*; quando a Deo ponitur Angelus subito et instantanee in aliquo loco ad quem antea non se movebat : v. g. si Angelus de novo creetur in aliquo loco, vel si reproducatur, vel aliquid convertatur in ipsum per transubstantiationem, vel fiat præsens alicui loco per subitam positionem in illo. Totum hoc fit a Deo sine motu in unico instanti, etiam correspondente instanti nostri temporis : quia creatio et transubstantiatio sine motu sunt, et quia ponunt rem a se attactam in aliquo loco; consequenter in instanti tribuunt illum ipsi Angelo.

10. *Secundus casus est* : supposito quod Angelus est in loco per contactum suæ virtutis et per operationem suam, potest Angelus desistendo ab omni operatione manere sine loco positivo et actuali, sicut D. Thomas admittit fieri posse (in I, D. 37, q. 3, a. 1 ad 4) et nos supra * diximus. * art. 2, n. 27 In tali casu potest Angelus applicare se alicui loco quem voluerit ex non-loco, seu ex non-exsistentiâ in loco : ergo non duplici mutatione positivâ, sed unâ. — Patet consequentia : quia tunc datur mutatio ex parte loci qui acquiritur, quia de novo acquirit illum, cum antea non haberet; non tamen datur mutatio circa locum qui relinquitur, quia non datur talis locus : cum supponatur Angelum in nullo loco positivo exsistere, sed abstinere se ab omni loco. Ergo talis acquisitio loci non constat duplici mutatione; ergo ex hac parte non est motus, quia non est de positivo in positivum. Rursus, illa acquisitio loci de novo potest fieri tota simul et non per partes : quia Angelus indivisibili operatione et unicâ potest se applicare illi loco, non paulatim et per partes : quia non commensuratur partibus spatii; sicut anima potest uniri in instanti omnibus partibus corporis, quando mortuus resurgit. Ergo etiam Angelus potest se applicare indivisibili et unicâ operatione alicui passo, et sic ex parte termini seu loci acquisiti erit illa actio instantanea; et cum ex parte termini *a quo* non habeat aliquam mutationem, quia non habet locum positivum quem relinquat, restat quod simpliciter illa mutatio in tali casu sit instantanea.

11. *Unde etiam intelligitur* quod Angelus potest totam suam substantiam applicare et diffundere per suam sphæram, sine ulla prorsus successione, sed in instanti, etiam respectu nostri temporis. — Probatur : quia ex parte suæ operationis potest Angelus unicâ operatione totam suam sphæram velle occupare : ut si ex tota sua sphæra velit inchoare actionem suam; sicut anima nostra unico instanti occupat totum corpus suum informando, sic Angelus agendo. Et tota illa actio una est : quia totum illud continetur intra sphæram virtutis Angeli et operationis ejus, et sic potest unicâ et indivisibili operatione ex parte sui totam illam sphæram occupare. Similiter potest id fieri per durationem correspondentem unico instanti nostri temporis : quia connaturaliter loquendo Angelus nullam habet resistentiam, neque aliquod contrarium quod per successivam

mutationem tollendum sit; ergo potest unico instanti per totam sphæram diffundi, quantum ad acquisitionem ipsius loci : licet, si derelinquat alium locum positivum, debe[a]t [1] præsupponi alia mutatio et aliud instans desertionis loci prioris, cum instanti acquisitionis loci novi, ut
* infra, n. 13 sqq. mox * dicetur. Sed tamen ipsa acquisitio totius sphæræ et occupatio illius non requirit tempus, sed in instanti potest id fieri. — Quod explicatur exemplo lucis, quæ unico instanti diffunditur per sphæram totam luminosi, etiamsi id fiat per continuam multiplicationem lucis : eo quod lux non habet contrarium quod per successionem tollatur, sed solum tenebras. Virtus autem et operatio Angeli efficacior est ipsâ luce, et minus illi resistit illi corpus, quantum ad hoc quod est appli-
* art. 2, n. 18 care se illi; immo, ut supra * diximus ex D. Thoma, Angelus potest operari lucem in aliquo corpore. Ergo tunc non minus instantanee poterit Angelus toti illi loco circumfundi, quam lux ipsa diffundi.

12. Quod si Angelus velit paulatim et continuo partibus suæ sphæræ se applicare, tunc ille motus continuus ex parte spatii, seu effectûs quem in eo ponit, divisibilis erit et successivus, poteritque correspondere durationi temporis nostri : sicut etiam anima potest crescente corpore per augmentum se unire successive, et juxta motum augmentationis. Alioquin, si tali motu continuo moveretur Angelus in instanti nostro, posset Angelus in eodem instanti simul esse in cælo et in terra et in aere intermedio : si quidem omnia illa unico instanti pertransiret : cum tamen,
* PG 94, 869 A ut inquit Damascenus (lib. II de Fide, c. 3 *), « Angelus non possit simul esse in cælo et in terra; » ergo non potest unico instanti secundum motum continuum tangere omnia loca media quæ sunt inter cælum et terram. Et eâdem ratione non poterit pertransire motu continuo ea loca quæ sunt post suam sphæram, ad collocandum se in alio; licet quando applicat se alicui corpori, tamquam sphæræ in qua exsistit, possit totam illam sphæram suæ operationis unico instanti occupare et attingere : non tamen de una sphæra ad aliam per intermedia corpora motu continuo pertransire unico instanti et simul, quia hoc opponitur ipsi continuationi et successioni.

13. DICO SECUNDO : **Si motu proprio et vero moveatur Angelus, et non simplici et unicâ mutatione, sive sit motus continuus sive discretus, non potest moveri in instanti, sed necessario motus Angeli debet componi ex pluribus instantibus seu operationibus angelicis; et ubicumque sunt plura instantia, ibi est tempus.** — *Hæc conclusio est quam præcipue intendit S. Thomas* (in hoc art. 3), ut patet 1 P. q. 53, a. 3
ex calce corporis articuli : ubi advertit quod tempus illud, quo mensuratur motus Angeli, sive sit continuum sive discretum, est aliud a tempore nostro, quia non dependet a motu cæli; ergo loquitur de tempore angelico, quod constat ex instantibus angelicis.

14. *Ut autem ratio et fundamentum* D. Thomæ, quod comprehendit utrumque motum tam continuum quam discretum, et profunde attingit naturam motûs, in formam reducatur et *explicetur, adverto quod* cum motus Angeli suam propriam habeat mensuram (quæ tamen coexsistens et correspondens est tempori et durationi nostræ), et illa componatur ex operationibus Angeli earumque durationibus sicut nostrum tempus ex partibus, oportet considerare non solum illam unicam operationem et instans quo terminat motum et acquirit terminum *ad quem*, sed etiam videndum est utrum Angelus immediate ante illud instans moveatur, vel quiescat. — Si enim immediate ante movetur, motus non fit unico instanti, si quidem immediate ante ultimum instans movebatur; et sic non in solo illo instanti datur motus, sed ante illud; idem est autem moveri in tempore, et non moveri in unico solo instanti. — Si autem immediate ante illud instans ultimum, acquisitivum termini, quiescebat : vel illa quies mensurabatur alio instanti distincto, quod desinit per ultimum esse, et succedit aliud; et tunc datur tempus compositum ex illis duobus instantibus, quia in uno deserit terminum *a quo*, et in alio acquirit terminum *ad quem*, et consequenter desitio in uno et acquisitio in alio conflatur ex duplici instanti, atque adeo fit tempus angelicum in illo motu : motus enim constare debet ex derelictione unius termini et acquisitione alterius. Si autem quies antecedens illud ultimum instans mensuratur tempore, ita ut toto tempore antecedente quiescat Angelus in illo loco, et in ultimo instanti illius temporis inveniatur in alio loco : sine dubio, si hoc ita esset, motus ille diceretur esse in instanti : quia ex toto illo tempore seu duratione solum ultimum instans deservit pro mutatione seu motu; quid-

[1] MP *debet* ‖ Melius LC *debeat*.

quid autem est ante ultimum instans, servit pro quiete, et non derelinquitur ille terminus *a quo* in toto illo tempore vel instanti antecedenti, sed quiescit sub illo termino *a quo;* solum autem ultimum instans servit pro derelictione termini *a quo* et acquisitione termini *ad quem,* supposito quod totum tempus antecedens ante ultimum instans est tempus quiescendi, non vero movendi et derelinquendi terminum *a quo*. Hoc autem D. Thomas reputat impossibile, et in hoc ponit totam vim suæ rationis, eo quod solum isto modo potest fingi quod motus sit in instanti; non sufficit autem ad motum distinguere in eodem instanti temporis duo instantia naturæ, ex quibus componatur motus, in quorum uno relinquat terminum *a quo,* et in altero acquirat terminum *ad quem,* utrumque tamen sit clausum intra idem instans durationis.

15. Igitur S. Thomas ad hoc punctum reducit suam probationem, ut ostendat impossibile esse, quod aliquid quiescat sub aliquo termino *a quo* seu sub aliqua forma in tota duratione alicujus temporis, et in ultimo instanti claudente et terminante illud tempus aliter se habeat seu moveatur, loquendo naturaliter seu conformiter ad naturam motûs et mobilis.

16. Ratio autem hujus est : Quia instans designat factum esse, et non solum fieri rei; ergo si toto tempore antecedenti non datur fieri et moveri, sed quiescere, in ultimo autem instanti datur mutatio ad alium terminum, ergo in illo instanti dabitur factum esse sine fieri antecedente, aut erit simul in eodem instanti fieri et factum esse ex natura rei, si ex ipsa natura non postulat quod antecedenter detur fieri. Ubi autem in eodem instanti ex natura rei est simul fieri et factum esse, tollitur successio ex ipsa natura actionis : et consequenter non est motus de positivo in positivum, sed simplex mutatio de non-esse ad esse. Quare impossibile est quod motus detur in instanti, si toto tempore et duratione antecedente quiescit mobile sub aliqua forma seu termino : quia non potest aliqua actio ex natura sua in eodem instanti conjungere fieri et factum esse, nisi ex non-esse ad esse procedat et successionem tollat. Quia pertinet ad eamdem formam, quæ in instanti fit, per seipsam tollere negationem oppositam; non autem potest sine diversa mutatione tollere oppositam formam positivam; et ideo non potest toto tempore antecedente quiescere sub una forma opposita, et in ultimo instanti conjungere destructionem illius et positionem alterius sibi contrariæ aut a se distantis. — Secus est si toto tempore antecedenti moveatur et non quiescat : quia quamdiu movetur, est mobile sub alia et alia dispositione : hoc enim essentialiter est moveri, sicut e contra quiescere est habere se nunc sicut prius. Unde potest id quod movetur manere in ultimo instanti in aliqua forma, in qua non erat prius : quia prius non quiescebat, sed movebatur ad illam. Quod si quiescat, et non sit in motu et fieri seu tendentiâ ad oppositam formam, non potest intelligi quod in ultimo instanti detur mutatum esse seu terminus motûs, nisi sit aliqua mutatio instantanea, producens terminum non ex aliquo contrario, neque ex aliquâ distantiâ seu latitudine vincendâ, sed pure ex non-esse : quia ad tollendum non-esse formæ, sufficit ipsa positio formæ, et non requiritur alia mutatio; ad tollendam vero formam oppositam requiritur ejus mutatio, non quies sub illa.

17. Et quidem juxta exigentiam causarum naturalium fieri aliter non potest : quia dependent ab accidentibus et dispositionibus contrariis, vel ex aliquâ distantiâ loci vel latitudine vincendâ : sicut si generatio substantialis fit in instanti, præsupponit antecedenter alterationem sub qua aliter et aliter se habet forma præcedens; et passum est in moveri et transitu, non in puro quiescere, etiam respectu ipsius generationis. Et similiter si luminosum illuminat, ubi ante non illuminabat, supponit præcessisse aliquem motum ipsius luminosi, vel ejus generationem ad hoc ut illuminet ubi ante non illuminabat. Et sic numquam est in pura quiete mobile ante ultimum instans mutationis instantaneæ; sed, ut inquit D. Thomas (in hoc art. 3 *), mutationes istæ instantaneæ semper sunt terminus alicujus motûs continui præcedentis. Deus tamen, qui est supra omnes leges causarum naturalium, potest ex puro non-esse et ex pura quiete mobilis sub aliqua forma, nullâ alteratione, motu aut dispositione præcedente, novam formam introducere per mutationem pure instantaneam, sine alteratione aut dispositione antecedente.

* I P. q. 53, a. 3

18. *Hanc* ergo *doctrinam applicando motibus angelicis,* oportet diverso modo philosophari circa motum illum continuum, et circa discretum. Nam licet uterque motus conveniat in hoc quod non possit fieri in unico instanti, id tamen multo fortius apparet in motu continuo quam in discreto. — Nam in motu continuo non solum obstat pluralitas instantium seu operatio-

num ex parte ipsius Angeli, et ordo inter terminum *a quo* derelictum et terminum *ad quem* acquisitum, sed etiam ordo prioris et posterioris ex parte effectuum, quos ponit motus continuus Angeli in ipso spatio seu corpore per quod transit. Ut enim dicit S. Thomas (in hac q. 53, a. 2), si motus « sit continuus, non potest Angelus moveri de uno extremo in alterum quin transeat per medium : quia, ut dicitur in VI * *Physicorum,* medium est in quod prius venit quod continue mutatur, quam in quod mutatur ultimum : ordo enim prioris et posterioris in motu continuo est secundum ordinem prioris et posterioris in magnitudine, ut dicitur in IV *Physicorum* ** ». Itaque quando Angelus movetur motu continuo : vel omnia loca quæ acquirit partialiter usque ad ultimum unicâ operatione formali tangit, quæ virtualiter et ratione effectuum æquivalet pluribus : vel diversis operationibus quæ formaliter diversæ sunt, licet coordinatæ ad unum finem. Si hoc secundum, manifeste sunt plura instantia, non unicum in toto illo motu; et sic non fit motus in instanti, sed in pluribus instantibus seu operationibus, quibus continuum illud tempus constat, continuitate coordinationis et divisibilitate effectuum. Si est unica operatio et instans, licet virtualiter multiplex in acquisitione terminorum, tamen ad minus hoc instans et operatio acquisitiva supposuit aliud instans, quo primus terminus *a quo* est relictus : et cum illo motus componitur ex pluribus instantibus, ut de motu discreto dicemus *.

I P. q. 53, a. 2

* verius : v *Phys.*, c. 4 (alias 3), text. 22; BK 226 *b* 23-26

** c. 13 (alias 11), text. 99; BK 219 *a* 16-18

* n. 19 sequenti

19. Loquendo autem de motu discreto, invenitur in Angelo quod non fiat unico instanti, sed pluribus : quia motus ille perficitur per hoc quod Angelus deserat unum terminum in quo exsistebat seu operabatur, et, sine aliquo transitu per media et contactu ad illa, inchoet aliam operationem seu instans, quod sit in alio passo distante; ergo constat iste motus duplici instanti, uno derelinquendi, et altero acquirendi, et consequenter non fit talis motus in unico instanti sed pluribus. Et quod talis motus componatur ex illo duplici instanti, non autem constet solum ex altero eorum, nempe ex acquisitione termini *ad quem,* constat manifeste : quia acquisitio termini in tali motu dependet necessario ex derelictione termini *a quo;* ergo successio istorum duorum instantium, quorum unum acquirit terminum, et aliud derelinquit, habent [1] inter se aliquem ordinem et connexionem : non simul coexsistentem, quia unus terminus non est simul cum alio : ergo succedentem. Ergo talis ordo instantium constituit tempus : quia constituit ordinem successivum, et constat ex pluribus instantibus succedentibus tamquam ex partibus, licet inter illa duo instantia non detur medium, quo fiat transitus de uno ad aliud, sicut invenitur in motu continuo; datur tamen pluralitas instantium sibi ordinate succedentium, quod pertinet ad motum discretum : et ideo non perficitur unico instanti, neque operatione angelicâ [2], sed pluribus.

20. *Dices :* In tota illa duratione seu instanti, quo Angelus est in termino *a quo,* quiescit sub tali termino seu forma : quia non movetur ab illo termino, nec transit per medium ad acquirendum alium; et tamen in instanti immediato invenitur Angelus in alio loco; ergo transit de quiete ad motum unico instanti. — Patet consequentia : quia totâ illâ duratione seu instanti, quo est in termino *a quo,* quiescit; et in illo instanti, in quo est in termino *ad quem,* aliter se habet, quia in alio loco exsistit; ergo in isto instanti, in quo est in termino *ad quem,* transiit de quiete ad motum; ergo movetur unico instanti, destruiturque ratio D. Thomæ quod non possit aliquod mobile toto tempore quiescere sub aliqua forma, et in ultimo instanti illius esse sub alia : si quidem, in hoc motu discreto, toto uno instanti seu duratione antecedenti quiescit sub una forma seu in uno loco, et in alio instanti immediato invenitur sub alia.

21. *Respondetur negando antecedens,* nempe quod in motu discreto quiescat Angelus duratione totâ illius instantis sub una forma. — Et cum dicitur quod in illo instanti non movetur ab illo loco, *distinguo :* non movetur complete et terminative, ita quod acquirat in illo instanti terminum *ad quem, Concedo;* non movetur inchoative, et desinendo esse sub termino *a quo, Nego.* In illo enim instanti non solum est Angelus in illo loco, sed etiam desinit esse in illo, quia illud instans desinit per ultimum sui esse. Quando autem aliquod subjectum est sub aliqua forma vel termino, non solum exsistendo, sed etiam desinendo esse in illo, utique non quiescit sub tali forma : si quidem non eodem modo se habet,

[1] Omnes : *successio istorum... habent inter se* || Cf. tomi I Præfationem, cap. III, art. 2, § 3, n. 4-5, et n. 7, b).

[2] Supple : *neque [unicâ] operatione angelicâ...*

quia est et desinit esse, cum desinat per ultimum esse. Hoc autem non est eodem modo se habere, et consequenter non quiescere. Et ideo illa desitio prioris instantis per ultimum esse, licet in se considerata non sit motus, est tamen quædam inchoatio motûs, et veluti dispositio removens terminum oppositum et impedientem transitum ad alium locum; et consequenter prout est desitio ultima illius instantis, non est quiescens mobile sub illa forma, sed inchoans et disponens motum ex illâ, quatenus est derelictio talis termini.

22. Quod si desineret esse sub illa forma per appositionem novi termini, ita quod primum esse illius novi termini esset primum non-esse termini præcedentis, tunc motus ille diceretur fieri unico instanti : quia idem instans esset inceptio unius et desitio alterius, primum esse illius qui de novo acquiritur, et desitio alterius qui præcedit. Ceterum respectu formæ positivæ tenentis se ex parte termini *a quo*, quæ debet desinere, necessarium est quod toto tempore antecedente non quiescat, sed disponatur et tendat et ordinetur ad inceptionem illius novi termini, si juxta modum et dispositionem causarum naturalium producendus sit, ut supra* ponderavimus. At vero quia in motu discreto Angeli desitio prioris instantis est per ultimum esse illius, et inchoatio alterius instantis per primum esse sui, non autem illud secundum instans incipiens est primum non-esse alterius : ideo motus ille temporis discreti, qui constat ex desitione unius instantis, et inceptione alterius, non dicitur unico instanti fieri, sed pluribus constare, qui se habent sicut partes illius motûs, non [1] termini extrinseci. — Vazquez autem, qui existimat primum esse unius instantis angelici esse primum non-esse antecedentis, ideo salvat motum discretum esse in tempore quia in quolibet loco, in quo movetur Angelus discrete, existimat debere quiescere per tempus; et sic in quovis loco, in quo Angelus desinit esse per primum non-esse, necessario fuit per tempus, ac proinde per tempus quievit; et sic ponit in tempore discreto plures mutationes, non unum motum, ut affirmat (in hac disp. 197, c. 4). Hoc tamen fundamentum ejus non admittimus, quod non possit aliquid desinere per ultimum esse, sed solum per primum non-esse : ut tractat (disp. 229, c. 10), et nos infra contra ipsum ostendemus (disp. 24* art. 1).

* n. 16-17

* nunc disp. 44

[1] Intelligito : *non [sicut] termini...*

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

23. PRIMO ARGUITUR contra illam propositionem D. Thomæ, in qua totum ejus fundamentum innititur, videlicet quod non possit aliquid toto tempore quiescere sub una forma, et in ultimo instanti esse sub alia : Nam bene potest aer toto tempore unius horæ esse tenebrosus, et in ultimo instanti illius produci a Deo luminosum, quo tenebræ expellantur. Et similiter toto tempore prolationis verborum est substantia panis in eucharistia, et in ultimo instanti est corpus Christi. — Similiter in mutationibus naturalibus illuminationem præcedit motus localis luminosi, et generationem substantialem præcedit alteratio; et tamen non datur talis illuminatio vel generatio in instanti terminante motum localem vel alterationem : quia motus localis solum terminatur ad *ubi*, et alteratio ad qualitatem, non ad ipsam substantiam; ergo in diverso instanti terminatur motus localis et illuminatio, alteratio et generatio. Immo posset dari motus ille localis quin sequeretur illuminatio, et illa alteratio quin sequeretur generatio; ergo instans illuminationis vel generationis separatum est ab instanti terminante motum localem vel alterationem. Et sic bene stat quod toto tempore aliquid quiescat sub unâ formâ, v. g. sub formâ substantiali corrumpendâ vel sub tenebris, licet moveatur secundum aliam formam, scilicet accidentalem, alio genere motûs, scilicet locali vel alterationis, in toto tempore antecedente. Quæ est objectio Arrubalis (hîc, disp. 162, c. 2*). * n. 14

24. RESPONDETUR ad duas priores instantias, quod illæ mutationes non fiunt modo connaturali, et juxta dispositionem causarum naturalium, sed secundum modum operationis divinæ, quæ non subditur legibus naturæ; et sic potest subito operari aliquid non præcedente aliquo motu seu mutatione aut dispositione subjecti ad oppositam formam, sed totaliter quiescente subjecto sub forma opposita, ita quod non moveatur aut disponatur subjectum ad formam contrariam. D. Thomas autem loquitur secundum leges causarum naturalium operantium ex dependentia mutationis et dispositionis materiæ : sub quibus legibus etiam continentur Angeli, quia non possunt operari nisi per immutationem materiæ et dispositionem ejus.

25. Ad instantiam autem P. Arrubalis respondetur, quod in eodem instanti intrinseco, quo ponitur luminosum in aliquo loco, est illuminatio; et in eodem instanti intrinseco, quo ponitur ultima dispositio, ponitur generatio substantialis illi annexa. Itaque non debet intelligi quod in uno instanti ponitur vel producitur luminosum, et in alio emittit lucem : sic enim inter instans et instans esset tempus medium, in quo non luceret luminosum præsens, quia non emitteret lucem. Sed dicendum est quod in eodem instanti intrinseco, quo exsistit luminosum seu ponitur præsens, emittitur lux. Nec oportet esse duo instantia pro istis diversis mutationibus : quia bene potest duplex effectus seu mutatio in eodem instanti fieri. Similiter generatio licet fiat in instanti, et toto tempore antecedenti materia sit sub formâ corrumpendâ, non tamen dicitur quiescere sub illa forma : quia disponitur ad contrariam, et hoc est moveri ad illam, et non habere formam præcedentem substantialem in esse quieto, sed in motu et in corrumpi. In eodem autem instanti, in quo terminatur alteratio ad ultimam dispositionem, ponitur generatio substantialis; nec exspectat aliud instans (ad quod requireretur tempus medium post ultimam dispositionem, in quo nec amplius disponeretur, neque substantia generaretur).

26. Secundo objicies ex P. Suarez (lib. iv de Angelis, c. 21) : Angelus simul et in instanti acquirit totum locum ex parte termini *ad quem;* ergo motus ejus in instanti est. — Consequentia patet : quia motus nihil aliud facit quam acquisitionem loci; ergo, si illa acquisitio est instantanea, totus ille motus instantaneus est. — Antecedens autem probatur : quia in toto instanti antecedenti non movetur, neque disponitur ad motum, sed manet sub illo loco sine aliqua voluntate transeundi ad alium locum determinatum, magis quam ad alium; sed hanc voluntatem incipit habere in eo instanti quo efficaciter vult esse in alio loco, et tunc jam non est in præcedenti; ergo solum in hoc secundo instanti movetur, et acquirit unum locum, et perdit alium : ante istud autem instans solum quiescit in loco præcedenti. — *Nec potest dici,* quod movetur Angelus non in secundo instanti, neque in primo, sed in successione et conjunctione utriusque. *Nam contra est :* quod in priori illo instanti, in quo adhuc est in termino *a quo,* nulla pars motûs vel mutationis datur, sed totum pertinet ad quietem; tunc autem primo amittitur ille locus, quando primo ponitur Angelus in termino *ad quem;* ergo totus ille motus fit in instanti, non in successione duorum instantium.

27. *Et confirmatur,* tam respectu motûs discreti, quam continui : quia quod amittitur vel acquiritur totum simul, et non per partes, in instanti amittitur vel acquiritur; sed Angelus, tam in motu continuo quam discreto, simul et non per partes acquirit totum locum, et deserit alium; ergo in instanti, et non in tempore, illum acquirit. — Minor, quantum ad motum discretum, patet : quia per motum discretum non tangit Angelus partes intermedias, sed illis omnibus relictis solum acquirit locum extremum; ergo non acquirit per partes, sed totum simul. — De motu autem continuo probatur : quia Angelus, quando movetur, non est partim in termino *a quo* et partim in termino *ad quem,* cum Angelus non sit partibilis; ergo totus est in termino *ad quem,* vel totus in termino *a quo;* ergo motus ille fit in instanti, quia totum locum simul acquirit.

28. Respondetur, quod in motu discreto dicitur Angelus moveri, non in altero duorum instantium, sed in successione seu conjunctione duorum, ut dicit S. Thomas (in I, D. 37, q. 4, a. 1 ad 3) : non quia partialiter in singulis instantibus aliquid motûs habeat, sed quia ille motus dependet a duplici instanti, in quorum uno desinit esse in uno loco, et in altero incipit esse in alio : et omnis motus dependet ex derelictione unius termini, et acquisitione alterius. Quod si hæc desitio unius fieret per primum non-esse sui, atque adeo per primum esse alterius, sine dubio totum illud pertineret ad unicum instans, scilicet desitio et acquisitio. Sed tunc non posset, juxta leges et modum causarum naturalium, subito et instantanee acquirere unum terminum, et tollere alterum positivum, sine aliqua dispositione et motu prævio, ratione cujus mobile non poterit esse sub quiete oppositæ formæ positivæ. Nunc autem cum in priori instanti, quo Angelus est seu operatur in uno loco, desinat esse in illo per ultimum non-esse[1] (quia operationes illæ indivisibiles sunt, et privilegio instantium gaudent, quæ desinunt per ultimum sui esse, et nova operatio incipit in alio instanti angelico) : ideo desitio unius loci, et acquisitio alterius, motu discreto facta non mensuratur unico instanti, sed

[1] Ita omnes, mendose || Censemus omnino legendum : *per ultimum sui esse;* cf. supra, n. 21.

* præsertim n. 21-22 ex illo duplici componitur. Et, ut supra * advertimus, etiam in primo instanti quo exsistit Angelus in termino *a quo*, verificatur quod non totaliter Angelus quiescit : quia licet nondum habeat tunc voluntatem efficacem exsistendi in alio loco determinato, habet tamen voluntatem desinendi esse in isto instanti quantum ad hoc quod est esse in tali loco. Et quatenus illa operatio habet in illo instanti ultimum sui esse et est derelictiva illius loci, jam est inchoatio et dispositio ad essendum in alio, quatenus est remotiva istius, habendo in illo ultimum esse; et sic pro hac parte habet sufficientem rationem inchoationis motûs, saltem virtualiter et dispositive, quatenus ultima desitio termini *a quo*.

* supra, n. 27 29. *Ad confirmationem* * *respondetur*, quod quando aliquid acquiritur totum simul, et non per partes, taliter quod ipsum acquirere est alterius corrumpi, et primum esse rei generatæ, tunc unico instanti mensuratur desitio unius et generatio alterius; et sic non fit per motum, sed per simplicem mutationem. Si autem tota desitio unius et tota acquisitio alterius pertinent ad diversa instantia, tunc non fit motus unico instanti, sed duplici, atque adeo in tempore, saltem discreto : quia ubi sunt plura instantia, ibi est tempus; aut saltem non est unicum instans tantum. Non ergo requiritur ad motum quod partialiter sit in duobus instantibus, sed sufficit quod in duobus instantibus sit desitio unius et acquisitio alterius; et sic salvatur quod motus discretus habeat tempus quo mensuratur, scilicet compositum ex illis duobus instantibus, in quorum uno datur desitio, et in altero acquisitio termini : licet non sit aliquod tempus intermedium quo partialiter moveatur Angelus, sed partes istius motûs sunt totalis et indivisibilis derelictio, et totalis acquisitio termini, duobus instantibus facta. Et ex uno instanti seu operatione dicitur disponi seu moveri ad aliam : quatenus prior operatio, in priori instanti facta, habet in eodem instanti ultimum esse sui, et consequenter disponitur ad alterius operationis positionem et termini alterius acquisitionem.

* supra, n. 27, *De motu autem* ** I P. q. 53 30. Ad id vero quod dicitur * de motu continuo, respondet S. Thomas (in hac quæst. 53 **, a. 3 ad 3) quod Angelus « est partim in uno locorum continuorum : non quod substantia illius sit partibilis, sed quia virtus sua applicatur ad partem primi loci, et ad partem secundi ». Itaque Angelus totus est in termino *ad quem*, et totus derelinquit terminum *a quo*, sed non totaliter : quia effectus ejus in spatio, et operatio illius seu applicatio ad illud corpus, fit per partes, non suas ipsius Angeli, sed magnitudinis seu spatii cui applicatur, quatenus applicat parti unius loci virtutem suam, et parti sequenti applicatur continuo post illam. Sicut etiam anima, quæ spiritualis est, applicatur partibus corporis, et incipit esse in aliquibus ad quas de novo augmentatur homo, et desinit esse in aliis, quatenus applicat suam informationem : non partim exsistendo in una, et partim in altera, quia in se partes non habet : sed quia tota exsistit in qualibet parte, sed non totaliter et secundum omnem modum et virtutem et effectum.

31. Tertio objicitur contra eamdem rationem D. Thomæ, quod non est necesse quod quiescens in toto aliquo tempore quiescat etiam in ultimo instanti illius, et non moveatur. Nam quies solum petit quod quiescens eodem modo se habeat nunc ac prius; ergo sufficit quod in quolibet *nunc*, pertinente ad illud tempus, perseveret mobile sicut prius; non tamen necesse est quod etiam in instanti terminativo illius temporis, v. g. unius horæ, se habeat sicut prius : quia illud instans terminativum est extrinsecum illi tempori, cum desinat tempus, sicut et motus, per primum non-esse. — Et hoc ipsum patet si ponatur casus opposito modo, nempe quod aliquid moveatur toto tempore : non est necesse quod moveatur in instanti terminativo illius temporis : nam in illo instanti potius desinit motus; ergo e converso, si quiescit toto tempore, non est necesse quod in instanti terminativo illius quiescat, quia jam hoc instans pertinet ad aliud tempus. Unde si aliquod mobile moveretur in una hora, et quiesceret in alia, tunc in primo instanti secundæ horæ quiesceret : et tamen non se haberet eodem modo sicut prius, quia tunc quiescit, et antea movebatur; ergo non est necesse quod quiescens eodem modo se habeat tunc ac prius.

32. *Confirmatur :* quia Angelus intelligens aliquod objectum de novo, aut volens illud, non est necesse quod toto tempore antecedente moveatur ad intelligendum tale objectum : sed sufficit quod in ultimo instanti terminativo illius temporis cognoscat subito illud; ergo bene potest in ultimo instanti inveniri sub una forma, nempe sub una intellectione, et toto tempore antecedente quiescere ab illa sub alia intellectione.

33. *Confirmatur secundo :* nam motus discretus Angeli si est in tempore, vel incipit in tempore,

vel in instanti. Non in tempore : quia ibi non intervenit aliud quam utriusque instantis conjunctio; non incipit autem motus in utroque instanti. Non in instanti : quia sic quiesceret Angelus totâ duratione seu tempore antecedenti, et in ultimo instanti inciperet moveri : quod est contra ipsam rationem D. Thomæ. — Et dato quod non præcedat, ante tale instans, aliquod tempus angelicum in quo quiescat, præcedat tamen aliqua duratio seu operatio Angeli, quæ correspondeat alicui tempori nostro : ergo jam respectu illius verificabitur, quod quiescit toto tempore nostro, et in ultimo instanti illius incipit moveri : quod est contra intentum D. Thomæ. — Et cum semper instans angelicum correspondeat alicui durationi nostræ, vel instanti, vel parti temporis, vix potest signari ista correspondentia instantibus angelicis, quin sequatur, vel quod duo instantia nostra sint immediata, vel quod respectu nostri temporis sit Angelus quiescens toto tempore sub una forma, et in ultimo instanti terminativo ejus sit sub alia.

34. Respondetur : Verum esse quod ad quietem sufficit quod res se habeat nunc sicut prius. Necesse est autem quod si aliquo tempore quiescit mobile, etiam in ultimo instanti terminativo illius temporis quiescat, et non aliter se habeat quam prius : non tam propter ipsam rationem quietis, quasi necessario extendi debeat ad illud instans terminativum, quam ex eo quod deficit ibi ratio motûs hoc ipso quod quiescit toto tempore antecedente; et deficiente motu, non potest in ultimo instanti terminativo dari mutatum esse seu aliter se habere : quia juxta causas naturales ad omne mutatum esse præcedit motus, et non quies (licet de potentia absoluta, et supra leges naturæ, hoc non requiratur). Nec potest in illo instanti terminativo incipere motus et exsistere : quia motus in instanti non incipit intrinsece, sed extrinsece. Unde quantumcumque, post illam quietem per totum tempus antecedens, inciperet motus in ultimo instanti terminativo, adhuc in illo instanti non exsisteret motus : quia solum incipit extrinsece in instanti; ergo adhuc pro illo instanti se habet, sicut antea nec dabatur motus. Ergo necesse est quod in illo instanti adhuc quiescat, etiamsi ab illo instanti incipiat moveri extrinsece, id est, immediate post.

35. Ad id autem quod urgetur * in casu opposito, nempe si toto tempore antecedenti moveretur, quod in instanti terminativo non movetur : Respondetur quod illo instanti non movetur formaliter et quantum ad partes motûs, sed terminative et quantum ad mutatum esse, quod est in instanti ultimo. Motus enim terminatur intrinsece per instans, et in illo instanti aliter se habet quam prius terminative, licet non motive : quia in illo instanti datur terminus motûs, qui immediate antea non dabatur; ergo in ratione terminandi motum aliter se habet in isto termino quam prius. Ceterum quies non habet terminum ad quem tendat : quia quies non est tendentia, sed consistentia. Unde in instanti terminativo, totius temporis in quo quievit, non potest aliter se habere quam prius, sed eodem modo : quia, ut supponitur, immediate ante quievit, et nullus fuit motus. Unde neque in instanti terminativo potest dari mutatum esse : quia ad omne mutatum esse præcedit motus secundum leges naturæ, et sic non potest aliter se habere tunc quam prius per modum mutati esse; nec etiam per modum motûs, quia ille non incipit in instanti intrinsece, sed immediate post; ergo in illo instanti nullus est motus, sed immediate post erit; ergo est adhuc quies in illo instanti. Et sic ratio S. Thomæ est evidens demonstratio, loquendo secundum leges naturæ, ut S. Doctor loquitur.

36. Ad alium vero casum *, si moveretur mobile unâ horâ, et quiesceret in alia, cum dicitur quod in primo instanti illius horæ quiesceret : Respondetur quod non datur primum instans horæ in quo intrinsece incipiat tempus seu motus horæ, sed extrinsecum : quia motus et tempus incipiunt per ultimum non-esse, scilicet immediate post aliquod instans. Unde illo primo instanti neque datur motus aut tempus intrinsece, neque quies privativa : quia hæc tunc incipit, quando poterat esse motus, cujus est privatio; in instanti autem non potest esse motus : et sic quies quæ in illo datur non est privativa, sed negativa. Et in tali instanti non eodem modo se habet sicut prius, sed potius ibi terminatur motus horæ præcedentis, et terminative aliter se habet quam prius, in quantum habet mutatum esse, quod non habebat prius. * supra, n. 31, *Unde si*

37. *Ad confirmationem* * *respondetur*, quod intellectio non mensuratur tempore per se et ex naturâ suâ, quia indivisibilis actio est, sed per accidens, ut in nobis, propter dependentiam a phantasmatibus a quibus accipimus species. Et in tali intellectione philosophandum est sicut de aliis motibus tempore mensuratis : quod non est possibile quod intellectus tempore præce- * supra, n. 32

denti quiescat, non accipiendo species, et in ultimo instanti terminativo illius temporis sine alio motu phantasmatum illas habeat. In intellectu autem angelico non dependente ab aliquo sensu in intelligendo, sed simplici et indivisibili operatione procedente, non potest dici quod toto tempore præcedente quiescat sub una intellectione, et in ultimo instanti terminativo sit sub alia : quia non datur tempus præcedens, sed instans præcedens istam intellectionem : cum ex una operatione indivisibili intelligendi transeat ad aliam, quod est transire de instanti ad instans. Et tunc dicendum est, sicut supra * diximus de motu discreto, quod constat ex duobus instantibus, non tamquam ex terminis extrinsecis, sed tamquam ex partibus componentibus. Et illud primum instans quia non solum est ad quiescendum, sed etiam ad desinendum (quia desinit illa operatio per ultimum sui esse), ideo illa prima intellectio, sub qua dicitur quiescere Angelus, non habet pure et præcise quietem, sed etiam virtualiter habet rationem motûs seu inchoationis et dispositionis ad intellectionem sequentem, quatenus dat ultimum esse illi priori intellectioni, et sic disponit ut transeat ad aliam relinquendo priorem, sicut de motu discreto dictum est.

* nn. 19, 21-22, 28

38. *Ad secundam * confirmationem respondetur,* quod motus discretus non incipit in primo instanti secundum se sumpto, neque in secundo secundum se, sed in conjunctione utriusque : et ille ordo prioris instantis ad conjungendum se cum secundo, seu ad transeundum in secundum, dicitur inceptio motûs discreti. Ordinatur autem primum instans ad secundum, quatenus in illo primo instanti datur ultimum esse illius operationis instantaneæ, et ex desitione illius incipit ordinari Angelus ad incipiendum aliam operationem : et incipit componi motus discretus, quatenus ponitur pars quædam illius, quæ est illud primum instans cum desitione et ultimo esse sui, ut ordinetur ad inchoandam operationem sequentem, quæ est aliud instans et altera pars motûs illius discreti. — Unde quando dicitur * quod, si in illo instanti primo incipit motus discretus, toto tempore seu duratione antecedente quiesceret Angelus, et in ultimo illius instantis inciperet moveri, quod est contra rationem D. Thomæ : Respondetur quod Angelus toto illo instanti est sub illa forma, seu in illa operatione et loco, et in ultimo illius instantis non invenitur sub alia forma, sed invenitur in ultimo esse talis instantis seu operationis : quia, cum sit operatio instantanea, desinit per ultimum sui esse, et in alio instanti sequenti incipit esse sub alio loco, et in illo ponitur. Unde non currit ibi ratio D. Thomæ *, quod non potest aliquid toto tempore antecedenti quiescere, et in ultimo terminativo illius esse sub alia forma : hoc enim non currit in prædicto casu, quia non datur tempus antecedens respectu illius secundi instantis, nec respectu prioris, in quo Angelus dicatur quiescere et in terminativo illius movere : sed in toto instanti priore exsistit sub una operatione, et habet ultimum esse in illa; et sic ratione illius ultimi esse, quatenus ultimum est, disponitur seu ordinatur ut in altero instanti sit in alio loco; et sic non quiescit totâ illâ duratione pro ea parte qua in illa habet ultimum esse.

supra, n. 33

supra, n. 33, *Non in instanti*

* I P. q. 53, a. 3

39. Nec tamen potest dici quod solum in ultimo instanti terminativo illius prioris durationis instantaneæ aliter se habeat : quia in tali duratione et operatione instantanea non est dare ultimum instans terminativum et partes temporis antecedentes, sed totum illud est unicum instans, in quo illa operatio habet esse et ultimum esse; et consequenter toto illo instanti quiescit et desinit quiescere, quia habet ultimum esse quiescendi. Et sic non interrumpitur quies, nec ponitur motus in aliquo terminativo hujus prioris instantis, sed desinit illa quies per ultimum esse illius in eodemmet instanti. Et quatenus est ultimum esse quietis et desitio illius, virtualiter movetur, id est, disponitur seu ordinatur ad sequentem operationem seu ad instans immediatum, quod conjungitur priori non aliquâ simultate coexsistentiæ, sed consecutione operationis : quatenus ex desitione unius incipit duratio operationis alterius; et ex tali desitione unius, ut coordinatæ [1] ex voluntate Angeli ad inchoationem alterius, dicitur componi ille motus discretus, et ordinari illud instans per voluntatem Angeli ad alterum : quia, ut unum alteri succedat, optima dispositio est desitio prioris et esse in ultimo.

40. Et ad id quod additur *, quod istud instans antecedens coexsistit durationi nostræ, et sic correspondebit instanti temporis in quo desinit, et tempori antecedenti in quo durat et quie-

* supra, n. 33, *Et dato quod*

[1] Ita omnes, non male || Fortasse tamen melius legendum sit : *ut coordinata.*

scit, sicque correspondebit toto (1) tempori quiescendo, et instanti terminativo non quiescendo : — Respondetur quod illud instans Angeli correspondet nostro tempori modo indivisibili ex parte sui; et ita correspondet tam tempori quam instanti terminativo, exsistendo indivisibiliter sub eadem forma seu operatione, sed taliter quod in illo instanti terminativo non movetur actu et formaliter, nec aliter se habet, sed habet ultimum esse illius instantis seu operationis. Et quatenus est ultimum esse talis instantis, dicitur virtualiter disponi, et incipere moveri ad sequentem operationem, quatenus desitio unius est remotio impedimenti ad habendam alteram operationem.

41. Et ad ultimam * instantiam, in qua dicitur semper sequi ex correspondentiâ ad nostrum tempus quod duo instantia nostra erunt immediata, vel quiescet toto tempore Angelus in una operatione, et in ultimo instanti erit in alia : — Respondetur neutrum sequi. Quia si primum instans Angeli correspondet nostro tempori et instanti terminativo illius inclusive, ita quod illi instanti correspondeat ultimum esse operationis angelicæ, non incipiet moveri Angelus immediate post operationem suam coexsistendo instanti nostro, quia non datur immediate post : sed incipiet operationem, in se quidem indivisibilem et instantaneam ex parte Angeli, non tamen correspondentem instanti nostro in sui inceptione, sed tempori, quia illud datur, et non instans immediate post desitionem prioris (2) instantis. Si autem velit Angelus secundam operationem suam inchoare a correspondentiâ instantis nostri, debet terminare ultimum esse præcedentis non in instanti, sed in tempore seu in correspondentiâ ad tempus : nam in se et ex parte sui illud instans angelicum semper indivisibile est. Vel si velit illud terminari in instanti nostro, et sequentem operationem incipere etiam in correspondentiâ ad nostrum instans, debet inter illa duo instantia se suspendere ab omni operatione ad extra. Unde numquam duo instantia nostra erunt immediata.

42 *Denique ex dictis colligitur :* velocitatem motûs Angeli, etiam quando movetur motu continuo, licet excedat improportionabiliter velocitatem cujuscumque corporis, non tamen ideo posse fieri in instanti. Quia etiamsi corpus (3) nullam inveniat resistentiam vincendam, numquam tamen velocitate suâ poterit pervenire ad hoc ut fiat in instanti : quia esse in instanti est extra latitudinem et essentiam motûs; et sic quantumcumque velocitas crescat, cum sit velocitas in genere motûs, non potest pervenire ad hoc ut motus fiat in instanti : quia hoc esset destruere essentiam motûs, et transire ad aliam lineam et genus alterius actionis. Et licet virtus movendi sit finita, tamen proportio ipsius ad divisibilitatem spatii, ratione cujus illa distantia per motum vincitur, est divisibilis in infinitum syncategorematice : unde potest in infinitum secundum divisibilitatem proportio illa ad divisibilitatem spatii magis ac magis vinci. Quando autem movetur motu discreto Angelus, non vincit divisibilitatem spatii per motum, sed subito ponitur in alio loco, non transeundo per medium; sed tamen tunc habet aliud genus motûs, nempe discretum, quod non constat ex velocitate partium motûs, sed ex desitione unius instantis, et inceptione alterius, ut dictum est *. Et ideo neque in corpore glorioso, quod movetur motu continuo, admittit D. Thomas motum in instanti, sed in brevissimo tempore, quod magis ac magis in infinitum abbreviari potest et dividi, ut docet (in *Additionibus*, q. 84, a. 3).

* supra, nn. 19, 21-22, 28, 37-39

(1) Sic omnes || Facilius legeretur : *toti tempori.*
(2) Ita bene emendant L C || M P *priori.*
(3) Sic omnes || Censemus omnino legendum : *etiamsi motus nullam...*






QUÆSTIO LIV

DE COGNITIONE ANGELORUM

SUMMA TEXTUS



AB ista quæstione incipit agere D. Thomas de potentiis Angelorum, quæ sunt intellectus et voluntas, pertinentque ad proprietates talis naturæ et substantiæ. ET PRIMO OCCURRIT POTENTIA INTELLECTIVA, quæ præcedit volitivam; de qua tria agit. Primo, de ejus quidditate (in ista quæst.). Secundo, de medio per quod fit intellectio (quæst. sequenti). Tertio, de objectis ad quæ extenditur, et modo cognoscendi illa (tribus quæst. sequentibus *). * qq. 56-58


In hac igitur quæstione ostendit (art. primo) quod intelligere Angeli distinguitur ab ejus substantia, quia se habet per modum actûs secundi, et substantia per modum actûs primi; nulla autem substantia creata est ipsemet actus secundus, nec quantum ad esse, neque quantum ad operari : quia careret potentialitate et esset actus purus.

In articulo secundo ostendit quod intelligere Angeli distinguitur ab ejus exsistentia seu esse : quia omnis operatio, si est actio transiens, non est esse rei, quia exit extra illam. Si est actio immanens, actuat quidem suum operantem, non tamen est esse illius : quia est indifferens ad multa intelligenda vel volenda, et diversificatur secundum objecta; esse autem rei est unius speciei determinatæ.

In articulo tertio ostendit quod non solum ipsum intelligere Angeli, sed etiam ejus potentia intellectiva, distinguitur ab ejus essentia seu substantia : eo quod substantia et potentia operativa ordinantur ad diversos actus, scilicet substantia ad esse, et potentia operativa ad operari : et operari, quod est intelligere, differt ab esse; ergo substantia Angeli, quæ est in potentia ad esse, non est idem quod potentia operativa.

In articulo quarto ostendit in Angelis non distingui duplicem intellectum possibilem et agentem. Isti enim duo intellectus distinguuntur quatenus intellectus possibilis est in potentia ad ipsas species intelligibiles; intellectus autem agens reducit illum in actum, imprimendo illi tales species ex objectis seu phantasmatibus abstractas. Angelus autem est intellectus perfectus respectu eorum quæ naturaliter cognoscit; et sic non est in potentia ad hujusmodi species, sed habet eas naturaliter cognitas. Unde non indiget intellectu agente imprimente illas, et abstrahente a phantasmatibus.

In articulo quinto ostendit quod in Angelis solum est cognitio intellectiva : quia sensitiva est corporea, sicut patet in visu et auditu. Angeli autem sunt pure immateriales, nec habent corpora sibi unita; et sic carent organis corporeis, et consequenter potentiis sensitivis.





QUÆSTIO LV

DE MEDIO COGNITIONIS ANGELICÆ

SUMMA LITTERÆ

TRACTAT IN HAC QUÆSTIONE D. THOMAS DE SPECIEBUS quibus intellectus Angeli, tamquam per medium suæ cognitionis, intelligit. *Et in primo articulo* ostendit quod ipsa substantia Angeli non sufficit ad repræsentandum sibi omnia tamquam species : quia substantia Angeli est finita et determinata ad certum genus et speciem; ergo non comprehendit perfecte omnia alia extra se; ergo ut intellectus ea intelligat, requirit repræsentationes seu species superadditas.

In articulo secundo ostendit quod species istæ non accipiuntur a rebus in Angelis, sicut nos eas accipimus a rebus, sed habent illas per influxum et impressionem Dei : quia Angeli in genere intellectualium sunt perfecte intellectivi, sicut in genere corporum cæli sunt corpora perfecta respectu inferiorum. Convenit autem corporibus inferioribus, non totaliter et adæquate perfici per aliquam formam, sed modo acquirere unam, modo aliam; corpora autem cælestia statim a principio habent suam perfectionem. Ergo similiter Angeli in genere intellectivo habent suam perfectionem seu formas intelligibiles statim a principio, non autem eas paulatim acquirunt ab objectis.

In articulo tertio ostendit quod species intelligibiles in Angelis superioribus superiores et universaliores sunt : quia quanto intellectus est altior, tanta paucioribus mediis utitur ad cognitionem rerum, ut etiam apud nos apparet quod qui sunt fortiores intellectus ex paucis multa capere possunt. Et Deus, quia habet infinitam plenitudinem intelligendi, in uno omnia intelligit, id est, in essentia sua. Ergo Angeli quanto superiores tanto paucioribus speciebus indigent : et sic illæ species ad plura se extendunt, quod est esse universaliores.





DISPUTATIO XLI

DE INTELLECTU ET SPECIEBUS ANGELORUM

ARTICULUS I

Quid de potentia intellectiva, et intelligere Angeli, D. Thomas probaverit.

1. QUATUOR PRÆCIPUA TRADIDIT D. THOMAS (in q. 54) de intellectu et intelligere Angeli. — Primum est, quod intelligere Angeli non est ejus substantia. — Secundum, quod non est ejus esse. — Tertium, quod potentia intellectiva non est ejus substantia, sed accidens ei superadditum. — Quartum, quod in Angelo non est duplex intellectus, agens et possibilis, sicut in nobis : agens, qui producat species ex objectis sensibilibus; possibilis, qui recipiat. De hoc ultimo plenius agemus infra *, ostendendo quod Angeli non accipiunt species a rebus, sed a Deo illis imprimuntur. Unde carent intellectu agente, cujus proprium et primarium munus est species abstrahere et formare ex objectis sensibilibus, reddendo illas spirituales et abstractas, et deinde circa earum usum intellectum illustrare.

* art. 3, puncto 2, nn. 22 sqq.

2. De tribus prioribus dictis, agendum est in præsenti articulo, elucidando rationes D. Thomæ quæ valde profundæ et difficiles sunt.

RECTE PROBAT D. THOMAS INTELLIGERE ANGELI NON ESSE EJUS SUBSTANTIAM.

I P. q. 54, a. 1 3. Tribus rationibus probavit D. Thomas (in art. 1, quæst. 54) quod intelligere Angeli, vel cujuscumque creaturæ, non sit ejus substantia seu essentia.

[*Prima ratio D. Thomæ.*]

4. PRIMA EST : Actio est actualitas virtutis, sicut esse est actualitas essentiæ; sed impossibile est quod id, quod non est actus purus, sit sua actualitas; ergo solum actus purus, qui est Deus, est in sua substantia suum esse et suum agere. — Minor probatur : quia actualitas potentialitati repugnat; ergo impossibile est quod id quod non est purus actus, sed habet potentialitatem admixtam, sit sua actualitas; ergo repugnat quod per suammet substantiam sit suum esse et suum agere.

5. In hac ratione, illa major propositio, nempe quod actio est actualitas virtutis, sicut esse est actualitas substantiæ, difficultatem non habet : quia utrumque se habet tamquam actus ultimus seu actus secundus in suo genere. Sicut enim quæcumque substantia vel essentia tunc ponitur ultimate in actu quando fit extra causas, ita virtus operans tunc est ultimate in actu quando operatur actu : ita quod fieri in uno, et facere in altero, est ultimum quod intenditur. Neque enim amplius intenditur circa aliquam formam seu naturam, nisi ut ponatur in actu extra causas; et si aliquid deest, est quia illud manet in potentia, et nondum est in actu. Et similiter circa vim operativam nihil amplius intenditur, quam quod exeat in actum et dicatur operans; et si aliquid deest in ratione producendi, est quia respectu illius non producit in actu, sed remanet in potentia seu defectu ad producendum.

6. *Circa minorem vero est difficultas* quomodo intelligenda sit illa propositio : « Id quod non est purus actus, non est sua actualitas : quia, cum habeat aliquid de potentialitate admixtum, repugnat illi potentialitati quod sit sua actualitas. » Est enim difficultas : quomodo intelligatur quod id, quod habet aliquid de potentia admix-

tum, non sit sua actualitas. Licet enim non sit actualitas illa ad quam est in potentia, quia si recipit illam distinguitur ab illa, tamen potest esse sua actualitas, qua constituitur : si quidem hoc ipso quod habet admixtum aliquid de potentia, non est pura potentia, sed aliquid habet de actualitate; ergo bene potest esse illa actualitas, licet sit in potentia ad alias actualitates. Quid enim repugnat quod sit unum in actu, et ad aliud in potentia? Non ergo bene assumit D. Thomas quod id quod non est purus actus, sed habet aliquid admixtum de potentia, impossibile est quod sit sua actualitas : ex eo enim quod non sit purus actus, solum infertur quod non est omnis actualitas, si quidem ad aliquam se habet in potentia; non tamen infertur quod non sit aliqua actualitas, quia non est pura potentia. Quod si est aliqua actualitas, unde infertur quod non sit sua operatio et suum intelligere, vel saltem aliquod agere vel intelligere, licet maneret in potentia ad alias actualitates, v. g. ad exsistentiam vel subsistentiam, vel ad alias intellectiones?

7. Et hoc solum videtur probare ratio subjun-
I P. q. 54, a. 1 cta a D. Thoma, « quia videlicet actualitas potentialitati repugnat. » Non enim potentialitas repugnat omni actualitati, sed solum illi quam recipit et ad quam est in potentia, non illi quam de se habet : sicut intellectus noster est in potentialitate ad species, est tamen actualitas virtutis intellectivæ, seu potentia intelligendi. Ergo propositio D. Thomæ non potest universaliter probare de omni actualitate, videlicet quod habens potentialitatem nulla actualitas sit, et sic non sit sua actualitas; licet verum sit quod non sit omnis actualitas, quia ad aliquam est in potentia. Quod si non probat ista propositio quod universaliter [non] [1] sit sua actualitas, sed potest aliqua actualitas esse, enervatur probatio D. Thomæ qua probat substantiam Angeli non esse suum agere : quia restat probandum, quod non sit illa actualitas quæ est agere, licet non sit alia ad quam est in potentia.

8. *Secundo, obstat isti rationi :* quia dato quod substantia Angeli non sit suum agere, sed in potentia ad illud, unde probatur quod talis actio non sit aliqua substantia, saltem incompleta, ad quam est in potentia? Potest enim dari potentialitas etiam ad aliquid quod substantiale sit, sive ad substantiam quæ sit forma, sive ad aliquid quod sit modus vel realitas substantialis, sicut exsistentia et subsistentia ad quam est in potentia ipsa natura; et materia prima est in potentia ad formam. Et in opinione ponentium plures formas esse in eodem composito, una potest esse in potentia ad aliam. Restat ergo probandum in ratione D. Thomæ quod, licet vis operativa Angeli sit in potentia ad actionem, non tamen sit in potentia ad aliquid substantiale, sed ad aliquid accidentale : sicut enim forma, quæ est actus primus, potest esse substantialis, cur non etiam forma quæ est actus secundus?

9. *Denique obstant hîc* dubitationes Cajetani (q. 54, in principio art. 1) ad quas reducuntur aliæ quas alii objiciunt : Nempe quod non potest dici quod actus purus sit sua actualitas : quia in hoc significatur quod aliquid in actu puro est actuans et aliquid actuatum, si quidem ly *sua actualitas* importat rationem actûs formalis, qui importat respectum ad aliquid actuatum per ipsum; et sic jam non erit purus actus, cum habeat aliquid actuabile. — Ex quo etiam sequitur non bene affirmari a D. Thoma quod « actio I P. q. 54, a. 1
est actualitas virtutis, et esse actualitas substantiæ vel essentiæ », sic loquendo in communi : quia sic supponitur quod actio est actuans, et virtus actuata; et similiter esse est actuans essentiam, et essentia est actuata. Unde in actu puro, qui est Deus, etiam hoc deberet verificari : cum tamen falsum sit quod ibi sit aliquid actuans et aliquid actuatum. — Ex quo sequitur quod non potest recte dici quod illa, quæ se habent ut proprius actus et propria potentia, solum identificantur in actu puro : ibi enim nullo modo identificantur, quia ibi nulla est potentia sed solum actus; ergo si salvatur potentia et actualitas identificata, hoc debet esse in his quæ sunt capacia potentiæ, et non sunt sola actualitas.

10. NIHILOMINUS DICENDUM EST, rationem D. Thomæ esse valde efficacem, et universaliter procedere de omni agere et de omni virtute activa, sicut de omni esse et de omni substantia. Nec est explicandus D. Thomas et ejus ratio de sola natura intellectuali et operatione intellectiva, sed universalizavit suam propositionem de omni agere et de omni virtute activa.

[1] Male omittunt omnes negantiam.

11. Et intelligentia et vis rationis D. Thomæ videtur solum consistere in unico verbo, nempe quod id quod non est actus purus, sed habet potentialitatem admixtam, non potest esse sua actualitas ultima : addendo enim ly *ultima,* propositio est firma, nullo modo potest instari, ut statim * ostendemus. Debet tamen hoc necessario subintelligi ex propositione majori : dicit enim D. Thomas quod « actio est actualitas virtutis, sicut esse est actualitas essentiæ »; constat autem quod actio est actualitas virtutis ultima et terminativa, non prima et specificativa, sicut esse est actus ultimus seu terminans, non primus seu constituens substantiam. Cum ergo sub ista propositione subsumit D. Thomas minorem, scilicet quod id, quod non est actus purus, non est sua actualitas, debet in eodem sensu procedere atque in majori : scilicet quod non potest esse sua actualitas ultima, de qua locutus fuerat in majori.

12. Quod autem sic intellecta propositio sit constans et firma, et ejus probatio efficax, nempe quia actualitas repugnat potentialitati, id est, actualitas ultima, declaratur sic : Quia quidquid est admixtum potentiæ nec est potentia pura, nec actualitas pura, sed actualitas cum imperfectione, et consequenter cum ordine et capacitate ad ulteriorem actualitatem; sed ultima actualitas non est ulterius in potentia ad aliam actualitatem, quia alias non esset ultima; ergo si illa actualitas mixta potentiæ esset sua actualitas ultima, non esset in potentia ad ulteriorem actualitatem, et sic non esset ex se actus admixtus potentiæ, sed actus sine potentia ad ulteriorem actum; ergo esset actus purus.

13. *Dices :* Ut aliquid sit actus purus, non sufficit quod sit actus sine potentialitate ad ulteriorem actum, sed requiritur etiam quod non sit actus receptus in anteriore potentia; sicut ipse actus ultimus, ut esse et operatio, etsi non possint exsistere in potentia ad ulteriorem actum, non tamen sunt actus puri in nobis : quia recipiuntur in aliqua potentialitate et subjecto, ex quo contrahunt limitationem et impuritatem. Ergo insufficienter probat D. Thomas quod aliquid erit actus purus, si sit sua actualitas ultima : quia potest stare quod ista ultima actualitas, et prima cum qua identificatur, recipiantur in aliqua potentia, verbi gratia, in materia.

14. *Sed contra est :* quia nihil aliud est quod aliquid sit sua actualitas, quam quod illa actualitas sit ejus substantia. Et sic, si aliquid est sua actualitas ultima, illa non potest recipi in aliqua potentia : quia actualitas ultima operandi, si recipitur, non potest recipi nisi in potentia operativa, seu in ipso operante in quantum operans est, seu in quantum est potens ad operandum, non ut est in potentia ad essendum : nisi forte actio consideretur ut entitas est in passo extra operantem : sed de hac non potest esse dubitatio in præsenti, quia hoc ipso quod est extra ipsum operantem et virtutem ejus (si quidem est in passo) non potest esse substantia ipsa operantis. Si ergo sumatur pro actione ut est in operante, est impossibile quod sit ejus substantia, si recipiatur in aliqua potentia operativa, seu in ipso subjecto ut est operans in potentia : quia principium operans seu potentia operativa vel est forma, si est principium *quo,* vel suppositum, si est principium *quod*. Si ergo actio seu operatio, quæ est actualitas ultima, recipitur in potentia ut operativa, seu principio operandi *quo,* recipitur in forma substantiali (in accidentali enim non potest); ergo ipsa non est substantia constituens : quia non potest forma seu substantia constituens supponere formam substantialem, quia hæc constituens est. Si recipitur in supposito operante, seu principio *quod,* non solum supponit substantiam constitutam, sed etiam terminatam et subsistentem; ergo ipsa operatio seu actualitas ultima non potest esse substantia operantis, si recipitur in potentia seu principio operante.

15. Quapropter cum D. Thomas probaverit actualitatem ultimam, hoc ipso quod actualitas ultima est, repugnare potentialitati, ita quod non possit recipere ulteriorem actualitatem : et, ex eo quod substantia sit seu subsistens sit, per se notum est quod recipi non possit (aut, si recipitur, distinguetur a potentia seu virtute operativa, quæ radicaliter est substantia operans) : manifeste deducitur quod talis actualitas caret omni potentialitate, tam præsuppositâ ut recipiatur, quam ut recipiat; et consequenter est actus purus.

16. Et adverte quod non probavit D. Thomas operationem non esse substantiam operantis, quia egreditur ab illo : quod videbatur facilioris probationis esse, et conformius ad naturam operationis. Esset enim hæc probatio magis superficialis et minus efficax : quia qui ponerent actionem esse substantiam agentis, hoc ipso negarent talem actionem egredi ab operante,

neque [1] id esse de conceptu actionis quæ est substantia; unde esset petitio principii probare quod non sit substantia, quia egreditur ab illa. Probavit ergo D. Thomas hanc veritatem ex alio principio, quod a nemine negari potest : scilicet quod actio est actualitas ultima respectu virtutis seu potentiæ operativæ, sicut esse respectu essentiæ : hoc enim est per se notum, quia est ultimo intenta ab operante in quantum operans est. Et ita ex hoc principio optime processit ratio D. Thomæ.

17. AD RATIONES DUBITANDI, FERE CONSTAT EX DICTIS. — *Ad primam* * *dicitur,* quod id quod est sua actualitas ultima, id est, sua operatio vel suum esse, non potest habere potentiam ad alias actualitates : quia ultima actualitas ad nihil ulterius est in potentia. Unde ex genere suo non limitatur per hoc quod recipiat, sed per hoc quod recipiatur. Quare, si sit subsistens atque adeo irrecepta, neque limitatur ex potentialitate recipiente, neque ex potentialitate in qua recipitur : et sic remanebit actus purus. Non enim negamus quod id, quod est potentialitati admixtum, sit aliqua actualitas, nempe aliqua forma seu actus primus; sed negamus quod sit sua actualitas ultima, ita quod sua operatio seu esse sit substantia seu subsistens. Et ex hoc bene infert quod non sit in potentia ad aliquem actum : licet ex eo quod aliquid mixtum potentiæ sit sua actualitas, non ultima, sed aliquis actus primus vel forma, non inferatur quod sit actus purus. Unde non oportuit probare * quod, etiamsi sit aliqua actualitas, non sit sua operatio : quia D. Thomas assumebat in majori, quod non est sua actualitas ultima; atque adeo ibi probatum manebat, seu recte inferebatur, quod non est sua operatio, quia operatio est actualitas ultima in agendo.

* supra, n 6

* supra, n. 6, *Quod si est*

18. *Nec valet instantia quæ adducitur* * *:* quod potest esse sua actualitas, quæ est operatio, quantum ad aliquam intellectionem, non quantum ad omnes; vel etiam non quantum ad alias formas seu actualitates, v. g. quoad esse, subsistere, etc. — Dicimus enim quod si aliqua substantia est sua intellectio seu operatio, quantum ad aliquam intellectionem, etiam erit quantum ad omnes : tum quia est eadem ratio de una atque de aliis, cum sint omnes ejusdem generis; tum quia non potest operans habere plures intellectiones seu operationes, quæ sint plures substantiæ, cum ipsum operans non possit habere nisi unam substantiam seu essentiam; ergo non poterunt tunc esse plures intellectiones, quarum quælibet sit substantia operantis : sic enim haberet plures substantias seu essentias. — Nec etiam potest intelligi quod sit in potentia ad ipsum esse seu subsistere * : quia hoc ipso quod supponitur actualitatem illam ultimam esse substantiam, hoc ipso supponitur ex se esse subsistentem : nam substantia incompleta esse non potest, cum hæc non sit ultima actualitas, sed forma constitutiva essentiæ quæ est actus primus, vel materia prima quæ est pura potentia. Præter constitutionem autem naturæ per istas substantias incompletas non restat alia substantia incompleta quæ superaddatur : quia ultra constitutionem substantiæ, seu naturæ, non est ulterius considerare partem constituentem; idem autem est incompleta substantia ac pars substantialis constituens. Unde si operatio est substantia operantis, est tota ipsa substantia subsistens : quia illa est res seu substantia operans.

* supra, n. 6, in fine, *vel saltem aliquod*

* supra, n. 6, in fine, *licet maneret*

19. Quod vero sit in potentia ad esse, etiam non convenit tali actualitati hoc ipso quod est operatio subsistens : quia non est operatio exiens tamquam actio, quia substantia est. Et sic non procedit, nec habet esse procedens, ut actio : quia si ejus esse procederet, etiam ut actio procederet, non subsisteret; nec tamquam effectus, quia non est effectus sed actio, et alias est actualitas ultima in genere operandi. Non ergo est in potentia ad esse, sed seipsâ erit esse hoc ipso quod est actualitas ultima subsistens : quia ultima actualitas in genere operandi vel supponit esse, si ab ipso procedit, et sic non constituit illud : vel ipsa dat esse operanti, et sic [2] si es t subsistens, quia substantia, est ipsum esse subsistens, quod est actus purus; tunc autem si non supponit esse in operante, ipsa servit pro esse, et est subsistens. — Et præterea quia, si illa actio subsistens et substantia ipsa operantis est, sequitur quod tantum sit una actio, sicut est una substantia : et non specificabitur ab objecto, quia substantia specificabilis non est; ergo esse illius actionis non erit determinatæ speciei, hoc

[1] Intelligito : *neque [concederent] id [scilicet, egredi ab operante,] esse de conceptu actionis*... Cf. tomi I Præfationem, cap. III, art. 2, § 3, n. 1, b)

[2] M P *et sic si est subsistens, quia substantia est ipsum*... : quam lectionem, mutatâ interpunctione, haud ineptam judicamus. || LC *et sic est subsistens*... : facilius, at fortasse non melius.

ipso quod est subsistens : et præsertim si sit actio intelligendi, quæ ad omnia objecta et ad omnia entia se extendit. Unde si est substantia, et a nullo specificatur, et habet actualitatem super omnia, consequenter neque ejus esse seu exsistentia determinatam speciem habebit; et sic erit exsistentia subsistens et infinita, seu non limitata ad aliquam speciem. Tale autem esse non est productum, neque ad illud actio illa erit in potentia : quia solum esse quod est determinatæ speciei potest esse limitatum et productum.

20. *Unde sequitur quod non potest dici* illam ultimam actualitatem esse in potentia objectiva, scilicet in potentia ut producatur in esse, licet non in potentia subjectiva, id est, ad hoc ut aliquid ulterius recipiat. — *Contra enim est :* quia illa actio, si est in potentia objectiva ut producatur et procedat, vel debet procedere a solo Deo, vel etiam a creatura operante. Si a creatura operante, non erit substantia ejus : si quidem ab ea procedit, et sic supponit ejus substantiam, non constituit. Si a solo Deo, erit substantia ut effectus procedens a Deo; non autem erit operatio creaturæ, quia operatio est actualitas ultima in operando, et hæc supponit actualitatem ultimam ipsius operantis in essendo, quia operatio sequitur esse; si vero non supponit esse et substantiam operantis, sed illam constituit, ergo est ipsum esse operantis; et sic illa substantia est esse subsistens, quia operatio, quæ est ejus esse, subsistens est; esse autem subsistens est actus purus, ut infra* dicemus.

* nn. 21, 30-31, 34

21. Ad id vero quod opponitur** contra probationem D. Thomæ, quod « actualitas potentialitati repugnat » : quod non potest intelligi nisi respectu actualitatis ad quam est in potentia, non autem respectu omnis actualitatis : quia potest esse quod ipsa potentialitas aliquid actualitatis in se habeat : — Respondetur probationem D. Thomæ non consistere in hoc quod omnis actualitas repugnet potentialitati; sed actualitas de qua ibi loquitur est actualitas ultima, seu illa quæ est actus secundus : de hac enim ibi erat sermo. Hæc autem repugnat potentialitati ad ulteriorem actum, si quidem in sua linea est ultima. Potest tamen admisceri potentialitati, si recipiatur in aliquo subjecto potentialitatem habente. Si autem est subsistens et non recepta, ex omni parte caret potentialitate. Unde signanter non dixit D. Thomas in illa probatione quod potentialitas repugnat actualitati, sed quod « actualitas potentialitati repugnat » : quia videlicet loquebatur de actualitate ultima, quæ est operatio, vel esse seu exsistentia. Et sic non restabat probandum D. Thomæ quod potentialitas Angeli (supposito quod est aliqua actualitas, licet non omnis) non esset illa actualitas quæ est agere : hoc enim non intendebat probare D. Thomas neque ad ejus spectabat intentum, vel (1) solum probare quod illa actualitas de qua ibi agebatur, nempe actualitas ultima, si sit subsistens, repugnat potentialitati, et consequenter est actus purus. Ad hoc autem nihil refert quod potentialitas repugnet omni actualitati, vel alicui : sed solum quod actualitas illa, de qua ibi agebatur, repugnat potentialitati.

** supra, n. 7

I P. q. 54, a. 1

22. *Ad secundam* respondetur,* quod hoc ipso quod substantia Angeli est sua operatio, non oportet probare quod talis operatio non sit aliqua substantia incompleta ad quam sit in potentia : quia, licet verum sit quod detur potentialitas ad aliquid substantiale, sive ad substantiam incompletam quæ sit forma, sive ad aliquid substantiale quod sit modus, tamen operatio non potest hoc modo se habere, ut jam supra insinuatum est* : quia substantia incompleta non potest esse actualitas ultima, sed vel materia, vel forma, quorum prima est pura potentia, et secunda est actus primus. Et hoc ideo quia substantiæ incompletæ dicuntur partes constituentes ipsum totum in ratione essendi : unde cum operatio non sit pars constitutiva essentiæ in ratione essendi, non potest se habere ut substantia incompleta, id est, forma vel materia. Et præterea quia, si est substantia incompleta, ordinatur ad aliquod totum constituendum, quod est perfectius et majus ipsâ : quia omne totum est majus seu perfectius suâ parte; ergo non est ultima actualitas, cum sit in potentia ad majorem actualitatem seu perfectionem, scilicet ad ipsum totum.

* supra, n. 8

* supra, n. 18-19

23. Nec refert ad intentum articuli, quod illa operatio sit modus, vel realitas aliqua substantialis, sicut exsistentia vel subsistentia, nec onerandus est D. Thomas ad hoc probandum. Quia tantum intendit ostendere quod non sit ipsa substantia operantis; si autem habemus quod distinguitur ab illâ, sive sit substantia incompleta, sive modus substantialis, sive accidens, non pertinet ad hanc probationem : quia non intenditur hîc illud positivum, quod est operatio,

1) Sic omnes : quod censemus intelligi vix posse || Fortasse legendum : *sed solum.*

an sit accidens vel non, sed solum illud negativum, quod non sit substantia ipsa operantis. Aliunde vero constat quod non sit substantia incompleta : quia non est materia, neque forma constituens naturam in esse naturæ, sed solum actualitas constituens operantem in actu operandi; nec est modus substantialis, quia non est exsistentia, vel subsistentia, aut unio, quæ solum agnoscimus esse modos substantiæ : nec enim ordinatur operatio ad ipsam substantiam substantialiter constituendam, vel modificando vel componendo, sed est actualitas ejus ultima.

* supra, n. 9 24. *Ad dubitationes* * *quæ ex Cajetano et aliis referuntur :* Respondetur quod, dicendo quod actus purus est sua actualitas, non significatur quod est ibi aliquid per modum actuantis, et aliquid per modum actuati : sed simpliciter quod est sua actualitas per modum actûs puri et per modum summæ simplicitatis, non per modum alicujus compositionis. Nec enim ly *sua*, cum dicitur quod est sua actualitas, importat respectum actuantis, sed solum quod est sua, tamquam substantia et essentia sua, per unitatem et identitatem : sicut dicitur quod Deus est sua essentia et suum esse sine ullo respectu actuantis. — Et similiter cum dicit D. Thomas * quod « actio est actualitas virtutis, et esse est actualitas essentiæ », non intelligit quod sit actualitas per informationem vel compositionem, aut per summam simplicitatem vel identitatem : sed loquitur absolute et in communi, abstrahendo ab omnibus istis modis, sed solum affirmat quod est actualitas virtutis : sive hoc sit per modum informationis et actuationis, ut in nobis, sive per modum summæ simplicitatis et identitatis, ut in Deo. — Et quando dicitur * quod ea, quæ se habent ut proprius actus et propria potentia, solum identificantur in actu puro, intelligitur hoc semotis imperfectionibus, id est, non remanente potentialitate (alias enim non identificarentur), sed remanente toto hoc per modum summæ et puræ actualitatis.

* cf. supra, n. 9, *Ex quo etiam*

* supra, n. 9, *Ex quo sequitur*

[*Secunda et tertia ratio D. Thomæ.*]

I P. q. 54, a. 1 25. Secunda ratio D. Thomæ est : Quia si intelligere Angeli esset sua substantia, ergo esset subsistens. Sed intelligere subsistens non potest esse nisi unum, sicut nec aliquod abstractum subsistens. Ergo non distingueretur substantia Angeli, neque a substantia Dei, neque a substantia alterius Angeli.

26. Ex quo sequitur Tertia ratio, quæ est confirmatio præcedentis : Quia si Angelus esset suum intelligere, non posset inveniri in Angelis diversus gradus in intelligendo : cum ista diversitas proveniat ex diversa participatione ipsius intelligere. I P. q. 54, a. 1

27. *Circa hanc rationem fere totum pondus difficultatis* est circa illam propositionem, quod « intelligere, si est subsistens, est tantum unum ». Nec enim videtur hoc recte probari vel supponi : quia vel propositio illa procedit de intelligere universalissimo, quale est intelligere actûs puri, vel de intelligere specifico et determinato, quale est intelligere Angeli vel talis Angeli, v. g. Gabrielis. Primo modo vera est propositio, sed non ad propositum : quia non loquimur de intelligere universalissimo, quod est actus purus, sed de intelligere particulari, quod est Angeli. De hoc autem intelligere non apparet in qua vi sequatur illa consequentia : intelligere angelicum est subsistens, ergo est unum. — Et instatur aliquibus exemplis : Nam albedo, si esset abstracta et subsistens, esset quidem una in ratione albedinis, sed non in ratione et genere coloris : possent enim esse alii colores abstracti. Ergo similiter, si intelligere Gabrielis esset abstractum, esset unum in specie intellectionis Gabrielis, non in toto genere intelligendi. Item non sequitur : « Gabriel est natura specifica subsistens, ergo intellectualis natura (et non solum Gabrielis natura) est una et immultiplicabilis »; « Anima rationalis est forma per se subsistens, ergo immultiplicabilis »; « Albedo est per se subsistens, ergo color illi identificatus (et non solum albedo) erit unus numero ». Quare vel omnis forma subsistens, ex hoc quod est subsistens, est tantum una : et hoc est falsum, ut patet in tam multis formis subsistentibus quæ tamen multiplicantur; vel solum intelligere hoc privilegium habet quod, si est subsistens, est unum : et de hoc oportet reddere rationem.

28. *Contra aliam* * *consequentiam* D. Thomæ, nempe quod sequeretur quod intelligere subsistens Angeli esset etiam ipsa substantia Dei, *instatur :* Quia Angeli intelligere, adhuc ut subsistens, esset quoddam intelligere angelicum, ut supponimus; ergo solum identificaret sibi prædicata angelica, non divina, ut esse immensum, æternum, increatum; nec identificaret sibi ipsum esse, aut velle; adhuc ergo distingueretur ab illo. — Similiter in ultima * ratione D. Thomæ * supra n. 26

* supra, n. 25, *Ergo non*

non sequitur non dari diversos gradus, magis vel minus perfectos : quia etiamsi intelligere illud esset subsistens, adhuc daretur Deus qui esset primum principium, ex cujus participatione omnes illi gradus descenderent, et unusquisque subsisteret : sicut modo derivantur diversæ substantiæ spirituales magis vel minus perfectæ, et tamen subsistentes.

29. PRO INTELLIGENTIA HUJUS rationis D. Thomæ DUO SOLUM OPORTET ADVERTERE. — Primo, generalem rationem et doctrinam de formis abstractis : quæ, si in sua abstractione sunt subsistentes, in illo genere, in quo sunt formæ, non possunt plurificari, sed (1) esse unum : quia plurificatio semper est per concretionem. — Secundo, specialem rationem ipsius intelligere : quod propter suam universalitatem, hoc ipso quod est subsistens, debet esse unum in toto genere et universalitate intelligendi.

30. *Circa primum supponendum est* quod diximus præcedenti tomo (disp. 5, art. 1 *), quod aliud est formam esse subsistentem, aliud esse subsistentem in abstractione formali. Nam ad hoc ut forma sit subsistens, non requiritur quod sit una, neque quod contineat aliquam (2) perfectionem sui generis; sed potest etiam includendo limitationem et imperfectionem aliquam subsistere, quia natura seu forma substantialis est. Sicut videmus animam subsistere, et Angelum, et multas naturas corporeas, quæ tamen suas retinent imperfectiones cum tali subsistentiâ : nam ad hoc ut subsistant, sufficit quod habeant esse per se et incommunicabile alteri, sive sit perfectum, sive imperfectum et limitatum. At vero forma subsistens in abstractione formali debet esse forma purificata ab omni eo quod formale non est, id est, ab omni materialitate, seu ab omni condicione materiali et potentiali sui generis, et in hac purificatione subsistens, id est, non communicabilis alteri : talis enim forma, ex eo quod est abstracta seu purificata ab omni materialitate sui generis, nihil de imperfectione illius generis in sui constitutione habet; et ex eo quod subsistens, nihil contrahit de imperfectione et potentialitate alienâ : quia, si est subsistens, non communicat alteri, et sic nihil ex ejus communicatione contrahit. Unde restat quod talis forma, sic abstracta et subsistens, debeat continere totam perfectionem illius generis.

* n. 10-23; tomo 1, p. 500-4

31. Et debet esse una et immultiplicabilis : quia omnis multiplicatio debet fieri per aliquid extraneum, seu quod sit extra conceptum talis rei quæ multiplicatur. Nam talis multiplicatio debet fieri per aliquam differentiam contrahentem, vel materiam recipientem. Et quidem differentia contrahens, si contrahat genus, est extra conceptum generis; si vero contrahat speciem, multo magis est extra conceptum speciei, quia sumitur a principiis materialibus quæ extra conceptum speciei et quidditatis sunt. Similiter materia, seu subjectum recipiens, est extra conceptum formæ receptæ; unde hoc ipso quod contrahitur vel recipitur talis forma, hoc ipso extraneatur a propria formalitate, et non manet abstracta seu purificata in abstractione formali, neque in illa subsistens : si quidem communicatur alicui rationi extraneæ. — Adde quod omnis multiplicatio, sive specifica sive generica, aliquam limitationem et imperfectionem involvit : quia aliquid debet esse in isto, quod non in illo, si fit multiplicatio; ergo limitate habet hoc, et limitate habet illud, cum unum careat eo quod aliud habet. — Relinquitur ergo tamquam certum quod omne abstractum abstractione formali, si subsistat in tali abstractione, non potest esse nisi unum et immultiplicabile.

32. *Circa secundum* *, quod pertinet ad rationem ipsius intelligere, *est advertendum* quod intelligere ex duplici principio limitatur : scilicet ex objecto a quo habet specificationem, et ex subjecto a quo habet individuationem; et, si est subsistens, caret utraque. — Caret quidem specificatione : quia substantia non est ad aliud, sed ad se; et sic species illius non sumitur ex tendentia ad aliud, quia repugnat substantiam consistere in tendentia et ordine ad alterum, sed in se et per se est. Unde perfectio quæ competit alicui formæ ex ordine ad alterum, hoc ipso quod (3) redditur subsistens, debet competere per se et in se; et ita si specificatio formæ est ab objecto et per tendentiam in illud, si natura illa et forma substantialis est et subsistens, hoc ipso specificatio illa subsistens esse debet, et non ad alterum. Quod si verum est dari in divinis relationes quæ substantiales sunt, et tamen sunt ad alterum, hoc non est quia specificationem et perfectionem sumant per dependentiam ad alterum, etiam correlativum : sed habent unam et eamdem

* cf. supra, n. 29, *Secundo*

(1) Supple : *sed [debent] esse* || Cf. tomi I Præfationem, cap. III, art. 2, § 3, n. 1, a).

(2) Sic omnes || Intelligendum est : *aliquam [eminentem] perfectionem sui generis.*

(3) Intelligito : *hoc ipso quod [ista forma] redditur...*

substantiam et perfectionem essentialem, solumque opponuntur in ipso exercitio respiciendi : et hoc totum habent propter infinitam eminentiam divinæ naturæ cui identificantur. Unde si hoc ponitur tali modo in ipso intelligere, hoc ipso debet poni infinitas in tali ratione intelligendi. Sed tamen si datur specificatio et essentialis perfectio in ipso intelligere per ordinem ad objecta, hoc ipso debet tale intelligere esse dependens ab objecto, et importare tendentiam seu habitudinem transcendentalem ad illud. Et hoc repugnat conceptui substantiæ, quæ in sui specificatione et naturâ non potest esse ordinata ad alterum, sed subsistens in se : licet infinitas divinæ naturæ identificet sibi relationes ejusdem substantiæ, sed correlativi exercitii. Quare si datur intelligere subsistens, non potest esse specificabile ab objecto.

33. Similiter non potest tale intelligere esse multiplicabile ex parte subjecti, sed carere debet multiplicatione individuali. Quia, cum intelligere dicatur esse ipsa substantia intelligentis, impossibile est quod multiplicetur intelligere in eodem intelligente : alias multiplicarentur substantiæ, et sic redderetur multiplex intelligens, sicut est multiplex intellectio : quia idem substantialiter essent tunc intelligens et intelligere. Non ergo stat multiplicari ipsum intelligere substantiale, et non multiplicari intelligens. Si ergo intelligere substantia intelligentis est, unum esse debet, sicut ipse intelligens : nec enim in tali casu erit actio procedens intellectio, sed erit ipsamet substantia intelligentis, quam implicat procedere a se.

34. Ex his duobus præsuppositis sequitur cum præcisâ evidentiâ ratio * D. Thomæ : quæ tam efficaciter probat quod intelligere quodcumque, si est subsistens, est unum, quam quod esse, si est subsistens, est unum. Immo tunc implicat quod intelligere subsistens sit angelicum vel humanum : sicut implicat quod esse subsistens sit hominis, vel equi, vel Angeli; sed si est esse subsistens, est esse purum. Eo quod esse, secundum conceptum suæ actualitatis, est actus entis, ut ens est; limitatur autem et contrahitur penes naturas et essentias, in quibus recipitur, sicut est esse hominis, et esse lapidis, et esse Angeli. Quare remoto omni recipiente, et posito esse subsistenti, reddit [1] ipsum esse in suam amplitudinem : quia non est a quo limitetur. Similiter intelligere est actus ultimus in linea intelligibili, quæ ambit totum ens : omne enim ens est intelligibile. Limitatur autem specificative ex objecto specificante, et individualiter ex subjecto exercente et producente intellectionem. Unde si removetur omnis specificatio, et exercitium producendi et emittendi intellectionem, reducitur intelligere in ipsam universalitatem lineæ intelligibilis; et sic est universaliter perfectus [2] in illa linea, sicut actus purus intelligendi.

* supra, n. 25

35. FORMATUR ERGO PROBATIO S. THOMÆ SIC : Intelligere subsistens necessario debet attingere aliquod objectum : quia si intelligit, aliquid intelligit, non vero nihil. Sed non specificatur tale intelligere ab aliquo objecto, ut ostensum est * : quia substantia non specificatur ab alio. Ergo est tale intelligere sine ullâ specificatione et limitatione desumptâ ab objecto. Ergo est actus secundus in linea intelligibili extra omnem speciem : quia species intelligendi non sumitur nisi ab objecto. Ergo caret omni limitatione proveniente ex contractione specifica et ex multiplicatione per ipsam. — Non sufficit autem dicere quod specificaretur a seipso ut objecto : sicut intelligere divinum, quod habet seipsum pro objecto. Non sufficit hoc : quia intelligere est operatio immaterialis amplectens omne intelligibile; alias si solum posset intelligere seipsum, et non alia objecta, et in se esset limitatum ut Angelus, non infinitum sicut Deus, imperfectius esset hoc intelligere quam intelligere humanum et infimum, quod potest omnia entia attingere. — Caret etiam limitatione proveniente ex receptione in aliquo subjecto seu principio materiali : quia subsistit in ipsa actualitate seu actu secundo intelligendi; ergo caret omni principio extraneo dante potentialitatem et imperfectionem tali actualitati intelligibili. Ergo est abstractum intellectualitatis subsistens in ipsa abstractione : quia actualitas intelligibilitatis habetur per abstractionem a materia, seu per ipsam immaterialitatem; ergo intelligere subsistens est actualitas ultima seu actus secundus in ipsa immaterialitate subsistens. Ergo ambit omnem perfectionem illius generis sine admixtione alicujus extranei seu specificativi contra-

* supra, n. 32

(1) Sic omnes, non omnino male || Censemus tamen legendum esse : *redit*...

(2) Sic omnes || Melius legeretur : *perfectum*. Vide tamen tomi I Præfationem, cap. III, art. 2, § 3, n. 5, a)

hentis : quia in ipsa immaterialitate et actualitate intelligibili subsistit. Ergo non potest multiplicari in genere intelligibili, quantum ad perfectionem : quia omnem colligit et adunat in se, dum abstrahit et purificatur ab omni limitatione specificationis et potentialitate receptionis : quod est esse actum purum in genere intelligibili.

36. *Ex hoc autem bene sequuntur reliquæ consequentiæ D. Thomæ.* — Prima * est, quod non distinguetur [1] substantia Angeli, seu substantia illius intelligere, a substantia Dei. Hoc patet : quia includeret totam perfectionem in esse intelligibili, purificatâ omni potentialitate et contractione specificâ illius; sed substantia seu natura Dei nihil aliud est quam intelligere in tota sua perfectione et sine ulla potentialitate; ergo illud intelligere subsistens esset natura Dei. — Secunda * consequentia est, quod non distingueretur a substantia alterius Angeli. Patet : quia quælibet substantia Angeli esset suum intelligere, et intelligere subsistens esset unum; ergo omne intelligere Angelorum esset unum : ergo et omnis substantia, quia intelligere Angelorum substantia est. — Tertia * consequentia : Non esset tunc diversus gradus magis vel minus perfectus in Angelis. Patet hoc : quia non daretur aliqua forma seu natura per modum actûs primi, respectu talis actûs secundi qui esset intelligere : ergo neque diversus gradus : quia graduatio est penes diversas naturas seu formas, quæ se habent ut actus primus ad intelligendum; ipsa autem actio intelligendi, si est subsistens seu substantia ipsa intelligentis, non est nisi una, ut ostensum est *; ergo in ipsa non sunt plures gradus, quia nec plures specificationes seu species. Naturæ autem seu species, quæ constituant diversos gradus per modum actûs primi, tunc non dantur; ergo in tali casu non darentur plures gradus intelligendi secundum majorem vel minorem perfectionem.

* cf. supra, n. 25, *Ergo non*

* supra, n. 25, in fine

* supra, n. 26

* supra, n. 33, et n. 35, *Caret etiam*

37. AD RATIONES DUBITANDI * contra hanc rationem D. Thomæ, RESPONDETUR, quod illa propositio « Intelligere subsistens est tantum unum » procedit de quocumque intelligere, non supponendo quod est intelligere universalissimum, sed inferendo [2] quod, si est subsistens in illa abstractione formali, hoc ipso est universalissimum et unum in illo genere intelligibili. Unde dicere quod intelligere Angeli sit ejus substantia, seu subsistens, hoc ipso demonstratur impossibile : quia ex una parte ponitur intelligere particulare, quia dicitur esse angelicum, et ex alia parte cogitur dicere quod est universalissimum, quia subsistens est, et sic extra omnem speciem et receptionem, quæ sunt principia limitandi et particularizandi ipsum intelligere et intellectualitatem.

* supra, n. 27

38. *Ad exempla, quæ contra hoc afferuntur, respondetur.* — Ad primum * de albedine, si esset abstracta, dicimus quod solum esset una specie [3] albedinis, et non in genere coloris vel alterius qualitatis : quia non abstraheret nisi in illa ratione specifica albedinis. Ceterum intelligere, hoc ipso quod redderetur subsistens seu substantia, careret omni principio specificante, quod est objectum : et sic abstraheret in ipsa actualitate, tollendo omne contractivum et limitativum in ratione specifica; et sic esset unum, et ambiret omnem perfectionem, non solum alicujus speciei intelligibilis, quia eam non haberet, sed totius generis intelligibilis. — Dicere * autem quod esset intelligere Gabrielis in specie illius, et quod esset intelligere subsistens, esset repugnantia : quia tale intelligere subsistens non specificaretur ab aliquo extra se, nec a se solum : quia intelligere Gabrielis non est solum potens intelligere se, id est, substantiam ipsam Gabrielis, sed etiam alia. Hoc ipso autem quod intelligeret alia, et non specificaretur ab illis, esset intelligere extra omnem speciem, vel in sua substantia haberet unde omnia intelligeret perfecte et distincte : quod nulli substantiæ creatæ convenire potest. Si autem intelligeret solam substantiam Gabrielis, non esset intelligere perfectum.

* supra, n. 27, *Nam albedo*

* supra, n. 27, *Ergo similiter*

39. Ad secundum * exemplum dicitur, quod natura specifica Gabrielis est subsistens, et similiter anima rationalis; non tamen subsistunt in ipsa abstractione formali, sed in concretione et mixtione aliarum rerum quas in se recipere possunt, sicut recipiunt accidentia et exsistentiam, etc. — Ad id quod ultimo * ponitur, respondetur quod fundamentum D. Thomæ non stat in hoc, quod omnis forma subsistens sit una, vel ex eo quod subsistens multiplicabilis non sit : hoc enim adeo manifeste est falsum, quod non potuit in mentem alicujus venire. Neque hoc solum est proprium ipsius intelligere, si subsistens sit; sed, ut inquit D. Thomas *, est proprium omnium

* supra, n. 27, *Item non*

* supra, n. 27, *Quare vel*

* I P. q. 54, a. 1

[1] Ita omnes, non male.
[2] Ita bene corrigunt LC ‖ Mendose MP *inferendi.*
[3] Ita MP ‖ Commodius LC *una in specie.*

abstractorum, id est, omnis formæ quæ subsistit in abstractione formali : talis, in illo genere in quo est forma, remanet una. Et intelligere, hoc ipso quod esset subsistens, careret specificatione ab objecto extrinseco, essetque unum in toto genere intelligibili, ut ostensum est *.

* supra, n. 32-33

** supra, n. 28

40. *Ad secundam ** instantiam, contra aliam consequentiam* D. Thomæ, respondetur : D. Thomam recte inferre quod, si intelligere Angeli esset substantia, non distingueretur a substantia Dei : quia non remaneret solum intelligere angelicum, sed universalissimum in toto genere intelligibili. Et sic utrumque sequeretur : nempe, et quod esset angelicum, quia sic supponitur, et quod esset divinum, quia purificatum et abstractum ab omni specificativo et receptivo, quæ sunt principia limitantia intellectionem; ac per hoc recte probatur implicatio in hoc quod intelligere Angeli sit subsistens.

* supra, n. 28, *Similiter*

* supra, n. 30-33

41. Ad ultimam * instantiam respondetur, quod in illo casu recte sequitur non dari diversos gradus in genere intelligibili : quia, ut probatum est *, intelligere subsistens est unum, colligens in se omnem perfectionem illius lineæ intelligibilis; et consequenter in hoc intelligere subsistente non possent dividi diversi gradus magis vel minus perfecti. Quod autem modo dentur diversæ substantiæ spirituales diversorum graduum et tamen subsistentes, ideo est quia sunt subsistentes tamquam substantiæ per modum actûs primi, non tamquam ultima actualitas quæ est intelligere subsistens in sua formali abstractione : hoc enim, ut ostensum est, semper est unum.

RECTE PROBAT D. THOMAS QUOD INTELLIGERE ANGELI NON SIT EJUS ESSE.

I P. q. 54, a. 2

42. Probat D. Thomas (in art. 2) quod intelligere Angeli non solum non est sua substantia, sed neque ejus exsistentia seu esse, supponendo quod est duplex actio : altera transiens, et altera immanens. Transiens infert passionem in alio extra se; immanens autem non, sed manet intra agens. Unde prima actio non potest præbere exsistentiam suo agenti : quia, cum transeat extra ipsum, non potest munus exsistentiæ habere : quia hæc non transit extra subjectum quod reddit exsistens. Secunda autem actio pro hac parte non repugnat quod sit exsistentia operantis : quia extra illud non transit, cum revera maneat in agente. Sed tamen potest repugnantiam habere ex duplici capite. — Primo, quia procedit ab operante tamquam actio illius, et sic supponit ejus esse; ergo non dat illud. — Secundo, quia intelligere et velle habent diversum munus intrinsece et essentialiter ab ipso exsistere : nam intelligere et velle, et aliæ actiones immanentes, recipiunt speciem ab objecto; et quia de se possunt circa infinita objecta versari, vel simpliciter, vel secundum quid, habent infinitatem quamdam. Esse autem Angeli habet determinationem unius tantum speciei ad ipsam substantiam Angeli. Ergo non potest intelligere Angeli servire pro ejus exsistentia.

43. *D. Thomas in præsenti non usus est primâ viâ, sed secundâ :* quia licet verum sit quod operatio procedens ab intellectu supponit ejus exsistentiam, tamen qui dicerent quod intelligere est esse, negarent quod de ratione intelligere sit dimanare ab intelligente, sed solum (1) quod sit ultima actualitas illius : sicut in Deo intelligere et velle non sunt emanationes a Deo operante, sed actualitas illius; et sic non repugnabit idem inveniri in aliquo intelligere creato. Quare non poterat supponi id quod ista ratio supponit, nempe quod intelligere et velle sint ex suo intrinseco conceptu emanationes ab intelligente et volente, sed id deberet probari. Unde elegit D. Thomas secundam viam, quæ assumit aliquid quod a nullo negari potest, scilicet quod intelligere se habet ad plura objecta a quibus specificatur : quod non potest convenire ipsi exsistentiæ seu esse.

44. NIHILOMINUS RATIO HÆC D. Thomæ PARUM EFFICAX ALIQUIBUS VIDETUR, nec solido fundamento niti. Reducitur enim tota ejus vis ad illam propositionem, quod non potest id quod determinatæ speciei est, sicut exsistentia, identificari cum eo quod in tot species dividitur, sicut intelligere, quod ab objectis specificationem desumit; nec potest unicum intelligere deservire pro omnibus objectis quæ Angelus valet intelligere; esse autem Angeli unum est. — *Contra hoc autem instatur :* quia non repugnat secundum diversos respectus aliquid esse determinatum et indeterminatum, et esse finitum quoad aliquid et infinitum quoad aliud; ergo fundamentum D. Thomæ nutat. — Antecedens variis exemplis

(1) Supple : *sed solum [dicerent] quod*... || Cf. Præfationem tomi I, cap. III, art. 2, § 3, n. 1, b).

probatur. Nam in primis albedo et relatio in ea fundata identificatur : et albedinis non est nisi una species, relationes vero plures : ut similitudo et dissimilitudo, æqualitas, mensurabilitas, etc. — Item superficies et locus sunt entitative et identice idem : et superficies est determinata species, loci autem sunt multæ species : ut sursum et deorsum, ante et retro, distans, propinquum, etc.; et actio et passio sunt eadem entitas, diversæ vero species unius et alterius. Ergo pari modo dici potest quod esse Angeli sit unum specie et numero determinatum in ratione exsistendi, multiplex vero et indeterminatum in genere cognoscendi.

45. Item, eadem substantia Angeli est in se, et in ratione substantiæ, determinatæ speciei; et similiter ipsa potentia intelligendi et volendi : et tamen est susceptivum diversorum accidentium et actuum et specierum intelligibilium, et illa potentialitas est indeterminatæ speciei. Sicut etiam potentia obœdientialis, quæ est ad tam varias species supernaturales et miraculosas, a quibus specificatur : et tamen ista omnia identificantur cum substantia ipsa, quæ est determinatæ speciei. Ergo illa propositio D. Thomæ non est solida : quod aliquid, determinatum in uno genere et linea, non possit esse indeterminatæ speciei in altera. — Item, ens et verum et bonum sunt identice eademmet entitas : et tamen possunt esse diversæ species boni aut veri, manente eâdem entitate : sicut bonum dividitur per honestum, utile et delectabile, non autem ens; et verum per diversas rationes intelligibilitatis, licet sit eadem entitas. Ergo bene stat aliquid esse determinatæ speciei in uno genere, et non in alio. — Denique, ipsa substantia Angeli est non solum forma naturalis in esse entitativo, sed etiam species intelligibilis in esse intelligibili respectu sui; ergo saltem respectu suæ propriæ intellectionis poterit identificari esse et intelligere, sicut identificatur forma intelligibilis et substantialis.

46. *Confirmatur :* quia sicut esse Angeli est finitum, ita intelligere Angeli finitum est (quia est creatum), licet circa objecta infinita versari possit; ergo non sequitur quod esse Angeli, quia est finitum, non possit identificari cum intelligere, quia infinitum est : cum hoc intelligere etiam simpliciter sit finitum. — Quod autem objective infinitum esse possit, non obstat : Tum quia etiam esse Angeli habet similem infinitatem : quia continet totam plenitudinem suæ speciei, et æquivalet infinitis individuis. Tum etiam quia, sicut intelligere formaliter tangit infinita objecta, ita substantia Angeli radicaliter; ergo bene stat quod etiam ipsum esse habeat infinitatem sicut ipsum intelligere ex parte objecti, et finitatem ex parte entitatis. — Posset etiam dici quod intelligere, quando est substantia, non specificatur ab objectis, sicut non procedit a subjecto.

47. Pro intelligentia rationis D. Thomæ oportet advertere quod illa propositio, in qua fundatur tota vis rationis ejus, quod non potest aliquid esse alicujus speciei determinatæ et alterius indeterminatæ, etiam identice, intelligi debet de speciebus perfectis absolutis et actualibus. Nam si sunt species imperfectæ, sicut modi, oportet quod entitative quantum ad realitatem identificentur cum aliqua entitate reali determinatæ speciei : quia cum modus non sit realitas, non distinguitur a re cujus est modus realiter et entitative, et ita manet indistinctus realiter et entitative; et consequenter identificatur cum ipsa re cujus est modus. Unde non inhæret illi, sicut reliqua accidentia, sed seipso illi conjungitur : quod est entitative identificari. Alias sequeretur processus in infinitum : quia, cum ipsa inhærentia quidam modus sit, si inhæret per aliam inhærentiam, ista rursus inhærebit per aliam, et sic in infinitum. Nec potest separatim exsistere a subjecto, sicut accidentia quæ inhærent, licet subjectum possit manere sine modo per corruptionem ipsius modi, seu alicujus ad illud requisiti. — Similiter species relativæ identificari possunt cum fundamento, quod est determinatæ speciei et entitatis in se : quia (1) non distinguitur a fundamento tamquam realitas, sed tamquam modus. Nam si realitas sit, nullo modo identificabitur cum illo, sed accidentaliter illi adveniet, sicut plures species accidentales adveniunt subjecto habenti suam speciem entitativam determinatam ab illis distinctam.

48. Denique, intelligitur propositio D. Thomæ de speciebus actualibus, non potentialibus. Nam esse plura in potentia, et indeterminate se habere ad plures species quas potest recipere, non est esse neque identificari cum talibus speciebus, sed habere potentiam ad illas. Potentia autem et indeterminatio ad plura, accidentaliter adve-

(1) Supple : *quia [relatio] non distinguitur...*

nientia, non repugnat cum unitate et determinatione ejus quod est in potentia : sicut ipsa potentia intellectiva, et substantia intelligens, est in potentia ad plures intellectiones. Et hoc modo ipsum esse Angeli actu constituit entitatem in exsistendo, et potentialiter se habet ad operandum seu intelligendum. Hoc autem modo[1] nullus dubitat quod aliquid possit esse actu unum in substantia, et in potentia multiplex respectu accidentium et operationum, quarum species potest recipere. Sed aliud est recipere species diversas, aliud identificare[2] et esse idem cum illis. Hoc secundum est quod negatur; de primo vero non dubitatur.

49. Quod vero propositio D. Thomæ sic debeat intelligi de speciebus perfectis absolutis et actualibus, constat manifeste : quia loquitur de intelligere seu de actibus immanentibus, qui sunt realitates et non modi, qualitates et non relationes, actus secundi et non potentialitates; et de talibus quærit, an sint idem cum ipso esse Angeli.

50. **RATIO ERGO D. THOMÆ ex hoc supposito declaratur quam sit efficax.** Nam si intelligere Angeli esset ejus esse : vel tale intelligere esset unius tantum speciei, et unicum exsistens attingeret omnia objecta quæ Angelus potest attingere : vel tale intelligere esset multiplex et diversas species habens respectu diversorum objectorum, sicut nunc habet intelligere nostrum et angelicum, et non obstante hac diversitate specificâ in ipso intelligere adhuc identice et entitative diceretur esse unum cum ipso esse Angeli. — *Si primum dicatur,* destruitur ipsa ratio intellectionis, quæ diversificatur penes objecta et non potest, unum exsistens, attingere omnia objecta quæ sunt ab intellectu attingibilia : quia intellectus Angeli propter suam universalitatem potest attingere omne ens, immo elevari potest ad videndum Deum in se. Unde sicut non potest dari una species quæ repræsentative contineat omne ens, nec una virtus naturalis quæ possit intelligere Deum in se, ita nec potest dari unum intelligere quod se extendat ad omnia entia intelligibilia : quia major actualitas requiritur in ipso intelligere in actu secundo, quam in ipsa specie repræsentante, vel virtute eliciente. Immo sequeretur hinc, quod Angelus naturaliter esset beatus : quia si ejus intelligere est unum ad omnia quæ potest intelligere quia est ejus esse, ergo intelligere beatificum etiam erit ejus esse : si quidem, ut ponitur, omne intelligere ejus est unum, et illa visio est ejus intelligere; atque adeo erit aliquid naturale in Angelo, quia esse Angeli naturale illi est, id est, ipso dono creationis habitum. Et eodem modo non potest esse una tantum realitas numero intelligere Angeli, etiamsi sit superaddita ipsi esse : quia nulla realitas naturalis est quæ omnia objecta attingat in quæ potest Angelus, tam naturalis quam supernaturalis ordinis.

51. *Si vero ponitur* quod intelligere Angeli est multiplex in specie, ita quod diversificatur penes diversitatem objectorum : repugnat quod sit ipsum esse. Quia cum intelligere non sit modus, sed realitas, hoc ipso quod est multiplex species, est multiplex realitas; ergo non potest esse entitative unum et idem cum esse Angeli, quod est unum. Tum etiam quia nulla entitas creata potest in se adunare plures species reales, propter limitationem et finitatem suam : quia unaquæque res creata constat ex suo genere et differentiâ; multæ autem species multas habent differentias et plura constitutiva. Immo nec in Deo sunt species seu quidditates rerum nisi sub aliquâ eminentiâ superiori, quæ est illarum principium, et semotâ omni potentialitate, imperfectione et divisione. Quod vero plures species, manentes in suâ pluralitate et divisione limitatâ, adunentur et identificentur cum entitate seu actualitate unâ et unius speciei, nec etiam in Deo invenitur : quia repugnat ex una parte species manere diversas et limitatas inter se, et ex alia esse unam et eamdem entitatem, etiam infinitam, cum qua identificentur. Quæcumque enim sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se, eo modo quo in illo tertio unum sunt : quod axioma in creatis nullam patitur instantiam. Ergo si intelligere Angeli remanet multiplex et divisum secundum diversas species, non potest identificari cum ipso esse Angeli; aut si sunt ipsum esse, sunt idem inter se, et consequenter non sunt plures species reales : sed vel erunt modi, quod repugnat realitati intellectionum : vel erunt una et eadem species seu realitas specifica, quod est incidere in primum membrum impugnatum *. * supra, n. 50, *Si primum*

52. AD INSTANTIAS ALLATAS ** CONTRA ISTAM RATIONEM D. Thomæ patet responsio ex dictis. Negatur enim antecedens. — Et ad primam † ** supra, n. 44 † supra, n. 44, *Nam in primis*

[1] Ita recte emendant LC || Prave MP *modus.*

[2] Sic omnes || Intelligito : *identificare [illas sibi] et...*

instantiam de albedine et relatione : dicitur quod relatio constituit speciem relativam, solum modaliter diversam a fundamento. Et pro hac parte non repugnat identificari entitative, licet non modaliter. Et sufficit distinctio modalis, ut dicantur illæ relationes diversæ specie inter se modaliter : licet entitative identificentur cum fundamento. Quod si relationes sunt realiter distinctæ a fundamento, non currit argumentum : quia tunc non identificantur cum fundamento, sed præbent illi diversas species accidentales : sicut etiam idem subjectum recipit diversa accidentia specie distincta, quæ non sunt idem cum ipso subjecto. — Similiter ad exemplum de
* supra, n. 44, *Item* superficie et loco * : dicimus quod locus non addit supra superficiem nisi aliquem modum vel relationem secundum situationem, vel distantiam spatii; et ista relatio seu modus distantiæ potest variari secundum diversas species, non variatâ specie superficiei, sicut de reliquis modis vel relationibus dictum est *.

* hic, n. 52; et supra, n. 47 ** supra, n. 45

53. Ad exemplum ** de substantia Angeli et potentialitate ad diversas species intelligibiles vel ad accidentia, vel etiam de potentia obœdientiali ad diversas species supernaturales : Respondetur quod ibi non identificantur cum specie determinatâ substantiæ diversæ species actuales accidentium, sed solum potentialitas ad illa suscipienda : quæ potentia susceptiva non importat diversas species, licet respiciat illas : quia suscipit illas uno modo, scilicet per sustentationem et inhærentiam in se, et solum est multiplex in potentia, non in actu. Ratio autem D. Thomæ procedit de diversis speciebus actualibus, ut ostensum est *. — Ad quartum exemplum de ente et bono ** : Respondetur quod illæ differentiæ et species boni solum sunt respectivæ. Dicitur enim aliquod bonum honestum, vel delectabile, secundum diversos respectus ad voluntatem : quia honestum respicit conformitatem rationis, et delectabile complacentiam fruitionemque appetitûs. Unde si manente eadem entitate dicitur una et eadem res delectabilis et utilis, aut honesta, hoc solum arguit diversas species relativas : quas non repugnat identificari cum eadem realitate, ut de aliis relationibus a nobis dictum est *. Si vero non sit eadem res honesta et delectabilis, sed diversæ, tunc non currit argumentum : quia non identificantur in eodem esse et identitate.

* supra, n. 47-49 ** supra, n. 45, *Item, ens*

* supra, nn. 47, 52

* supra, n. 45, *Denique*

54. Ad quintum * exemplum de substantia Angeli, quæ simul est forma naturalis et intelligibilis respectu sui : Respondetur non sequi, ex hoc, quod intelligere et esse Angeli possint identificari, etiam loquendo de intelligere non in tota sua latitudine, sed de intellectione suæmet essentiæ. Et ratio disparitatis est : quia, ut substantia Angeli sit species respectu sui, non requiritur nisi quod sit immaterialis ipsa substantia, et intellectui conjuncta. Cum enim unaquæque res per seipsam sit objectum intellectûs (quia verum est passio entis, ratione cujus quodcumque ens dicitur intelligibile), etiam substantia Angeli per seipsam habet rationem objecti et intelligibilis : et ulterius, quia spiritualis substantia est, non indiget specie intelligibili superadditâ quæ illam constituat intelligibilem in actu, eo quod per seipsam spiritualis et immaterialis est. Ceterum intelligere est actus secundus tendens ad illud objectum, ut specificabilis ab illo. Esse autem Angeli non potest habere specificationem ab ipsa natura tamquam ab objecto : quia solum ipsum esse habet actuare essentiam, constituendo illam extra causas; tendentia autem ad ipsam, ut ad objectum cognitum, non est esse, sed operari, quod alio modo specificatur ab objecto quam esse a natura, et consequenter aliam speciem habet. Duæ autem species non possunt simul identificari. — Et deinde : quia intelligere supponit intellectum, cujus est actualitas, distinctum ab ipsa natura cujus actualitas est esse. Unde non potest tale intelligere identificari cum esse : quia intellectus et esse non identificantur; intelligere autem est actualitas pertinens ad intellectum.

55. *Ad confirmationem * respondetur,* quod licet intelligere sit finitum entitative in Angelo, habet tamen ordinem ad objecta infinita : ratione cujus unum et idem intelligere non potest omnia talia objecta comprehendere, sed dividitur per multas species secundum diversa objecta, a quibus specificatur. Et ita, licet nunc quodlibet intelligere Angeli sit finitum, et sint plures intellectiones finitæ, tamen si unicum intelligere sufficeret ad omnia objecta intellectûs attingenda, infinitatem deberet habere in actu : quia intellectus habet infinitatem in potentia, cum possit extendi ad totum ens, et illud intelligere haberet in actu et simul totum quod intellectus habet in potentia. Unde non potest ipsum esse Angeli, quod est unum, esse universaliter totum suum intelligere. Si autem intelligere est multiplex secundum speciem, non potest identificari cum esse, quod unum est, ut probavimus *. Nec in

tali casu procedit argumentum : quia intelligere si est multiplex et diversæ speciei, licet sit finitum entitative, et infinitum solum objective quatenus circa infinita objecta potest versari, tamen est multiplicis et diversæ speciei : quia ex diverso objecto species variatur, et hoc intelligitur etiam nomine indeterminatæ speciei; et hoc ipso quod intelligere est multiplex in specie, non potest identificari cum illo esse, quod est unum tantum et determinatæ speciei, quidquid sit de infinitate : nam hoc ipso quod est multiplex species vera et realis, et non solum modalis, non potest identificari cum esse quod entitative est unum.

* supra, n. 46, *Quod autem*

56. Quod autem additur* etiam esse Angeli habere infinitatem, tum æquivalentem respectu plurium individuorum, tum radicalem respectu plurium actuum quorum est radix, et objectorum quæ per tales actus intelliguntur : Respondetur hanc infinitatem solum esse potentialem : non actualem, sicut esset si ipsum esse Angeli esset actu omne suum intelligere formale, vel si identificaret sibi omnes species intellectionis quæ possunt esse in Angelo, et illæ species diversæ essent, ut ostensum est*. — Ad id vero quod dicitur**, in hac sententia ponente quod intelligere Angeli est ejus esse, non specificaretur intelligere ab objecto : Respondetur hoc esse impossibile, nisi ponatur unum tantum intelligere in Angelo respectu omnium objectorum quæ intelligere potest. Unica enim intellectio esse non potest : cum intellectio libere producatur vel cesset, una sit naturalis, altera supernaturalis quæ ex natura convenire non potest; et naturalis intellectio non potest omnia objecta distincte comprehendere, cum non sit una species quæ omnia objecta clare et distincte comprehendat. Si autem sunt plures intellectiones, illæ non fundantur in eadem specie intelligibili : quia non datur una species, quæ omnia objecta possit repræsentare distincte, naturalia et supernaturalia; fundantur ergo in diversis speciebus, et istæ in diversis objectis, quorum vices gerunt. Ergo ab objectis specificantur actus illi.

* supra, nn. 50-51, 55
** supra, n. 46, *Posset*

QUOD POTENTIA INTELLECTIVA NON SIT SUBSTANTIA ANGELI.

* I P. q. 54, a. 3

57. Hoc probavit S. Thomas* generali ratione, qua ostendit nullam substantiam creatam esse virtutem seu potentiam qua operatur. Quam rationem tractavimus in Physica (quæst. 12, a. 2*; et q. 2 *de Anima*, a. 2**). — Breviter dicimus quod *ratio S. Thomæ duplici consequentiâ constat*.

* RE II, 252-7
** RE III, 61-5 et 70-1

58. *Prima est :* Potentia dicitur per ordinem ad actum; ergo oportet quod secundum diversitatem actuum sit diversitas potentiarum; unde communiter dicitur quod proprius actus respondet propriæ potentiæ. — *Secunda consequentia :* In omni re creatâ essentia comparatur ad esse sicut potentia ad actum, et actus ad quem comparatur potentia operativa est operatio; sed intelligere, seu operatio, et esse non sunt idem in Angelo, nec in quacumque re creata; ergo neque potentiæ ad tales actus sunt idem; ergo differt in Angelis essentia, seu substantia, et potentia seu virtus intellectiva.

59. IN HIS CONSEQUENTIIS VIDETUR LATERE FALLACIA, et non efficaciter procedere. — Nam prima consequentia, ut sit solida, oportet quod procedat de potentia essentialiter et adæquate ordinata ad actum, et de actu adæquate se habente ad talem potentiam. Et sic bene probat quod potentia quæ essentialiter specificatur ab aliquo actu, sub illa formalitate talis potentiæ et specificationis, diversificatur juxta diversitatem actuum; non tamen infert quod non possit in eâdem entitate materialiter sumptâ identificari potentia ad unum actum, et alia potentia ad alium : ita quod formaliter sint diversæ potentiæ, et materialiter seu entitative eadem entitas. Et sic substantia, ut formaliter se habet ad esse, erit potentia formaliter distincta a seipsa, ut se habet ad operari; sed tamen materialiter et identice eadem substantia habebit utramque formalitatem potentiæ, et ad esse, et ad operari, sub diversis respectibus et considerationibus.

60. *Et hinc enervatur secunda consequentia.* Nam essentia est potentia ad esse per modum potentiæ receptivæ : quia non producit suum esse, sed recipit ab efficiente; potentia autem operativa se habet ad actum suum, qui est operatio, non passive sed active; non repugnat autem quod eadem entitas sit passiva potentia respectu unius, et activa respectu alterius : ut patet in intellectu nostro, qui est potentia passiva respectu specierum, et activa respectu intellectionis. Et sic esse et operatio non se habebunt ut actus adæquati, respectu ejusdem entitatis quæ est substantia, sed inadæquati; sed esse adæquate se habebit respectu potentiæ passivæ recipiendi esse, et operatio respectu potentiæ operativæ agendi operationem : una tamen et

eadem entitas substantialis respectu utriusque habebit vim potentiæ sub diversis respectibus, passivæ respectu esse, activæ respectu operationis.

61. *Et hoc urgetur secundo aliquibus exemplis.* Nam in primis ipsa entitas accidentis dicit immediatam habitudinem ad suum esse imperfectum, quia est capax ut sit et ut producatur; et dicit immediatum ordinem ad operari, quia virtus accidentalis per se est immediatum principium seu potentia operandi ut *quo*, et immediate est capax exsistendi. — Nec potest dici quod non est exsistens per se, sed ratione substantiæ; et ita substantia est quæ dicit immediatum ordinem ad esse, non accidens. Nam contra est : quia etiam accidens non est principalis causa operativa, sed instrumentalis et ut *quo;* ergo eodem modo se habet ad esse, sicut ad operari : et sic, si per eamdem entitatem potest dicere ordinem ad esse et ad operari, cur principium operativum radicale, et ut *quod,* non poterit dicere immediatum ordinem ad esse et ad operari, sed indiget principio *quo* instrumentali ad operandum, non autem ad essendum?

62. Et hinc sumitur secunda instantia : quia substantia per seipsam est immediate potentia passiva, sive ad recipiendum formam substantialem, sive accidentalem; ergo etiam per se poterit esse potentia activa. — Antecedens est certum : nam materia prima per se immediate est potentia receptiva formæ, et ipsa substantia est immediate susceptiva exsistentiæ et aliorum accidentium; ergo, ut sit potentia passiva, non indiget aliquo superaddito. — Consequentia patet : quia imperfectior est potentia passiva quam activa, et substantia est perfectius ens quam accidens; ergo a fortiori potest esse per seipsam potentia activa, quam accidens. Nec est conveniens quod substantia sit per se immediate id quod est imperfectius, nempe potentia passiva, et non possit esse id quod est perfectius, nempe potentia activa : quod tamen tribuimus accidenti.

63. Et ex hoc fit tertia instantia : quia operari immediate convenit Deo per seipsum, et accidenti, quæ sunt formæ valde distantes; cur ergo non conveniet etiam formæ mediæ, quæ est substantia creata? Præsertim cum ista immediatius ordinetur ad finem qui est operatio, et nobiliori modo quam accidens.

* cf. supra, n. 57

64. *Denique, sunt aliæ objectiones Scoti* quas (citatis locis*) tractavimus : v. g. quia substantia est productiva alterius substantiæ, quia hoc non potest immediate convenire accidenti, cum excedat ejus vires. — Similiter est causa immediata suarum passionum, quæ sunt accidentia emanantia a substantia. — Item est causa influxiva in ipsam virtutem seu potentiam, mediâ quâ dicitur operari : quia virtus accidentalis operatur ut instrumentum et principium *quo :* ergo ex influxu substantiæ; ergo jam aliquis influxus seu operatio est immediate a substantia, sicut concursus et influxus causæ primæ in secundam est immediata operatio Dei.— Similiter substantia Angeli est per seipsam species intelligibilis respectu intellectionis suæmet essentiæ; species autem active concurrit simul cum intellectu ad actum intelligendi; ergo substantia Angeli est immediate operativa seu influxiva in actum intellectûs.

65. Pro intelligentia rationis D. Thomæ non oportet aliud fundamentum jacere, quam id quod continetur in prima propositione quam assumit, ex qua oritur vis omnium consequentiarum : scilicet quod, cum potentia dicatur ad actum, oportet quod secundum diversitatem actuum sit diversitas potentiarum. Loquitur enim de potentia essentialiter ordinata ad actum, et de actu adæquato talis potentiæ : potentia enim, quæ dicitur ad actum, est potentia cujus tota essentia est ad actum. Si autem tota essentia est ad actum, tota entitas consistit in ordine ad ipsum actum : quia essentia rei et entitas idem sunt. Quare non possumus dicere quod potentiæ identificentur in aliqua entitate, et tamen secundum se dicant essentialem et adæquatam specificationem respectu diversorum actuum : quia specificatio et essentialis ratio eorum est entitas eorum, et sic diversificari in specificatione et in entitate idem est. Cum autem sit duplex potentia, scilicet passiva et activa, utraque quidem respicit actum ut perfectionem sui, et ad illam per se ordinatur, si essentialiter et per se dicat potentiam ut perfectibilem a tali actu.

66. Est enim aliqua potentia passiva, quæ tamen non constituitur essentialiter per recipere actum, nec specificatur per ipsum. Et est alia potentia passiva, quæ per se immediate ordinatur ad actum ex essentiali ratione : v. g. materia prima est pura potentia, cujus tota essentia consistit in receptibilitate formæ, et ab ipsa recipit determinationem specificam et actualem in esse : quia potentialitas materiæ per formam actuatur

et reducitur ad illam speciem actualem et ad illud esse cujus habet formam. Similiter substantia totalis et subsistens per se dicit potentiam ad esse : quia dicitur substantia essentialiter ens quod per se potens est habere esse; et ipsum posse habere esse per se est ei essentiale, licet ipsum esse actu habere sit ei contingens; potentia ergo, seu posse habere esse, essentiale illi est. Non tamen ratio intrinseca substantiæ primo et per se sumitur ex eo quod recipit accidentia sustentando illa in esse, et non præcise recipiendo actuationem ab illis. Sustentatio autem in esse supponit quod sustentans, et substans tali formæ, habeat esse perfectius illâ formâ : quia accidens habet esse secundum quid, dependens ab esse substantiæ tamquam ab eo quod est per se.

67. Similiter activa potentia alia est quæ de se est in actu primo, et ordinatur ad actum secundum tamquam ad proprium actum et specificativum sui : et hæc est potentia activa creata. Alia est potentia activa quæ non est in actu primo, nec ordinatur vel specificatur per se ab actu secundo, sed est ipsemet actus secundus, qui est actus purus : et talis potentia est substantialiter activa, quia est substantialiter ipsemet actus, nec ordinatur ad illum tamquam ad aliquid distinctum a se, a quo specificetur.

68. **IGITUR utraque consequentia D. Thomæ ex dictis ostenditur efficax, et certa.** — *Prima* quidem :* quia constat dari aliquas potentias quæ immediate ordinantur ad aliquem actum, cui [1] ex sua essentiali et propria ratione talem ordinem dicunt; ergo oportet quod penes tales actus sibi proprios et immediatos, et ad quos essentialiter se habent seu a quibus specificantur, distinguantur et diversificentur. Quod si diversificantur essentialiter seu specificative, oportet quod etiam entitative : quia secundum diversam essentiam et speciem sumitur diversa entitas, quia tota entitas in specie et quidditate consistit. Unde prima consequentia manet firma : quia si talis potentia datur, quæ de se immediate et essentialiter ex propriis dicatur ad actum, et ex ipsa actuum diversitate formaliter et in ratione actuandi et immutandi potentiam sumatur diversitas potentiarum, etiam sumitur consequenter diversitas entitativa : quia entitas in specie et quidditate consistit. Quod si habeat aliam entitatem in qua multiplex potentia identificetur, quæ solum formaliter distincta inter se sit, talis entitas aliam speciem habebit antecedenter ad speciem talium potentiarum, et illa species entitativa non erit primo et per se potentia ordinata ad aliquem actum, sed habebit primo et per se aliam speciem cui formalitates illæ potentiarum quasi secundario et accessorie adjungentur : et de tali specie non loquimur in præsenti, nec currit ratio facta.

69. *Secunda* vero consequentia D. Thomæ* fundatur in hoc quod essentia seu substantia per se et immediate est potentia ad esse, tamquam ad immediatum perfectivum sui : et potentia operativa est immediate et per se ordinata ad operationem tamquam ad perfectionem et specificativum sui, quando ista potentia se habet in actu primo, et actus secundus se habet ut accidens illius. Quæ duæ propositiones manifestæ sunt in substantia creata, et in operativo creato. Nam substantia creata vel dicit materiam, vel formam, vel substantiam completam et subsistentem. Materia est entitative ipsa potentia essentialiter ordinata ad esse formale quod datur per formam; forma autem est quasi specificans ipsam materiam tamquam actus ad quem immediate et per se ordinatur, non tamquam potentia. Rursus substantia completa vel subsistens immediate et per se est capax ipsius esse seu exsistentiæ : quia licet exsistentia sit prædicatum accidentale substantiæ et cujuscumque entis creati, tamen habere potentiam et capacitatem ad habendum esse sine dependentia ab alio priori sustentante, sed immediate et per se, proprium est substantiæ, et discernit essentialiter et intrinsece illam ab accidente. Et sic substantia intrinsece constituitur per potentiam et ordinem ad esse, ut patet ex ejus definitione : quia substantia est ens per se exsistens, id est, postulans per se exsistere. Et licet substantia per eamdem formam sit capax exsistentiæ et principium operationis, tamen prius et immediatius ordinatur ad esse quam ad operari : quia prius est exsistere quam operari, et ad substantiam primo et per se pertinet ordo ad esse : quia substantia habet esse per se, ut constat ex sua definitione, quod est ens per se, et deinde dicit rationem substantis seu sustentativi accidentium. Et ideo per se primo habet esse potentia receptiva; et in ratione recipiendi prius et immediatius se habet ad esse, quam ad

* supra, n. 58, *Secunda*

[1] Corrupte omnes : *qui.*

accidentia quæ supponunt esse : quia prius est subsistere in se seu exsistere per se, quam substare aliis. Sed tamen tam subsistere, quam substare, facit substantia non radicaliter sed formaliter et immediate, non mediante aliâ entitate seu principio : quia esse immediate convenit naturæ seu formæ, quia ipsa est principium *quo* aliquid est. Et ideo oportet quod ipsa substantia seu natura immediate recipiat ipsum esse, et dicat ordinem ad illud : quia est primus actus, quem potest recipere forma seu natura; et cum sit substantia, respicit illud per se et immediate, sine dependentia ab alio sustentante.

70. Ex his autem propositionibus sic explicatis colligitur manifeste secunda consequentia D. Thomæ : videlicet quod actus, ad quem per se immediate comparatur substantia, est esse, ad quod se habet ut potentia passiva, si est substantia creata : quia substantia in hoc discernitur ab accidente, quia est primum ens et per se exsistens, non sustentatum ab alio, sed in se recipiens esse immediate. At vero operatio cum sit in rebus creatis distinctus actus ab ipso esse, et accidens secutum post esse, oportet quod potentia substantiæ, ut substantia est, non sit immediate ad ipsum operari : eo quod, in quantum substantia, ordinatur ad actum qui sit esse, quia solum per ordinem ad ipsum constituitur subsistens et substans. Igitur actus qui est operari non pertinet ad formalem et essentialem rationem substantiæ, ut substantia est : quia si in ratione substantiæ constituitur primum ens per ordinem ad esse, quidquid non pertinet ad esse, sed est actus distinctus ab esse, non pertinet ad constituendam substantiam in formali ratione substantiæ, sed supponit illam constitutam : quia jam supponit esse et ordinem ad esse, in quo perficitur ratio entis ut substantis et subsistentis, ut statim * in solutione argumentorum amplius declarabitur. Ergo cum operatio et esse sint actus diversi in rebus creatis, et unus, nempe esse, præcedat alterum, scilicet operari : oportet quod ea quæ immediate ordinantur ad tales actus, et per modum potentiæ se habent ad illos, etiam distinguantur inter se. Et sic cum substantia essentialiter in ratione substantiæ sit solum ordinata ad esse quod per se recipit, non vero specificetur primo et per se ab operari, quia jam per ipsum esse supponitur in ratione substantiæ specificata et constituta : consequitur quod principium, quod per se primo specificatur ab operatione, sit aliud a substantia. Hoc autem principium datur, quia operatio est actus distinctus ab esse, et sic distinctam potentiam specificare potest : potentiæ enim ex diversitate actuum diversificantur.

* infra, nn. 72, 74

71. Ad rationes dubitandi * respondetur. — Ad primam dicimus quod in prima consequentia loquitur D. Thomas de actu adæquato, ad quem per se ordinatur aliqua potentia : ex talium enim actuum diversitate ipsæ potentiæ diversificantur. Non autem stare potest quod diversæ potentiæ habentes diversos actus adæquatos, a quibus specificantur et distinguuntur, sint una et eadem entitas : nisi supponatur illa entitas, in qua uniuntur, habere aliam speciem priorem non desumptam ab istis actibus potentiarum. Repugnat autem quod primo et per se sumantur species et distinctiva potentiarum ab actibus seu objectis specificantibus, et illæ inter se non distinguantur entitative, si aliquam speciem priorem non supponunt in qua uniantur; si vero eam supponunt, non primo et per se specificantur et distinguuntur per ordinem ad actus, et consequenter non tamquam potentiæ perfectibiles et constituibiles per ordinem ad illos : cum tamen constet substantiam essentialiter dici ens per se et in ordine ad esse, et operativum [1], quod est actus primus, specificari per ordinem ad operationem : non autem dari aliquid anterius in ordine ad quod sumatur species illius entitatis, quæ esset simul substantia et potentia operativa.

* supra, n. 59

72. *Ad instantiam * vero contra secundam consequentiam :* Respondetur non posse passivam et activam potentiam inadæquate se habere ad constituendam substantiam et potentiam operativam, sicut intellectus passive se habet respectu specierum, et active respectu intellectionis. — Et disparitas est : quia actus isti, scilicet esse et operari, se habent ex propria ratione tamquam adæquati in specificando : uterque enim est actus ultimus in sua linea et completus, nec in specificando potentiam dependet ab altero. Constat enim quod tota specificatio substantiæ completur et sistit in ipso esse ante operari, si quidem cum operatur, vel quando operationem respicit, jam speciem constitutam habet : tota si quidem ratio substantiæ consistit in hoc quod sit ens per se, et petat exsistentiam per se; et sic intra limites ipsius esse, et in ordine ad

* supra, n. 60

[1] Intelligito : *et [principium] operativum*...

esse, species ratioque substantiæ continetur. Nec pro specificatione sua ab aliquo extra se dependet, aut ab illo specificatur : quia substantia est ad se et per se, et in hoc sistit in linea et genere substantiæ; immo cum operatio talis vel talis speciei in creaturis procedat a tali vel tali principio, cujus est actio, totam speciem et essentiam illius principii supponit constitutam, ut ab ea exeat. Quare ille alius actus, qui est operari, jam non potest specificare substantiam in ratione substantiæ : quia jam illa specificatio non pertineret ad rationem entis ad se et per se, sed habentis se ad alterum et dependentis in essendo, quale est accidens. Unde non potest actus operandi etiam inadæquate concurrere et se habere in ordine ad specificandum substantiam intra lineam substantiæ; et ita, si specificat, aliud genus entis specificare debet, scilicet potentiam quæ sit accidens : eo quod potentia, quæ est substantia et se habet ad esse, non est specificabilis, in quantum substantia, ab eo quod est extra se et non pertinet ad esse.

73. At vero in intellectu esse receptivum specierum, et activum intellectionis, possunt esse inadæquatæ rationes ejusdem potentiæ : quia illæ duæ rationes ordinantur ultimate ad unum actum, qui est intelligere : receptio enim specierum est receptio alicujus quod se habet ut actus primus, et ordinatur ad intelligere ut ad actum ultimum et secundum. Unde cum ibi unum sit propter aliud et ordinetur ad aliud, et ipsa potentia intellectiva cum non sit substantia, sed virtus operativa, bene stat quod tam in ratione passivæ quam activæ specificetur adæquate [1] : quia ibi passivum ordinatur ad activum. Species enim intelligibilis est repræsentatio objecti, quæ nisi actuet intellectum, non potest procedere ad intelligendum; et ideo potentia intellectiva debet specificari ab objecto sub duplici ordine inadæquato, requisito tamen ad intelligendum et in ipso ordine intelligibili : scilicet quod patiatur intelligibiliter et repræsentative ab objecto, et per actum secundum tendat ad illud eique uniatur. Et sic, cum una ex his rationibus per se ordinetur ad aliam, ex utraque resultat adæquata ratio talis potentiæ.

74. Ex quo obiter colligitur ratio quare nulla substantia creata possit ita esse eminens et excellens quod in unica ratione uniat esse substantiam et esse operativam : eo quod non potest in aliqua creatura operatio et exsistentia esse idem, sed esse et operari differunt, ut supra* ostensum est, ita quod operatio sit actus secundus supponens constitutam speciem et quidditatem operantis. Substantia autem creata, hoc ipso quod creata est, dicit potentiam ad esse : quia ejus ratio essentialis et intrinseca consistit in hoc quod sit ens per se, seu cui debetur esse per se, et potest esse per se; ergo talis potentia seu tale posse, ut pertinet ad lineam substantiæ, non potest ordinari essentialiter nisi tantum ad esse, non ad operari. Nam substantia non sumit suam essentiam et rationem per ordinem ad aliud extra se, sed ad se et ad suum esse, quia sistit in hoc quod est ens per se : et hoc est ei essentiale et proprium prout distinguitur ab accidente. Ergo ubicumque operatio fuerit extra substantiam et extra ipsum esse substantiæ, non potest substantia esse potentia ordinata et specificata per ipsum operari, sed per ipsum esse, ut distinguitur ab operari. Ergo non potest per seipsum [2] esse potentia operativa immediate : quia operativa potentia, seu id quod immediate et formaliter operatur, per se ordinatur ad actum qui est operatio, non ad actum qui est esse; potentia autem substantiæ in creatis ordinatur ad esse, quod non est operari. Igitur si non potest dari creatura ita eminens quod in se uniat ipsum esse et operari, ita non potest dari substantia ita eminens quod sit substantia et potentia immediate operativa. An vero possit substantia respicere substantiale esse ut specificativum, operationem vero secundario et mediate, non vero per modum specificativi, dicemus (solutione ad 2*).

75. *Ad secundam*** *instantiam,* quæ aliquibus exemplis constat, *respondetur :* Ad primum de accidente quod dicit immediatum ordinem ad esse, et simul potest dicere ad operari : diximus in citato loco (ex quæst. 12* *Physic.*) quod accidens non est per se principium essendi, nec immediatum, sed essendi secundum quid et in alio. Etenim accidens habet esse, non recipiendo, nec sustentando illud : sed ut sustentatum ab alio a quo dependet, scilicet a substantia quæ per se exsistit et per se dicit immediatum ordinem ad esse, quia ab alio sustentante non dependet sed est primum et per se principium exsistendi, non solum ut radicaliter exsistens sed formaliter et per se primo. — Ad replicam* vero contra

* nn. 69-70, 72

* infra, n. 76
** supra, n. 61

* art. 2; RE II, 252 *b* 35-46

* supra, n. 61, *Nec potest dici*

[1] Sic omnes || Arbitramur legendum esse : *inadæquate.*

[2] Sic omnes || Censemus legendum : *per seipsam.*

hanc solutionem, quod etiam accidens non est principaliter et primo operans, sed quasi instrumentaliter et ut virtus substantiæ, *distinguo :* accidens non est principaliter operans ut *quod,* et ut principium radicale operandi, *concedo;* ut virtus et principium immediate specificabile ab operatione, *nego.* Et in hoc est disparitas inter operari et esse : quod potentia specificabilis ab esse, et primo et per se ordinata ad ipsum, debet esse id quod principaliter et per se exsistit, et hæc est substantia; potentia autem specificabilis ab operari, et quæ per se primo ad illud ordinatur, debet esse accidens seu principium *quo* operandi, non principium radicale et operativum ut *quod.* Et hoc ideo : quia primo et per se seu proxime et immediate habere esse pertinet ad fundamentum et primam rationem entis, quæ est substantia : immediate autem et proxime operari pertinet ad ultimum, quod est virtus a qua immediate exit actio. Nam esse est primum quod requiritur ut res sit extra nihil : et id quod primo et per se, et ut sustentans cetera, habet hoc esse, est substantia; et ideo esse pertinet formaliter, et non solum radicaliter, ad substantiam. At vero operari non pertinet ad id quod est primum in ente, sed ad ultimum, quia operari sequitur esse; et ideo ad substantiam operari solum pertinet radicaliter, formaliter vero pertinet non ad id quod radix et fundamentum et substans est in essendo, sed ad id quod ultimum seu consecutum et secundarium : quia sicut operatio sequitur esse, ita operativum sequitur ad entitativum, et potentia operandi ad potentiam essendi : quod est pertinere formaliter et proxime ad id quod est virtus et potentia operandi ut *quo,* radicaliter vero ad id quod se habet ut *quod,* et in ratione exsistendi fundamentum et substantia est.

76. Ad secundum * exemplum respondetur ex dictis, negando consequentiam. Nam licet potentia passiva, in quantum talis, imperfectior videatur quam activa, si eodem modo comparentur ad actum : tamen passiva potentia, quæ se habet in ordine ad esse tali modo, id est, primo et per se, sine dependentiâ ab alio priori sustentante, sed per modum subsistentis et exsistentis per se, perfectius quid est quam potentia activa immediate et proxime operans, specificabilis ab operatione. Et quia pertinet ad substantiam immediate et per se comparari et specificari ab ipso esse vel ab actu essendi, non autem specificari per ordinem ad aliquid extra se, quia est ens in se et per se : ideo potentia passiva, sic ordinata ad esse, immediate et proxime convenit substantiæ, non autem proxime ordinari et specificari ab operatione : quia hoc est specificari ab alio extra se, id est, ab accidente, quod est extra genus substantiæ. Ipsa ergo substantia non specificatur ab alio extra se seu extra suam quidditatem, sed substantia completa sumit essentialem rationem substantiæ per ordinem ad esse cujus est capax, et immediate recipit illud; materia per ordinem ad formam, quæ est principium dandi esse formale. Et sic est immediate potentia passiva : quia ordinatur ad habendum esse in se, quod immediate recipitur in substantia et ente. Ponere autem quod substantia specificetur ab ipso esse, seu essentialem rationem dicat ad esse per modum potentiæ ad exsistendum per se, dicat autem ordinem ad operari sine aliqua specificatione ab ipso, sed tamquam ad aliquid mediatum et secundarium, est dicere quod actus operandi, etiam in creaturis in quibus est distinctus ab esse, non sit sufficiens specificare potentiam quæ ad illum comparatur et cujus est proprius et per se actus : quod est negare potentias specificari ab actibus; cum tamen videamus ex diversitate operationum distingui principia operativa, et posse separari unum ab alio, sicut principium audiendi a principio videndi : quia non solum actus videndi, sed potentia ad videndum deest cæco, et non deest illi substantia : ut latius persecuti sumus in libris *de Anima* (quæst. 2, art. 2 *). * RE III, 62-63; 70-71

77. Ad tertium ** exemplum dicimus, quod Deo convenit per seipsum operari tali operatione quæ non distinguitur ab ejus esse, neque ab illâ, tamquam ab aliquo distincto, potentia specificari potest; accidenti autem convenit operari immediate operationem distinctam a se tamquam principio immediate specificabili et dependenti a tali operatione, ut distincta a se : quod maxime distat a Deo. Substantia autem creata non potest pervenire ad hoc ut habeat operationem indistinctam a se, sicut Deus; nec tantam imperfectionem habet quod, stante operatione distinctâ, specificetur ab illa et essentialiter ordinetur ad illam : quia hoc est extra lineam substantiæ, quæ solum est ad se et per se exsistens, non ab alio et ad aliud specificabilis. Unde debet esse media inter Deum et accidens, ut operetur per aliquid distinctum a se. ** supra, n. 63

78. *Ad ultimum * argumentum, ex instantiis Scoti,* diximus citatis locis (in *Physic.* quæst. 12 **; et in lib. *de Anima,* q. 2 ***). Substantia enim

* supra, n. 64
** a. 2; RE II, 255 *b*, sqq.
*** a. 2; RE III, 66-67

dicitur productiva alterius mediante operatione accidentali a se distinctâ, licet effectus productus sit substantia. Sicut autem non repugnat quod mediante actione accidentali producatur substantia, ita non repugnat quod mediante potentiâ accidentali producatur : quia tam potentia quam operatio operantur in virtute substantiæ; quæ virtus non est aliquid superadditum ipsi potentiæ, sed ipsamet potentia ut radicata in substantia ab eaque dependens et dimanans : sic enim dicitur substantia agere per illam, tamquam per aliquid sui. — Similiter propriæ passiones dicuntur emanare a substantia, non per propriam et veram actionem procedentem ab ipsa essentia, sed procedentem ab ipso agente, quæ primo et per se terminatur ad essentiam; et ratione connexionis, quam habet cum passionibus, transit ipsa actio ab essentia ad passiones : et transitus ille, ut fundatus in ipsa connexione essentiæ, dicitur emanatio ab essentia : ut diximus citatis locis (præsertim in quæst. 2 * *de Anima*). — Item ipsa substantia non habet influxum in suam potentiam et virtutem, distinctum [1] ad influxu quo ipsamet virtus influit in effectum : sed unicus et idem influxus pro indiviso exit a substantia ut a principio *quod* radicaliter solum operativo, et a principio *quo* ut operativo proximo : non quia prius exeat influxus a substantia, et recipiatur in potentia, et ab illa exeat in effectum. Talis enim modus influendi proprius est unius causæ superioris in aliam inferiorem tamquam in causam et virtutem distinctam, non autem principii radicaliter operativi in suammet virtutem : quia sic necesse esset virtutem, qua aliquid operatur, recipere aliquid actualitatis a suo principio radicali : quod est impossibile, cum principium radicale non operetur indistincte [2] a principio *quo* operandi, sicut nec substantia exsistit independenter a principio *quo* essendi, quod est forma : sed solum ille influxus, qui pro indiviso procedit a principio radicali et proximo, dicitur procedere secundum diversos respectus et dependentias a principio *quo* et *quod* in emanando. De quo late tractavimus (q. 12 *Physicorum*, a. 3 *).

* a. 2; RE III, 66-67

* RE II, 259-263
** supra, n. 64, *Similiter substantia*

79. Ad id vero quod ultimo loco ponitur ** de substantia Angeli, quæ se habet ut species intelligibilis respectu sui, et influit in cognitionem qua Angelus se cognoscit : dicemus articulo sequenti. Ille enim influxus speciei est in genere repræsentativo et per modum objecti, quod non influit in actum nisi influxu participato a potentia, et mediante ipsâ tamquam proximo influente, quando species est substantia et non accidens superveniens potentiæ. Dato enim quod species influat in genere causæ effectivæ in actum (quod non est omnino certum), non tamen est necesse quod species semper influat effective ut principium proximum effectivum; sed, si sit accidens, poterit proxime influere superaddendo potentiæ determinationem influxivam : si vero sit substantia, influet et determinabit radicaliter, mediante tamen potentiâ ut proximo influxivo, quatenus illa potentia emanat a substantia non solum tamquam a principio radicali intelligendi, sed etiam ut ab objecto intelligibili, a quo emanat determinata objective, et non solum subjective. De quo plura dicemus articulo sequenti.

ARTICULUS II

Utrum Angelus indigeat specie intelligibili superadditâ ad intelligendum se.

* art. 2 et 3; RE III, 177-191
** supra, tomo II, p. 146-177

1. SUPPONIT HÆC DIFFICULTAS DUO, quæ nos (in lib. *de Anima*, quæst. 6, art. 2 *; et præcedenti tomo, disp. 13, art 1 et seqq. **) late tractavimus. — *Alterum est :* in omni potentia cognoscitiva, præter ipsam potentiam quæ est principium vitale indifferens ad hanc vel illam cognitionem, ad hoc vel illud objectum (si quidem plura potest cognoscere), et præter virtutem determinantem illam potentiam quasi effective seu in genere elicientis, requiri aliud determinativum per modum repræsentantis seu gerentis vicem objecti : et hoc vocatur species, id est, forma repræsentans, et objectum ipsum sistens atque uniens potentiæ. Quod licet prædictis locis ostensum sit, tamen, quantum attinet ad præsens, commodius attingetur se-

(1) Male omnes : *potentiam, et virtutem distinctam...*
(2) Sic omnes, mendose || Aut legendum : *non operetur distincte;* aut : *cum principium radicale operetur indistincte.*

quenti articulo *, agendo de speciebus requisitis ad cognoscenda alia objecta; ibique difficultates aliquorum auctorum expediemus.

* infra, art. 3, n. 2 sqq.

2. *Secundum, quod supponimus, est,* quod ad rationem speciei intentionalis valde materialiter se habet quod ejus entitas sit qualitas vel substantia : munus enim speciei, in quo formaliter consistit, in quacumque entitate ex istis exerceri potest. Formale enim munus speciei intelligibilis non consistit in eo quod actuet intellectum inhærendo vel entitative informando, sicut alia accidentia quæ realiter informant subjectum, sistendo in ipsa entitativa informatione vel compositione alicujus tertii : sed in hoc quod est reddere intellectum conjunctum objecto seu determinatum ab illo, nec tamen cum entitate objecti componentem aliquam naturam. Sed intellectus ipse fit ipsummet objectum, non ex objecto et intellectu constituitur aliquod tertium vel aliqua natura : quia hæc informatio et actuatio objecti non ordinatur ad componendam aliquam naturam, sed ad apprehendendum et trahendum ad se id quod est ad extra. Hæc enim est vis et propria ratio entis cognoscitivi, quod res ad extra manentes, etiam ut alteras et entitative diversas et immutatas [1], potest sibi unire et conjungere. Et talis conjunctio objecti, quæ entitatem objecti non immutat, nec tertiam entitatem seu naturam constituit cum intellectu cui conjungitur; sed solum remanet intellectus repræsentative et intentionaliter ipsummet objectum, quia ipsum in se intime apprehendit et attingit, eique assimilatur : hoc est munus speciei formaliter loquendo : id est, objectum potentiæ unire, non entitative, nec entitatem aliquam seu naturam componendo cum illa, sed repræsentative seu intelligibiliter, ita quod totum quod est in se res aliqua entitative, totum hoc sit ipse intellectus, et sit in intellectu intelligibiliter et in esse objectivo seu intentionali et repræsentativo. Quod totum non explicatur melius, quam per hoc quod fiat alterum a se, non entitative, nec per commutationem et conversionem in illud, sed per quamdam tractionem ad se, quæ dicitur repræsentatio et intelligibilis transformatio : ut latius explicavimus (tomo præcedenti, disp. 16, art. 1 *).

* supra, tomo II, p. 328-335

3. Ad hoc autem per accidens se habet quod ista entitas, per quam hoc munus repræsentationis et unionis intelligibilis exercetur in intellectu, sit in se qualitas vel substantia : quia cum conjunctio non ordinetur ad constituendam aliquam naturam vel compositum entitativum, sed ut transformetur objectum intelligibiliter in intellectu sicut in se est entitative, ideo non conducit ad hoc formaliter quod sit ista species in sua entitate substantia vel accidens, sed solum quod intelligibiliter sit ipsummet objectum. Quia ratio substantiæ vel accidentis sumitur per ordinem ad esse, et ad id quod entitativum est, intelligibilitas autem est aliquid consecutum ad ipsum ens; et ideo illud munus, quod præstatur ab ipsa specie in linea et ordine intelligibili, solum præsuppositive dicit ens seu id quod entitativum est : formaliter autem id quod intelligibilitatis, quod est consecutum ad ens. Solum ergo materialiter et præsuppositive se habet ad munus et officium speciei hoc quod est esse substantiam vel qualitatem; solumque requiritur et reperitur in specie, in quantum necessarium est ut munus illud realiter exerceatur. Quia enim realiter repræsentatur, et hoc esse non potest nisi in aliqua entitate, et omnis entitas substantia vel accidens est, ideo præsuppositive et materialiter species aliquid istorum esse debet; formaliter autem, quia non exercetur nisi per intelligibilitatem et sub linea et ordine intelligibili, quæ intelligibilitas et ordo est aliquid consecutum ad ens, ideo formaliter non exercetur per substantiam vel qualitatem : sed solum materialiter præsupponitur quod substantia vel qualitas sit, ut intelligibiliter repræsentet in re. Quare cum totus ordo et linea intelligibilis fundetur in spiritualitate et immaterialitate, et per hoc species ipsa munus cognoscibilitatis exerceat, quia immaterialis et spiritualizata redditur : ideo, si substantia aliqua per seipsam immaterialis et spiritualis est, habet sufficientem condicionem ut munus speciei per se exercere possit, uniendo intelligibiliter, et non solum entitative, seipsam potentiæ.

VARIÆ SENTENTIÆ.

4. His suppositis circa difficultatem præsentem, in qua inquirimus an substantia Angeli respectu cognitionis sui habeat rationem speciei, omissâ opinione eorum qui negant universaliter requiri speciem ad cognitionem cujuscumque rei, et consequenter id negant pro cognitione substantiæ Angeli, quos supra retulimus * : inter

* in locis citatis supra, n. 1

[1] Id est, *non mutatas*.

eos qui communem sententiam sequuntur de speciebus, quod requirantur ad cognitionem, TRIPLEX PRINCIPALIS EST SENTENTIA.

5. *Prima* affirmat substantiam Angeli deservire loco speciei ad cognitionem sui. Est sententia D. Thomæ q. 56* sequenti, a. 1 (et q. 8 *de Verit.* a. 6; et II *Contra Gent.* c. 98). Quem sequuntur communiter ejus discipuli super istum locum; et Capreolus (in II, D. 3, q. 2, a. 1**), Ferrariensis (loco citato *Contra Gent.*), Suarez (lib. II de Angelis, c. 4), Arrubal (hîc, disp. 166, c. 1***), Carmelitani Salmanticenses (disp. 6 de Angelis, dub. 1). — Scotus etiam (in II, D. 3, q. 10), et ejus schola, tenet quod Angelus ad cognitionem sui intuitivam non indiget specie superadditâ, quia sibi sufficienter exsistit præsens. Sed tamen admittit posse Angelum seipsum cognoscere abstractive; et respectu hujus cognitionis dicit requirere speciem superadditam, per quam abstrahat a præsentia.

* I P. q. 56, a. 1
** concl. 5-6
*** n. 2-4

6. *Alia sententia,* in alio extremo, docet Angelum ad seipsum cognoscendum indigere specie superadditâ, sicut ad cognoscenda alia objecta. Quæ opinio tributur Alensi (1), Marsilio*, et Henrico** : de quibus videri potest Suarez citatus (n. 2 et 3***).

* II, D. 9-11, q. 7, a. 1, concl. 2-3
** quodl. 5, q. 14, circa finem, sub littera V
*** II de Ang., c. 4, n. 2-3

7. *Tertia sententia est :* non ipsam substantiam Angeli, sed ejus intellectum, gerere munus speciei ad cognoscendum ipsam substantiam. Quæ sententia solet tribui Cajetano (q. 54, a. 3 ad 4 †), sed immerito, ut postea †† videbimus. Sed tamen eam tenet Vazquez (disp. 204, c. 2), et probabiliter docet idem posse dici respectu cujuscumque objecti extrinseci, eo quod putat non posse efficaciter probari quod dentur species in intellectu Angeli; eumque sequitur P. Alarcon (tract. 6 de Angelis, disp. 3, c. 1, n. 10), cum hac tamen limitatione quod vis repræsentativa, repræsentandi quodlibet objectum, sit « in ipsa substantia et intellectu Angeli simul, cum subordinatione ad Deum auctorem naturæ excitantem in quolibet primo negotio, et cum subordinatione etiam ad ipsam voluntatem Angeli ». Quod tamen dicit* non intelligi de formis supernaturalibus : quia ad has intuitive cognoscendas dicit requiri supernaturalem speciem. Iste tamen auctor procedit ex principiis longe diversis, et a natura et ratione propria speciei aberrantibus, ut notavimus (præcedenti tomo*, disp. 13, art. 1) : quia non ponit speciem propter aliquid supplendum ex parte objecti, seu ad unionem intelligibilem illius faciendam cum intellectu, sed solum ad determinandam indifferentiam potentiæ, sicut fit per lumen vel habitum; et ideo lumen gloriæ solent vocare « speciem » isti auctores*, contra quos ibi egimus.

† I P. q. 54, a. 3, ad 4am object. Scoti (ed. Leonin., n. XIX)
†† infra, n. 17
* Alarcon, ibidem
* supra, tomo II, p. 146, sqq.
* cf. supra, disp. 13, a. 1, nn. 2-3 et 23; disp. 14, a. 1, nn. 2, 6-7 (tomo II, p. 146, 154; 188, 191-2)

RESOLUTIO.

8. **SIT ERGO NOSTRA CONCLUSIO : Substantia Angeli habet rationem formæ seu speciei intelligibilis, quia intellectus redditur intelligibiliter perfectus et actuatus ab ipsa substantia, non solum ut subjecto radicali sui, sed ut objecto intelligibili et determinante intellectum ad intelligendum se. Et per eamdem substantiam, tamquam per speciem, cognoscit Angelus accidentia sua naturalia, sibique debita; supernaturalia autem non nisi per species superadditas.**

[PRIMA PARS CONCLUSIONIS.]

9. Prima pars hujus conclusionis, quæ principalis est, sumitur ex D. Thomæ (citatis* locis), ubi eam expresse affirmat. — ET UNICA RATIO ET FUNDAMENTUM EST : Quia in substantia Angeli inveniuntur ea quæ requiruntur ad munus speciei intelligibilis respectu cognitionis sui; ergo seipsum per suammet substantiam cognoscit tamquam per speciem. — *Consequentia est manifesta :* quia si species ad hoc ponitur, ut loco objecti subrogetur reddendo illud intelligibile in actu et repræsentatum seu præsens intellectui, ergo si ipsa substantia et entitas objecti totum hoc facere potest sine specie seu qualitate aut vi superaddita, frustra talem speciem adhibemus, ejusque repræsentationem subrogamus loco objecti, cum id faciat per seipsum. Hoc enim, quod est subrogari pro altero, solum fit casu quo illud, pro quo subrogatur, per seipsum non potest, aut non æque bene potest, id facere sicut substitutum seu vicarium suum. Aut si ponitur species superaddita, cum objectum id possit facere per seipsum, non est ex necessitate talis speciei, sed sine ipsâ fieri posset tota illa actuatio et informatio objecti per ipsam substantiam immediate. Quod si fieri potest, eadem difficultas est : nam, hoc possibili posito, difficultates quæ modo militant, et movent oppositos auctores, etiam in illo casu movebunt : si quidem

* supra, n. 5

(1) Allegatur a quibusdam Alexander Alensis in IIa Parte, q. 23 et 24 : ubi tamen nihil de hac re invenitur.

hoc ipso quod potest se habere ut species, quid prohibet quod de facto sic fiat? et tunc difficultates veniunt solvendæ.

10. *Antecedens autem probatur* : quia inter condiciones requisitas ad speciem intelligibilem aliquæ sunt quæ manifeste conveniunt substantiæ Angeli in ordine ad suum intellectum, aliæ de quibus difficultas est. — Conveniunt quidem substantiæ Angeli tres : scilicet esse intelligibilem in actu per se, non per aliquid superadditum, quia est per se immaterialis et spiritualis; species autem intelligibilis non aliter reddit objectum intelligibile in actu, quam per hoc quod est depurata a materiali modo et condicione in repræsentando, et consequenter in essendo : quia tota essentia speciei repræsentatio est, et sic spiritualizatur. — Secunda condicio sequitur ex hac : scilicet quod sit talis spiritualis substantia proportionata suo intellectui : quia est proprium specificativum illius, et ita spiritualis in actu sicut ipsemet intellectus, quia ab illa emanat; ergo est illi omnino proportionata. — Tertia condicio, quod sit illi intime præsens et unita, etiam manifeste constat : cum ipsa substantia sit immediata radix a qua emanat intellectus, et ipse intellectus illi inhæreat; et consequenter non minus intime sibi sunt præsentia et unita, quam species superaddita intellectui; immo magis, quia licet species superveniens intellectui inhæreat illi, tamen non emanat ab intellectu ut a radice, sicut propriæ passiones ab essentia : et ita non habent species supervenientes tantam connexionem cum intellectu, et consequenter nec tam intimam unionem et præsentiam, sicut intellectus cum substantiâ suâ spirituali a qua emanat. Unde pro hac parte non deest unio et præsentia sufficiens inter substantiam et intellectum, ut species ejus esse possit. Istæ tres condiciones sunt bene notæ.

11. CETERUM ex alia parte RESTANT ALIÆ TRES CONDICIONES requisitæ ad hoc ut aliquid habeat munus speciei intelligibilis, DE QUIBUS DIFFICULTAS EST quomodo ipsi substantiæ Angeli conveniant. — Prima est : quia licet substantia Angeli sit præsens et unita ipsi intellectui Angeli subjective, non tamen objective; id est, habet se ut subjectum inhæsionis ipsius intellectûs, et sic recipit illum in se, eique manet unita, quia sustentat illum : non tamen ex vi hujus unionis præsentatur et unitur illi objective, id est, tamquam objectum determinans, sed ut subjectum sustentans. Sicut etiam anima nostra, in statu quo est in corpore, habet intellectum sibi intime unitum, ut subjecto a quo emanat et cui inhæret : non tamen est illi præsens ut objectum, quia pro isto statu non cognoscitur immediate in se, sed ex sensibilibus.

12. Secunda condicio, in qua est difficultas, est quia substantia Angeli non potest actuare reali et verâ informatione, licet intentionali, ipsum intellectum. Cum enim intellectus sit potentia accidentalis, non apparet in quo genere causæ possit ipsam [1] actuare : quia non potest substantia in genere causæ formalis actuare intellectum, cum substantia non sit forma habilis ad actuandum et informandum accidens : nec enim potentia passiva accidentis potest suscipere formam substantialem. Nec in genere causæ efficientis : quia substantia non influit effective in intellectum, ut sit ejus species intentionalis : cum esse speciem non sit effectivus influxus in intellectum. Nec in genere causæ materialis : quia hoc pertinet ad rationem subjecti sustentantis intellectum, non objecti determinantis specificationem ejus. Non ergo apparet in quo genere causæ substantia Angeli actuet et informet intellectum.

13. Tertia condicio est : quia substantia Angeli non potest immediate et proxime esse influxiva in actum intellectionis sui; species autem influit effective in actum qui ab ea procedit, secundum certiorem sententiam et quæ videtur esse D. Thomæ (in hac I P. q. 56, a. 1; et q. 85, a. 2; et q. 2 *de Verit.* a. 6) ubi speciem comparat calori in ordine ad actum cognitionis. Ergo substantiæ non competit munus et ratio speciei intelligibilis, licet competat esse radicale principium operandi, sed non proximum sicut est species. — Et iterum species subordinatur potentiæ in ratione determinativi, quia potentia universalior est; substantia autem non subordinatur intellectui suo, sed intellectus illi, ut suæ radici et principio.

14. *Accumulatur alia difficultas :* quia si semel substantia Angeli potest esse species sui intellectûs, cum non inhæreat illi, non apparet cur non possit substantia alterius Angeli conjungi et præsentari intellectui alterius, et sic sine specie informante ipsum intelligere : quia nullum hujus rei impedimentum afferri potest, et non videtur

[1] Ita omnes; intellige *possit* [*substantia*] *ipsam* [=*potentiam intellectivam*] *actuare*.

major unio aut præsentia requiri, quam quæ fit per intimam assistentiam et propinquitatem objecti spiritualis cum potentia. — Et tandem, quia si substantia Angeli seipsâ est intelligibilis et spiritualis in actu, cur non poterit seipsâ terminare intellectionem, et esse loco speciei expressæ? Nec enim major immaterialitas aut intelligibilitas actualior requiritur pro specie expressa, quam pro impressa.

15. NIHILOMINUS ISTÆ CONDICIONES ETIAM NON DESUNT SUBSTANTIÆ ANGELI, ut intelligibili, sed eas habet, licet non eo modo quo species quæ est accidens, sed altiori. — *Itaque substantia spiritualis non solum subjective, sed objective**, se habet ad intellectum; et in quantum subjective, sic sustentat et recipit intellectum entitative, quia intellectus illi inhæret. In quantum vero objective, sic comparatur ad intellectum ut actuans et determinans illum intelligibiliter : ibique non operatur ut substantia, sed ut intelligibile determinans, cum alia sit unio et conjunctio in ratione entis, alia in ratione intelligibilis; et secundum primam concurrit substantia per modum sustentantis et subjecti, secundum vero alteram per modum objecti specificantis et determinantis objective ad intelligendum. Unde S. Thomas (q. 8 *de Verit.* a. 6 ad 2) dicit quod « essentia Angeli, quamvis non possit comparari ad intellectum ejus ut actus ad potentiam in essendo, comparatur tamen ad ipsum [1] ut actus ad potentiam in intelligendo ». Et (solut. ad 6) inquit quod « essentia Angeli est in intellectu ejus sicut intelligibile in intelligente : intellectus autem in essentia sicut potentia in substantia ».

* supra, n. 11, *Prima est*

16. Sed quia [2] difficile intelligitur quomodo ista actuatio fiat a substantiâ ipsâ, quasi superveniente et reflectente super intellectum, ita ut prius intelligatur a substantiâ Angeli entitative consideratâ emanare intellectus quasi proprietas ejus, deinde vero intellectu sic considerato in potentia et adhuc informi, sicut ei infunduntur species aliarum rerum, ita ei substantia ipsa se superinfundat, seu actuet illum aliâ unione quam habebat ex vi entitatis ut sustentantis et recipientis intellectum sibi inhærentem : hoc enim difficile intelligitur quod fiat a substantiâ ipsâ secundum suam intelligibilitatem præcise, et non secundum realem entitatem : cum munus speciei et intelligibilitatis non separetur a realitate, nec possit intelligi realis unio, etiam intelligibilis, quin exerceatur secundum aliquam realem entitatem saltem præsuppositive; realis autem entitas substantiæ, ut intelligibiliter superuniatur intellectui jam exsistenti et sibi inhærenti, non apparet quo genere causæ uniatur illi. Quia in genere causæ materialis unit sibi intellectum entitative, non ei unitur intentionaliter et objective : quia, in quantum objectum, non sustentat in esse, sed ut subjectum. In genere autem causæ formalis non apparet quomodo possit substantia realiter actuare et informare ipsum intellectum, qui est accidens sibi inhærens. Dicere autem quod sufficit assistentia et præsentia substantiæ, non assignando in quo genere causæ talis substantia conjungatur et determinet intellectum, est nihil dicere : quia id quod se habet ut species, non solum per extrinsecam assistentiam, sed per intrinsecam unionem debet actuare et determinare potentiam : intrinseca autem unio et determinatio in aliquo genere causæ esse debet; et sic currunt difficultates positæ, quæ non evacuantur dicendo quod substantia Angeli intime assistit et præsens est, non autem explicando quomodo præsens sit :

17. *Propter hoc videtur mihi subtilissime attigisse Cajetanus* modum hujus actuationis, dum (super q. 56 sequentem, a. 1) proponens hanc eamdem difficultatem, quomodo possit substantia Angeli informare intellectum realiter in esse intelligibili, respondet quod substantia Angeli informat intelligibiliter intellectum, non per inhæsionem, nec per informationem, sed per identitatem. — Et cum urgetur hoc amplius : quia intellectus est qualitas distincta realiter a substantia Angeli; ergo non identificantur, nec per identitatem conjungi possunt : Respondet quod identificatur intelligibiliter cum ipsa substantia intelligente, seu cum ipso radicali principio intelligendi, quatenus ab illâ substantiâ fluit vis intellectiva non indigens respectu sui specie superveniente, sed ab ipsâmet substantiâ objective determinata. Itaque uno verbo substantia Angeli, ut objectum et ut objective intelligibilis, informat per identitatem ipsum intellectum radicalem, id est, ipsammet substantiam ut est radix et principium intellectûs : non autem

I P. q. 56, a. 1

[1] Male omnes : *ad ipsam* || Emendamus ex edd. D. Thomæ et sententia manifesta.

[2] Sententia, prima fronte, interrupta mancaque videtur. Attamen optima apodosis inferius, n. 17, invenitur : *Propter hoc videtur mihi...*

informat ipsam potentiam intellectivam in se; sed ex tali identitate substantiæ in ratione objecti intelligibilis, et subjecti intellectualis, effluit potentia intellectiva, ut virtus intelligendi a subjecto, et ut determinata intentionaliter ab objecto quod est ipsamet substantia. Et sic non indiget, ad determinationem erga objectum, aliâ informatione ipsius substantiæ superadditâ intellectui, nec aliâ specie accidentali superadditâ : quia jam ipsa potentia intellectiva emanat, a suâ radice et principio, ut determinata et completa ad seipsam intelligendum. Est ergo considerandum quod substantia Angeli, quia immaterialis et spiritualis est, per seipsam est actu intelligibilis et intellectiva: et esse intelligibilem pertinet ad principium objectivum intelligendi, esse autem intellectivam pertinet ad principium subjectivum, a quo egreditur operatio intelligendi ut a principio radicali. Et sic cum ipsa substantia sit radicaliter suus intellectus, identificantur in intellectu radicali (qui est ipsamet substantia Angeli) duæ illæ rationes seu formalitates, et objecti intelligibilis, et subjecti intelligentis; unde cum in una radice intellectûs istæ duæ rationes concurrant per identitatem, scilicet ratio objectiva et subjectiva, intelligibilis et intellectiva, quando a tali radice intellectuali emanat potentia intellectiva, emanat ut vis intellectiva seu operativa intellectionis, et ut determinata et completa objective a seipsa ut ab objecto intelligibili. Sicut si potentia visiva emanaret a substantia animæ sensitivæ, et simul a specie coloris et luce, emanaret ut determinata ad videndum talem colorem : nec indigeret specie superadditâ ad videndum colorem illum, quia jam in ipsa emanatione determinationem haberet ex ipso objecto intentionali emanando. Perinde enim est habere determinationem per supervenientem informationem, atque habere per prævenientem emanationem : quia emanando accipit a sua radice et principio quidquid perfectionis in eo est, et eo modo quo potest ab illo habere. Et sic species-substantia facit per emanationem in intellectu proprio quidquid species-accidens per inhæsionem.

[*Difficultates solvuntur.*]

18. Ex his respondetur ad omnes difficultates propositas. — *Ad primam* constat ex dictis,* quod substantia Angeli non solum unitur intellectui subjective et per modum principii a quo emanat, sed etiam objective et intelligibiliter, non solum intellectualiter : quatenus in eadem substantia concurrunt et identificantur intelligibilitas et intellectualitas, ita ut illa substantia per seipsam sit intelligibilis in actu, quia immaterialis et spiritualis in actu, et non accipit intelligibilitatem ab aliquo superveniente. Et ideo cum intellectus emanat a tali substantia, quæ simul est actu intelligibilis et intellectualis, emanat ut virtus intelligendi, et ut intelligibiliter et objective determinatus ab ipsamet substantia, ut objectum intelligibile est, et non solum ut subjectum intelligens : ut explicatum est*.

* supra, n. 11, *Prima est*

* supra, n. 16-17

19. Unde nescio quid Vazquez voluerit, cum (illa disp. 204, c. 2, circa finem) dicit quod conjunctio essentiæ cum intellectu in Angelo nihil omnino conducit ut essentia sit principium particulare in sui intellectione, quo determinetur efficacitas communis intellectûs; ipseque potius censet intellectum esse principium proprium et propinquum determinans essentiam et substantiam Angeli, quam e contra. — Si enim vult quod intellectus determinat substantiam, tamquam virtus seu potentia formalis radicalem, vere dicit : sed non est ad præsens, cum difficultas solum sit de determinatione ex parte objecti et in ratione rei intelligibilis, non de determinatione ipsius potentiæ radicalis, quæ est substantia, per ipsam virtutem formalem, quæ est intellectus. Si autem vult quod ipse intellectus habet vim speciei ad determinandum seipsum loco essentiæ tamquam objecti, hoc valde inconvenienter dicitur : quia intellectus non est similitudo intentionalis substantiæ, sed vis operativa illius; unde ad ipsum non pertinet efficacitatem repræsentandi habere, sed eliciendi actum seu operandi. Nec intelligibilitatem actualem accipit essentia ab intellectu, sed a se habet : quia a se, et non ab intellectu, habet spiritualitatem et immaterialitatem; et sic intellectus non servit ut essentiam reddat intelligibilem, nec per modum speciei repræsentantis essentiam : sed ipsa essentia, ut conjuncta intellectui, habet rationem objecti intelligibilis et subjecti intelligentis, ut explicatum est*.

* supra, n. 15-18

20. Cur autem non possit similiter intellectus ipse habere utramque formalitatem, et virtutis qua operatur essentia, et speciei qua repræsentatur, sicut eadem substantia radicaliter est principium operativum, et formaliter objectum intelligibile? — Ratio est : quia esse repræsentativum objecti, quando est accidens, respicit

objectum per modum similitudinis quo[1] res ipsa redditur repræsentata intellectui; intellectus autem habet se per modum virtutis elicitivæ et operativæ intellectionis. Quæ duæ rationes inter se dicunt diversas entitates; nec est cur adunentur in unam tertiam quæ complectatur utrumque munus, si ex se et ex specie sua ita est diversum, quod unum est repræsentare, aliud vitaliter elicere et operari. In rebus autem creatis ea, quæ in aliquo ordine dicunt diversas rationes distinguentes entitates specifice, in eodem ordine non sunt una entitas : sed si adunantur in una entitate, est quia elevantur ad altiorem ordinem, in quo redduntur unita, quæ in inferioribus sunt dispersa. In ordine autem intelligibili entitas operans et repræsentans diversæ sunt, ut patet in speciebus advenientibus potentiæ; non ergo in eodem ordine una entitas esse possunt. At vero substantia ipsa intellectiva, cum spiritualis et immaterialis per seipsam sit, per se etiam intelligibilis est actu, et consequenter munus speciei habet.

* supra, n. 11, *Sicut etiam*
21. Ad id quod dicitur* de anima nostra, quod pro præsenti statu non est præsens et unita intellectui objective, licet sit unita subjective et ut sustentans illum : — Respondetur quod pro hoc statu illa unio objectiva et in ratione speciei ibi est in virtute, sicut status separationis ibi est in virtute : sed non in actu manifestatur, etiamsi actu jam exsistat in intellectu, propter conversionem ejus ad sensibilia, ex qua impeditur intelligere seipsam immaterialiter pure per seipsam. Itaque intellectus, ut emanat ab anima, emanat ut a radice intelligente et ut ab objecto intelligibili, sed non actu manifestante intelligibilitatem suam pure spiritualiter et per se immediate pro isto statu; sed impedita manet intelligibilitas ob conversionem ad sensibilia. Et ideo illa conjunctio ad intellectum intima, tam in ratione intellectualis quam intelligibilis, non operatur manifestationem usque ad statum separationis.

* supra, n. 12
22. *Ad secundam* difficultatem patet ex dictis,* quod substantia Angeli non actuat intellectum formaliter, sed identificatur cum illo radicaliter seu in sua radice : et exinde dimanat intellectus ut virtus intelligendi determinata et completa, non solum ex parte subjecti et in ratione vis intellectivæ et elicitivæ suæ operationis, sed etiam ex parte objecti intelligibilis ut determinatæ erga tale objectum, quatenus ab ipsa substantia dimanat ut a radice intelligendi et ut formaliter in se intelligibili : ut explicatum est*.

* supra, n. 15-18
23. *Quod si instes :* Nam non sufficit objectum in esse objecti seu in esse intelligibili identificari cum intellectu radicali, id est, cum ipsamet substantia ut radix est intellectivæ virtutis. Sed oportet quod cum ipsâmet potentiâ radicatâ et emanante, et non solum cum ipsâ ejus radice, uniatur et identificetur : si quidem intellectio Angeli, qua intelligit se, debet procedere ab ipsa intellectiva virtute proxime et immediate, et non solum a radicali quæ est ipsa substantia; ergo oportet quod ipsa virtus intellectiva, proxima et formalis, sit determinata proxime et formaliter ab objecto, quia a potentia et objecto paritur notitia; non autem paritur nisi a potentia proxima et formali : ergo etiam ab objecto proxime et formaliter eam determinante et actuante. Quod si identificatur vel unitur intellectui, erit unio in esse intelligibili, sicut per alias species intellectus unit sibi objecta repræsentata in esse intelligibili. Nec repugnat quod illa unio, qua substantia unitur intellectui suo, sit virtualiter duplex, alia qua unitur ei ut subjectum radicale sustentando et emittendo illum[2] a se per emanationem, alia qua unitur ei ut objectum determinando et specificando objective. Sicut, in nostra sententia, exsistentia quæ ab essentia distinguitur unitur ei dupliciter, et tamquam subjecto quod est in potentia ad esse illudque recipit, et tamquam principio specificanti ipsam exsistentiam : quia exsistentia hominis, v. g., habet speciem exsistentiæ humanæ, qua distinguitur ab exsistentia equi, ex ipsa essentia quam actuat et a qua determinatur ad hanc speciem.

24. *Respondetur :* non sufficere identificationem objecti cum virtute radicali intelligendi sine dimanatione ipsius vis intellectivæ a tali identificatione, et ut participante[3] ab ipsa substantia id quod virtutis est in eliciendo, et id quod objecti est in determinando. Illa autem identificatio objecti cum virtute radicali simul cum emanatione potentiæ ab ipsa, participando utramque perfectionem, et in ratione intelligibilis objective, et in ratione intellectivi subjective,

[1] Ita omnes || Facilius legeretur : *qua*.
[2] Mendose omnes : *illam*.
[3] Sic omnes, non omnino male; id est : *sine dimanatione... ut participante* || Melius tamen legeretur : *ut participantis* [sc. *vis intellectivæ*].

sufficit ut talis intellectus determinatus maneat ab objecto, procedatque illa cognitio a potentia et objecto : quia ad hoc ut ab objecto procedat, sufficit quod ipsa substantia mediante intellectu influat in actum, non solum ut intellectiva radicaliter est, sed etiam ut intelligibilis, ut statim* dicemus. Ut autem determinet intellectum in esse intelligibili, non requiritur quod uniatur illi entitative per superadditam unionem, ut explicatum est* : nec quod identificetur cum intellectu identificatione aliquâ entitativâ, ut de se notum est, cum intellectus sit entitas realiter distincta a sua substantia, etiam ut intelligibilis est. Nec denique fit aliqua alia identificatio seu unio formalis in esse intelligibili, superveniens intellectui post emanationem a sua radice : quia hæc non apparet quomodo fiat sine nova actione et applicatione in qua fundatur unio. Nam etiam ipsa essentia divina quando de novo unitur intellectui beati, per novam actionem et applicationem qua immutatur intellectus beati fit illa unio; in essentia autem Angeli non fit nova immutatio et applicatio essentiæ suæ ad intellectum, ut in ratione objecti ei uniatur. — Restat ergo quod fiat identificatio et unio radicalis et virtualis secundum quod ipsa substantia, ut radicaliter intellectiva, est etiam formaliter et actu intelligibilis, et ex tali radice sic intellectivâ [et] intelligibili emanat potentia etiam intelligibiliter determinata, et non solum ut vis intellectiva et elicitiva : potestque trahere et participare, per talem emanationem, objectivam determinationem formaliter in se ab intelligibilitate substantiæ radicali, sicut trahit vim eliciendi et operandi intellectionem ab ejus intellectiva vi radicali.

* infra, *Restat ergo*

* supra, n. 16-17

25. Quod vero dicitur* de exsistentia, quod eâdem unione, qua conjungitur essentiæ et recipitur in illa ut in causa materiali, etiam specificatur seu determinatur ab illa ut a formali : — Dicimus ita esse, et inde explicari nostram sententiam. Quia sicut exsistentia specificatur et determinatur ab essentia, non per hoc quod essentia superveniat exsistentiæ, eique ut causa formalis de novo uniatur, ipsâ exsistentiâ materialiter suscipiente essentiam et specificationem ejus : sed per hoc quod exsistentia ista, quæ resultat ex productione talis essentiæ, adæquatur illi, et sic modificatur in ipsa receptione a specificativo hujus essentiæ, participatque et ebibit exsistentia ab ipsâ essentiâ determinatam illam speciem : ita intellectus ex hoc quod dimanat a substantia, in qua non solum est intellectiva vis radicaliter, sed etiam intelligibilitas objective (quia immaterialis et spiritualis est in actu), ex hac emanatione ebibit et participat non solum intelligendi virtutem ab illa radice, sed etiam determinationem objectivam ab illa intelligibilitate; et sic manet actuata (1) et determinata a sua substantia, ut ab objecto, non per informationem supervenientem, sed per emanationem a tali substantia, etiam ut habente rationem objecti intelligibilis, ut dictum est.

* supra, n. 23, *Sicut*

26. *Ad tertiam* difficultatem respondetur,* quod speciei intelligibili, prout abstrahit a substantiali et accidentali, convenit influere effective in actum; sed modus influendi non potest eodem modo se habere quando est accidens, et quando substantia. Quando enim est accidens, subordinatur potentiæ, et influit in actum tam proxime et immediate quam (2) potentia. Quando autem est substantia, influit in actum mediate et radicaliter, sicut ipsamet substantia quæ est virtus radicalis, cui identificatur ipsamet substantia ut est ratio intelligibilis objectiva; et exinde emanat intellectus ipse ut participans a substantia utramque rationem, et virtutis operativæ, et determinationis objectivæ : et sic operatur proxime intellectus, ut determinatus et perfectus objective per suam substantiam in emanatione ab ipsa. Et sicut, ex vi ipsius emanationis, semper quod influit intellectus in actum vitalem, influit et operatur mediante illo substantia in eumdem actum, quatenus radix illius est : ita semper quod influit intellectus in intellectionem sui, influit etiam et operatur substantia in eumdem actum, non solum ut subjectum et radix vitalis est, sed ut objectum intelligibile tali radici identificatum. — Et sic ut species sui concurrit ad intellectionem, non subordinata* potentiæ, sed subordinans sibi potentiam, quatenus (3) subordinatur illi ut radici intelligendi, et ut objecto intelligibili identificato eidem radici. Nec est inconveniens quod potentia intellectiva in eliciendo actum subordinetur objecto, sicut et subjecto intelligenti, seu radici intellectualitatis : nam objectum de se est actus ipsius potentiæ, eamque perficit et determinat. Unde quando

* supra, n. 13

* cf. supra, n. 13, *Et iterum*

(1) Sic omnes || Intelligito : *sic [potentia intellectiva] manet actuata...*

(2) Ita corrigimus cum LC || MP *influit in actum, tam proxime et immediate in actum quam potentia*, mendose bis ponentes verba : *in actum*.

(3) Supple : *quatenus [potentia] subordinatur...*

objectum per intelligibilitatem substantialem concurrit, subordinabit sibi potentiam intellectivam, non ipsa substantia seu objectum potentiæ intellectivæ subordinabitur : sicut in concursu essentiæ divinæ cum intellectu beati in ratione speciei impressæ non ipsa species subordinatur intellectui creato, sed intellectus illi. Ergo non est de essentiali ratione speciei, quod ipsa influat in actum ex subordinatione ad potentiam : sed potest etiam e converso contingere, nempe per subordinationem potentiæ ad objectum, quando ipsa potentia emanat a substantia non solum ut a subjecto, sed etiam ut ab objecto sui.

27. Et hoc modo explicat Cajetanus (in q. 56, a. 1) exemplum D. Thomæ de calore, quod non minus erit forma operans calor subsistens, quam calor inhærens : quia si calor, inquit Cajetanus, subsisteret in ligno, ut identice se habens cum illo, non minus calefaceret quam si est inhærens; et similiter, si species visibilis esset per se subsistens per identitatem in vidente, esset nihilominus principium formale visionis in eo. Cum ergo species substantiæ Angeli sit idem quod ipsa substantia, operatur ut principium formale intellectionis suæ, non immediate influendo formaliter in actum, sed radicaliter : quatenus ab ipsa substantia, etiam ut intelligibili, emanat potentia ut intelligibiliter determinata; et sic, mediante tali emanatione seu potentiâ emanante, influit objectum ipsum in actum radicaliter, non formaliter. Ipsa vero potentia, prout sic perfecta et determinata ex vi suæ emanationis, influit formaliter ut virtus et ut determinata : ut habens a subjecto vim elicitivam, et ab objecto determinationem vi ipsius emanationis. Nec oportet quod ipsa potentia se habeat indifferenter, indigeatque a specie superveniente determinari : quia, respectu cognitionis sui, non est potentia illa indifferens, sed ex vi suæ emanationis determinata.

28. *Quod si dicatur* ipsam substantiam, ut objectum intelligibile, immediate influere in actum : quia licet substantia per seipsam non sit operativa elicitive, bene tamen influere potest objective : — *Hoc quidem non haberet tantum inconveniens,* si alias posset componi iste influxus objectivus cum informatione potentiæ, quam substantia non potest habere : nam objectum non potest influere in actum seorsum a potentia, sed pro indiviso cum ipsa, seu unico et indivisibili influxu. Et sic non sufficit quod objectum influat ut assistens, sed oportet quod intime actuet et afficiat potentiam, ut ex ipsâ [1] et potentiâ unicus et indivisibilis influxus nascatur : quod esse non potest nisi vel potentia determinetur ab objecto per intrinsecam actuationem et informationem ab eo, sicut species superveniens potentiæ illique unita formaliter, quod in substantia respectu intellectûs proprii non potest intelligi; vel e converso quod potentia emanet ab objecto quod est idem cum subjecto intelligente, et in hac emanatione maneat determinatus intellectus et completus objective, quia emanat a substantia [2] etiam ut objectum intelligibile est.

29. *Ad quartam* difficultatem constat ex dictis,* quod substantia Angeli non potest servire pro specie alicui intellectui, nisi vel informando illum, vel e contra per hoc quod intellectus inhæreat illi et emanet ab illo. Substantia unius Angeli non potest informare intellectum alterius Angeli : si enim non potest informare proprium intellectum cui intimior est, quanto minus poterit informare alienum! Et inconvenientia quæ inveniuntur in hoc quod substantia, ut ab extrinseco veniens, sit forma informans intellectum, inveniuntur in hoc quod informet alienum intellectum. Et reducitur ad hoc : quia omnis informatio intelligibilis supponit aliquam entitativam conjunctionem in aliquo genere causæ : vel agentis, sicut Deus intime adest intellectui creato dando illi esse, et anima suo intellectui quia effluit ab illa; vel materialis, recipiendo intellectum; vel formalis, sicut species accidentalis inhæret entitative intellectui. Nullo autem modo, nec in genere alicujus causæ, præsupponi potest aliqua unio entitativa inter substantiam Angeli et alienum intellectum, ut de se constat : et ideo neque intentionaliter potest illum informare. Et quod non possit emanare intellectus alienus a substantia alterius Angeli, manifestius est quam ut indigeat probatione : cum hoc ipso quod alterius sit, ab alio dimanet, non a se. Et sic non est possibile quod substantia unius Angeli possit esse species, et informare intellectum alterius Angeli, sed indiget specie superadditâ. Videantur quæ diximus circa hoc præcedenti tomo (disp. 13, art. 4*, circa finem).

* supra, n. 14

* n. 15 (tomo II, p. 176)

[1] Sic omnes; id est : *ex ipsâ [specie, seu substantiâ], et potentiâ* || Melius tamen legeretur : *ex ipso [= objecto]*.

[2] Ita LCP || Mendose M *subsistantia*.

** supra, n. 14. *Et tandem*
*** disp. 13, a. 5, n. 22 (tomo II, p. 185)

30. *Ad ultimam* ** *respondetur* ex his quæ eodem loco præcedentis tomi (art. 5 ***, in fine solutionis ad 2m) diximus : quod Angelus per suam substantiam non potest esse species expressa, sicut est impressa, ut expresse docet S. Thomas (IV *Contra Gent.* c. 11) : quia non est per suam substantiam intellecta (1), seu terminus intellectionis, in quo consistit species expressa : eo quod esse terminum intellectionis supponit ipsum intelligere, cujus est terminus et a quo redditur intellecta : nec intelligere quomodocumque, sed etiam dicere, quia per *dicere* exprimitur verbum seu species expressa. Cum autem intelligere et dicere sint aliquid accidentale ipsi Angelo, quia operatio ejus et intelligere non potest esse ejus substantia, repugnat quod terminus dictus seu expressus per ipsum *dicere* sit substantia; et sic non potest esse species expressa. Bene tamen impressa : quia hæc non se habet ut terminus alicujus operationis, sed ut principium. Quod autem substantia ipsa, ante omnem operationem, sit principium intelligendi per propriam intelligibilitatem, quam ex se habet et non ex aliquo superaddito, sicut ex se et non ex superaddito est immaterialis et spiritualis, nulla repugnantia est.

* tomo II, p. 178-188

31. Nec potest poni instantia de ipsa divina essentia, quæ habet in intellectu beati vicem speciei expressæ, ut diximus (præcedenti tomo *, disp. 13, art 5), et tamen non procedit, nec est formata aut dicta per intellectum beati, sed solum extrinsece contemplata; ergo similiter essentia Angeli, per hoc quod sit extrinsece contemplata, erit species expressa illius. — Negatur consequentia : quia essentia divina est suum intelligere et intelligi; et sic per seipsam est intellecta in actu secundo, quod est esse speciem expressam : non per aliquod aliud intelligere in esse intellecti (2) constituitur. Unde solum communicatur et applicatur intellectui beati, non per illud (3) redditur in se species expressa. Essentia autem Angeli non est suum intelligere; unde esse actu intellectam, ut terminum intellectionis et ut speciem expressam, non per se habet, sed per speciem accidentalem superadditam.

SECUNDA PARS CONCLUSIONIS DE ACCIDENTIBUS ANGELI.

32. De accidentibus Angeli distinguimus * accidentia naturalia sibique proportionata, et supernaturalia; dicimusque pro prioribus non indigere speciebus superadditis, sed per suam substantiam ea intelligere, sicut accidentia alterius Angeli per speciem repræsentantem substantiam alterius Angeli. Pro secundis autem indigere specie superadditâ, ut ea propriâ cognitione cognoscat. * supra, n. 8

33. IGITUR QUOAD ACCIDENTIA NATURALIA PROBATUR CONCLUSIO ratione a priori, et a posteriori. — *A priori quidem :* quia accidentia continentur in substantia, et operationes in potentiis, tamquam in radice et causâ propriâ et adæquatâ; sed cognitio Angeli, cum sit perfecta et comprehensiva, tangit effectus in causis et per causas; ergo Angelus cognoscit sua accidentia incipiendo a radice causâque ipsorum creatâ et adæquatâ (nam in increatâ cognoscere, non est angelici intellectûs, sed beati). Constat autem proximam et adæquatam causam et radicem accidentium esse substantiam a qua oriuntur; ergo per speciem ejus cognoscit Angelus accidentia sua. — Patet consequentia : quia species angelicæ sunt perfectæ et comprehensivæ rei naturalis quam repræsentant; ergo oportet quod in causa repræsentent effectus, et in substantia proprietates et accidentia, non autem de his singulis seorsum species habeant : quia sic componerent cognitionem suam ex multarum specierum aggregatione, non quælibet perfecte repræsentaret totum quod ei convenit, et quod per compositionem in nobis aut discursum congregatur in cognitione. Si autem Angeli intellectus exigeret ex sua natura species ita imperfecte repræsentantes, quod una repræsentaret substantiam et non proprietates et accidentia, alia sola accidentia et non substantiam, ex sua natura intellectus ille exigeret compositionem et discursum ad habendam cognitionem perfectam, quæ consistit in cognitione rei et suarum proprietatum et effectuum, et in cognitione effectuum per suas

(1) Sic omnes, prorsus obscure || Sententia hujusmodi videtur : *quia substantia Angeli non est per seipsam intellecta...* || Arridet tamen alia explicatio : *quia [Angelus] non est per suam substantiam [res] intellecta... :* quæ probabilior apparet conferendo superius dicta, disp. 13, a. 5, n. 22 (tomo II, p. 185).

(2) Mendose MLP *in esse intellectu* || Male corrigit C *in esse intellectui* || Emendamus ex loco parallelo, supra, disp. 13, a. 5, n. 22 (tomo II, p. 185). — Posset etiam legi : *in esse intellecto*, sententiâ haud diversâ.

(3) Id est : *non per illam [communicationem et applicationem] redditur...* || Potest etiam legi : *per illum.*

causas et radices : si quidem non posset talem perfectam cognitionem habere, nisi congregando eam ex pluribus speciebus, quarum quælibet imperfecte repræsentaret, ex collatione autem earum resultaret perfecta cognitio : qui est modus quo nos cognoscimus per discursum; licet efficacius Angeli discurrerent et perfectius, sed tamen discurrerent ex natura sua : quod negatur communiter a theologis (infra, q. 57*). Necesse est ergo, ut hoc inconveniens evitemus, quod species Angeli tales sint quod repræsentando substantiam, etiam accidentia quæ ei conveniunt aut debentur, seu quidquid exigitur ad comprehensionem rei, repræsentent. Et sic etiam substantia sua, quæ deservit sibi pro specie, non solum seipsam sed etiam accidentia sua naturalia repræsentare debet : quia sicut illa ab ipsâ substantiâ et in ipsâ habent esse, ita et intelligibilitatem; ac per hoc intelligibilitas ejus efficax est ad repræsentandum intelligibiliter accidentia sua, quia perfecte ea continet in se, et quia sic requiritur ad sui comprehensionem.

34. *A posteriori autem deducitur ratio :* quia si de accidentibus debet intellectus Angeli habere species, de quolibet oportet dicere quod speciem habeat seorsum, ut illud cognoscat : nec enim est major ratio de uno, quam de alio. Sic autem sequetur processus in infinitum, aut sistendum erit in aliquo accidente quod per seipsum sine specie superaddita cognosci possit, ut objectum et res cognoscibilis ut *quod.* — Patet hoc manifeste : quia si aliquod accidens, v. g. potentia, intellectus vel ejus operatio, aut species seu verbum indigent specie seorsim et distinctâ, illorum repræsentativâ, ut cognoscantur : ergo etiam species istæ, quibus talia accidentia repræsentantur, indigebunt specie aliâ : quia etiam ipsæ species cognosci possunt tamquam objecta et res cognitæ. Licet enim sint ratio cognoscendi alia, tamen etiam possunt cognosci ut *quod* et ut objecta, et non solum ut *quo;* ergo pari ratione de illis dabuntur aliæ species, et de istis aliæ, et sic in infinitum, aut dabitur aliqua species et aliquod accidens quod seipso informet, ad cognitionem sui, intellectum. Et eadem erit ratio de aliis accidentibus spiritualibus, immo et de ipsa substantia, quæ non minus spiritualis et intelligibilis est in actu quam alia accidentia; et ad rationem speciei perinde est quod entitas illius sit substantia, vel sit accidens. — Adverte tamen quod cum dicimus substantiam repræsentare sua accidentia, potentias, intellectum et species per seipsam, loquimur de intellectu in statu connaturali, et prout habet hæc accidentia sibi conjuncta et species infusas[1] : id enim requiritur ut necessaria condicio. Si enim producatur substantia sine voluntate, v. g., aut intellectus sine speciebus, non cognoscet per substantiam suam ista accidentia nisi in potentia et imperfecte, sicut tunc se habet ad illa.

35. LOQUENDO AUTEM DE ACCIDENTIBUS SUPERNATURALIBUS quæ infunduntur Angelo, si cognoscantur quidditative et ut sunt in se, requirent species superadditas. Nec sufficit, ad illa cognoscenda, ipsa substantia Angeli loco speciei, neque aliæ species naturales Angeli : quia ista omnia improportionata sunt, et alterius ordinis a gratia et accidentibus supernaturalibus; ergo non possunt illa repræsentare quidditative ut sunt in se. Ergo indigebit speciebus proportionatis, et ejusdem ordinis cum gratia, ad cognoscendum illa supernaturalia quidditative. Et sicut ad cognoscenda ista mysteria gratiæ habuit anima Christi scientiam infusam, nec sufficere poterat acquisita, sic species naturales Angeli non possunt sufficere ad mysteria supernaturalia cognoscenda sed requiruntur infusæ et ejusdem ordinis. — Et deinde, quia Angeli cognoscunt gratiam ejusque mysteria, non solum prout sunt in se et prout sunt accidentia sibi inhærentia, sed prout sunt communia aliis et exsistunt in aliis; ergo postulant habere species repræsentativas talis gratiæ : quia, prout est in aliis, non potest cognosci nisi per species superadditas. Nec enim per gratiam quæ est in altero potest eam intelligere, si quidem sibi non est unita; nec per gratiam, quæ est in se, potest eam quæ est in altero cognoscere : quia plerumque est in altero perfectior et cum aliquibus donis vel specialibus modis, quibus non est in se. Ergo specie superadditâ indiget ad cognoscendam gratiam quæ est in altero; similiter ergo ex eadem specie poterit cognoscere gratiam quæ est in se, cum sit ejusdem quidditatis. Nec potest Angelus uti gratiâ et habitibus supernaturalibus in se exsistentibus loco speciei ad intelligendum illa : si quidem ista non possunt intentionaliter informare intellectum nisi aliquam unionem entitativam habeant ad ipsum in aliquo genere causæ, ut ponderatum est*; * supra, n. 29 multi autem ex his habitibus non habent con-

[1] Intelligito : *et [has] species [naturaliter] infusas.*

junctionem entitativam cum intellectu : ut habitus qui sunt in voluntate, et gratia ipsa quæ est [in] ipsa substantia.

[Solvuntur objecta].

36. SOLUM POSSENT OBJICI DUO. — *Primum est* de habitibus supernaturalibus qui sunt in intellectu, ut fides, lumen gloriæ, et similes. Si enim per inhærentiam sunt entitative conjuncti intellectui, et alias sunt per se intelligibiles et actu immateriales : ergo possunt loco speciei deservire. — *Secundum est* de ipsis speciebus supernaturalibus : quia sequitur processus idem in infinitum, quem in speciebus naturalibus inferebamus* : aut sistendum est in aliqua specie, quæ per seipsam serviat intellectui ut species suimet, et idem dici poterit de reliquis accidentibus supernaturalibus quæ in ipso intellectu sunt.

* supra, n. 34

37. *Respondetur ad primum :* esse disparem rationem de habitibus supernaturalibus, etiamsi intellectui inhæreant, atque de aliis accidentibus. Nam habitus supernaturales qui sunt in intellectu, sicut et alia accidentia, non cognoscuntur nisi ex sua radice et causa ab Angelo : cum ejus cognitio petat esse perfecta, et sic attingere rem per causas et radices suas. Radix autem habituum supernaturalium est gratia : quæ in re supernaturali se habet tamquam essentia, et habitus [1] potentiarum ut propriæ passiones. Unde si ad cognoscendam gratiam indiget Angelus specie superaddità, etiam per eamdem attinget habitus qui sunt in intellectu et voluntate et dimanant a gratia, et consequenter etiam operationes quæ ex talibus habitibus proveniunt. Itaque si Angelus intelligeret habitus intellectuales sibi infusos immediate in seipsis, argumentum vim haberet, et difficile redderetur ratio cur non posset Angelus intelligere tales habitus sine specie superaddita. Ceterum cum intelligat illos per suam causam et radicem a qua emanant, quæ est gratia, vel cui subordinantur, quia iste est connaturalis modus cognoscendi in Angelo, consequenter debet uti ad eorum cognitionem specie illâ repræsentativâ gratiæ, in cujus penetratione et connexione ad tales habitus ipsi cognoscuntur.

38. *Et ex hoc respondetur ad secundam* instantiam* de speciebus. Dicimus enim quod species istæ, cum supernaturales sint, ex eâdem radice

* supra, n. 36 *Secundum*

[1] Habitus, scilicet, infusi.

et causâ cognoscuntur, qua habitus ipsi cui deserviunt; et sic per speciem repræsentativam gratiæ, ut infunditur Angelis, vel in eo statu et perfectione in qua habet annexas species ordinis supernaturalis, repræsentatur etiam quidditas et natura specierum, quatenus annexæ de facto sunt ipsi gratiæ pro tali statu. Si autem species ipsæ infusæ intelligerentur seorsim a sua radice cui connectuntur, quæ est gratia, sequeretur ille processus in infinitum : sicut sequitur in speciebus ordinis naturalis, si ipsæ cognoscerentur ab Angelo non in sua radice cui connectuntur et debentur, scilicet in essentia et intellectu, sed secundum se seorsim et per alias species, ut ostendimus supra*.

* n. 34

39. Ex his manent soluta omnia quæ adducit Vazquez (disp. illa 204, c. 2) tamquam difficultatem facientia contra hanc sententiam, quod substantia Angeli deserviat pro specie intelligibili ad cognitionem sui. Ostendimus* enim quomodo id fieri possit, et quomodo substantia non solum assistat, sed etiam vere determinet et perficiat intellectum, non solum ut ejus radix et subjectum, sed etiam ut objectum : — quia sub utraque ratione ab illâ substantiâ emanat et perficitur ab ipsâ, tum in essendo tum in intelligendo, in intellectualitate activâ et intelligibilitate objectivâ; — utriusque perfectionem et determinationem ei communicans per ipsam emanationem a tali principio, quia utramque habet in se substantia Angeli.

* supra, præsertim n. 15 sqq.

40. ADHUC TAMEN INSTAT SCOTUS* : Quia Angelus potest cognoscere substantiam suam abstractive, et non solum intuitive et ut præsentem : quia potest intelligere ipsam quoad prædicata quidditativa tantum et ut possibilem, abstrahendo ab exsistentia, quia hæc accidentaliter sibi convenit, et non ut prædicatum quidditativum. Ergo indiget specie repræsentante abstractive suam substantiam. — Patet consequentia : quia substantia Angeli conjuncta intellectui non potest repræsentare se abstrahendo a præsentia et exsistentia : cum, hoc ipso quod ibi informet seu determinet intellectum, præsens illi sit, et exsistentem illum reddat sustentando ipsum; ergo non potest repræsentare se nisi ut præsentem et exsistentem, non abstractive.

* II, D. 3, q. 10, n. 16

41. *Confirmatur* :* quia nulla species potest deservire intellectui nisi actuet illum, et non solum assistat : quia deservit ei ut principium

* Scotus, II, D. 3, q. 8, n. 4

intelligendi et operandi, et consequenter ut forma et actus ejus : sicut in exemplo allato a D. Thoma * de calore subsistente, qui esset principium operandi : nam in ipso exemplo manifestum est quod si calor esset subsistens, et consequenter non informans lignum, sed ei assistens, non posset ligno esse ratio et principium calefaciendi. Ergo species, si sit subsistens, non erit intellectui ratio et principium intelligendi : quia non poterit informare ipsum, sed solum ei assistere, cum substantia sit et subjectum sustentans, non forma informans.

* I P. q. 56, a. 1

42. Respondetur concedendo antecedens *, quod possit Angelus suam substantiam abstractive cognoscere, et removere per considerationem exsistentiam ab essentia, cum non sit prædicatum essentiale ejus. Et constat quod potest Angelus apprehendere substantiam suam in statu quo considerari potest antequam crearetur, et in statu quo considerari potest si annihilaretur : tunc enim, si annihilaretur, Angelus maneret sine exsistentia, et solum quidditativa prædicata possent in illa essentia considerari. — Negamus tamen consequentiam *, quod ad hanc cognitionem abstractivam non possit uti substantiâ suâ, tamquam specie inadæquate se habente, et inadæquate utendo illâ ad repræsentandum solum id quod essentiale est in illa substantia, et non quod accidentale seu accidentaliter conveniens : sicut potest Angelus uti specie leonis ad cognoscendum ejus quidditatem, et non ejus exsistentiam vel alia accidentia. Ex unica enim specie potest formare diversos conceptus : quia una species Angeli plura et diversa objecta materialiter conjuncta sub eadem formali ratione repræsentat, et potest uti illâ inadæquate pro uno objecto, et non pro aliis, et formare ex illa diversos inadæquatos conceptus : ut docet S. Thomas (quæst. 8 *de Verit*. a. 13 ad 2 et 4). Sic substantia Angeli quæ repræsentat seipsam objective intellectui, et similiter repræsentat exsistentiam ejus et subsistentiam reliquaque accidentia, potest accipi ab intellectu ut repræsentet unum et non aliud; et sic [1] cognoscere naturam sine sua subsistentia, qualis maneret si assumeretur hypostatice a Deo, et sine exsistentia, ut si consideretur annihilata vel ut producibilis, nondum ut producta; et sic utendo illâ inadæquate, potest cognoscere se abstractive.

* supra, n. 40

* supra, n. 40, *Ergo indiget*

43. Et cum instatur *, quod substantia non potest repræsentare seipsam nisi ut præsentem et exsistentem, quia sic informat et sustentat intellectum quando intelligit ipsam, *distinguo :* si adæquate consideretur ab Angelo, et sub omni modo quo est in se præsens et exsistens, *concedo ;* si inadæquate consideretur, et inadæquate utatur illâ Angelus quoad unum prædicatum et non quoad aliud, *nego*. Licet enim in se præsens et exsistens sit essentia, et sic sustentet et informet intellectum, nec ista informatio possit variari ab Angelo, tamen quoad applicationem et usum, et in ordine ad eliciendam cognitionem, potest intellectus uti illâ adæquate vel inadæquate : et sic non intelligere totum quod in illa substantia est, sed aliquid accipere et aliquid omittere : quia plura continet repræsentanda, quæ ab intellectu Angeli dividi possunt. — Nec est idem de intellectu beati videntis Deum, qui non potest sic inadæquate videri quoad essentiam et non quoad exsistentiam, quoad unum attributum vel personas, non quoad aliud : eo quod omnia illa sunt simplicissime unum et quidditative et essentialiter eadem res. Unde respectu cognitionis essentialis et intuitivæ, quæ tendit ad illam rem ut est in se, non est locus utendi essentiâ divinâ ut inadæquate repræsentanti, cognitioni beatificæ quæ est Dei in se, unum attributum et non aliud, vel essentiam et non exsistentiam : sic enim desineret illa cognitio esse quidditativa, intuitiva et beatifica, ut (præcedenti tomo, disp. 15 *) ostendimus. Substantia autem Angeli non sic se habet, sed repræsentat aliqua quæ non sunt essentialia prædicata, ut exsistentiam, subsistentiam et alia; et inter ipsa prædicata quidditativa etiam potest præscindi unum ab alio, respectu cognitionis inadæquatæ et imperfectæ : quod in cognitione rei creatæ semper locum habet. Et sic potest abstractione cognoscere suam substantiam sine exsistentia, utendo illâ ut specie inadæquatâ.

* supra, n. 40, *Patet consequentia*

* art. 1, n. 1-18 (tomo II, p. 243-8)

44. *Ad confirmationem* * *respondetur :* nos non dicere quod substantia Angeli, in quantum species et objectum intelligibile, sit solum assistens et non intime conjuncta ipsi intellectui, eumque informans et actuans : sed diversimode quam objectum extrinsecum seu species accidentalis superveniens. Quia substantia ipsa informat per identitatem ipsum intellectum radi-

* supra, n. 41

[1] Supple : *sic [potest Angelus] cognoscere*.

calem, qui est ipsamet essentia seu natura Angeli ut radix est potentiæ intellectivæ, quæ est accidens; et ex tali identificatione, quatenus eadem substantia, quæ radix est potentiæ intelligendi, intime est etiam objectum intelligibile subsistens, redditur per emanationem ab ipsa intellectus ipse determinatus et completus intelligibiliter, sicut redditur intellectivus et elicitivus proxime : eo quod ab utraque ratione, et objectivâ et subjectivâ, substantiæ Angeli emanat; et sic determinatus ab ipsa in ratione objecti manet, et procedit ad eliciendam cognitionem sui, ut declaratum est *. — Calor autem, si esset subsistens ** extra lignum, licet esset assistens extrinsece, non esset ei ratio calefaciendi, sed per se seorsum calefaceret. Si autem esset subsistens et identificatus ligno, sic esset ipsi ligno ratio et principium calefaciendi : sicut nunc species Angeli, seu substantia ut intelligibilis, est subsistens per identificationem ipsi intelligenti, et intellectui ipsi in sua radice identificatus, ut optime Cajetanus dicit * (quæst. sequenti 56, a. 1).

* supra, n. 26-28
** cf. supra, n. 41, *sicut in exemplo*
* cf. supra, n. 27

ARTICULUS III

Utrum respectu aliorum objectorum habeat Angelus species infusas, vel acquisitas.

1. CIRCA objecta extra se, quæ Angelus intelligit, *duplex difficultas circa eorum species consurgit*. — Prima : an dentur species accidentales distinctæ ab ejus substantia et intellectu in mente Angeli, quibus informetur ad eliciendam cognitionem circa objecta extra se. — Secunda : an tales species, si dantur, sint a Deo infusæ, vel ab essentia et intellectu Angeli emanantes, vel ab objectis exceptæ, mediâ aliquâ vi eas hauriente et depurante, ita quod ad hoc sit in Angelo virtus seu potentia aliqua sicut intellectus agens.

ANGELUS INDIGET SPECIEBUS SUPERADDITIS, IDQUE EFFICACITER PROBATUR A D. THOMA.

2. *Fuisse aliquos auctores qui negaverunt requiri species* intentionales ad eliciendam pariendamque notitiam a potentia, diximus in lib. *de Anima* (q. 6, art. 2 *). Specialiter Angelis eas negaverunt Durandus (in II, D. 3, q. 6, n. 17 et sqq.), Gabriel **, Occam ***, Bassolis †, Gregorius ††, quos citat Vazquez (hîc disp. 200, c. 1). — Et Durandus quidem exclusit speciem quæ est similitudo, quia similitudinem existimat petere identitatem specificam seu convenientiam naturæ cum eo cujus similitudo est : quæ utique non intercedit inter illam qualitatem intentionalem et objectum ad extra : v. g. Petrus in se, et species intentionalis ejus, non conveniunt entitative et realiter; et sic unum non est realis similitudo alterius, quia non est entitative ejusdem rationis.

* RE III, 178
** II, D. 3, q. 3, a. 3, concl. 3
*** II° *Sent.*, q. 15, concl. 1
† II, D. 3, q. 3, a. 2, in fine,
†† II, D. 7 q. 5, a. 1, concl. 1 et 3

3. Gabriel autem putat sufficere objectum ad extra propositum, simul cum potentia, ut ad illud cognitio feratur. Sed quia contingit sæpe intelligi objectum quod non est præsens, et sic intuitive non attingitur sed abstractive, addunt Occam *, Gabriel ** et Gregorius † fieri illam abstractivam cognitionem non a specie quæ sit similitudo superaddita, sed ab habitu seu determinatione aliqua relicta ex notitia intuitiva.

* ibidem, concl. 2-3
** ibidem, concl. 4
† ibidem, concl. 2, 4-5

4. *At vero P. Vazquez* (loco citato, c. 3; et postea, disp. 204, c. 2) existimat non esse aliquam rationem quæ convincat Angelos habere species superadditas, ut cognoscant alia objecta extra se. Posset enim aliquis dicere quod potentia intellectiva Angeli determinatur ab objecto extrinseco, non autem esse necessariam formam intrinsecam loco objecti in Angelo : nam proprium est facultatum cognoscentium et appetentium, ut determinentur ab objectis, non efficienter, sed peculiari modo concurrentibus ad operationem. Sed facultas appetens determinatur ab objecto exsistente in cognitione, intellectus vero ab objecto exterius exsistente secundum illud esse præteritum, præsens aut futurum. quod accommodatum est intellectui. Nam eo ipso quod est intra latitudinem intellectûs, potest ab eo determinari. — Ponere autem species in Angelis difficultate non caret : quia vel sunt acquisitæ a rebus, cujus contrarium docet D. Thomas * et nos statim ** probabimus contra Scotum. Vel sunt infusæ a Deo, et non debitæ ipsi naturæ angelicæ : et sic erunt supernaturales, utpote a solo Deo factibiles, et ipsi naturæ non debitæ; possetque Deus eas denegare nullâ violentiâ factâ naturæ, sicque naturaliter et sine violentia posset manere Angelus absque ulla cognitione.

* I P. q. 55, a. 2
** infra, n. 23, sqq.

Vel sunt species debitæ ipsi naturæ et ortæ ex principiis ejus : et hoc stare non potest, cum species intellectûs Angeli determinatæ non sint ex natura rei; nam vel habet species omnium possibilium, et hoc est infinitum et soli Deo notum; vel eorum solum quæ Deus creat aut creare voluerit, et hoc non est determinatum ex natura rei, sed ex libera Dei voluntate : non dimanat autem a natura tamquam passio, nisi quod determinatum est a natura.

5. DICENDUM NIHILOMINUS EST : **Angelum indigere speciebus accidentalibus superadditis ad cognoscenda alia objecta extra se, idque efficaciter convinci non minus in Angelis, quam in nobis.** — Et quidem hæc indigentia specierum vel probanda et convincenda est pro omnibus potentiis cognoscitivis generaliter, tam in Angelis quam in nobis : vel quia, etsi concedatur in nobis, negatur tamen in Angelis, sicut facit Vazquez.

6. *De primo non est in præsenti agendum;* sed in lib. *de Anima* late a nobis ostensum est (q. 6, art. 2 et 3*) necessario requiri istas species ad formandam cognitionem : quia hæc est natura facultatis cognoscitivæ, quod requirat concursum objecti ad suum actum, non quomodocumque, sed intra se apprehendendo et habendo illud. Unde hæc est communis omnium conceptio, distingui potentiam cognoscentem ab appetente, quod illa trahit res ad se, ista vero fertur ad res extra : quia appetitus fertur pondere ad sua objecta [1], intellectus vero similitudine. Unde intra se format similitudines et ideas et repræsentationes rerum, ut quotidianâ experientiâ videmus; et ille melius intelligit, qui similitudines et imagines rerum vivaciores format et rebus ipsis conformiores. Quare potentia cognoscitiva ex vi suâ, et propriâ atque essentiali ratione, assimilativa est seu formativa similitudinum, et trahens objecta ad se per apprehensionem. Quod certe trahi non potest nisi secundum aliquam repræsentationem seu similitudinem et esse intentionale. Nam in proprio et entitativo esse, constat non posse intrare objecta exteriora intra mentem, eique uniri; et casu quo possent, illa unio magis esset destructiva entitatis intellectûs, et constructiva alterius tertiæ, non autem deserviret cognitioni, præsertim intellectuali, quæ fit secundum esse immateriale et a conditionibus materialibus abstractum. Nec enim objecta uniuntur potentiæ, ut cum illâ componant tertiam aliquam entitatem, sed ut potentia objectum illud apprehendat, et in totum quod est in objecto penetret et ingrediatur cognoscendo. Et sic cognoscitive cognoscens fit cognitum, et unum atque idem repræsentative cum objecto : quod non est aliud quam ex objecto et potentiâ non fieri unam tertiam entitatem compositam (nec enim ad entitatem componendam ordinatur cognitio) : sed ipsam potentiam apprehensive et repræsentative assimilari et uniri rei cognitæ, et hoc uniri sine compositione entitatis tertiæ vocamus unum fieri.

* RE III, 177-192

7. ET PRÆSERTIM VAZQUEZ * CONVINCITUR HAS SPECIES PONERE in sensibus internis, et in intellectu humano ipsis alligato, quia multa cognoscimus in absentia objectorum, et de his quæ non sunt : quod utique fieri non potest, nisi aliqua similitudo impressa in nobis remaneat : de his enim quæ numquam videmus, non possumus sic formare similitudinem; signum ergo est dari in nobis hujusmodi species. — *Constat autem intellectum separatum,* sive Angeli sive animæ, recordari rerum absentium vel præteritarum. Nam animæ divitis damnati dictum est (Luc. XVI, 25) : *Recordare, fili, quod recepisti bona in vita tua;* et ipse quinque fratrum, quos in mundo reliquerat, recordabatur *. Angeli similiter præterita cognoscunt, et futura divinant : non solum boni Angeli, qui ea possunt videre in Verbo, sed etiam dæmones, qui naturali suâ virtute multa ex his penetrant et conjectant, hominibusque sive falso sive vere annuntiant : quod utique sine apprehensione non possunt : ergo neque sine specie. Quomodo enim talia objecta ipsis præsentia sunt, nisi in aliqua similitudine repræsentante? Aut si id convincit in sensibus internis et intellectu nostro, cur non in spiritu separato?

* cf. supra, n. 4

* Luc. XVI, 28

8. Dicere * enim quod sufficit objectum esse intra latitudinem objecti intellectûs : sunt meræ nugæ. Nam intra latitudinem objecti intellectûs est omne ens, seu omne intelligibile : ad quodcumque enim objectum potest extendi potentia intellectiva. Non autem sufficit aliquid in se esse intelligibile seu ens, ut statim intelligatur ab Angelo; alioquin quodcumque possibile posset nunc intelligere prout vellet, quia quodcumque possibile est intra latitudinem objecti intellectûs,

* supra, n. 4. *Nam eo ipso*

[1] Mendose omnes : *ad sua subjecta.*

præsertim si sit possibile ordinis naturæ. Quare ergo non intelligit illa, sed solum hæc determinata, si sufficit contineri intra latitudinem objecti, nec requiruntur species? — Dicere* vero quod remanet aliquis habitus vel determinatio ex intuitiva cognitione : futile omnino est et sine fundamento. Quid enim est ille habitus vel determinatio, si repræsentatio non est? Si enim habet effectum repræsentationis, scilicet rem præteritam vel absentem reddere intellectui præsentem, cur repræsentatio non erit? Aut quod est fundamentum ad ponendum habitum sine repræsentatione, et negare repræsentationem ex cognitione intuitiva relictam? cum habitus sine repræsentatione solum se habeat ut virtus elicitiva, ad faciendum vero objectum præsens, seu præsentatum potentiæ, non deserviat.

* supra, n. 3

9. *Ex his manifeste deducitur* auctores oppositos, et Vazquez, omnino carere sufficienti ratione ad impugnandum seu negandum Angelo istas species; eas vero firmo fundamento a D. Thoma poni, et a communi theologorum philosophorumque consensu. Licet enim aliquas difficultates habeat explicatio harum specierum, numquid propterea fundamento caret? Si quidquid difficile explicatur et difficultates habet negandum est, aut fundamento evacuandum, quid reliquum erit quod sciatur et evolvatur a scientiis? Numquid trivialia solum et superficialia, ac veritates per se notæ, vel discursu facili provenientes, sapientiæ labore eruderandæ sunt? Certe de necessitate specierum pro parienda notitia ab objecto et potentia, pro objecto trahendo ad cognoscentem, pro assimilatione cognoscentis ad cognitum, pro formanda similitudine expressa, pro ideis et aliis similibus quæ in intellectu et in sensibus experimur, ita est concors et fundata philosophorum atque theologorum sententia pro omni potentia cognoscente, tam intellectu separato quam corpori conjuncto, ut id negare prorsus meridianæ luci sit obsistere : ut ex insinuatis hîc (et tractatis citato* loco *de Anima*) constat.

* supra, n. 6

10. *Quare D. Thomas solum fuit sollicitus* (in præsenti q. 54**, a. 1) ostendere quod essentia Angeli non est sufficiens repræsentare alia a se perfecte, et ita indiget speciebus superadditis. Hoc autem sufficienter ostendit D. Thomas ex eo quod essentia Angeli, cum sit determinata ad certum genus et speciem, non potest continere perfecte omnia alia genera et species, sicut continet essentia divina per modum causæ et principii a quo derivantur omnes aliæ res : et ideo est infinita in essentia sua, nec limitata ad certum genus et speciem, quia omnium generum et specierum causa est quoad omnia quæ in talibus speciebus et generibus continentur. Et ideo sola essentia divina potest esse medium cognoscendi perfecte omnia alia extra se; et quia summe intelligibilis est, sicut deservit sibi ipsi pro specie, ita etiam mediate et secundario repræsentat ea quæ continentur et derivantur ab essentia divina. Unde cum Angeli per suam substantiam non possint perfecte assimilari omnibus aliis rebus extra se, quia neque eas continent neque causant, neque sunt ejusdem speciei cum omnibus illis, inde fit quod in se substantia Angeli non sit sufficiens similitudo ad cognoscendum perfecte alia extra se, sed solum secundum quid, prout substantia Angeli magis vel minus convenit et assimilatur vel dissimilatur rei cognoscendæ; ergo si perfecte cognoscit res alias extra se, indiget aliquo superaddito substantiæ et intellectui suo, per quod habeat perfectam similitudinem rei cognoscendæ.

** revera : I P. q. 55, a. 1

11. AD FUNDAMENTUM INSINUATUM*, pro sententia Durandi et Gabrielis, RESPONDETUR : Similitudinem repræsentativam non requirere convenientiam univocam et substantialem in natura cum re repræsentata, sed solum similitudinem accidentalem et intentionalem, sicut una imago repræsentat suum prototypum. — Quod autem dicitur* sufficere objectum esse propositum ad extra, ut attingatur a potentia cognoscente : manifeste convincitur esse falsum. Quia si sufficit esse exsistens in rerum natura, restat tunc assignare quomodo cognoscantur res non exsistentes, ut præteritæ et futuræ, formando immediatam cognitionem de illis et non in alio prius cognito, sicut quando immediate recordamur Petri mortui, nisi ponendo species. — Si dicatur sufficere quod aliquid sit intelligibile seu possibile, etiamsi exsistens non sit : sequitur quod Angelus intelligeret omnia possibilia, quia omnia sunt intelligibilia ex se. — Si vero dicatur requiri quod sint in aliquâ distantiâ proportionatâ, ut cognoscantur ab intellectu : manifeste falsum est, cum possit Angelus intelligere abstrahendo a loco et tempore, sicut sunt universalia; et possunt [1] non solum res indistantes,

* supra, n. 2, *Et Durandus*

* supra, n. 3

(1) Sic omnes; supple : [*Angeli*] *possunt* || Fortasse tamen corrigendum : *possit*.

sed etiam absentes, immo non exsistentes intelligere. — Ac denique, quidquid sit de omnibus istis, requiritur tamen ad intelligendum, quod objectum trahatur intus ad ipsum intellectum, sibique intime præsentetur, ita ut ab ipso intellectu et objecto pariatur notitia : quod cum non possit fieri per ipsam entitatem objecti ad extra, necesse est quod fiat per aliquam similitudinem quæ gerat vices ipsius objecti in se.

12. *Quod si instes :* Quid sit ista similitudo, quæ non fundatur in convenientia naturæ, sed solum in repræsentatione objecti? Nam etsi manifestum sit imaginem externam repræsentare suum prototypum, hoc tamen ideo est, quia illa imago exterior repræsentat sola accidentia rei repræsentatæ, et ideo convenit cum illis entitative; at vero species intelligibilis non solum repræsentat exteriora accidentia, sed etiam interiorem substantiam; et sic oportet quod habeat convenientiam cum substantia et natura rei repræsentatæ, si est similitudo illius. — Et si dicatur quod est similitudo repræsentativa, inquirimus quid sit hoc quod dicitur *repræsentativa*. Si enim mediante similitudine repræsentat, prius præsupponitur similitudo cum natura, quam fundetur repræsentatio; et talis convenientia inter speciem et naturam non invenitur. Vel si est aliqua alia similitudo, explicetur quid sit esse repræsentativam, aut quid addat supra similitudinem entitativam hoc quod dico repræsentativam, ita quod non exigatur convenientia in natura et entitate.

13. *Respondetur :* similitudinem intentionalem non dici accidentalem, quia solum repræsentat accidentia, sicut imago exterior : cum etiam ipsa substantia et quidditas magis intima ab intellectu penetretur eique repræsentetur, atque adeo speciem ad id requirat. Dicitur ergo intentionalis similitudo quatenus ad hoc est instituta a naturâ illa entitas, quam vocamus speciem, ut loco objecti subrogetur in intellectu, et ejus proprium munus sit vices objecti gerere. Et quia vices objecti gerit sine condicionibus materialibus, sed pure cognoscibiliter aut spiritualiter, seu in alio modo quam in sua entitate res invenitur, ideo illa similitudo dicitur intentionalis et repræsentativa, non vero similitudo entitativa et univoca in eadem entitate et natura, sicut duo homines aut duo lapides : quia ejus munus est naturam repræsentare, id est, præsentem et conjunctam reddere intellectui seu potentiæ, sine hoc quod habeat eamdem entitatem seu eumdem modum essendi, quem res habet in propria natura vel in propria materia. Qualitas ergo habens hoc munus et officium, quod est rem præsentem seu conjunctam reddere potentiæ in alio esse seu modo essendi, quam in propria entitate, scilicet intelligibili modo seu ad cognoscendum tantum ordinato et a condicionibus materiæ segregato, hoc vocatur similitudo repræsentationis, non similitudo et convenientia entitativa in eadem natura.

14. *Ad instantiam* Patris Vazquez respondetur :* species Angelis superadditas non esse acquisitas, sed a Deo infusas, non supernaturaliter, sed connaturaliter : quia naturali modo repræsentant, et de rebus naturalibus sunt, et naturali virtuti intellectûs debitæ et proportionatæ. Sicut etiam debetur concursus causæ primæ ipsi Angelo, et aliis causis debetur concursus aliarum causarum superiorum : qui quidem non est propria passio inferioris causæ, nec ab ea dimanat, sed a superiori, et tamen debetur ipsi ex colligatione et subordinatione causarum inter se. Itaque potest esse aliquid debitum* alicui naturæ, et tamen non oriri ex principiis propriis, sed ab extra; fietque illi violentia, si negetur talis forma vel concursus : si quidem etiam respectu passivi principii potest violentia dari, ut diximus in Physica (quæst. 9*). Et anima rationalis debetur corpori organizato et disposito, ita ut esset miraculum illi non infundi; et tamen non oritur ex propriis principiis, sed ab extra venit. Et motus debetur cælo, licet a motore extrinseco proveniat. Sic omni intellectui debetur concursus ex parte objecti ad intelligendum, qui fit per repræsentationes et species, sicut materiæ debetur forma ad componendum rem naturalem. Sed est hæc differentia, quod intellectus infimus, id est, anima nostra formatur et movetur immediate ab objectis ipsis corporalibus, mediantibus sensibus : et ideo unitur connaturaliter corpori ad species accipiendas. Spiritus vero separati, quia perfectiores sunt, non accipiunt perfectionem suam et repræsentationem objectorum ab ipsis objectis corporalibus, sed ab eorum radice et principio quod est Deus, et ab ideis divinis : quia cum sint perfecti spiritus, et perfecte segregati ab omni corpore, non convertuntur pro intelligentiâ accipiendâ ad ipsa corpora, sed ad spiritum factorem corporum, qui est Deus, a cujus ideis accipiunt similitudines ad intelligen-

* supra, n. 4, *Ponere autem*

* cf supra, n. 4, *Vel sunt species*

* art. 4; RE II, 191-4

dum superiori modo [1], quam nos ab ipsis objectis : ut (sequenti dubio *) dicemus. Atque ita sunt eis debitæ istæ species passive ut ab alio, non active ut a se.

[*Ponuntur ac solvuntur difficultates.*]

15. Objicies tamen, ad probandum quod essentia Angeli sufficit per se ad repræsentandum res alias. Nam Angelus per seipsum est imago Dei creata, et inter creatas perfectissima, juxta illud (Eze. xxviii, 12) : *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientiâ et perfectus decore;* ergo in se habet sufficiens principium ad cognoscendum Deum, multo melius quam per alias res; et ita pro acquirenda cognitione Dei non requirit aliarum rerum species. — Multo minus pro aliis rebus creatis cognoscendis : quia habet majorem convenientiam et habitudinem cum ipsis. Nam respectu aliorum Angelorum habet convenientiam valde propinquam, cum sint omnes ejusdem spiritualis naturæ. Cum rebus autem corporalibus habet convenientiam eminentialem et superiorem : cum corpora naturaliter sint subjecta Angelo, eique obœdiant, magisque influat in illa quam cælum : si quidem ex motu, quem Angelus cælo imprimit, hæc inferiora immutantur et generantur. Sed qui comprehenderet cælum vel solem, ut motum ab Angelo, cognosceret per speciem solis hæc inferiora; ergo qui comprehendit Angelum moventem solem, etiam comprehendet hæc inferiora; Angelus autem movens solem comprehendit se per suam essentiam, non per superadditam speciem, et quilibet Angelus, præsertim superior aut ejusdem ordinis, posset solem movere; ergo potest per suam essentiam cognoscere hæc inferiora corpora, sine specie superaddita.

16. *Confirmatur :* quia natura intellectiva et potentia intellectûs intelligibiliter continet omne ens, sicut potentia factiva continet id quod est factibile a tali potentia; ergo intellectus, qui comprehendit se et naturam a qua dimanat, in tali comprehensione cognoscet omne intelligibile pertinens ad talem intellectum : licet intellectus seu potentia, non comprehendens se, indigeat specie superadditâ ad alias res cognoscendas. — Consequentia patet : quia non minus continet potentia cognoscitiva objectum suum, quam potentia factiva suum. Sicut enim potentia activa habet proportionem cum effectu, ita potentia cognoscitiva cum objecto, sicut potentia visiva cum colore potius quam cum sono vel sapore; ergo qui comprehendit potentiam cognoscitivam, attinget in illa objectum ad quod dicit habitudinem vel proportionem : sicut qui cognoscit potentiam visivam, attingere debet colorem, et comprehendens talem potentiam attinget omnes colores. Ergo Angelus, comprehendens suum intellectum, attinget in illo omne intelligibile; et sufficienter continet in se omne ens, sicut potentia factiva continet in potentia suos effectus.

17. *Confirmatur secundo :* quia Angelus comprehendit per seipsum suam substantiam, et omnia accidentia sibi convenientia : ergo etiam suas species, quia sunt accidentia sibi inhærentia; ergo etiam comprehendit ipsas species : ergo repræsentationem illarum, et consequenter res repræsentatas per illas : alias solum confuse et valde imperfecte cognosceret species suas. Ergo habet in sua substantia sufficientem vim ad cognoscenda objecta repræsentabilia per species; et sic non indiget speciebus superadditis.

18. Respondetur * : Angelum sine speciebus superadditis non sufficere ad repræsentandum Deum et alias res perfecte et distincte, sed solum imperfecte et confuse. Et licet Deus non repræsentetur per aliquam creaturam, vel per speciem creatam, quidditative et ut est in se, sed confuse et imperfecte, et in hoc genere imperfectæ et abstractivæ cognitionis essentia Angeli melius repræsentet Deum quam alii effectus, quia similior est Deo illique propinquior : tamen respectu aliarum rerum, de quibus Angelus potest habere perfectam et comprehensivam notitiam, non sufficit essentia ipsius Angeli, sed indiget speciebus superadditis distincte repræsentantibus. Etenim non potest res una repræsentare aliam perfecte, nisi vel ratione convenientiæ et similitudinis cum illa, vel ratione causalitatis in illam, vel quia est effectus illius et procedit ab illa. Nullo autem ex his modis potest essentia Angeli repræsentare sufficienter et perfecte alias creaturas. Nam Angelus non procedit ab illis ut effectus, sicut procedit a Deo; et ideo licet hac ratione possit repræsentare Deum, sicut effectus ejus, non tamen potest sic repræsentare alias creaturas, quia ab eis non procedit. Similiter neque est causa aliorum, nam multæ res ab

* cf. supra, n. 15

[1] Intelligito : *ab ideis divinis accipiunt similitudines melius quam nos ab objectis.*

Angelo fieri non possunt, ut res spirituales, et ordines gratiæ, et cælum, et alia omnia quæ per creationem solum fieri possunt; et sic non potest illa cognoscere in seipso tamquam in causa. Aliæ vero res*, quæ per generationem et motum fiunt, non possunt ex virtute Angeli, etiam ad eas concurrentis per motum suum, perfecte cognosci: tum quia non causat totum quod in re illa invenitur et ex qua componitur, quia non causat materiam, et sic ex vi suæ virtutis non habet perfectam illius cognitionem; tum quia non causat formam virtute suâ immediatâ, sed applicando activa passivis, et præcise per motum localem, eo modo quo cælum movet. Unde non cognoscit ex vi suæ virtutis et causalitatis formas istas et effectus quantum sunt in se, sed quantum pendent a motu locali et ab activis et passivis quæ applicant.

19. Et ad instantiam* de sole: Respondetur quod comprehendens solem videt in illo virtutem illam causativam talium formarum et effectuum, quia hæc virtus in sole est, non in Angelo: licet requirat motum Angeli, ut causet illa virtus, quia non efficit mutationes horum inferiorum nisi secundum diversos adspectus et positiones et conjunctiones astrorum, et hæc sine motu fieri non possunt. Comprehendens autem Angelum non videt in illo virtutem causativam istorum effectuum, sed solum motivam et applicativam illius virtutis a qua causantur. Et ideo, ex vi illius, effectus ipsi non possunt perfecte videri, sed solum in quadam confusione et ratione communi. — Denique si attendatur sola convenientia et similitudo Angeli cum aliis rebus, constat quod non potest perfecte illas comprehendere: quia in multis prædicatis non convenit cum illis, sed longe illis dissimilis est; et sic in vi convenientiæ entitativæ et similitudinis non potest illas perfecte cognoscere. Nec in vi hujus posset etiam Deum cognoscere, nisi valde confuse: sed quia ex alia parte est effectus ejus valde perfectus, potest ex sui cognitione plus per essentiam suam de Deo cognoscere, quam ex aliis effectibus.

20. *Ad primam* confirmationem respondetur* negando consequentiam. — Et ad probationem redditur[1] disparitas inter potentiam cognoscitivam secundum se, sine speciebus, et potentiam factivam seu operativam effectuum: quod potentia cognoscitiva sine speciebus non continet objecta sua neque dicit ordinem ad illa, nisi ut pura potentia in genere cognoscibili, non ut in actu et determinate ac distincte ea continens: actuatur enim et determinatur potentia per objectum. Unde ex vi comprehensionis talis potentiæ solum cognoscuntur objecta ut contenta in illa sub quadam potentiali et confusa ratione. Si vero sumatur potentia cognoscitiva ut repleta et actuata speciebus, sic cognoscit perfecte objecta per ipsas species: sicut etiam intellectus per ipsas ideas quas format, et per artem qua dirigit, cognoscit ideata et arte facta; sed hæc supponunt species sine quibus neque intellectus format ideas, neque ars dirigit arte facta. At vero potentia activa, etiam se solâ et sine alio addito, dicit ordinem et proportionem ad suos effectus per modum activitatis et virtutis a qua fiunt, et consequenter per modum actualem, non potentialem. Unde mediante ipsâ sunt cognoscibiles effectus perfecte et distincte, et secundum continentiam actualem prout in causa continentur magis vel minus perfecte, secundum quod ipsa causa magis vel minus influit in effectus ipsos, quos secundum activitatem et actualitatem continet, non secundum potentialitatem et imperfectionem.

21. *Ad secundam* confirmationem respondetur,* quod substantia et intellectus Angeli possunt considerari in duplici statu. — Uno modo secundum se præcise antequam intelligantur in illo species, quas connaturaliter exigit ille intellectus, sed solum secundum suam substantiam et potentiam. Et hoc modo non potest substantia et intellectus servire ad cognoscendas omnes species, sibi connaturales et proportionatas, perfecte et complete et quidditative: quia sub hac consideratione solum se habent in potentiâ passivâ et potentiali ad tales species, sicut et ad objecta earum. Et ita non amplius potest intellectus ex vi suæ substantiæ sic consideratæ cognoscere, quam de ipsis objectis: scilicet quod est in potentia ad illa, et sub habitudine puræ potentiæ in esse intelligibili ad tales species et ad talia objecta se habet; habitudo autem puræ potentiæ non potest distincte et determinate manifestare formas ad quas est in potentia, sed solum potentialiter et indeterminate et in confuso: quod est solum in communi manifestare eas, et quoad *an est*. — Alio modo possunt considerari substantia et intellectus Angeli, non solum

* supra, n. 17

[1] Id est: *redditur causa disparitatis*...

secundum se præcise et sine speciebus, sed cum illis et prout habent illas a Deo : qui est status connaturalis talis intellectûs. Et sic substantia intellectiva et intellectus Angeli, ut completus et actuatus speciebus, est sibi ratio et medium cognoscendi perfecte ipsas species et earum repræsentationes et objecta : quia sic jam supponuntur species in intellectu, et ipsa substantia intellectiva supponitur perfecta et completa in suo genere intellectivo et in statu suo connaturali, habendo species. Et sic ipsa ut actuata speciebus, et non sine illis, est ratio et medium cognoscendi se, et species quæ in se sunt, perfecte et quidditative : non ipsa sola et prout in potentia ad species.

ANGELI NON ACQUIRUNT ALIQUAS SPECIES AB OBJECTIS, SED A DEO HABENT ILLAS INFUSAS.

22. Loquimur universaliter de omnibus objectis, tam materialibus et corporeis, quam spiritualibus et incorporeis : licet in objectis immaterialibus possit inveniri specialis difficultas, an ista objecta immaterialia possint speciem sui immittere et causare in intellectu Angeli. Quod in objectis materialibus stare non potest : quia si ab eis accipiuntur species spirituales, id debet esse beneficio alicujus intellectûs agentis, sive ipsius Angeli, sive separati ab Angelo, potentis illas species depurare et spiritualizare a materialibus condicionibus : quod in rebus spiritualibus non requiritur.

23. IN HAC ergo PARTE CONTROVERSIA EST inter scholam D. Thomæ et Scoti. — *Nam Scotus* vult Angelum posse accipere species a rebus materialibus (ut patet in II, D. 3, q. 11); immo ad notitiam intuitivam, in præsentiâ objecti, censet concurrere effective ipsum objectum simul cum intellectu, sine alia specie. Ad cognitionem vero abstractivam dicit acquirere Angelum species ab objectis, quatenus ex notitia intuitiva, habita ex ipsa re singulari præsenti, relinquitur species ad notitiam abstractivam, hoc est ad notitiam rei non exsistentis aut sine exsistentia consideratæ (ut docet ibidem, q. 10, § *Ad quæ-*
* n. 15-16 *stionem* *). Non tamen negat Scotus, et auctores qui ipsum sequuntur, absolute non (1) esse infusas aliquas species Angelo ab initio suæ creationis, saltem ut crearetur perfectus, et ornatus sapientiâ et intelligentiâ. Id enim postulare videtur ille locus (Eze. XXVIII, 12-15) ubi loquens de primo Angelo antequam caderet, et consequenter ab ipso instanti creationis, dicit : *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientiâ et perfectus decore in deliciis paradisi Dei fuisti. Tu Cherub extentus et protegens, et posui te in monte sancto Dei, in medio lapidum ignitorum ambulasti perfectus in viis tuis a die conditionis tuæ.* Quæ verba, cum loquantur de Angelo in illo primo instanti antequam peccaret, et in quo adhuc erat perfectus, manifeste supponunt ipsum habuisse in illo primo instanti omnia requisita ad illam plenitudinem sapientiæ, et ad cognitionem sine qua non posset mereri, nec esse perfectus in viis suis; cognitio autem et sapientia sine speciebus haberi non potest. Nec in illo instanti potuit illas acquirere ab aliis rebus : cum hoc in unico instanti aut brevissimâ illâ morâ intelligi non possit, ita quod applicaretur tunc omnibus objectis, ut ab illis hauriret species et redderetur plenus sapientiâ.

24. Hoc ergo non negat Scotus, et ejus schola, quod aliquas species Angelus ab initio suæ creationis habuerit infusas : licet de Alexandro referat Vazquez (hîc, disp, 201, c. 1) quod indistincte asserat omnes species Angeli esse a rebus acceptas (in II^a Parte, q. 24, membro 2* et 3). — Addunt tamen Scotistæ et Scotus** Angelum acquirere a rebus species singularium, quæ decursu temporis fiunt, nec ipsis ab initio nota sunt; immo licet haberet istas species singularium ab initio, tamen ad notitiam intuitivam eorum, quando redduntur præsentia, aliquid a rebus dicunt accipere. Et similiter docent ex eodem principio, quod, si Angelus non haberet ab initio illas species infusas, posset illas beneficio sui intellectûs acquirere a rebus : et sic solum fuerunt per accidens infusæ. Consequenter isti auctores ponunt in Angelo intellectum agentem *, qui sit virtus talium specierum acquisitiva ab objectis.

* ed. Quaracch., n. 130, 131 (tomo II, p. 178 a. 179 b)
** II, D. 3. q. 11, n. 11-12; vide Lychetum in h. l.
* Scotus in II. D. 3. q. 11. n. 4-5

25. *At vero P. Vazquez* (disp. 200, c. 3) inclinat in illam partem sententiæ Scoti, quod Angelus sine specie possit in præsentia objecti cognitionem illius elicere : quia ad id putat sufficere efficaciam intellectûs angelici per se, sine specie superaddita. Et licet (disp. 201*), cum D. Thoma * c. 2

(1) Intelligito : *non negat Scotus... absolute esse infusas aliquas species...* || De hac superflua negatione videas tomi I Præfationem, cap. III, art. 2, § 3, n. 2. a).

et communi sententia, existimet Angelum non accipere species a rebus, tamen (cap. 3*) inquit facilius intelligi posse quod Angelus non indiget speciebus, sed a sola sua virtute potest aliquid intelligere, eo ipso quod aliquid constituitur intra latitudinem objecti ejus.

* disp. 201, c. 3

26. **DICENDUM NIHILOMINUS EST PRIMO : Angelum de facto non acquirere species a rebus, neque a spiritualibus neque a corporalibus, neque in ordine naturali neque supernaturali.** — *Hanc tenet manifeste D. Thomas* (in hac q. 55* a. 2) ubi sine ulla distinctione id docet de omnibus speciebus (et idem docet in II, D. 3, q. 3, a. 1; et *de Verit.* q. 8, a. 7; et II *Contra Gent.* c. 92** et 96; et communiter sequuntur omnes theologi.

* I P. q. 55, a. 2

** verius : c. 91, ratio 7

27. RATIO HUJUS CONCLUSIONIS CONSTAT ex eo, quod Angelus productus est a Deo perfectus in natura intellectuali, et juxta modum sibi debitum et proportionatum, non minus quam primus homo, qui productus est a Deo in statu perfecto tam animæ quam corporis. Angelus autem multo perfectius, quam homo, creatus est. Ergo non est productus ignorans, sed sapiens et intelligens; immo *plenus sapientiâ et perfectus decore,* sicut ejus intellectus exigit, qui perfectus est, ut ex loco supra* citato (Eze. XXVIII, 12-15) dicebamus. Ergo si in illo primo instanti suæ creationis productus est ut intelligens et cognoscens, non solum in potentia et in habitu, sed in actu secundo, oportuit quod haberet species infusas : quia actus intelligendi, in illo instanti creationis, in Angelo sine speciebus infusis elici non poterat. — Item in illo instanti Angelus creatus est in gratia, juxta illud Augustini (XII de Civit., c. 9*) : « Simul erat in eis condens naturam, et largiens gratiam ; » ergo in illo primo instanti debuit habere aliquem actum supernaturalem dispositivum ad istam justificationem : si quidem non accepit gratiam et justificationem ut parvulus, sed ut adultus, et per proprium actum se disponendo. Ergo debuit habere cognitionem supernaturalem a qua regulatur actus voluntatis disponens ad gratiam : ergo et species, sine quibus talis cognitio haberi non potest, quas in illo instanti a rebus acquirere non potuit : quia, ut acquireret, deberet præsupponi exsistens et productus in facto esse, et sic produceretur ignorans, et non habens gratiam per propriam dispositionem, si cum gratia creatus est. Quare vel debuit Angelus in primo instanti produci a Deo cum ignorantia, et justificari non per propriam dispositionem, si species deberet acquirere, quia ista acquisitio non poterat fieri nisi ab Angelo jam in facto esse producto et exsistente ; vel si productus est a Deo non ignorans, sed intelligens et se disponens ad justificationem pro illo primo instanti, ergo tunc non habuit species acquisitas sed infusas. — Denique, ad hoc ipsum facit id quod supra* ponderavimus ex loco illo (Eze. XXVIII, 12-15), ubi *ab ipso die conditionis,* id est, ab instanti creationis dicitur Angelus *perfectus esse in viis suis, et plenus sapientiâ, et perfectus decore,* etc. : quæ omnia verificari non possunt si produceretur a Deo sine speciebus, sed intellectus ipse nudus et in potentia ad species, et tamquam tabula rasa : sic enim non esset plenus sapientiâ, sed in potentia ad illam, et actu evacuatus ab illa, sicut homo quando nascitur.

* n. 23

* PL 41, 357

* n. 23

28. Ex his autem assurgimus ad discurrendum quod Angelus accepit species in illo primo instanti non solum repræsentativas rerum in universali, sed etiam in singulari : eo quod non potuit tunc habere perfectum solum intellectum speculativum, sed etiam practicum : quia habuit meritum, et meritum perfectum in dilectione Dei et proximi ; cognovitque tunc alios Angelos, multasque eorum operationes, cum naturaliter unus Angelus sit communicativus cum altero, vel illuminando, vel illuminationem recipiendo, vel etiam loquendo : et sic postulat cognitionem et species eorum in singulari. Mysteria etiam gratiæ, quæ per fidem novit, in singulari cognovit. Ac denique non poterat dici perfectus in viis et plenus sapientiâ, si circa singularia esset ignorans, et solum in universali tunc cognosceret : quia scientia in communi minus apta est ad procedendum in particulari, et ita minus sapienter et perfecte (1) disponunt intellectum ; nec potest qui caret tali notitiâ vocari plenus sapientiâ.

29. *Solum potest dici,* quod Angeli habuerunt tunc cognitionem et species infusas eorum individuorum quæ pro illa duratione exstabant, sive in creaturis spiritualibus sive corporalibus, non tamen pro individuis succedentibus decursu temporis ; et ideo pro illis debuit (2) habere vim

(1) Supple : [*universalia*] *disponunt*... ‖ Aut fortasse corrigendum sit : *disponit.*

(2) Supple : *debuit* [*Angelus*] *habere*...

acquirendi species ab objectis : quæ est sententia Scoti,* et in quo a nobis differt. — Hæc responsio non potest evidenter convinci ex his quæ hucusque adduximus, quæ solum procedunt de cognitione attributâ Angelo pro illo primo instanti.

30. *Potest tamen non parum urgeri, et excludi* congruentissimis rationibus ex his quæ allata sunt deductis : eo quod ista responsio enervat valde perfectionem angelici intellectûs, et reducit illam quantum est ex natura sua ad eumdem modum intelligendi quem habet homo, licet in isto genere vivacius et perfectius intelligat, sicut differt homo magni ingenii ab aliquo valde rudi : cum tamen ex his quæ allata sunt constet, Angelum non per accidens, sed ex sua natura, esse spiritum plenum sapientiâ et perfecte intellectualem : id enim significant illa verba : *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientiâ.* Et
B S. Dionysius (in 7° cap.* De divinis nomin.) dicit : « Angelos non congregare divinam cognitionem a rebus divisibilibus et sensibilibus. » Si autem talis naturæ esset Angelus quod singularium notitiam ab ipsis objectis acciperet per species ab eis derivatas, licet eas in universali haberet infusas, simpliciter ex natura sua non esset plenus sapientiâ : quia in multis posset ejus notitia deficere, si quidem plurium singularium notitiâ careret, cum non posset ab omnibus haurire species, sed solum ab illis quibus se applicaret. Non posset autem Angelus multis singularibus, quæ simul accidunt in toto universo, simul se applicare ut illorum notitiam acciperet : quia dum in uno loco acciperet species, in alio distanti multa fierent, quarum notitiâ penitus careret. Sicut si Angelus applicat se Hispaniæ ad accipiendum species eorum quæ hîc accidunt, non potest simul accipere species eorum quæ accidunt in eodem instanti in alia parte terræ, vel infra terram, vel in cælo. Et ita hoc ipso quod Angelus non habet scientiam singularium nisi acquirendo species ab objectis, et has non potest accipere nisi applicando se ipsis objectis, naturaliter talis intellectus subjectus est multorum singularium ignorantiæ : quia non potest simul applicari omnibus objectis quæ sunt, vel de novo fiunt, in mundo; et sic oportet quod plurium species ab eo omittantur.

31. Immo etiam ex natura sua non esset debitum illi habere species rerum in universali; sed, si quas habuit ab initio suæ creationis, non fuerunt per se sed per accidens infusæ : si quidem potest eas acquirere a rebus; ergo non est ei debitum quod per infusionem accipiat : quia si est acquisitivus earum in singulari, etiam ex illis potest in universali accipere sicut nos. Non ergo potest naturaliter esse acquisitivus specierum, et naturaliter petere infusionem earum; nisi forte peteret infusionem specierum in universali et in confuso, et postea per acquisitionem singularium perficeretur : quod imperfectionis magnæ est, ut sequenti conclusione ponderabitur*. Unde quantum est ex natura sua, * infra, n. 32 sqq., maxime n. 35
si illa infusio per accidens facta non daretur, a principio per se et ex natura sua Angelus careret omni specie tam in universali quam in singulari, quousque aliquas acquireret; et sic dum non acquireret, esset ignorans; non ergo per se et ex natura sua esset plenus sapientiâ.

32. **DICO SECUNDO : Non potest Angelus propter perfectionem suæ naturæ acquirere aliquas species a rebus, sed ex sua natura petit illas habere infusas a Deo; et sic caret principio acquisitivo specierum, qui est intellectus agens respectu rerum materialium.** — *Hæc conclusio probatur ex duplici principio.* Primum ex parte ipsius Angeli. Secundum ex parte ipsorum objectorum materialium (de his enim tantum loquimur in præsenti conclusione.)

33. Primum principium explicatur sic : Quia si natura Angeli posset acquirere species ab objectis, vel ex natura sua id peteret, vel hoc illi accideret ex aliquo defectu talis naturæ seu imperfectione : quia dependere ab objectis in acquisitione specierum, et non habere illas connaturaliter a principio, majoris imperfectionis est, quia est carere formis intelligibilibus quæ sunt species. — Hoc secundum non est ad propositum : quia si solum ex defectu naturæ id habet, non ergo ex natura sua id petit, sed potius oppositum, quia non pertinet id ad perfectionem naturæ intellectualis sed ad defectum ejus; natura autem non inclinatur ad id quod defectuosum est sibi. Nisi dicatur hoc non esse ex defectu naturæ, sed ex generali imperfectione et limitatione ejus, quia non petit de se habere illam perfectionem, sed per se debet eam acquirere. Quod si ita est, ergo ex natura sua Angelus non est perfectus in intellectualitate, sed imperfectus et ignorans; et sic ex natura sua intellectus Angeli non magis esset in actu, nec magis plenus sapientiâ, quam noster intellectus : quia deberet eam acquirere ex ob-

jectis : quamdiu enim intellectus aliquis caret specie seu speciebus objectorum, respectu illorum ignorans est. Quod si Angelus haberet infusas species a principio, id esset per accidens, quia Deus vellet hoc illi largiri supra debitum suæ naturæ : si quidem ex natura sua esset acquisitivus illarum; non ergo ex natura sua peteret sibi infundi. Inconveniens autem est dicere quod Angelus, qui est naturæ intellectualis perfectæ, ex ipsa natura sua habeat ignorantiam et carentiam specierum : cum in linea intellectuali Angelus se habeat sicut corpora incorruptibilia in corporalibus, quæ petunt suam perfectionem habere statim a principio, non paulatim et successive eam acquirere : id enim proprium est corporum generabilium et motui subjectorum. Sic Angeli in genere immateriali et spirituali, cum sint naturæ perfectæ, ex propria ipsa sua natura exigunt non acquirere perfectionem intelligibilem quæ ei tribuitur per species : quia hoc supponit naturam ipsam et intellectum, ex se et quando producitur, carere illâ perfectione : si quidem acquirere non potest nisi desit sibi id quod acquirit, alias jam haberet, si non careret illâ. Intellectus autem, carens speciebus intelligibilibus, est in genere intelligibili sicut materia prima sine forma : caret enim scientiâ in actu primo, si quidem intellectus per ipsam potentiam solam ante species non dicitur sciens in actu primo, sed solum in potentia remota : ut patet in puero cum nascitur, qui non dicitur sciens in actu primo sed ignorans, quia ejus intellectus est tamquam tabula rasa sine speciebus : et tamen habet intellectum possibilem capacem illarum, et intellectum agentem acquisitivum illarum. Si ergo Angelus ex natura sua est acquisitivus specierum, non autem ex natura sua petat sibi statim a principio infundi ita quod cum illis nascatur et creetur, ex natura sua petit nasci ignorans, sicut homo : et consequenter non plenus sapientiâ, neque ut perfecta natura in esse intellectuali, perfecta, inquam, in actu primo et in ratione scientiæ. Nam in actu secundo non est necesse quod ab initio consideret in actu secundo omnia : quia in creaturis non est imperfectio actu non considerare aliqua, sed est imperfectio carere scientiâ seu facultate considerandi : hoc enim est ignorare. Quod si Angelus ex se non est natura intellectiva perfecta, quænam erit perfecta in esse et genere intellectivo? An forte non est possibilis intellectiva natura perfecta? Hoc sane summum inconveniens est, et magna infelicitas felicissimæ naturæ, quod in omni sua latitudine et genere petat ex natura sua nasci cum ignorantia, et nullus intellectus sit ex debito suæ naturæ plenus sapientiâ : sed, si habet illam ab initio, est per accidens.

34. *Unde etiam fit argumentum et confirmatio* pro hac parte non levis : nam id, quod ex natura sua alicui est debitum et connaturale, numquam tollitur a tota illa natura et omnibus speciebus et individuis ejus : licet in aliquo, vel aliquibus, præter naturam quandoque fiat et suppleatur. Sicut si homo naturaliter est acquisitivus scientiæ in anima, et augmenti in corpore, sic accidit communiter in hominibus : licet unus aut alter accipiat scientiam infusam a Deo per accidens. At videmus quod omnes Angeli creati sunt intelligentes et scientes : quia in primo instanti meruerunt, et de ipso primo Angelo dictum est quod fuit *plenus sapientiâ, et perfectus in viis suis a die conditionis suæ;* est autem Eze. XXVIII, 12, 15 eadem ratio de aliis omnibus Angelis. Ergo vel omnibus erat connaturale et debitum sic nasci, et sibi infundi species ab initio, vel non, sed ex natura sua erant acquisitivi specierum. Si hoc secundum : ergo non omnibus Angelis debebant infundi species, nec ab initio sic creari : quia si connaturale et debitum est eas acquirere, non debuit hæc connaturalitas in omnibus tolli et suppleri, licet in uno vel altero per accidens infunderentur species. Si primum : ergo habemus intentum, quia ex natura sua non sunt acquisitivi specierum, si quidem ex natura sua petunt nasci cum illis, et sibi infundi ab initio. Nec potest stare quod eademmet natura connaturaliter petat nasci plena speciebus, et connaturaliter petat acquirere illas, et sic non nasci cum illis : sicut non potest homo connaturaliter petere potentiam augmentativam, qua successive crescat, et connaturaliter petere nasci in perfecto statu, et omni augmento acquisito et habito ab initio.

35. *Nec dici potest,* quod Angelus petit connaturaliter habere aliquas species infusas ab initio, scilicet in universali et de rebus incorruptibilibus, non de singularibus quæ successu temporis decurrunt. — *Nam contra est :* quia si istæ species infusæ Angelo, quas connaturaliter petit, taliter sunt repræsentantes in universali, quod non possunt deservire pro cognoscendis singularibus quando singularia producuntur, sed indigent novâ specie ipsius singularis, sequitur

quod Angelus ex natura sua petat species valde imperfectas et confusas. Quia repræsentatio solum in universali, et non potens descendere ad singularia, etiam si dentur et producantur talia singularia, est repræsentatio imperfecta et minus efficax : quia cum intellectus sit ex se non solum speculativus in universali et in abstractione, sed etiam directivus rerum in singulari, et cognoscitivus rerum experimentaliter et in individuo, fit quod intellectus, solum petens ex sua natura species repræsentativas rerum in communi, petat species imperfectas et inefficaces pro scientia tam speculativa quam practica; et sic non erit ex natura sua Angelus plenus sapientiâ, quia caret de se et connaturaliter aliquâ sapientiæ parte, scilicet circa singularia. Unde ulterius fit consequens, quod talis intellectus ex natura sua manet expositus multis ignorantiis : quia, cum multa singularia fiant et transeant in eodem momento temporis, nec possit Angelus omnibus simul adesse, ut ab omnibus species accipiat, multa necesse est ab eo transeant, et ignorantiam eorum habeat; et sic semper remanebit intellectus ille ex natura sua non plenus sapientiâ, quia multis ignorantiis expositus, et sic a sapientiâ deficiens : cum tamen a Scriptura dicatur *plenus sapientiâ;* et ratio id dictat, quia natura angelica est perfectissima in genere intellectuali; ergo non est naturaliter ignorans et acquisitiva scientiæ.

36. Nec propter hoc timendum est, quod per illas species cognoscat omnia singularia, etiam futura. Quia illæ species repræsentant singularia eo modo quo sunt, et dependenter ab eorum terminatione; ita quod, quando sunt intra causas, repræsentant ea intra causas, quando extra, ut exsistentia in se : non vero in se determinate quamdiu sunt futura. In hoc enim non est inconveniens, quod dependeant species angelicæ a productione singularium, ut a termino suæ repræsentationis : quia similitudines sunt derivatæ ab ideis divinis, et eo modo repræsentant res in intellectu Angeli, quo derivantur a Deo per successum temporis : ut dicemus latius (disp. sequenti *).

37. SECUNDUM PRINCIPIUM supra** positum, quod repugnet Angelum acquirere species a rebus materialibus, SUMITUR EX PARTE OBJECTORUM : Quia non potest Angelus acquirere species ab objectis materialibus, nisi prius sint cognita a sensibus et imaginatione. — *Cujus ratio est :* quia vel intellectus sumit suas species ex objectis jam cognitis et præsuppositis in aliis potentiis cognoscentibus præter intellectum, vel non, sed immediate ab ipsis objectis in se haurit species.

38. Si primum, jam supponit sensum et cognitionem sensitivam : quia objecta, extra intellectum cognita, non nisi in sensu supponi possunt, quia præter intellectivam cognitionem non datur nisi sensitiva : qua tamen caret Angelus, et sic ex illa non potest species haurire. Nisi dicatur quod accipit species a sensibus non suis, sed nostris : quod est omnino ridiculum, et est facere Angelum deterioris condicionis quam hominem in cognitione sua : cum homo, quia naturaliter petit accipere species a sensibus, naturaliter etiam uniatur corpori in quo sunt sensus : Angelus autem, si connaturaliter etiam petat accipere species a sensibus, non habeat illos sibi unitos, sed indigeat ab homine vel a brutis accipere species ex eorum sensibus : quasi, si homo vel bruta non sint, Angelus maneat in obscuro. — Nec etiam dici potest quod Angelus hauriat species non a sensibus, sed ab intellectibus aliorum Angelorum : tum quia non bene explicari potest, quomodo unus Angelus illabatur menti alterius, ut ab eo accipiat species; et, si alter noluerit ut ab eo species accipiat, non intelliget. Tum quia hoc modo, si unus tantum Angelus produceretur, ille non intelligeret : quia non esset alius intellectus a quo species acciperet. Tum quia quilibet Angelus deberet supponere alium jam intelligentem et habentem species, ut ab eo acciperet, et ille alium; et sic vel procederetur in infinitum, vel daretur circulus, ita ut iste acciperet species ab illo, et ille ab isto ut intelligeret : sicque supponerentur ad invicem habere et non habere species, vel deveniretur ad unum qui species non acciperet ab alio, sed a Deo connaturaliter; eadem autem ratio est de omnibus, quia nullus operatur intra mentem alterius eique illabitur, licet illuminet illum per exteriorem propositionem veritatis : ut (disp. 25*) dicetur. * nunc disp. 45

39. Si autem dicatur quod intellectus Angeli accipit species non ex objectis jam cognitis ab alia potentia, sive sensitiva sive intellectiva, sed immediate ab ipsis objectis : pejora sequuntur inconvenientia. Nam vel accipit ab ipsis objectis species purificatas et denudatas a condicionibus individualibus, et in universali repræsentantes, vel non, sed directe repræsentant ipsa singularia materialia in se. — Si hoc secundum, illæ

species nihil differunt a sensibilibus, quales sunt species sensibus impressæ, quæ repræsentant directe singularia materialia; et essent imperfectiores speciebus nostri intellectûs : quia nostræ species repræsentant res in abstracto et universaliter, illæ autem species, quas Angeli acciperent a rebus, repræsentarent singulariter et quælibet suum determinatum individuum tantum. Et sic quantumcumque essent spirituales, essent tamen in repræsentando minus universales et perfectæ quam species nostri intellectûs : quia magis restrictæ et determinatæ essent. Est autem inconveniens quod Angelus, qui est perfectior homine in intelligendo, non petat perfectiores species quam ille. — Si vero accipit ab objectis species non in singulari et determinate repræsentantes cum condicionibus individuantibus, sed abstractas et denudatas ab illis sicut species nostri intellectûs, ergo cum ex una parte non supponat ipsa singularia cognita per sensus, quia non habet illos, sed immediate abstrahat ab objectis, et ex alia parte species illæ quas abstrahit non repræsentent directe ipsa singularia seu condiciones individuantes, quia abstrahit et denudat ab illis ipsas species, ergo remanebit Angelus ex natura rei cum cognitione valde confusa, et solum in communi et in universali : quia directe non repræsentantur singularia, cum ab illis abstrahat. Nec reflexe potest illa cognoscere, cum non habeat sensus supra quos reflectat et in quibus supponat singulare esse cognitum directe, sicut in nobis invenitur; nec supra ipsum objectum a quo accepit species posset semper reflectere, cum non semper Angelus sit illi conjunctus, nec ipsum objectum sit semper exsistens. Ergo remanebit cognitio Angeli omnino imperfecta et truncata, respectu cognitionis singularium.

40. Dicere autem quod species illa, quam Angelus acquireret ab objectis, utrumque directe repræsentaret, scilicet tam universale quam singulare, omnino repugnat. Quia species, quæ fiunt universales per abstractionem a singularibus, separant unum ab alio, et repræsentant unum relicto alio : et sic repræsentant naturam in universali, non repræsentatis ibi directe condicionibus individualibus, sicut species visibilis repræsentat colorem pomi et non saporem. Ergo non potest species aliqua repræsentare per viam abstractionis naturam aliquam in universali, et simul directe repræsentare condiciones individuantes directe,[1] si quidem abstrahunt[2] ab illis.

41. DICO TERTIO : **Non potest Angelus accipere species a rebus immaterialibus seu spiritualibus, neque per actionem Angeli in talia objecta, neque per actionem talium objectorum in intellectum Angeli.** — De hac conclusione videndus est Navarrete (hîc, controv. 50) et Carmelitani Salmanticenses (tract. VII de Angelis, disp. 5, dub. 3), licet oppositum tribuatur Scoto et Alensi (supra * citatis). Immo D. Thomas (quæst. *de Anima*, a. 18 ad 13; et a. 20 ad 11) dicit quod animæ separatæ infunduntur species « mediantibus Angelis ». * nn. 23-24

42. Ceterum D. Thomas (in hac quæst. a. 2 ad 1) absolute docet quod « similitudines, quæ sunt in mente Angeli, non sunt a creaturis acceptæ, sed a Deo qui est creaturarum causa »; et loquitur indistincte de omnibus creaturis, sive spiritualibus sive corporalibus. Et infra (q. 57*, a. 2) expresse docet quod « impressæ sunt » Angelo similitudines seu « rationes omnium, tam corporalium quam spiritualium, a Verbo Dei ». Et videri potest infra (q. 106*, a. 1), ubi negat ab Angelo illuminante infundi aliquod lumen inferiori. Et idem docet (in II, D. 9, q. 1, a. 2 ad 4; et q. 9 *de Verit.* a. 1, præsertim ad 10) ubi docet quod Angelus illuminans non infundit species. I P. q. 55, a. 2 — * rectius : I P. q. 56, a. 2 — * I P. q. 106, a. 1, ad 2

43. *Certe* quod substantiæ spirituales non imprimant species suas intellectibus Angelorum, nec isti eas ab illis accipiant, *argumento est : quia* Angeli in principio suæ creationis acceperunt species quibus cognoscerent alios Angelos, neque exspectaverunt ab eis species accipere; ergo hoc connaturale est ipsis Angelis : nam si connaturale esset accipere species ab ipsis objectis spiritualibus, non negaretur hoc ipsis Angelis. — Habuisse autem ab initio species infusas, quibus Angeli se cognoscerent, patet : quia in ipso primo instanti creationis cognoverunt se, quia exercuerunt actum caritatis, quo dilexerunt Deum et proximos. Similiter quilibet Angelus cognovit gradum et excellentiam suam, quia comprehensive se cognovit; ergo cognovit se esse superiorem vel inferiorem

[1] Omnes : *directe repræsentare... directe* : quod superfluum omnino videtur.

[2] Sic omnes ‖ Melius legeretur : *abstrahit*.

[3] Mendose omnes : *tract. 6*.

aliis, et consequenter alios cognovit. Ac denique Angelus dicitur fuisse *plenus sapientiâ, et perfectus in viis suis a die conditionis suæ* (Eze. XXVIII, 12, 15); non esset autem plenus sapientiâ, si in illo primo instanti deesset illi perfectissimorum entium cognitio, id est, ipsorum Angelorum. — Si autem in ipso primo instanti creationis cognoverunt alios Angelos, non potuit id esse per impressionem specierum ab ipsismet Angelis factam in alios, vel per acceptionem ab ipsismet Angelis: quia omnes simul sunt producti. Non poterat autem unus ab alio accipere nisi illum supponeret exsistentem, ut hauriret ab illo ut ab objecto species. Nec iterum omnes poterant in alios imprimere : quia inferiores non poterant species sui in superiores imprimere : hoc enim esset plusquam illuminare illos; negat autem S. Thomas inferiores Angelos illuminare superiores (infra, q. 106, a. 2*).

* magis : art. 3

44. RATIO AUTEM A PRIORI EA EST, quam sæpius indicat S. Thomas (ut videri potest II *Contra Gent.* c. 98, circa finem; in II *ad Annibald.*, dist. 3,** q. unica, a. 1 ad 2) : Quia unus Angelus non potest illabi intra mentem alterius per suam substantiam, neque immediate operando intra illum, præsertim infundendo lumen vel species (ut docet infra, q. 105*, a. 3); ergo una substantia spiritualis non potest imprimere speciem suam in intellectu alterius Angeli, neque ipse ab eo[1] haurire. — Hæc consequentia patet : quia species spirituales non possunt produci ab uno Angelo in alium transeundo per medium. Quia medium est extensum vel corporeum; species autem illæ sunt accidentia spiritualia; et sic non possunt inhærere medio corporeo, et multo minus in vacuo, in quo essent sine subjecto; debent ergo produci sine aliquo medio in ipso intellectu Angeli a substantia spirituali alterius Angeli, vel ab ipsa extrahi per aliquam virtutem Angeli accipientis species intra se, et non per aliquod medium ab Angelo distante eas attrahendo. Substantia autem alterius Angeli nequit intra intellectum alterius intrare et præsens ei fieri, quod dicitur illabi intra mentem alterius : talis enim illapsus seu intima assistentia et conjunctio solum convenit vel radici ipsi a qua dimanat intellectus, quæ est ipsa substantia cujus intellectus iste est et a qua dimanat : vel principio a quo creatur et procedit ut effectus proprius, scilicet Deo. Reliqua autem entia, quæ influxum non habent in intellectum vel emanationis vel creationis, ita ut illi dent esse, non possunt intime assistere et intrare intra terminos intellectûs : quia ista assistentia et præsentia intima non est præsentia localis aut situalis, quia hæc ad nihil deservit pro intellectu per se loquendo : licet per accidens, ut in nobis (quia anima nostra unita est corpori sensibili, quod sibi intime præsens est, quia ab eo[2] informatur), præsentia localis intercedat erga objecta a quibus species per sensus hauriuntur, et ipsi sensus animæ et intellectui præsentes sunt. Remotâ autem indistantiâ locali seu situali, non restat aliud quam quod illabatur et conjungatur intellectui ratione alicujus causalitatis in illum, vel e contra. Nulla autem substantia creata habet causalitatem in Angelum, seu in intellectum ejus, cum non fiat ab illa, nec dependeat : fit enim plene et totaliter a Deo per creationem; et eodem modo neque intellectus Angeli habet rationem causæ in alium Angelum, nec ipse rationem effectûs ejus, quia etiam totaliter est a Deo; nec aliud genus causæ, sive materialis sive formalis, potest unus Angelus exercere erga alterum, cum nec unus recipiat alterum neque informet. Nulla ergo causalitas intervenire potest, ratione cujus conjungatur unus Angelus menti alterius, et sic imprimat illi speciem sui agendo in illum, vel e contra.

** verius : dist. 4

* I P. q. 105, a. 3; et q. 106, a. 1 et 3

45. *Et si inquiras :* Quis est iste illapsus, qui ita repugnat Angelo intra alterius mentem vel essentiam, quod soli Deo tribuitur : cum non repugnet Angelum esse in loco, in quo alter Angelus vel corpus est, et hoc sufficit ad illapsum? — *Respondetur,* quod aliquid illabi alteri est esse intra ejus terminos. Ut autem dicit S. Thomas (in II, D. 8, q. 1, a. 5* ad 3), duplex est terminus : alter « quantitatis, alter essentiæ; Angelus autem operans intra terminos corporalis quantitatis, corpori illabitur : non autem ita quod sit intra terminos essentiæ suæ, nec sicut virtus dans esse, quia esse est per creationem a Deo ». Quare illapsus localis non repugnat Angelo : quia ad hoc non requiritur causalitas intra rem, sed non-obsistentia ad occupandum locum. Illapsus autem intra essentiam vel intellectum requirit aliquam causalitatem : vel sicut forma aut materia, seu subjectum sustentans,

(1) Ita omnes : concordantia fit ad sensum ‖ Forte legendum : *ab ea.* Aut, alia emendatione : *neque ipsa ab eo...*

(2) Sic omnes ‖ Legendum videtur : *ab ea.*

quod nomine partis intelligit D. Thomas : vel causalitatem efficientem per modum influentis esse, quod esse est intimum rei. Quare cum respectu intellectûs alterius non possit Angelus alter esse neque causa efficiens dans esse aut intra immutans, neque forma aut subjectum ejus, non illabitur ei.

46. *Quod si dicas,* quod licet propinquitas et indistantia situalis non deserviat intellectui per se ad cognoscendum, cum potius abstrahat intellectus a loco et tempore, tamen deservire potest ad agendum vel recipiendum : sicut Angelus ad agendum in corpus illi appropinquat et conjungitur, licet non causet illud; et unus Angelus appropinquat alteri agitque in illum, sicut Angelus Raphael *apprehendit dæmonium et religavit illud* (Tob. VIII, 3); et alter Angelus (Apo. XX, 2-3) *apprehendit draconem, qui est diabolus, et ligavit eum per annos mille, et misit in abyssum.* Ergo suppositâ hac propinquitate et indistantiâ unius Angeli erga alium, cur repugnabit quod Angelus speciem sui producat in alterum Angelum?

47. *Respondetur :* propinquitatem unius Angeli erga alterum, vel erga corpus, ad agendum sine dubio dari; sed totum hoc est ad operandum per motum localem, quem Angelus exercere potest, tum erga corpora, tum erga alium Angelum. Ceterum motus iste localis et præsentia seu indistantia aut distantia, quæ ad illum sequuntur, omnino se habent per accidens ad agendum in intellectum : quia impressio specierum seu infusio luminis per motum localem non fit, neque ab eo dependet. Unde quantumcumque unus Angelus habeat erga alterum indistantiam seu conjunctionem aptam ad motum localem vel agendum vel recipiendum, non tamen ad producendum speciem sui intra intellectum : quia Angelus quando per motum localem appropinquat ut operetur vel faciat aliquem effectum, id efficit conjungendo activa passivis, non per suam virtutem generando aut producendo. Si ergo unus Angelus, conjunctus et appropinquans per motum localem alteri Angelo, potest imprimere species intelligibiles alteri Angelo, oportet quod præter motum localem quo illi appropinquat, localiterque conjungitur, supponatur in Angelo inesse virtutem ad immutandum intellectum alterius Angeli : quia species illæ produci debent educendo eas de potentia ejus subjecti in quo inhærere debent; et cum inhæreant intellectui Angeli, vel a substantia ejus educantur ut imprimantur intellectui, debet Angelus habere vim causativam intra intellectum Angeli præter vim motivam et appropinquantem localiter. Hanc ergo causalitatem et vim immutativam intra intellectum alterius Angeli non habet : quia intra intellectum operari immutando ipsum tamquam ab agente extrinseco, sicut et intra voluntatem, solius Dei est, qui tales potentias creat et facit : et ita universales sunt in operando, quod soli Deo, qui est universalissimum agens, subduntur : ut infra (q. 105, a. 3 et 4) docet S. Thomas, præsertim loquendo de voluntate; et eadem ratio est de intellectu, qui in universalitate suppar illi est, et est radicale principium libertatis. Itaque istæ potentiæ, propter suam summam universalitatem, non possunt per actionem alicujus creaturæ immutari intrinsece, nisi vel ab aliquo sui (sicut intellectus agens immutat nostrum intellectum, et intellectus voluntatem), vel a suo proprio generante et factore, qui est Deus. I P. q. 105

48. Et tenemur hoc ita dicere saltem convicti a posteriori : quia si unus Angelus posset interius illabi operando et immutando intellectum aut voluntatem alterius, posset utique intelligere cogitationes cordis ejus : quia non est ratio cur habeat vim immutandi intus ipsum intellectum, et non habeat facultatem cognoscendi illud quod immutat et in quod agit, videndo quid operetur : si quidem intellectus ille est mutabilis ab ipso, potestque intra ipsum operari. — Denique, ad hoc serviunt etiam rationes supra* allatæ : quod Angelus comparatur in genere spiritualium sicut cælum in genere corporalium, quod habet perfectionem suam statim a principio, nec per aliud agens perficitur; sic Angelus non perficitur ab alio in habendis formis intelligibilibus, sed a principio eas petit habere; de quo tamen exemplo plura dicemus infra (disp. 22*, art. 4).— Et deinde, quia alias esset in manu alterius Angeli quod non cognosceretur ab alio, si vel nollet ei imprimere species, vel nollet permittere ut intellectus alterius Angeli a se eas hauriret : par enim illapsus et conjunctio requiritur, sive Angelus imprimat intra intellectum alterius speciem sui, sive permittat ut intellectus alterius a se accipiat. * n. 33 * nunc disp. 42, a. 4, in probatione 1ª conclusionis

[*Objectiones contra tertiam conclusionem solvuntur.*]

49. Ad loca D. Thomæ supra* allata (ex quæst. *de Anima*) dicitur quod, quidquid ibi senserit D. Thomas, certe in hac Iª Parte oppo- * n. 41

situm docet. Nam infra (q. 89, a. 3) dicit quod « anima separata intelligit per species infusas, quas recipit ex influentia divini luminis, sicut et Angeli »; ubi nihil discriminat inter Angelos et animas; ergo sicut Angeli immediate recipiunt a Deo, ita et animæ; et (a. 2 ad 2) dixerat quod « anima separata intelligit Angelos per similitudines divinitus impressas ». — Posset tamen dici quod etiam in illis locis citatis* (ex quæst. *de Anima*) loquitur S. Thomas de causatione specierum in anima facta ab Angelis, non quantum ad ipsam specierum substantiam, quæ solum a creatore fit, sed quantum ad aliquam perfectionem ordinandi has species, quæ ex illuminatione Angelorum per extrinsecam propositionem fit : sicut a magistro species in discipulo ordinantur, non species ipsæ discipulo infunduntur intra intellectum operando. Et moveor ad hoc, quia in primo loco (scilicet art. 18 ad 13) non loquitur D. Thomas expresse de speciebus, sed de perfectionibus intelligibilibus, quas dicit provenire a Deo mediantibus Angelis : non solum naturales, sed etiam quæ ad mysteria gratiarum pertinent; constat autem, quod lumen gratiæ et supernaturales species Angelus producere non potest, sed solum illuminationes per extrinsecam propositionem. In secundo autem loco, ubi clarius loquitur de speciebus naturalibus infusis, addit S. Doctor quod « causantur hujusmodi formæ in anima separata per Angelum, non per modum creationis, sed sicut id quod est in actu reducit aliquid sui generis de potentia in actum ». Constat autem quod infusio specierum quoad substantiam fit ad modum creationis : quia Angelis infunduntur species in ipso creationis instanti, et per eum modum infunduntur quoties de novo dantur. Hoc autem modo negat D. Thomas eas ab Angelo causari in anima; ergo non sentit ipsas infundi ab Angelo quoad substantiam, sed perfici[1] et ordinari ut a magistro.

50. *Sed adhuc instabis :* Nam Angelus potest illuminare alium Angelum, et hominem, non solum proponendo exterius veritatem a se cognitam, sed etiam lumen inferioris interius confortando; ergo potest interius immutare intellectum, et consequenter ex hac parte producere speciem sui intra intellectum Angeli. — Consequentia patet : quia illa confortatio luminis, ut condistinguitur a propositione externa veritatis, non potest intelligi nisi per actionem internam intra intellectum; quidquid enim reliquum est pertinet solum ad illuminationem per modum magisterii, quod non fit per confortationem luminis interius, sed solum per externam manifestationem. — Antecedens probatur ex D. Thoma : tum infra (q. 106, a. 1) ubi inquit quod Angelus dupliciter notificat veritatem sibi notam alteri : primo ex parte virtutis intellectivæ, fortificando illam; secundo ex parte similitudinis et speciei, proponendo veritatem magis distincte et particulariter, quam magis in universali intelligit superior Angelus; et (q. 117, a. 1) dicit quod « magister confortat intellectum addiscentis, non quidem aliquâ virtute activâ quasi superioris naturæ, sed in quantum proponit discipulo ordinem principiorum ad conclusiones ». Ergo condistinguit S. Thomas confortationem luminis a propositione veritatis; et sic non solum illuminat proponendo, sed etiam interius immutando.

I P. q. 106

I P. q. 117

51. *Respondetur* quod, ut bene notat Cajetanus (q. 106, a. 1*), duplex ille modus illuminandi per fortificationem virtutis intellectivæ, et per distinctionem et propositionem rei repræsentatæ, fit per manifestationem conceptûs Angeli proponentis rem cognitam ut illustratam clariori et superiori lumine : et inde emanat duplex effectus in intellectum inferioris, cui talis veritas et conceptus repræsentatur, scilicet quod ejus virtus firmior et perfectior fiat ad intelligendum, et quod objectum repræsentatum magis proportionatum reddatur per talem distinctionem et coaptationem ad ejus intellectum. Non autem intelligitur quod Angelus illuminans operetur interius in intellectu inferiori immutando ipsum, et aliquod lumen influendo vel speciem producendo, ut latius tradimus infra (disp. 25* art. 2) : ubi hoc totum pertractatur, et differentia assignatur inter hominem docentem alium hominem, et Angelum superiorem confortantem, qui ad suum modum intelligendi elevat seu rapit intellectum inferioris etiam per solam propositionem conceptûs et intelligentiæ suæ modo efficaciori, quod non facit homo respectu alterius hominis.

* in I P. q. 106, a. 1, n. V-VI

* nunc disp. 45, a. 2

52. Fundamenta Scoti * ex dictis convelluntur. Reducuntur enim ad duo. Alterum a priori, alterum ab inconvenienti. — *A priori quidem :* quia non repugnat intellectum Angeli accipere species ab objectis materialibus, vel

* supra, n. 23-24

[1] Ita bene emendant LC || Prave MP *perficit*.

etiam immaterialibus : nam anima nostra est infima in genere intelligibili, et tamen habet vim accipiendi species intelligibiles a sensibus corporeis, qui non minus materiales sunt quam objecta ipsa : quæ virtus dicitur intellectus agens. Ergo Angelus, quia superioris et efficacioris naturæ est, habebit eamdem virtutem accipiendi species a rebus materialibus, licet non a sensibus (quia caret illis), vel etiam a rebus ipsis spiritualibus.

53. *Ab inconvenienti autem sumitur argumentum :* tum quia si Angelus non accipit species a rebus, sed habet illas infusas, ergo quando aliquæ res de novo fiunt, non accipit species ab illis : et cum alias non infundantur de novo a Deo (alioquin singulis momentis deberet Deus infundere species Angelo, quia singulis momentis res aliquæ de novo fiunt), sequeretur quod ab initio habet Angelus species omnium rerum quas de novo potest intelligere; et sic cognosceret omnia futura, et cogitationes cordium, quia de omnibus habet species ab initio. — Tum etiam quia alias non posset cognoscere singularia distincte, si ab ipsis singularibus non accipit species, sed illas habet universales ab initio, sine dependentiâ et ordine ad quælibet singularia : sic enim solum in confuso et in communi repræsentarent. — Tum denique quia si infunderentur species a Deo, essent supernaturales : si quidem a solo Deo fiunt, nullâ actione Angeli vel dispositione prævià id exigente, sed tantum mere passive se habente; ergo nihil deest quominus supernaturales sint. Vel saltem posset Deus illas denegare Angelo sine ulla violentia : quia ipsa natura ad eas non conatur; et sic posset Angelus manere ignorans sine ulla violentia facta ipsi naturæ.

* supra, n. 52 54. RESPONDETUR AD PRIMUM* : Non esse perfectionem in Angelo quod habeat intellectum agentem sicut nos. Quia intellectus agens supponit magnam imperfectionem, nempe quod intellectus sit in pura potentia respectu objectorum et perfectionis intelligibilis quæ ab illis provenit ipsi intellectui : et sic datur illi virtus per quam possit hanc imperfectionem tollere, accipiendo species intelligibiles ab objectis; et sic, licet habere talem virtutem acquirendi species sit perfectio intellectûs in nostro statu imperfecto, non tamen est perfectio simpliciter, sed supposito statu potentiali carendi ipsis. Absolute tamen perfectius est non indigere tali virtute, sed a principio habere illam perfectionem, et non esse in potentia ad illam : sicut in nobis habere virtutem augmentativam perfectio est, sed major perfectio esset si a principio totum illud augmentum haberetur et non indigeret homo acquirere illud; sicut non est in cælo hæc virtus crescendi, nec erit in corporibus gloriosis exercitium hujus augmentationis, quia omnia corpora erunt in suo debito statu et mensurâ. Nec etiam in Angelo est virtus ad acquirendum species ex objectis spiritualibus : quia, etiam respectu istorum, majoris perfectionis est intellectum non carere illis, et sic non indigere acquisitione earum, quam carere et sic acquirere; et propter alias rationes supra* assignatas. * n. 43-48

55. *Ad secundam** rationem ex inconvenientibus :* Ad primam[1] dicitur, quod Angelus ab initio habet species repræsentativas omnium singularium, non immediate, sed mediate, quia sunt species universales deservientes pro singularibus alicujus speciei; non vero de quolibet singulari habet species seorsum distinctas, et seorsum cujuslibet singularis repræsentativas, ut dicetur (disp.* sequenti). Unde sequitur quod species istæ non possunt repræsentare singularia in seipsis, nisi quando exsistunt in rerum natura, vel exstiterunt : quia tunc complete similes redduntur illis objectis, quando sic præsentia sunt, vel præsentiam sui reliquerunt. Unde ad repræsentandum singularia dependentes sunt species illæ angelicæ ab eorum exsistentiâ, dicunturque compleri per exsistentiam objectorum quasi extrinsece. Licet enim de se repræsentent quidditatem ipsorum singularium, immo et exsistentiam illorum atque circumstantias quidditative et secundum se consideratas et in abstracto, exercitium tamen, seu per modum exercitii, non repræsentant res ipsas singulares nisi quando reipsa exercentur et ponuntur a parte rei; et quoad hoc species illæ dependentes sunt ab ipsis rebus tamquam ab extrinsece terminantibus et complentibus similitudinem speciei quæ est in Angelo. Cum enim infundantur illæ species ad repræsentandum res, non absolute, sed prout descendunt ab ideis divinis, et prout pertinent ad hoc universum (quia solum est debitum Angelo cognoscere res naturales, et ea quæ hujus universi sunt), consequenter repræsentatio singularium per species

** supra, n. 53

* disp. 42, præsertim art. 2; cf. etiam disp. 41, a. 4

[1] Sic omnes ‖ Melius legeretur : *Ad primum* [= *inconveniens*].

angelicas est dependens a derivatione eorum a Deo, et ab exsistentia eorum in hoc universo : quia aliter non pertinet ad illud. De quo latius dicemus disputatione sequenti*.

* infra, disp. 42, a. 2; et disp. 41, a. 4

56. Ad secundum** inconveniens dicitur quod species Angeli, licet sint universaliores, extenduntur tamen ad repræsentandum singularia, mediate quidem et secundario, sed directe et non reflexe : quia non dicuntur universales per abstractionem a condicionibus individuantibus, sicut nostræ species, sed quia repræsentant objecta et naturas secundum quod procedunt a causis magis vel minus universalibus, vel secundum rationes secundum quas formantur a Deo et procedunt ab ipso in hoc universo. Et sic possunt præberė cognitionem propriam de singularibus, licet species sint universales : quia non sunt universales solum secundum abstractionem naturæ et universalitatem in prædicando (sic enim singularia solum continentur in potentia in tali naturâ, sic abstractâ et superiori) : sed repræsentantur illa singularia in specie universali repræsentante naturam secundum rationem illam universalem qua descendit a Deo, qui est causa universalis tam naturæ, quam singularitatis. At[1] secundum quod illæ species derivantur ab ideis divinis quasi quædam earum expressiones, repræsentando rationes magis vel minus universales in causando, et secundum quod res derivantur a Deo juxta modum causarum magis vel minus universalium, sic dicuntur illæ species magis vel minus universales, ut dicemus (art.* sequenti). Et quia singularia derivantur ab ideis divinis successive, etiam successive ab illis speciebus repræsentantur, non immutatione factâ ab objectis, sed ab ideis quarum sunt expressiones, ut (sequenti disp.*) dicetur.

** supra, n. 53, *Tum etiam*

* infra, art. 4

* disp. 42, maxime art. 2

57. Ad tertium** inconveniens jam supra*** respondimus solvendo argumentum P. Vazquez. Et diximus quod istæ species non sunt supernaturales, licet infundantur a Deo, quia non infunduntur a Deo auctore supernaturali, sed operante juxta naturalem capacitatem Angeli et exigentiam ejus : sicut infundit et creat animam rationalem quando materia est disposita, et sicut imprimit lumen in intellectu nostro, et præbet concursum causis naturalibus, et sicut motus præbetur cælo ab extrinseco motore et tamen illi connaturalis est. Unde si Deus denegaret species Angelo, etiam dato quod non inferret violentiam*, non tamen id negaret connaturaliter ad naturam Angeli, sed præter ejus naturalem exigentiam. Sed tamen, quia aliqui etiam de hoc dubitant, an species istæ infundantur a Deo, an vero emanent species tamquam propriæ passiones ab intellectu Angeli, ideo hoc amplius a nobis explicandum est.

** supra, n. 53, *Tum denique*

*** n. 14

* supra, n. 53, *Vel saltem*

SPECIES ANGELICÆ NON SUNT PROPRIÆ PASSIONES IN RIGORE LOQUENDO, SED ACCIDENTIA INSEPARABILIA.

58. *Sumitur hæc assertio ex D. Thoma,* qui communiter docet species angelicas effluere a Deo et ab ideis divinis in mentem Angelorum. Videndus est (in hac quæst. 55, a. 2) ubi inquit quod « suam perfectionem Angeli consequuntur per intelligibilem influxum, quo a Deo species rerum cognitarum acceperunt simul cum intellectuali natura. Unde Augustinus dicit (in II super Genes. ad litteram*) quod cetera quæ infra Angelos sunt ita causantur, ut prius fiant in cognitione rationalis creaturæ, ac deinde in genere suo ». Similiter infra (q. 89, a. 4) distinguit D. Thomas duplicem modum cognoscendi, unum per abstractionem a phantasmatibus, alium per influentiam specierum a Deo : quia « sicut Deus per suam essentiam, in quantum est causa universalium et individualium principiorum, cognoscit omnia, et universalia, et singularia : ita substantiæ separatæ per species, quæ sunt quædam participatæ similitudines illius divinæ essentiæ, possunt singularia cognoscere. Est tamen differentia inter Angelos et animas separatas, quod Angeli per hujusmodi species habent propriam et perfectam cognitionem de rebus, animæ vero separatæ confusam ». Et eodem modo docet has species a Deo derivari in mentem Angeli (infra, q. 57, a. 2). — Et sequuntur D. Thomam communiter ejus discipuli, ut videri potest apud Ferrariensem (II *Contra Gent.* c. 98, § *Ad secundi dubii evidentiam**); Zumel (in præsenti, quæst. 55, a. 2, q. 2) licet oppositum reputet probabile**; Suarez (lib. II de Angelis, c. 7); Navarrete (tomo III, controv. 51); Carmelitani Salmanticenses (tract. de Angelis, disp. 5, dub. 4); quamvis M. Bañez (super hanc q. 55, a. 2,

I P. q. 55, a. 2

* c. 8 n. 16; PL 34, 269

I P. q. 89, a. 4

I P. q. 57, a. 2

* ed. Leonin., n. XIII

** concl. 1

[1] Mendose omnes : *Ad secundum*...

* alias : controv. 28

** a. 3, § 3, *ad argum. Aureoli contra concl. 3*

† I P. q. 54, a. 4, n. 6-7

†† maxime n. 7

dub. 2) et Paulus Nazarius (ibidem, controv. 2*) oppositum teneant. Pro eodemque[1] citari solet Capreolus (in II, D. 3, q. 2**), Cajetanus (quæst. 54, a. 4†; et infra, q. 79, a. 2††; et III P. q. [9], a. 3).

59. Ratio nostræ assertionis est : Quia essentia Angeli, licet sit radix et principium virtutis intellectualis habentis in se capacitatem et potentiam ut species omnium recipiat, non tamen est radix et principium omnis intelligibilitatis objectorum, a qua potest actuari; ergo non possunt species istæ dimanare tamquam propria passio ab ipsa substantia vel intellectu Angeli. — *Patet consequentia :* quia species istæ non sunt aliud, quam ipsamet objecta quæ repræsentant in esse intelligibili; ergo si sunt species propriæ et immediate repræsentantes talia objecta, oportet quod propriam et immediatam talium objectorum intelligibilitatem immaterialitatemque contineant. Ergo in tantum poterunt dimanare species intelligibiles ab aliqua radice seu principio, in quantum intelligibilitas objectorum continetur actu vel virtute aut eminentiâ in tali principio et radice. Sed substantia Angeli non potest continere actu vel eminenter intelligibilitatem propriam omnium objectorum quæ potest intelligere, sicut nec omnium quidditates et perfectiones. Ergo non potest esse radix et principium unde emanent species omnes propriæ earum rerum quas potest intelligere.

* supra, n. 59, *Sed substantia*

60. Minor* probatur : nam substantia Angeli, tam entitative quam intelligibiliter, est limitata et redacta ad suum genus et differentiam; ergo non potest continere in se proprias perfectiones aliarum rerum, neque propriam intelligibilitatem in eo quod proprium illorum est, et [2] differunt ab ipsomet Angelo : in hoc enim distinguitur ab illis, et coarctatur ac limitatur erga illa; nec habet eminentiam illam infinitam quam Deus habet in quantum est principium et causa omnium entium et quarumcumque differentiarum, et sic per se continet omnia, quia causat omnia. Angelus autem, quamvis sit perfectissimum ens, non tamen est principium neque causa omnium aliorum quæ potest intelligere : et sic non continet omnium perfectiones et quidditates, etiam in eo quod proprium et peculiare earum est, et in quo differunt a se; ergo neque continet propriam et specialem earum intelligibilitatem. Ergo neque potest esse radix et principium ut a se dimanent species propriæ et per se repræsentativæ aliorum objectorum, etiam in eo in quo differunt inter se et ab ipso Angelo. Quod si solum est principium et radix specierum repræsentantium alia objecta secundum intelligibilitatem ipsius Angeli a cujus substantia emanant, non propriam ipsius rei quæ intelligitur, tunc ex vi talis speciei non cognoscet rem illam propriâ cognitione, sed ad instar suæ substantiæ, et secundum id in quo convenit cum illa, non secundum sibi propria. Unde ad cognoscendum proprie et quidditative res alias, indigebit speciebus quæ a se non dimanent. Et præsertim hoc apparet in speciebus quas inferiores Angeli habent de superioribus : istæ enim cum exigant elevatiorem intelligibilitatem, nullo modo possunt contineri intra substantiam inferioris Angeli, nec[3] illorum esse radix et principium a quo emanent. — Nec potest dici, quod continentur in virtute ipsius intellectûs, qui habet efficaciam ad intelligendum perfecte illa objecta. Contra enim est : quia intellectus habet hanc efficaciam suppositis speciebus ad elicientiam intellectionis, non autem habet efficaciam ut species dimanent a se : quia remotis speciebus intellectus solum est in pura potentia intelligibili ad illas.

61. *Confirmatur :* quia si substantia Angeli continet in se intelligibilitatem omnium objectorum, possentque ab ea dimanare species omnium, ut propriæ passiones illius : ergo qui comprehenderet illam subtantiam, in ea comprehenderet omnes istas species, quæ sunt ejus proprietates. Qui enim comprehendit aliquam essentiam, in ea omnes proprietates cognoscit quæ in tali radice continentur. Ergo etiam, cognitâ et comprehensâ substantiâ Angeli, omnes tales species comprehendentur quantum ad omne illud quod ex tali essentia, ut a radice, trahunt et participant : sicut omnes aliæ proprietates, quæ ab essentia dimanant, ex comprehensione essentiæ cognoscuntur quidditative et proprie, ac distincte in se. Ergo si species illæ sunt proprietates dimanantes ab essentia et intellectu Angeli, visâ et comprehensâ essentiâ suâ illas comprehendet et cognoscet. Visis autem et comprehensis speciebus, videntur objecta in illis contenta et representata; ergo per essentiam suam potest Angelus omnia objecta extra se videre, sicut et omnes species et repræsenta-

[1] Id est, pro sententia quæ ponit angelicas species ab essentia effluere quasi proprias passiones.

[2] Supple : *et [quo] differunt...*

[3] Intelligendum : *nec [potest hæc substantia] illorum esse radix...*; at melius legeretur : *illarum* (= *specierum*).

tiones talium objectorum. Hoc autem negat S. Thomas (in art. 1 hujus quæst. 55), quod Angelus per essentiam suam possit omnia alia objecta cognoscere, propriâ et distinctâ cognitione : quia sic contineret aliorum quidditates et naturas in se perfecte, nec indigeret speciebus superadditis, quia idem esset comprehendere essentiam ac videre species ipsas et objecta. Ergo non possunt tales species emanare, sicut proprietates, ab essentia. I P. q. 55, a. 1

62. *Dices :* Emanare illas species a substantia Angeli entitative, non intentionaliter et repræsentative; et sic, visâ essentiâ, videntur species entitative et ut qualitates sunt, non repræsentative seu ut objecta repræsentant. — Vel secundo, licet emanent a substantia Angeli, non tamen repræsentat illas formaliter ipsa essentia, sed radicaliter seu virtualiter; unde, visâ essentiâ, non sequitur quod videantur species illæ formaliter in se, et ut tangunt repræsentative sua objecta, sed solum prout tenent se ex parte subjecti, et quantum ad id quod est radicalis et virtualis continentiæ, non secundum id quod habent ex parte objecti, quod pertinet ad repræsentationem.

63. *Sed contra primam* solutionem est :* quia repræsentatio intentionalis est essentialis et intrinseca speciei, et per illam distinguitur una species ab alia, si quidem ex objectis sumit specificationem et distinctionem; ergo repugnat dicere quod emanant species ab essentia quantum ad suam entitatem, non quoad suam repræsentationem, cum hæc repræsentatio intrinseca illis sit, et ad eorum [1] essentialem rationem pertineat. Aut si entitas illa specierum emanat ab essentia Angeli, non autem repræsentatio seu intelligibilitas earum : a quo ergo principio repræsentatio specierum est? An entitatem habent a subjecto cui insunt, repræsentationem vero a solo Deo? Cur ergo non habebunt entitatem et realitatem etiam a Deo, si quidem repræsentatio illa entitas realis est, cum non sit aliquid rationis in ipsa specie? Si ergo non potest emanare repræsentatio et intelligibilitas speciei a substantia Angeli, quia in ea non continetur, nec etiam entitas seu realitas talis repræsentationis emanabit, quia nec etiam ista continebitur in tali radice : cum non sit aliud repræsentatio speciei, quam ejus entitas, et ejus entitas repræsentativa sit.

* supra, n. 62, *Emanare*

64. Contra secundam* autem solutionem manifeste instatur : quia constat res cognosci distincte et proprie per causas suas; immo tunc est scientifica et propria rerum cognitio, quando per suas causas cognoscitur : et tamen effectus in causis non continentur nisi radicaliter et virtualiter : nec enim formaliter sunt nisi in se et extra causas, in illis autem solum continentur in virtute et in radice; ergo continentia radicalis et virtualis sufficit ad manifestandam proprietatem, seu effectum, formaliter et proprie ut est in se. Ergo si species se habent ut proprietates essentiæ in Angelo, non obstante quod ibi continentur radicaliter, cognoscentur per ipsam essentiam distincte et proprie et formaliter, si essentia ipsa comprehenditur, et habet speciem qua cognoscitur vel ipsa pro specie servit. Nam et ipsæ proprietates, quæ ab essentia dimanant, non aliter in ea continentur quam sicut in radice et virtute, et tamen per comprehensionem essentiæ cognoscuntur proprie et formaliter in se : quia totum, quod in se formaliter sunt, virtualiter continetur in essentia, et per eam tamquam per medium perfecte continens et emittens tales proprietates attinguntur, sicut per quamlibet aliam causam sui effectus. Ad ipsam autem essentiam non est necesse ponere species, quia per seipsam intelligibilis est, et vim speciei habet.

* supra, n. 62, *Vel secundo*

65. DENIQUE, D. THOMAS DICIT (infra, q. 56, a. 2 ad 4) quod « si Deus instituisset plures Angelos vel plures naturas creare, plures species intelligibiles mentibus angelicis indidisset ». Inquiro ergo : Si plures naturæ fierent in universo, an ex natura et essentia Angeli dimanarent plures species intelligibiles quam modo dimanarunt, vel non? — *Si non dimanarent :* ergo respectu illarum naturarum quæ de novo crearentur, deberent dari species a Deo infusæ, et non dimanantes ab essentia Angeli. Sicut ergo respectu illarum non haberet natura vim ut emanarent ab illa species, sic neque vim habet ut dimanent species aliorum objectorum : quia quod ista objecta quæ modo sunt creentur, vel alia tunc crearentur, pendet ex mera voluntate Dei; quod autem natura vim habeat ad habendum vel non habendum species tamquam proprietates, dependet ex naturali colligatione et connexione inter essentiam illam et species, non ex sola libera productione Dei circa objecta extrinseca. Nec intelligi potest quod, ex sola libera voluntate

I P. q. 56, a. 2, ad 4

[1] Sic omnes || Opinamur legendum : *ad earum essentialem...*

Dei producendi speciem formicæ, substantia Angeli habeat naturalem connexionem cum specie formicæ, et[1] ab ipsa emanet, et voluntate Dei remotâ et nolente formicam producere cesset illa naturalis connexio : cum emanatio proprietatum ab aliqua essentia pertineat ad necessariam connexionem prædicatorum : et sic non potest variari ex sola libera voluntate extrinseca qua Deus producit vel non vult producere aliquam creaturam.

66. *Si vero dicatur quod in illo casu dimanarent* novæ species a substantia Angeli respectu creaturarum quæ tunc de novo fierent a Deo, vel quod modo jam dimanarunt omnes illæ species etiam respectu rerum possibilium, licet non possit uti illis quousque tales re producantur pertineantque ad universum in quo est talis Angelus : utraque responsio claudicat. — Prima, quia ponit emanationem alicujus proprietatis non fundatam in naturali connexione cum essentia, sed dependentem ab extrinseca voluntate Dei producentis : ita ut, Deo producente objecta illa, emanent illæ species, non producente retrahantur : quod est merum figmentum, et contra omnem philosophiam de emanatione necessaria proprietatum; satiusque est dicere quod tales species a Deo infunduntur. — Secunda vero quia, si nunc jam emanarunt species ab Angelo respectu omnium possibilium, habet ergo infinitarum rerum species actu positas in suo intellectu : quia non est major ratio quod aliquorum entium species habeat et non aliorum. Et sic, comprehendendo essentiam suam, infinitorum entium cognitionem habebit : quia omnium illarum specierum notitiam ex sua essentia capiet, si quidem omnes ab illa emanant. Frustra autem dicitur impediri Angelum uti talibus speciebus ad cognoscendas res quæ non sunt hujus universi, si potest in sua essentia omnes illas species cognoscere et mediantibus illis cognitis cognoscere quidquid repræsentant, et sic cognoscere in actu quidquid intellectus capax est cognoscendi : quod totum sequitur si sunt species istæ proprietates dimanantes ab essentia : comprehensâ enim illâ, omnes istæ species comprehendentur.

67. Quare dicendum est, quod sunt istæ species infusæ a Deo, et connaturaliter petuntur ab intellectu Angeli tamquam accidentia inseparabilia, ita quod intellectus ille emanat ab essentia Angeli ut capax specierum : sicut cælum producitur ut capax motûs et naturaliter illum exigens, quatenus per motum suum est primum alterans et movens hæc inferiora, quod non potest facere nisi motum. Sic Angeli sunt substantiæ intellectuales perfectæ, et ab omni materia et corpore separati : unde eorum intellectus emanat ut capax specierum, et potens connaturaliter habere illas, non acquirendo ab objectis, sed a primo spiritu qui est omnium objectorum principium, a quo accipiunt ab initio illas quæ sibi debentur intra hoc universum in quo creantur : quia illæ sibi debentur, quæ ab objectis positis in universo accipere deberent, si essent[2] acquisitivæ specierum ab objectis. Sed loco objecti accipiunt species a primo principio et a primo intelligibili, quod est causa omnium objectorum, et ab illius ideis exemplantur species in mentes Angelorum : quia petunt produci ab illo summo spiritu, ut perfecti in suo genere intelligibili, et non cum ignorantia et defectu, et consequenter cum lumine et speciebus.

[*Solvuntur objecta.*]

68. SED OBJICIES : Nam D. Thomas probat (infra, q. 64, a. 1) cognitionem naturalem dæmonum non esse diminutam, quia « consequitur naturam ipsam Angeli, qui secundum suam naturam est quidam intellectus vel mens : propter simplicitatem autem suæ substantiæ nihil potest ab ejus natura subtrahi ». Sed cognitio non sequitur naturam, sumpta pro actu secundo cognoscendi : sic enim non consequitur ad naturam, sed ex applicatione voluntatis, quia cognoscit quod vult; nec ex subtractione hujus, aut cessatione ab actu cognoscendi, subtrahitur aliquid de simplicitate substantiæ seu naturæ. Ergo loquitur S. Doctor de cognitione in actu primo, scilicet pro speciebus : sic enim consequitur ad naturam Angeli, quia naturaliter emanat ab illa. Ergo species se habent ut propriæ passiones Angeli. — Quod ipsum videtur explicasse D. Thomas (supra, q. 54, a. 4) dum inquit quod « in Angelo non generatur scientia, sed naturaliter adest »; ergo non imprimitur ab extrinseco, sed a natura.

I P. q. 64, a. 1

I P. q. 54, a. 4, ad 1

69. *Confirmatur :* nam alias, si istæ species non resultarent per emanationem ab essentia Angeli, maxime quia non haberent connexionem necessariam cum intellectu Angeli : nam si

[1] Id est : *et [hæc species] ab ipsâ [substantiâ Angeli] emanet.*

[2] Supple : *si essent [substantiæ] acquisitivæ...*

haberent, dimanarent. Si autem non habent connexionem naturalem : ergo neque exigentiam per se et connaturalem. — Unde sequitur quod sicut infunduntur istæ species a Deo nunc, ita possent non infundi sine ullâ violentiâ factâ ipsi naturæ Angeli : quia non est violentia, ubi nulla est in contrarium renitentia aut exigentia naturæ. — Similiter, non essent naturales Angelo : quia non est naturale principium a quo emanent; et sic vel essent supernaturales, vel præternaturales. — Unde sequitur ulterius quod non debentur ex vi creationis Angelo : quia ea debentur et fiunt ex vi creationis, quæ exiguntur a natura et pertinent ad eam vel consequuntur ad illam; quæ vero non se habent ut propriæ passiones, non fiunt ex vi creationis seu generationis rei, quæ tota sistit in productione substantiæ et propriarum passionum. — Denique, si non sunt propriæ passiones, sequitur quod considerata natura Angeli secundum se, et ante infusionem istarum specierum, sit imperfectior animâ humanâ : nam anima, licet ex se non habeat species, habet tamen instrumenta acquirendi illas, scilicet intellectum agentem cum phantasmatibus; Angelus vero caret omni instrumento acquirendi species, et alias ex natura sua non dimanant, sed infunduntur libere a Deo juxta numerum objectorum quæ creat. Et sic, si non crearet nisi unum Angelum et unum corpus, solum unam speciem ei infunderet, circa reliqua vero entia esset ignorans.

70. RESPONDETUR : Sensum D. Thomæ manifestum esse, quod cognitio naturalis dicitur « consequi naturam Angeli », quatenus principia hujus cognitionis sunt debita naturæ eamque consequuntur, vel per dimanationem sicut potentia intellectûs, vel per passivam exigentiam respectu Dei infundentis, sicut species. Nam etiam passiva exigentia, qua aliqua natura postulat passive aliquam formam seu perfectionem, sufficit ut dicatur aliquid consequi ad naturam consecutione debiti, non emanationis : sicut ad naturam cæli consequitur moveri et non quiescere, licet ille motus sit ab alio; et sicut naturam stellarum consequitur lumen seu splendor, qui tamen provenit eis a sole illuminante; et potentia visiva connaturaliter petit videre, et ad illius naturam consequitur visio, mediante tamen specie visibili quam ex se non habet sed ab objectis haurit. — Eodem modo intelligitur quod dicit D. Thomas, quod scientia « naturaliter adest Angelo », ubi ly *naturaliter* contraponitur huic quod est per acquisitionem et discursum; non tamen dicit quod est per emanationem. Adest etiam naturaliter : quia cum ipsâ creatione primâ Angeli data est a Deo infundente species, et secundum exigentiam naturalem ipsius intellectûs angelici, licet passivam ex parte intellectûs suscipientis, ut declaratum est *. * supra, in hocce n. 70; cf. n. 67

71. *Ad confirmationem* ** *respondetur :* non esse connexionem quasi activam inter substantiam Angeli et species cujus est capax, sed quasi passivam, et secundum debitum et exigentiam ut sibi infundantur. Et talis connexio passiva non facit emanationem formæ a subjecto, sed exigentiam et debitum connaturale, sicut dictum est *. — Et ad probationem primam **, qua dicitur quod posset Deus non infundere species Angelo, et sic careret illis sine ullâ violentiâ : Respondetur ex supra *** dictis, quod fieret violentia Angelo si species ordinis naturalis ei denegarentur, eo modo quo violentia potest fieri a Deo, id est, operando præter naturam seu exigentiam naturæ, non renitente et resistente naturâ : sicut cum negat concursum igni parato ad comburendum, aut si in corpore disposito et organizato non infunderet animam rationalem. In quibus casibus agitur præter ordinem exigentiamque naturæ, licet natura ipsa suo auctori non resistat; sufficit quod oppositum naturaliter petat et in id inclinetur, et ei denegetur : quæ est renitentia connaturalitatis. — Ad secundam * probationem sæpius dictum est **, non esse has species supernaturales, licet immediate a Deo infundantur : quia dantur juxta capacitatem et exigentiam seu inclinationem naturalem ipsius Angeli, et a Deo auctore naturæ, non operante juxta potentiam obœdientialem; sicut etiam anima creatur a solo Deo et infunditur corpori, nec tamen supernaturalis est ejus creatio.

** supra, n. 69 — * supra, n. 70 — ** supra, n. 69, *Unde sequitur quod* — *** n. 57; cf. nn. 67, 70 — * supra, n. 69, *Similiter* — ** supra, n. 57; cf. n. 14

72. Ad tertiam * probationem dicitur : deberi ex vi creationis non solum proprias passiones, sed etiam accidentia inseparabilia et connaturalia, et requisita ad perfectionem naturæ pro eo statu : quia ad generantem pertinet dare suo effectui non solum formam et proprietates ejus, sed etiam requisita ut in debito statu collocetur. Sicut Deus in ipso instanti creationis debet tribuere Angelo motionem et concursum ad operandum, quia pro eo statu est debitum ei operari; nec tamen concursus ille est propria passio. Et motus cordis tribuitur viventi a suo generante ex vi generationis, et motus cæli ipsi cælo; et tamen neuter motus est propria passio, cum motus cæli sit a motore extrinseco, motus

* supra, n. 69, *Unde sequitur ulterius*

cordis sit vitalis elicitive proveniens a vivente, licet motive a generante : et ita, cum sit actio seu motus elicitus a vivente, proprie non est passio emanans. Itaque pertinet ad creationem, vel ad generationem primam, non solum eâdem productione attingere proprietates emanantes a natura, sed etiam accidentia aut modos requisitos ut pro illo statu constituatur in suâ perfectione debitâ; et cum Angelus debeat pro illo instanti operari cognoscendo, oportet quod illi tribuantur species, sine quibus non cognoscit.

* supra, n. 69, *Denique*

73. Ad ultimam* probationem dicitur, quod non est Angelus secundum se et per se inferior animâ humanâ : quia licet de facto illi Deus denegaret species, tamen de jure seu connaturaliter ab eo exiguntur, et petit eas habere perfecto modo immediate a Deo; anima vero non nisi imperfecte, et ab objectis eas accipiendo per intellectum agentem. Quod si comparamus Angelum denudatum speciebus a Deo, cum animâ se illis vestiente[1] beneficio intellectûs agentis, quid mirum quod Angelus per accidens et præter naturam habeat statum imperfectiorem? cum tamen ex sua natura perfectiorem exigat. Sed si volumus justam comparationem facere, consideremus animam sine intellectu agente, vel sine[2] concursu Dei ut intellectus agens eliciat species, sicut eas denegat Angelo : et videbimus quis perfectior maneat. Nam quod anima nostra beneficio intellectûs agentis acquirit, Angelus beneficio Dei creantis habet. — Quod si Deus non crearet universum, sed unum tantum Angelum vel corpus*, non esset Angelo debitum plura cognoscere naturaliter quam creaturam quæ est. Unde si tantum est una creatura, illius tantum habebit speciem, nec plures ei debentur pro illo statu tam modico; sed hoc est per accidens, et relinquitur ab arte.

* cf. supra, n. 69, *Et sic*

[1] Mendose omnes : *vestientem*.

[2] Ita legendum cum LC || Mendose MP *sive*.

ARTICULUS IV

Utrum superiores Angeli intelligant per species universaliores, et quomodo.

I P. q. 55, a. 3, ad 2

1. UNIVERSALITAS specierum in repræsentando, vel cognitio objecti in universali, potest intelligi dupliciter, juxta D. Thomam (in hac q. 55, a. 3 ad 2; et q. 8 *de Verit*. a. 10 ad 1) : uno modo ex parte rei cognitæ seu objecti repræsentati, alio modo ex parte medii cognoscendi aut repræsentandi. — Tunc dicitur universalis repræsentatio aut cognitio ex parte rei cognitæ, quando cognoscitur aliqua natura in universali, ut aliquod genus, vel species, v. g. animal ut sic, vel homo ut sic in communi. Et ista repræsentatio vel cognitio parit confusionem respectu eorum quæ sub tali natura et objecto cognito continentur : quia inferiora potentialiter continentur sub genere vel specie. — Tunc dicitur universalis repræsentatio seu cognitio ex parte medii, quando ipsa ratio formalis attingendi, seu lumen sub quo manifestatur aliquid, altius et universalius est et penetrantius : sicque plura complectitur et illuminare potest. Et talis universalitas conducit ad perfectionem distinctionemque cognoscendi : tanto enim profundius aliquid cognoscitur, pluresque rationes de re aliqua comprehenduntur, quanto universalior et altior est lux manifestans illas.

2. EST ERGO DIFFICULTAS IN DUOBUS. — Primum : an species repræsentativa, in se una exsistens, possit plura tamquam inadæquata objecta repræsentare, saltem repræsentando plura individua; ita quod sicut datur una potentia et una virtus potens plures actus elicere, ita detur una species potens plura repræsentare, saltem singularia. — Secundum : an etiam plures quidditates specie distinctas, seu plures rationes in eadem quidditate, possit unica species repræsentare sub aliqua altiori et universaliori ratione; et ita quanto Angelus fuerit superior et altior, tanto elevatiores et altiores habeat species, quæ sub unica ratione intelligibili et sub una luce plura complectantur[3].

[DIFFICULTAS PRIOR.]

3. *Circa primum communiter tenetur* dari in Angelis species universales, hoc est repræsentantes plura singularia, et ad illa se extendentes; LICET DE HOC ALIQUI DUBITENT, præsertim qui

[3] Male omnes : *complectatur*.

tenent Angelos haurire ab objectis species, et unamquamque speciem, quæ sumitur a rebus singularibus, esse singularem : quod attribuitur Scoto (in II, D. 3, q. 10*).

* verius : q. 11, n. 11-12

4. *Et fundamentum*(1) *est :* Tum quia a qualibet re accipitur una species, quam talis res de se præbet; ergo de unaquaque re singulari una species accipitur, et non una species a pluribus singularibus : et sic non repræsentant (2) plura singularia. — Tum quia una species unicam et indivisibilem habet repræsentationem; et sic vel repræsentantur illa plura singularia ut conveniunt et sunt similia inter se, vel ut distincta et disconvenientia. Si ut distincta, non unicâ et indivisibili repræsentatione repræsentantur, et est contra unitatem speciei. Si repræsentantur ut conveniunt et sunt similia, non repræsentantur proprie et distincte, sed confuse et in communi. — Tum quia alias una species repræsentaret infinita individua : quia qua ratione repræsentat plura, repræsentabit omnia, et illa simul posset cognoscere Angelus : quod omnino absurdum est; immo, et res diversissimas atque oppositas inter se repræsentaret, qualia sunt multa accidentia quæ habent diversa individua, sicut albedinem et nigredinem, calorem et frigus, tam varias inclinationes, ingenia, vires, etc. — Tum denique quia non est assignabilis una ratio objectiva, sub quâ illa plura conveniant et distincte repræsententur : in naturâ enim specificâ vel supra genericâ abstractâ, non distincte sed confuse et potentialiter continentur; non est autem assignabilis aliqua alia ratio, in qua conveniant, et sub qua repræsententur; sine unitate autem objecti repræsentati, non est una illa repræsentatio speciei.

5. **NIHILOMINUS S. Thomas, et cum eo communis sententia, fatetur dari species universales in Angelo : quod ad minus intelligi debet de speciebus universalibus complectentibus plura singularia** : nam si pro quolibet singulari indiget distinctâ et diversâ specie, nulla restat universalitas in speciebus. — Sequuntur S. Thomam omnes ejus discipuli, et communiter theologi : quorum plures in hac parte citat sequiturque P. Vazquez (hîc, disp, 202, c. 2), Suarez (lib. II de Angelis, c. 14), Alarcon (tract. 6 de Angelis, disp. 3, c. 3).

6. ET FUNDAMENTUM EST, tum a priori, tum a simili, tum ab inconvenienti. — *A priori quidem :* quia non repugnat adæquatum objectum alicujus speciei continere plura individua : aut quia ex illis de facto componitur, aut quia in illa divisibilis est. Sicut unus mons, aut cumulus, aut domus, ex pluribus individuis constat, puta ex pluribus lapidibus aut granis terræ, lignis et arboribus : quæ omnia unicâ specie repræsentantur : nam et unicâ visione etiam a nobis videntur, etiam cum distincte et non confuse attinguntur. Quis enim dicat non posse unicâ visione videri montem aut campum, qui ante oculos est, ubi concurrunt plures arbores, animalia, homines : simulque distincte videntur, præsertim ab acuto visu, et singulorum actiones proprietatesque notantur? Similiter si videatur mare aut fluvius, unico visu et specie attingi potest, et tamen divisibile est in plura individua aquæ; absurdum autem videtur quod aqua illa divisa non possit unicâ visione et specie videri, cum divisa est et plura individua habet, cum autem est adunata, possit. Non ergo est inconveniens quod una species repræsentet plura individua, et una cognitio ea attingat. Species ergo angelicæ, quæ incomparabiliter altiores et perfectiores sunt speciebus nostris, poterunt plura individua in una specie adunare.

7. *A simili idem deducitur :* quia videmus quod non repugnat unam potentiam, unum habitum, unum actum, versari circa plura et varia individua; ergo neque repugnabit unam speciem repræsentare plura. — Patet consequentia : quia repræsentatio non minus adunare potest ordinem ad objecta, quam virtus vel potentia : sicut enim plura objecta adunari possunt in aliqua ratione formali ut attingantur sub illa ab aliqua virtute vel potentia, ita possunt adunari sub aliqua intelligibilitate seu ratione intelligibili, ut repræsententur : vel quia habent inter se convenientiam et similitudinem, vel quia habent continentiam in aliqua ratione, sicut partes continentur in toto, et sicut plura individua ordinari possunt ad aliquam causam vel finem, aut aliquam aliam rationem, sub qua perfecte contineantur, et sic sub illa repræsententur etiam distincte et proprie : quia sic continentur ibi, sicut proprietates continentur in natura, et sicut ternarius continetur in senario, et imperfectum in perfecto. Ergo non repugnabit quod ista plura, quæ sic materialiter plura sunt, formaliter adunentur in aliquo in quo repræsententur ut

(1) Eorum, scilicet, qui dubitant.

(2) Videtur legendum : *repræsentat.*

contenta. — Similiter, unus actus cognitionis potest plura objecta attingere cognoscendo, ut constat ex dictis; ergo etiam poterit una species attingere repræsentando. Consequentia patet : quia unica cognitio egreditur et formatur ab unica specie, vel saltem non repugnat ab ea formari; ergo si non repugnat unam cognitionem attingere plura objecta, neque repugnabit unam speciem ea repræsentare.

8. *Denique, ab inconvenienti eadem veritas probatur.* Tum quia, si quodlibet singulare indigeret suâ specie, deberent istæ species in infinitum multiplicari in Angelo, quia infinita sunt individua possibilia; de facto vero erunt infinita saltem accidentalia : quia per totam æternitatem infinitæ operationes erunt in Angelis et hominibus. — Tum etiam quia adhuc ad cognoscendum unum et idem individuum non sufficiet unica species : quia etiam contingit in eodem individuo concurrere diversa accidentia, variasque operationes, quorum singula vel indigent singularibus speciebus, vel non. Si indigent, non poterit etiam unum individuum substantiæ perfecte cognosci ab Angelo comprehensive, nisi per plures species; unde numquam dabitur una species, quæ sufficiat ad comprehensionem perfectam etiam unius individui : quia nullum est individuum cujus comprehensio non dependeat ex pluribus accidentibus et respectibus. Si non indiget[1] : ergo qua ratione possunt plura accidentia et operationes repræsentari unicâ specie, quatenus pertinent ad eamdem singularem substantiam, etiam poterunt plures illæ substantiæ individuæ unicâ specie repræsentari, quatenus coordinantur sub eadem natura, vel sub aliquo tertio in quo continentur, vel tamquam sub causa, vel tamquam sub fine, aut sub aliquo alio ordine aut ratione : ut postea* amplius explicabitur.

* præsertim n. 29-36

9. AD FUNDAMENTA OPPOSITA RESPONDETUR. — Ad primum** negamus Angelum acquirere species a rebus, ut (art. præcedenti***) ostensum est; et sic non est necesse quod species Angelorum quodlibet individuum seorsim repræsentent. Immo, dato quod a rebus acciperent species, non sequitur quod a pluribus individuis non possent unam speciem recipere, quatenus sub aliqua ratione formali conveniunt, vel tamquam in similitudinem naturæ, vel tamquam in aliquo alio ordine vel medio inter se connexa et convenientia. Nam etiam nos a pluribus individuis abstrahimus unam speciem, vel ex pluribus unam formamus, quatenus illa plura coordinantur in aliquo medio aut respectu. Multo ergo fortius virtus Angeli, quæ vivacius et efficacius res penetrat, posset in unica specie plures adunare rationes individuorum, etiamsi ab objectis species desumeret.

** supra, n. 4
*** a. 3, n. 22-57

10. *Ad secundum* dicitur,* quod unica species habet unicum et indivisibilem modum repræsentandi ex parte rationis formalis et modi repræsentandi, non ex parte rerum quæ repræsentantur ut contentæ sub tali ratione formali, et materialiter plures esse possunt. Atque ita unica species indivisibilis potest habere plura repræsentata materialiter, sub una tamen ratione formali. — Et cum instatur*, quod sic non repræsentantur distincte et particulariter, sed in confuso et in communi : Respondetur quod si repræsentarentur ut unum ex parte rei cognitæ, verum esset; sed si repræsentantur ut unum ex parte medii et modi cognoscendi, plura autem et distincta ex parte rei cognitæ, quia lux illas manifestans et penetrans una est et ad plura se habet, negamus quod repræsententur in confuso et in communi, et non in particulari. Quid sit autem hoc medium sub quo illa plura sic cognoscuntur, statim dicemus* circa sequentem difficultatem.

* supra, n. 4, *Tum quia una*
* supra, n. 4. *Si repræsentantur*
* infra, n. 11; et præsertim n. 20-40

11. *Ad tertium[2]** respondetur,* quod infinita individua possunt repræsentari ab aliqua specie, ut contenta in aliquo finito, scilicet in aliqua natura vel medio, aut sub aliquo ordine in quo adunantur finito modo; et sic nullum est inconveniens quod repræsententur infinita inferiora, ut contenta sub aliquo superiori in quo finito modo continentur. Numquam tamen hæc infinita individua cognoscuntur naturali modo simul et collective, quia non sic continentur in aliqua ratione formali vel natura creata, sed semper cognoscuntur ut finita in actu, solum autem infinita in potentia et syncategorematice; et sic non est inconveniens attingere infinita, neque per aliquam potentiam et cognitionem attingendo illa, neque per aliquam speciem repræsentando. — Quod autem cognoscantur* diversæ et contrariæ rationes convenientes diversis individuis, nihil inconveniens est : nam etiam eidem individuo hæc convenire possunt, saltem successive, aut in diversis partibus. Omnia enim ista attinguntur sub aliqua ratione formaliter una, in quâ

** supra, n. 4, *Tum quia alias*
* supra, n. 4, *immo, et res*

(1) Sic omnes || Fortasse corrigendum : *indigent.*

(2) Sic bene emendat P || MLC *tertiam.*

illa plura adunantur vel conveniunt, vel secundum similitudinem, vel alio modo, seu sub aliquo respectu et ordine, sub quo adunari possunt. — Ad ultimum* dicemus sequenti difficultate**, ostendendo quomodo plura, etiam specifice diversa, possunt repræsentari in unica specie, conveniendo in aliqua ratione formali repræsentandi.

* supra, n. 4, *Tum denique*
** infra, præsertim n. 20 sqq.

[DIFFICULTAS POSTERIOR.]

SPECIES ANGELICÆ QUANTO SUPERIORES, TANTO UNIVERSALIORES, ETIAM RESPECTU DIVERSARUM QUIDDITATUM.

12. *Circa secundam difficultatem* supra* propositam *auctores,* qui ponunt dari species universales in repræsentando in Angelis, *concorditer fere tenent,* quo Angeli sunt perfectiores, eo etiam universaliores et pauciores species habere : et consequenter posse dari aliquas species, quæ repræsentent plures quidditates specie diversas. Alioquin, si quælibet repræsentaret tantum unam quidditatem specificam, et solum posset plura individua unicâ repræsentatione attingere, eodem modo multiplicarentur species in Angelo inferiori, atque in superiori : quia nec ultra unam quidditatem specificam posset una species repræsentare, nec posset minus quam unam quidditatem specificam repræsentare, et ejus individua sub illa : non enim pro singulis individuis singulas species habent. Nullius enim Angeli intellectus est, « in quo oporteat secundum multiplicationem individuorum species multiplicare, » ut inquit S. Thomas (in II, D. 3, q. 2, a. 3 ad 3).

* n. 2, *Secundum*

13. Licet autem hæc sententia communis sit inter theologos qui tenent species Angelorum non sumi ab objectis, *tamen P. Vazquez* (hîc, disp. 203, c. 2 et 4) *tenet quod,* ex hypothesi quod dentur species in Angelo, adhuc non posse (1) cum fundamento vel probabili conjecturâ affirmari quod perfectiores Angeli per universaliores species intelligunt. Molina etiam (super hac q. 55, a. 3*) opinionem D. Thomæ incertam censet; et Arrubal (disp. 165, c. 2**). — Sed tamen P. Suarez (lib. II de Angelis, c. 14, et seqq. †) tenet contra Vazquez cum communi theologorum, immo et P. Alarcon supra †† citatus (c. 3, n. 7).

* IP2 577
** maxime n. 22
† præsertim c. 15
†† n. 5

(1) Omnes : *tenet quod... non posse* || Cf. tomi I Præfationem, cap. III, art. 2, § 3, n. 3.

14. **DE MENTE D. THOMÆ in hac parte dubitari non potest, cum expresse hoc teneat** in hac q. 55, a. 3*; et in II, D. 3, q. 2, a. 2; et q. 8 *de Verit.* a. 10, ubi (ad 2) amplius hoc exprimit dicendo, quod in Angelo superiori per unam speciem animalis omnes animalis species repræsentari possunt. Denique videri potest II *Contra Gent.* (c. 98), et ejus discipuli et commentatores super ista loca.

* I P. q. 55, a. 3

15. FUNDAMENTUM SUMITUR, tum ex D. Dionysio, quem in hac materia de Angelis communiter theologi venerantur et consequuntur, tum ex ratione. — *Ex D. Dionysio citantur duo loca :* tum ex cap. 12* *Cœlestis hierarchiæ,* tum ex cap. 10**. — *Priorem locum affert D. Thomas* (hîc, q. 55, a. 3***) quod « superiores Angeli participant scientiam magis in universali quam inferiores ». Quæ verba S. Doctor citat magis secundum sensum, quam secundum corticem litteræ : loquitur enim Dionysius de ordine Cherubinorum, sub quo dicit esse alios spiritus, qui « particularem habent scientiam †, seu partem scientiæ pro modo suo atque inferiori modo ».

* PG 3, 292 D
** rectius : c. 15; cf. infra, n. 18
*** I P. q. 55, a. 3, *Sed contra*
† PG 3, 292 D

16. Ex quo occasionem sumpsit Vazquez †† ad interpretandum hunc locum sic, quod Dionysius solum intendit inferiores Angelos pauciora scire quam superiores, non per species magis vel minus universales : quia de speciebus nec verbum tractat Dionysius. Et sic verba Dionysii secundum translationem Perionii* solum significant scientiam Angeli inferioris esse partem scientiæ superioris, id est, aliquid de illa habere, pauciora scilicet objecta attingendo quam superior Angelus. — Frustra tamen Vazquez hac responsione conatur effugere vim testimonii Dionysii. Nam, ut bene contra eum ponderat Suarez*, in rerum naturalium scientia (de qua ibi videtur loqui Dionysius) non attingunt superiores Angeli aliqua objecta, quæ non attingant inferiores (2) : cum totum universum, et quidquid naturalis ordinis est, eis pateat, ut etiam ipse Vazquez non negat (loco citato, c. 4 in fine). Non ergo ex parte rerum cognitarum differentia est in Angelo inferiore, quasi pauciora intelligat objecta quam superior, sed in modo intelligendi : quia superior magis universaliter, seu per pauciores species et magis unite intelligit, quam inferior. Sic enim ipsemet Dionysius (in eodem lib. c. 10*) dixit,

†† disp. 203, c. 2
* de quo cf. PG 3, 73 D
* lib. II *de Ang.*, c. 15, n. 5
* PG 3, 272

(2) Mendose omnes : *superiores.*

supremam hierarchiam « illustrari perficique obscuriore et clariore divinitatis lumine : obscuriore quidem, quod magis spiritualis sit, et simplicius ac magis unum efficiat; clariore autem, quod primum datum sit, primumque splenduerit, et magis totum sit (1), magisque in eum ordinem ut nitidum et liquidum effundatur ».

17. Nec potest juvari Vazquez ex translatione Perionii in illis verbis* Dionysii. Nam præterquam quod aliæ translationes non minoris auctoritatis sunt, tamen verba translationis Perionii potius pro nobis sunt. Hoc enim modo se habent : « Sanctorum* Cherubim ordo sapientiæ scientiæque altioris est particeps; ordines autem earum essentiarum, quæ eis subjectæ sunt, participes quidem etiam ipsi sunt et sapientiæ et scientiæ, sed ejus quæ pars est, ut ad illos, et quæ inferiorem locum teneat. » Hucusque retulit Vazquez, sed oportet legere sequentia; sic enim pergit translatio Perionii : « Ac* particeps quidem esse omnino et sapientiæ et scientiæ, commune est divinarum mentium omnium; sine autem ullo medio atque primum particeps esse, aut secundo loco et inferiore, non item, sed ut cuique pro captu suo constitutum est. Id quod etiam sine errore de omnibus divinis mentibus statui potest. Ut enim primæ cum fœnore habent sanctas inferiorum proprietates, sic etiam illas superiorum habent ultimæ, non tamen eodem sed inferiore modo. » Manifeste ergo revincitur ex verbis Dionysii falsam esse interpretationem Vazquez, quod voluerit Dionysius inferiores mentes partem scientiæ superiorum accipere, id est, pauciora objecta cognoscere, afferens (2) truncatum Dionysii locum, nec sequentia considerans : ubi clare Dionysius se explicat, quod eadem sciant inferiores, quæ superiores, sed non eodem modo; et sic in diversitate modi cognoscendi diversitas est, non in paucitate cognitorum. Si autem iste modus diversus est, quod unus sit pars alterius, seu particularis respectu alterius, manifestum est quod in superioribus universalior scientia est : si quidem modus inferiorum pars illius dicitur quantum ad modum, non quantum ad numerum cognitorum. Et licet verum sit quod D. Thomas (in II, D. 3, q. 2, a. 2 ad 2) docet : « Non esse a veritate remotum, quin plura subjaceant cognitioni naturali superiorum, quam inferiorum : » hoc non intelligitur de numero rerum cognitarum, sed de pluribus rationibus vel respectibus aut dependentiis quas habent res ad superiores illos Angelos, quas non ita cognoscit Angelus inferior, sicut superior. Quæ est doctrina ejusdem S. Doctoris q. 8 *de Verit.* (a. 10 ad 2).

* ex cap. 12, § 2; PG 3, 292

* *Dionysiaca*, p. 936-7 linea P.

* *Dionysiaca*, p. 937-8, linea P.; cf. PG 3, 292-3

18. *Secundus locus S. Dionysii*, quem affert D. Thomas (infra, q. 106, a. 1*), est in cap. 15** *de Cœlesti hierarchia* (paulo ante medium) ubi, loquens de adaptatione humanorum membrorum ad significandum metaphorice Angelorum virtutes et ministeria, inquit : « Unaquæque enim essentia, quæ mente prædita est, unicam intelligentiam, quam a diviniore traditam accepit, vi quadam qua aliis natura consulit, dividit atque amplificat pro captu et ductu inferioris. » Et notandum est quod in principio capitis dixerat Dionysius, loquens de conversione et motu Angelorum, quod « cælestibus* naturis omnibus vere hæc omnia convenient, etsi aliis superiori modo atque generali, ut sæpe dictum est, aliis autem inferiori et (ut ita dicam) particulari ». Ubi vides S. Dionysium frequenter hoc tradere quod superiores Angeli superiori modo, id est, generali seu universali, inferiores particulari cognoscunt; et hoc ipsum deinceps vocat esse « unicam intelligentiam », quam superiores dividunt ac multiplicant pro captu inferiorum. Modus ergo inferiorum est multiplicare ac dividere ea quæ unite, et consequenter universaliori modo seu generali, superiores intelligunt.

* I P. q. 106, a. 1, in fine corp.
** PG 3, 332 B; *Dionysiaca*, p. 1006-7, linea P.

* PG 3, 328 C; *Dionysiaca*, p. 991-2, linea P.

19. Respondet Vazquez (ubi supra*, c. 4) Dionysium non loqui de speciebus angelicis, sed de conceptibus circa divinas revelationes, quas Angeli superiores cognoscunt unico conceptu, sed dividunt ut ab inferioribus capiantur juxta modum suum : ad quas tamen revelationes dicit non indigere speciebus propriis. — Ceterum si Angelus superior intelligit unico conceptu hæc objecta supernaturalia, inferior autem pluribus, ergo modus cognoscendi superioris Angeli universalior est et magis unitus, quam inferioris; et consequenter eodem modo se habebit in cognitione naturalium, quia supernaturalium cognitio datur Angelis juxta proportionem et modum quo cognoscunt naturalia : sicut nos cognoscimus illa cum discursu, et Angeli sine illo. Ergo similiter in cognitione naturalium magis unite et

* n. 16

(1) Ita legendum cum Perionii translatione, quam hic sequitur Joannes noster; quam videas apud *Dionysiaca* (a R. P. D. Philippo Chevallier concinnata), p. 918-9, linea P. || Mendose omnes : *fit*.

(2) Sic omnes; et inferius habent etiam omnes : *considerans* || Secundum grammaticas leges scribi oportebat : *interpretationem Vazquezii... afferentis... nec sequentia considerantis*; cf. tomi I Præfationem, cap. III, art. 2, § 3, n. 3 et n. 5, b).

universaliter intelligent superiores Angeli quam inferiores. Quod si cognitio et conceptus universalior est et simplicior, etiam species impressæ simpliciores erunt et universaliores : quia conformiter ad conceptus et ad modum intelligendi se habent species, quibus intellectus formatur ad cognoscendum. Nec est verum ad objecta supernaturalia Angelos non habere proprias species : cum generaliter probatum sit * nullam cognitionem fieri sine speciebus; et, si cognitio sit propria et quidditativa, species etiam habere debet proprias et quidditativas talis objecti.

20. *Ratio autem conclusionis positæ* sumitur ex eo : quia species repræsentativæ objectorum possunt esse magis vel minus spirituales et immateriales quam aliæ, juxta quod intellectus ipse quem actuant magis immaterialis et spiritualis est. Et constat quod de eadem re sensibili et materiali dantur in nobis diversæ species, aliæ aliis perfectiores : sicut de colore dantur species visibiles in oculis, et perfectiores magisque subtiles in imaginatione, spirituales autem in intellectu; signum ergo evidens est de eadem re formari species diversæ immaterialitatis et perfectionis in repræsentando, et consequenter sub altiori ratione formali attingi objectum ab una specie quam ab alia, nec solum coarctari ad intelligibilitatem vel immaterialitatem quam objectum fundat de se : sicut sub altiori ratione repræsentatur color ut imaginabilis, quam ut visibilis. Ergo similiter in ipsis intellectibus separatis quanto unus intellectus est altior et simplicior, tanto species repræsentativæ objectorum erunt subtilioris et perfectioris intelligibilitatis et immaterialitatis, quam species intellectuum inferiorum. Ergo objecta ipsa sub diversa intelligibilitate et immaterialitate sunt repræsentabilia, atque adeo in aliquo intellectu superiori habebunt majorem immaterialitatem in modo repræsentandi, quam objecta ipsa de se fundant : sicut res corporeæ non fundant de se tantam immaterialitatem et intelligibilitatem, quantam habet intellectus Angeli superioris, v. g. Cherubini et Seraphini, et consequenter neque tantam quantam habent species quibus tales intellectus utuntur ad objecta cognoscenda : eo quod proportionari debent species intelligibiles in immaterialitate et simplicitate ipsi immaterialitati et simplicitati intellectûs.

21. Si autem semel convincimur quod species repræsentativæ alicujus objecti possunt esse altioris immaterialitatis quam ipsum objectum de se fundat, consequenter debemus convinci quod possit dari species repræsentativa quæ plures et diversas quidditates uniat sub unica ratione formali comprehendente illas : quia possunt illæ plures quidditates convenire in illa altiori immaterialitate, et in quantum vestiuntur sub tali immaterialitate repræsentari sub unica specie : sicut ea, quæ in diversis sensibus exterioribus diversis speciebus repræsentantur, sub altiori ratione repræsentari possunt in sensu communi et in imaginatione. Unde si potentia intellectiva est altior et efficacior magisque comprehensiva, quam inferior, consequenter postulabit species non solum magis immateriales, sed etiam magis unitivas et efficaciores in repræsentando unitive et comprehensive sua objecta, quam intellectus inferior : desumeturque hæc major immaterialitas non ex adæquatione ad ipsum objectum, cujus species est, sed ex alio altiori principio, ut in solutione primæ difficultatis dicemus *. * infra, n. 29-40

22. Sed dices : Rationem hanc aut nimis probare, aut nihil. Nam si efficax est, probat cujuscumque intellectûs speciem respectu rerum sibi inferiorum esse tantum unam : quia immaterialitas talis intellectûs una est; species autem illi deservientes eamdem induunt immaterialitatem, quia proportionantur tali intellectui quem informant; ergo si ideo objecta repræsentantur unite et sub unica ratione quia sub altiori immaterialitate repræsentantur a speciebus, consequenter, si illa immaterialitas est una, sicut et ipsius potentiæ, etiam species erit una : et sic omnes Angeli respectu inferiorum rerum tantum habebunt unicam speciem. — *Et instatur ulterius* in speciebus infusis animæ Christi : nam tales species supernaturales sunt, et sub lumine supernaturali repræsentant, præsertim res supernaturales et ordinis gratiæ; et tamen non unite et universaliter repræsentant res illas sicut species angelicæ, sed multipliciter et divisim, sicut docet S. Thomas (III P. q. 11, a. 6). Ergo ex majori immaterialitate, sub qua species repræsentant objecta, non potest earum unitas et universalitas in repræsentando inferri.

23. Respondetur : Rationem factam solum probare quod datur sufficiens fundamentum, ex parte specierum quæ ad intelligendum requiruntur in Angelo, ut non quælibet species debeat adæquari intelligibilitati propriæ hujus vel illius objecti quod repræsentat : sed potest sub aliqua altiori immaterialitate et spiritualitate, quam sit

intelligibilitas propria hujus objecti, illud præsentare; atque adeo [1] quod possit in aliquo medio elevatiori et universaliori repræsentare plura objecta, quatenus sub illa majori et elevatiori intelligibilitate plura objecta possunt convenire : quod est intentum D. Thomæ, quod scilicet species istæ sint universaliores ex parte medii seu rationis formalis sub qua repræsentantur, non vero universaliores solum ex parte rei cognitæ. At vero quod ita elevetur ista repræsentatio quod per unicam speciem possint omnia objecta inferiora repræsentari, dependet ex alio principio : videlicet, quod intellectus ille sit ita efficax, etiam respectu omnium sibi inferiorum, quod possit in unica repræsentatione et unico actu adæquate correspondente illi speciei omnia inferiora comprehendere. Hoc enim non sequitur ex præcisa immaterialitate intellectûs, qua excedit et superat objectorum inferiorum immaterialitatem et intelligibilitatem : sed ulterius attendenda est ipsa intellectûs vis et efficacia, aut debilitas major vel minor, secundum quam lumen illius et vigor potest accommodari cum minori repræsentatione magisque particulari, et non cum majori et magis universali, quia illa debilior virtus et lumen intellectûs cum tam unitâ et universali repræsentatione confusius se habet. Sicut de anima rationali docet S. Thomas
I P. q. 89, a. 3 et 4 (infra, q. 89, a. 3 et 4) quod per species infusas habet cognitionem minus perfectam quam Angeli, etiam respectu rerum materialium : quia habet minorem efficaciam intellectûs, Angeli vero propter efficaciam sui intellectûs per hujusmodi species habent perfectam et propriam cognitionem de rebus; et tamen animæ separatæ habent immaterialitatem supra omnia corpora. Eâdem ergo ratione intellectus alicujus Angeli inferioris, propter minorem efficaciam et vigorem sui intellectûs, non poterit in unica specie omnia sibi inferiora cognoscere proprie et distincte, quæ fortasse poterit Angelus superior, licet inferior Angelus in immaterialitate excedat objecta sibi inferiora : quia non omnis major immaterialitas respectu objectorum infert in ipsa activitate et vigore intellectûs modum tam unitum et efficacem quod possit omnia illa unico intuitu attingere vel unicâ repræsentatione : quia hoc dependet ex aliis rationibus, scilicet ex majori perfectione, activitate et majori assimilatione et accessu ad Deum, unde sumitur diversus gradus et perfectio in Angelis, etiam sub eodem immaterialitatis genere.

24. *Instantia* autem de speciebus infusis animæ Christi non obstat,* sed confirmat quod dicimus. Nam licet species illæ sub altiori lumine et majori immaterialitate repræsentent, tamen quia intellectus animæ de se minus efficax et vigorosus est quam Angeli, indiget sibi particularizari et proportionari repræsentationes rerum, ut propriam et claram cujusque notitiam habeat : quia ex sua natura inclinatur ad habendum species desumptas ab objectis : aut (si fuerint infusæ) quod adæquatur [2] intelligibilitas earum objectis ipsis, non ex superiori principio sumatur, scilicet ab ideis divinis, ut infra* dicemus. Quare major et altior universalitas in repræsentando, ex parte specierum, sufficienter probatur ex ratione adducta**, quod non sit impossibilis. — Quod vero cuilibet intellectui habenti immaterialitatem supra sua inferiora sufficiat tam unita et universalis ratio repræsentandi, qualis est in unica specie respectu omnium inferiorum, dependet ex majori et altiori efficaciâ intellectus in tali immaterialitate repertus [3] ad hoc ut possit se accommodare cum illa repræsentatione; aut magis particularizatâ indigeat, etiam respectu inferiorum : sicut exemplo animæ separatæ comprobatur.

* supra, n. 22, *Et instatur*

* n. 29 sqq.

** supra, n. 20-21

25. Denique, constat quod potest dari conceptus aliquis repræsentans modo magis unito et universali plures et diversas quidditates : sicut potest dari una scientia adunans sub altiori lumine diversas quidditates rerum; ergo etiam possunt dari species impressæ magis universales, et modo unito repræsentantes. — Patet consequentia : quia non minus repræsentativi sunt conceptus, quam species; ergo si ex parte repræsentationis non repugnat conceptus esse magis universales in repræsentando, neque repugnabit quod species impressæ sint etiam magis universales in repræsentando. Præsertim quia species impressæ proportionantur conceptibus, quia ex illis formantur conceptus tamquam ex principio repræsentativo; ergo, sicut dantur tales conceptus universales in repræsentando plures quidditates, etiam et species. — Antecedens autem constat : quia licet plura ut plura non possint unico conceptu

(1) Intellige: *atque adeo [rationem factam probare] quod...*

(2) Sic omnes || Nisi fallimur, legendum : *adæquetur*. Sententia enim videtur hujusmodi : *inclinatur ad habendum... : aut... [ad hoc] quod adæquetur..., [et] non ex superiori... sumatur.*

(3) Omnes : *intellectus... repertus :* quod fortasse tolerari potest || Æstimamus tamen legendum : *intellectûs... reperti.*

attingi, bene tamen plura per modum unius, etiam secundum quod apprehenduntur per modum distinctionis et differentiæ, ut docet S. Thomas (infra, q. 58 *, a. 2 et 4; et q. 85 **, a. 4 ad 4). Ergo potest intellectus plures quidditates differentes sub unico conceptu attingere secundum ipsam comparationem differentiæ inter se. Similiter constat quod scientia, quanto est abstractior et altior, sub una intelligibilitate et lumine plura attingit : sicut metaphysica ad plura extenditur quam physica, et ars architectonica ad plura se extendit quam ars ministerialis et inferior; ergo similiter non repugnabit quod sub aliquo medio et intelligibilitate altiori aliqua species repræsentet plura, etiam proprie et distincte, secundum quod ex tali intelligibilitate altiori illuminari et manifestari possunt etiam ea quæ propria sunt talium quidditatum : ut ex solutione argumentorum melius explicabitur.

[PONUNTUR ET]

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

26. Contra hanc tamen resolutionem TRIPLEX OCCURRIT DIFFICULTAS. — PRIMA : Quia illæ species universaliores debent habere unitatem ex unitate objecti repræsentati, ita quod non solum detur una ratio formalis *sub qua*, sed etiam una ratio formalis *quæ;* hoc autem non apparet quodnam sit. — Nam si est aliquis gradus superior et genericus, in quo conveniunt plura inferiora, tale objectum et res repræsentata directe quidem attingetur per talem speciem, non tamen mediante illo repræsentabuntur inferiora proprie et distincte et actu, ut sunt in se : quia non poterunt repræsentari nisi prout continentur in tali ratione communi, in qua repræsentantur; ibi autem continentur solum potentialiter et in confuso, sic enim genus continet species; ergo sic repræsentabuntur, et non distincte. — Si autem illud, quod est ratio repræsentandi plura per aliquam speciem, non est gradus aliquis genericus, sed causa vel condicio aut respectus vel accidens aliquod sub quo plures et diversæ quidditates possunt uniri et repræsentari tamquam in eo convenientes, in primis non semper poterit assignari aliqua causa creata, quæ sit causa, v. g. omnium animalium, aut totius unius generis, etiam quantum ad ultimas differentias (suppono enim quod non nisi in causâ creatâ repræsentari possunt : in Deo enim, extra visionem beatam, nihil videtur). Sola autem condicio extrinseca, vel accidens aliquod, vel respectus pluribus communis, non apparet quomodo possit esse ratio repræsentandi omnia, quæ pertinent ad illas diversas quidditates, proprie et distincte : cum talis ratio sit illis extrinseca. — Ac denique quidquid creatum est, non potest ita adunare duas quidditates specie aut genere diversas, quod adæquate et perfecte repræsentet quidquid in illis est : alias autem quælibet adæquate et perfecte repræsentari potest per speciem sibi propriam et adæquatam. Ergo non est dabilis species universalior in superioribus Angelis, quæ stante illâ universalitate repræsentet res contentas distincte et proprie, sed solum in confuso tamquam in superiori prædicato.

27. SECUNDA DIFFICULTAS EST : Quomodo intelligatur quod Angeli quanto superiores, tanto habeant pauciores species. Si enim quilibet Angelus, quanto est superior in specie sua seu in specifica ratione, pauciores species habet quam inferior, certe (cum in sententia D. Thomæ * omnes Angeli differant specie inter se) cito devenietur ad aliquem Angelum qui per unam speciem vel per nullam intelligat omnia. Et admittendo etiam aliam sententiam D. Thomæ * quod Angeli excedunt incomparabiliter omnia corpora, saltem omnes species corporum, facile deveniemus ad Angelum qui omnia corpora intelligat unicâ specie, et Angelus eo superior intelliget corpora et spiritus sibi inferiores per unam speciem, et ex ipsis spiritibus etiam plures ex illis per pauciores species intelliget. Unde potest deveniri ad Angelum qui poterit intelligere omnes inferiores per unicam speciem. Et, si alius supra illum crearetur, intelligeret omnia per nullam speciem, sed per suam essentiam : quod D. Thomas omni Angelo negat (in hac q. 55 *, a. 1).

* I P. q. 50, a. 4

* I P. q. 50, a. 3

* I P. q. 55, a. 1

28. *Quod si dicatur,* quod non quilibet Angelus perfectior in specie habet pauciores species, sed possunt plures Angeli diversæ speciei per easdem species intelligere : evertitur omne fundamentum ponendi pauciores species in Angelis quanto sunt superiores, et solum pro libito et divinando poterit assignari quibus Angelis conveniat uti speciebus ejusdem universalitatis, et quibus conveniat habere universaliores species super alios. Quod enim assignentur species universaliores Angelis, quando sunt distincti ordinis, vel superioris hierarchiæ, omnino incertum est, nec majus fundamentum habetur ad id affirmandum quam ad negandum.

— Et D. Thomas solum docuit quod Angeli quo superiores et perfectiores, vel quanto aliquis est Deo propinquior, tanto habet species universaliores et ad plura se extendentes : ut affirmat in hac q. 55*, a. 3. (et in q. *de Anima*, a. 7, præsertim ad 5). Constat autem quod quælibet species Angelorum, quanto est altior, tanto est Deo propinquior.

* I P. q. 55, a. 3

29. Tertia difficultas est : Quia si Angelus quanto superior tanto paucioribus speciebus utitur, iisque universalioribus, poterit Angelus habens unicam speciem pro omnibus animalibus, vel pro omnibus corporibus, elicere actum adæquatum talis speciei : et sic unicâ cognitione attingere omnes species animalium vel corporum. Ex hoc autem sequitur quod possit Angelus unicâ specie repræsentare infinitas res, et unico actu eas attingere, v. g. omnes species animalium vel corporum, et omnia accidentia et operationes seu motus, et quidquid ad illas consequitur : quia cum illa omnia quidditative et comprehensive attingat, per illam speciem, qua tales quidditates cognoscit, omnia ista attingere debet. Hæc autem sunt in infinitum multiplicabilia : nam sub genere animalis possunt infinitæ species multiplicari, et in qualibet specie possunt infinita accidentia vel operationes variari : et, quâcumque specie animalis productâ, repræsentabitur in illa specie Angeli; ergo, cum possint in infinitum produci, jam de se species illa continet in se omnium illarum repræsentationem, si quidem hoc ipso quod producantur, habet vim ad repræsentandum illas. Constat autem quod repræsentare unam speciem perfectio est, et repræsentare plures major perfectio; ergo repræsentare infinitas, erit infinita perfectio. Immo, hoc ipso quod una species intentionalis non solum repræsentat unam naturam, sed plures, poterit repræsentare quascumque in quocumque numero : quia non est major ratio cur limitetur ad duas, vel viginti, vel centum, quam ad infinitas. Similiter constat quod quæcumque repræsentantur unicâ specie, possunt unico actu et conceptu attingi : quia uni speciei correspondet aliquis actus, et conceptus adæquatus; ergo poterit per aliquem actum exprimi totum quod in specie impressa repræsentatur.

[*Ad primum argumentum.*]

* supra, n. 26

30. Ad primam* difficultatem varii sunt modi respondendi, quos latissime referunt et tractant Carmelitani Salmanticenses (tract. vii de Angelis, disp. 5, dub. 5, n. 107 usque ad 138) et Navarrete (hîc, controv. 52). **Nos omnibus pensatis, BREVITER RESPONDEMUS EX DOCTRINA D. THOMÆ DUO.** — *Primum est,* quod species Angelorum non dicuntur universaliores quia objectum aliquod repræsentent in universali, quod sit abstractum ab inferioribus et universale in prædicando, vel aliqua natura et gradus genericus contrahibilis ad inferiora : sic enim, ut probat argumentum, solum cognoscerentur res inferiores in confuso et potentialiter : quia solum attingerentur ut contentæ in tali natura et gradu superiori. Unde hunc modum repræsentandi universaliter aperte excludit D. Thomas in hac q. 55*, a. 3 ad 1 (et q. 8 *de Verit.* a. 10 ad 1); et expressius (in II, D. 3, q. 2**, a. 2 ad 1) ubi dicit quod formæ Angelorum non sunt universales, neque sumpto universali pro ipsa natura quæ est in particularibus, licet in eis non sit secundum rationem universalitatis : neque sumpto universali pro universali per abstractionem. Solum ergo dicuntur species Angelorum universales ratione medii per quod repræsentant res ipsas usque ad proprias differentias illarum. Et hoc medium quanto est universalius, tanto perfectius et intimius repræsentat res quæ sub illo comprehenduntur : sicut causa quanto est universalior, tanto vehementius influit in effectum, et intimius ac profundius illum attingit, eo quod talis causa est activior et perfectior : et sic universalitas ejus est universalitas activitatis, quæ ad plures rationes se extendit. Et ad hunc modum habent species angelicæ modum repræsentandi perfectiorem, exprimendo in se repræsentative id quod causa universalior habet active, et ad eum modum attingendo plura objecta in repræsentando, sicut causa universalior attingit in causando; causa autem universalis non attingit effectus suos solum in communi et in confuso, sed usque ad particularia propria descendit : sic species illa universalior in repræsentando attingit omnia particularia ex parte rei cognitæ.

* I P. q. 55, a. 3, ad 1
** alias : q. 3

31. *Secundum quod ex D. Thoma accipimus est,* quod non oportet hoc medium universale, sub quo species angelicæ repræsentare dicuntur modo universaliori, accipere ex parte alicujus rei seu objecti quod habeat unitatem per modum rationis *quæ*, quasi sit res aliqua quæ directe et per se repræsentetur, tamquam res repræsentata et cognoscibilis, et sub illa aliæ res contentæ

repræsententur; sed sufficit ponere unam rationem formalem, *sub qua* tales species repræsentent plures ac diversas quidditates vel rationes intelligibiles. Quæ ratio formalis *sub qua* non est aliud quam respectus et habitudo ad ideas divinas secundum diversum modum quo causant et derivant res in hoc universo : ab ideis enim divinis exemplantur res in sua propria natura exsistentes, et in mentibus Angelorum tamquam in similitudine intentionali repræsentatæ. Hanc enim esse mentem D. Thomæ constat ex pluribus ejus locis, in quibus ex S. Augustino affirmat similitudines, quæ sunt in mentibus angelicis, esse quasdam similitudines derivatas ab ideis divinis : ita quod, sicut ab ideis procedunt res ut exsistant aut subsistant in propriis entitatibus, ita etiam ut repræsententur in mentibus Angelorum : ut patet in hac q. 55*, a. 2 (et q. 57**, a. 2 ad 2; et q. 8 *de Verit.* a. 10 et 11) et multis locis, ubi tractat de modo quo Angeli cognoscunt singularia : semper enim recurrit ad hoc, quod formæ seu similitudines intellectûs angelici sunt exemplatæ ab ideis divinis. Unde sicut illæ causant res non solum quoad formam sed etiam quoad materiam et individuationis principia, et quoad omnes rationes quæ in unaquaque re inveniuntur, ita similitudines repræsentativæ in Angelis omnia repræsentare possunt quæ sunt in aliqua re, sive pertineant ad individuationem, sive ad specificationem, sive ad alias latentiores(1) rationes; et de his tanto plures vel pauciores rationes unicâ similitudine explicari possunt, quanto similior est ideis divinis causantibus tales res, et ab illis perfectius et intimius exemplatur et quasi sigillatur in mente Angeli.

* I P. q. 55, a. 2
** I P. q. 57, a. 2, ad 2

32. Explicans autem D. Thomas quomodo hoc medium et hæc ratio, qua derivantur istæ species ab ideis divinis, potest esse ratio repræsentandi plura in speciebus angelicis, atque adeo constituere species universales (id est, non adæquate se habentes ad particularia objecta, sed inadæquate, multaque complectentes), sic dicit (in q. 8 *de Verit.* citata, a. 10 ad 3) : « Id quod unum est, non potest esse ratio propria plurium si sit eis adæquatum; sed si sit superexcedens, potest esse propria ratio plurium, quia continet in se uniformiter propria uniuscujusque, quæ in eis divisim inveniuntur. Et hoc modo essentia divina est propria ratio rerum omnium : quia in ipsa uniformiter præexsistit quidquid divisim in omnibus creaturis invenitur, ut Dionysius* dicit. Et similiter, cum formæ intellectûs angelici sint excellentiores rebus ipsis, utpote divinæ essentiæ propinquiores, non est inconveniens si una forma intellectûs angelici sit propria ratio plurium secundum diversas ejus habitudines ad res diversas, ex quibus habitudinibus consurgit pluralitas idearum. Sed formæ intellectûs nostri accipiuntur ex rebus; unde non sunt superexcedentes rebus, sed quasi adæquatæ quantum ad repræsentationem, licet sint excedentes quantum ad modum essendi, quia immateriale esse habent. » Ita S. Thomas.

* PG 3, 820 D; 821 B; 824 C

33. Quare in ejus sententia, et pro ejus sensu percipiendo, duplex ordo intellectuum(2) considerandus est. — Nam intellectus humanus de se naturaliter inclinatus est ad sumendas species ab objectis; et quia objecta de se non possunt imprimere nisi speciem talis intelligibilitatis, qualem ipsa fundant, ideo natus est intellectus formari speciebus adæquatis ipsis objectis a quibus eas haurit. Et tales species habent semper aliquid quod repræsentent tamquam rem unam repræsentatam, a cujus unitate accipiunt unitatem repræsentationis : quia sic objectum unum est. Unde fit quod, quando a Deo infunduntur species animæ humanæ pro isto statu, sive sint naturalis ordinis et per accidens infusæ (id est, quæ alias possent non infundi, sed acquiri), sive sint supernaturalis ordinis et per se infusæ, tamen in modo repræsentandi se adaptant ipsi connaturali modo intellectûs humani : uti videlicet tales species sint adæquatæ ipsis objectis, et unaquæque ad naturam objecti adaptata et concisa. Ideoque anima Christi, licet perfectiores et limpidiores species in scientia infusa receperit quam Angelus, fuerunt tamen magis particularizatæ et coaptatæ ipsis objectis.

34. At vero intellectus angelicus ex natura sua est independens ab objectis, quantum ad hoc quod est non sumere species ab ipsis. Unde non coaptantur species suæ intelligibilitati quæ est in objectis, nec ad earum unitatem(3) respicitur unitas rei repræsentatæ : sed desumit species seu similitudines suas ut derivatas ab ideis divinis, quæ sunt principia rerum ipsarum seu objectorum. Sicut si aliquis ad cognoscendam domum non respiceret eam prout est in ipsis

(1) Ita corrigunt LCP || Mendose M *latentiones*.
(2) Sic LC, recte || Mendose MP *intellectum*.

(3) Intelligito : *nec ad earum [specierum] unitatem [obtinendam] respici debet unitas rei...*

lapidibus et lignis jam fabricata, sed prout est in aliqua copia descendente ab idea artificis, in qua perfecte sigillaretur magis vel minus unite : sicut domus ducentum cubitorum potest in uno palmo perfecte delineari, desumendo id ab idea artificis. Et tunc non consideratur unitas speciei ex unitate vel multiplicitate rei repræsentatæ, sed ex modo quo ab arte delineatur et adunatur sub quadam universalitate et unitate ipsius artis sic delineantis. Sicut ex uno sigillo vel typo potest exprimi figura, quæ simul repræsentet hominem et equum et arborem : quia non attenditur hæc unitas ex ipsis rebus, sed ex modo quo[1] derivatur a sigillo et uniuntur in eo. Et ita S. Thomas (in II, D. 3, q. 2 *, a. 2 ad 1) dicit quod « est quoddam universale ad rem » (id est, universale per modum causæ) « quod est prius re ipsâ : sicut forma domûs in mente ædificatoris; et per hunc modum sunt formæ universales rerum in mente Angeli, non ita quod sint operativæ, sed operativis similes ». Et (art. 3 * sequenti, in fine corporis) inquit quod « formæ quæ sunt in mente Angeli sunt simillimæ rationibus idealibus in mente divina exsistentibus, sicut deductæ immediate exemplariter ab eis ». Itaque, uno verbo, a divina mente tamquam ab artifice profluunt et res in propria natura et materia, sicut domus ab artifice in lapidibus et lignis : et profluunt imagines repræsentativæ talium rerum, sicut ab artifice fit in papyro vel cera aut ære incisio et copia domûs faciendæ, quam typum seu modelum vocamus; et hæc non desumit suam unitatem ex re ipsa fabricata ut in se, sed ex unitate et modo quo est in mente artificis. Et quia artifex suâ ideâ potest adunare plura vel pauciora alicujus artificii vel ædificii secundum diversas habitudines, potest etiam magis vel minus adunare res repræsentatas in una similitudine; et sicut potest in uno typo conjungere plures partes unius domûs, ita plures domos pro una civitate, aut plures civitates pro uno regno, licet (quia hæc in materiâ aliquâ pinguntur) non ita perfecte exprimantur. Deus autem, qui depingit intelligibiles intentiones in mente Angeli, ex suis ideis eas imprimit cum perfectissima repræsentatione, et cum ea adunatione et unitate qua in ideis adunantur, seu simili ad illas, et participata ab illis.

* alias : q. 3

* II, D. 3, q. 2 (alias : q. 3), a. 3

35. *Sed dices :* Unde habemus quod Deus infundit Angelis species sic derivatas a suis ideis, et non ut adæquatas ipsis objectis? Hoc enim non nisi divinando dici potest. — Et, dato quod ita sit, adhuc non sequitur intentum : nam ideæ divinæ considerari possunt vel ut attingunt res ipsas ideatas, et multiplicantur secundum habitudines ad ipsas, vel ex parte ipsius Dei secundum quod illa omnia sub uno modo cognoscendi et operandi comprehendit. Si considerentur ideæ secundum quod distinguuntur penes ideata, diversæ ideæ sunt sicut res ipsæ ideatæ, ut ex D. Thoma supra diximus (disp. 1 *); et sic tot erunt species in Angelo quot sunt ideæ multiplicatæ ad multiplicationem ideatorum, quod est perinde atque accipere species ab objectis : sic enim multiplicantur ideæ sicut objecta ipsa. Si vero considerentur ideæ ex parte ipsius Dei et modi cognoscendi illius et operandi, sic non multiplicantur ideæ, sed sunt unum; et ita si species angelicæ pro hac parte imitantur ideas, una species erit in omnibus, non multiplex : quia modus idearum unus est.

* olim disp. I tomi II (vel III); nunc disp. 21, præsertim art. 3, supra, tomo II, p. 554-561

36. *Respondetur,* quod in primis hoc nullam habet repugnantiam, quod Deus ex suis ideis, ex quibus universam creaturam format, formet etiam intelligibiles species et mentibus imprimat Angelorum, ita quod in eis formet intelligibilem mundum, sicut extra format illum in sua materia. — Quod vero ita de facto fecerit, non divinando * dicitur, sed cum maximo fundamento. Tum quia expresse asseritur a S. Augustino (II *de Genesi ad litt.* c. 8 **; et affert illum locum S. Thomas hîc, q. 55 †, a. 2) quod Deus prius, ex rationibus per quas condidit creaturas, facit eas in cognitione seu mente Angelorum, ac deinde in seipsis. Dicitur etiam Angelus *signaculum similitudinis, plenus sapientiâ* (Eze. XXVIII, 12), quasi in ipso suæ creationis initio sigillatus sapientiâ a Deo : quod est ex ejus ideis et scientiâ participare formas suas intelligibiles, quibus sapientia formatur. Congruum quoque est naturæ ejus : quia, cum sit forma pure intellectualis et spiritualis, nec sensus habeat quibus ab objectis corporeis hauriat species, nec aliæ spirituales substantiæ creatæ ejus menti illabi possint ut eam forment, oportuit a summo spiritu, qui omnium objectorum continet rationes, formari eique species imprimi a tali spiritu summo derivatas; et hoc est ab ejus ideis derivari similitudines in Angelos, quia pure spiritualis est, et a spiritu conditore, non ab objectis, formari debet.

* cf. supra, n. 35, *Hoc enim*
** PL 34, 269
† I P. q. 55, a. 2

[1] Intelligito : *quo [figura] derivatur a sigillo et [hæ res] uniuntur in eo.*

* supra, n. 35, *Et dato*

37. Ad id vero quod dicitur* de multiplicatione idearum : Respondemus quod, licet ideæ multiplicentur per connotationem et habitudinem ad res in se, ex parte autem Dei et modi intelligendi ejus habeant summam unitatem, in mente tamen Angelorum derivantur pro captu suo, non solum ita divisæ sicut res ipsæ ideatæ, sed cum aliqua unitate seu adunatione ex parte modi idearum, quia repræsentant res ut procedunt a Deo; et sic, ex ipso modo procedendi quem repræsentant, unitatem sortiri possunt : quia sub illa habitudine repræsentant, sub qua descendunt a Deo. Sed tamen, quia sunt similitudines deficientes ab ipsa simplicitate et infinitate divinarum idearum ut sunt in Deo, non possunt illum unicum modum, qui ex parte Dei se tenet[1], unico et adæquato modo repræsentare, sed diverso, unaquæque juxta modum et captum suum. Et sic, quia ideæ divinæ causant res non solum secundum habitudinem et dependentiam ab ipso Deo qui summe et infinite unus est, sed secundum habitudines diversas ad causas et fines magis particulares vel etiam magis universales, ideo non solum attenditur distinctio idearum secundum diversitatem ipsarum rerum procedentium, sed etiam secundum diversos respectus et modos procedendi, et secundum diversas habitudines ad diversos fines : hæc enim omnia ad ideas pertinent. Et ita possunt derivari ab illis ideis similitudines magis etiam vel minus universales in repræsentando res sub illa derivatione qua fluunt a Deo, sub habitudine magis vel minus amplâ et universali : sicut artifex superior potest efformare similitudinem unius domûs secundum quod in se est quoddam particulare ædificium, vel secundum quod conducit ad civitatem, sicut est arx : vel totius civitatis, aut integri exercitûs vel classis, secundum quod conducit ad bonum regni; et sic secundum diversas habitudines fit universalior repræsentatio et similitudo. Sic ab ideis divinis possunt in mentem Angeli derivari similitudines lapidum vel herbarum, ut conducunt ad medicinalem virtutem, vel ut pertinent ad climata hujus regionis potius quam illius, et similiter similitudines avium quatenus tali regioni deserviunt, aut tali utilitati aut fini, vel etiam secundum quod deserviunt homini : vel secundum quod pertinent ad ornatum integri elementi, v. g. aeris vel terræ, ubi est altior et universalior finis : vel etiam secundum quod fiunt a causis universalibus cælorum, ac denique secundum alias diversas habitudines et fines, qui variare possunt modum quo ista derivantur a Deo. Quod unico verbo dixit S. Thomas (quæst. illâ 8 *de Verit.* a. 10 ad 3), quod « una forma intellectûs angelici est ratio propria plurium secundum diversas ejus habitudines ad diversas res, ex quibus habitudinibus consurgit pluralitas idearum ». Nota hoc bene.

38. AD ARGUMENTUM* ERGO HUJUS PRIMÆ DIFFICULTATIS, RESPONDETUR concedendo quod species angelicæ non sunt universales ex eo quod aliquam naturam in universali seu gradum aliquem genericum directe et per se repræsentent : ut expresse talem universalitatem repræsentandi excludit S. Thomas (in II, D. 3, q. 2*, a. 2 ad 1) : sed ex eo quod repræsentant plures res sub aliquo universali medio, id est, quatenus descendunt a Deo et ab ideis divinis secundum diversas habitudines, ut declaratum est*, conformiter ad captum modumque ipsius Angeli. Unde non oportet istis speciebus assignare unam rationem tamquam objectum *quod,* seu ex parte rei cognitæ et rationis formalis *quæ :* sed tamquam objectum *quo,* et ex parte rationis formalis *sub qua,* scilicet quatenus res illæ descendunt a Deo sub tali vel tali habitudine et ordine, magis vel minus uniente res illas in ratione derivandi a Deo.

* supra, n. 26

* alias : q. 3

* supra, n. 30-37

39. *Et quando instatur**, quod nullus modus aut accidens aut condicio aut respectus, vel nulla causa aut ratio creata, potest adunare perfecte in intelligibilitate plures quidditates : *Respondemus* quod condicio aut respectus, seu ratio aliqua creata, si sumatur secundum se, non potest esse ratio adunandi perfecte in repræsentatione plura objecta. Si autem sumatur non præcise secundum se, sed ut descendens a Deo et ab ideis divinis, sic potest esse ratio repræsentandi plura perfecte et distincte : quia perfecte et distincte descendunt a Deo et ab ideis divinis. Unde non oportet unitatem hujus repræsentationis sumere ex aliqua unitate rerum repræsentatarum in se, sed ex unitate et modo exemplaris a quo derivantur : sicut sigillatum sumit unitatem a sigillo, licet res valde diversarum figurarum exprimat. Et ista ratio *sub qua* non est repræsentabilis ut *quod,* sed ut *quo ;* et hoc sufficit ad unitatem repræsentationis sic sigillatæ a divino exemplari et ideâ.

* supra, n. 26, *Si autem*

[1] Mendose omnes : *se tenent.*

* supra, n. 26, *Ac denique*

40. *Et cum instatur* *, quod duæ quidditates specificæ repræsentari possunt per duas species adæquatas, nec habere possunt aliquid in quo adunentur, quod perfecte et distincte illas repræsentet (quæ est replica Arrubalis, disp. 165, c. 1) : *Respondetur* quod illæ quidditates sunt repræsentabiles per diversas species adæquatas, si secundum se et secundum inferiores et proprias rationes considerentur, quæ ex objectis ipsis desumuntur illisque adæquantur. Si autem repræsententur secundum altiorem rationem, scilicet ut procedunt a Deo seu ab ideis divinis, et secundum similitudinem et sigillationem ab ipsis, sic possunt repræsentari in superiori ratione, et tamen repræsentari proprie et distincte : quia non repræsentantur ibi ut in gradu et prædicato superiori, sed ut in causalitate et processu ab exemplari superiori, in quo uniri possunt illæ res, quæ alias in se sunt diversæ, secundum diversas habitudines magis vel minus universales secundum quas ab illis procedunt. Sicut arborem et lapidem et fluvium possunt repræsentare distinctæ figuræ et picturæ, si res illæ secundum se considerentur; sed si in uno sigillo seu typo ista omnia adunentur, unicâ sigillatione possunt imprimi et repræsentare [1].

* cf. supra, n. 35, *Si vero*

41. Nec ex hoc inferri potest quod videntur in ipso Deo *, seu in ideis ut tenent se ex parte ipsius Dei. Sed videntur in similitudinibus seu per similitudines derivatas ab ipsis ideis, quæ non repræsentant ideas ipsas ut sunt in se et ex parte Dei, sed res ipsas ideatas prout procedunt et dependent passive a Deo : quod totum pertinet ad ordinem naturalem, prout tales creaturæ exeunt a Deo ad componendum hoc universum. Et sub diversis respectibus seu finibus, sub quibus istæ vel illæ creaturæ adunantur et producuntur, repræsentari possunt : sicut res sigillata non repræsentat sigillum ut est aureum vel æreum in se, sed prout recipitur impressio ejus in sigillato.

[*Ad secundum argumentum.*]

* supra, n. 27-28

42. AD SECUNDAM * DIFFICULTATEM RESPONDETUR : Sine dubio probabilius esse quod, secundum differentiam specificam unius Angeli, elevatior modus cognoscendi et universalior species correspondet; et cum quilibet Angelus habeat diversam naturæ speciem, quilibet superior in specie habet aliquam superioritatem in modo repræsentandi specierum. Et ad hoc facit doctrina S. Thomæ qui (in hac q. 55, a. 3) absolute et sine distinctione docet quod Angelus, quo superior, eo per pauciores species intelligit; est autem superior etiamsi non hierarchiâ aut ordine, sed etiam specie, inæqualis et superior sit. Et (q. 8 *de Verit.* a. 10) inquit, quod « quanto in Angelo fuerit plus de actu, et minus de potentia, tanto emanatio hujusmodi rationum » (intellige emanationem a Deo, non a natura Angeli) « minus in ipso multiplicabitur ». Quæ ratio currit respectu cujuscumque Angeli specie diversi ab alio : quæcumque enim differentia specifica facit Angelum esse superiorem alio, et plus habere de actu, et magis participare divinam similitudinem : quæ sunt rationes minus multiplicandi species, et perfectius participandi similitudinem divinam. Unde procedit argumentum quo utitur D. Thomas (quæst. *de Anima,* a. 7, in corpore, et ad 5) : nam Angeli, hoc ipso quod differunt specie, differunt etiam in participatione divinæ similitudinis, et magis vel minus ad eum [2] accedunt; ergo etiam differunt in participanda similitudine divinarum idearum; ergo oportet quod simpliciori modo repræsentent species perfectioris Angeli, atque adeo et modo universaliori, qui magis unitus et simplex est : si quidem participatio illa idearum actualior est et minus habet de potentia; ergo magis unita et simplex est repræsentatio.

I P. q. 55, a. 3

43. *Quod si inquiras :* Si ita est quod Angeli, ex eo quod superiores et actualiores in sua natura, pauciores habent species, et quanto inferiores tanto plures habent, cur etiam non dicemus quod Angeli quanto inferiores, tanto plures potentias habent ad intelligendum, et, quanto superiores, minus? Si vero in inferioribus est una potentia sicut in superioribus, sed potentia inferiorum est minus actualis et efficax magisque potentialis, potentia vero superiorum magis vigorosa et formalior, cur etiam non dicemus idem de speciebus : quod eædem numero species erunt in superioribus et in inferioribus, sed in superioribus magis perfectæ et unitæ, in inferioribus minus?

44. *Respondetur,* quod potentia intellectiva non potest magis multiplicari in superioribus

(1) Ita omnes || Arbitramur legendum : *repræsentari.*
(2) Intellige : *ad Deum* || cf. tomi I Præfationem, cap. III, art. 2 § 3, n. 4 et n. 5, a).

Angelis, quam in inferioribus, immo quam in hominibus : quia potentia est vis intellectivæ naturæ per modum virtutis ex parte naturæ et subjecti, quæ potest in totum ens, eo quod omne intelligibile est objectum adæquatum ejus. Unde non habet per quid dividatur et multiplicetur in eodem subjecto : si quidem est potentia universalissima, et virtus tendens ad omne ens hoc ipso quod intellectiva est. Solum autem differt in diversis naturis ex diverso modo et actualitate, qua magis vel minus immaterialiter tendit in sua objecta. At vero species non se habent sicut ipsa potentia, quæ respicit objectum per modum universalis tendentiæ in quodcumque intelligibile : sed sunt repræsentationes ex parte objecti se tenentes, tamquam vice objecti subrogatæ in potentia, quæ determinant indifferentiam potentiæ; et sic ex diverso modo repræsentandi diversa objecta diversificantur. Et licet possint aliquæ species complecti plura objecta in manifestatione seu modo manifestandi superiori, aliæ pauciora, hoc ideo est, quia objecta illa uniuntur in aliqua ratione manifestabili et intelligibili superiori, prout in se objecta conveniunt vel ab ideis divinis exemplantur. Sed negamus posse easdem numero species æque poni in intellectu inferiori, atque in superiori : quia si superiores et universaliores sunt, non repræsentabunt inferiori intellectui distincte et proprie res ipsas sicut superiori, quia improportionatæ illi sunt; et ideo, ad habendam propriam cognitionem, oportet multiplicari species. Et quia proprium munus speciei est repræsentationem objectorum propriam facere, ideo simpliciter oportet multiplicari species in inferioribus, ubi non potest distincta notitia et repræsentatio objectorum fieri nisi multiplicatis et divisis speciebus : ut in nobis constat. Quod non currit de potentia ipsa seu virtute intelligendi, ad quam non pertinet distincte objecta manifestare repræsentando, sed solum secundum suum modum in illa tendere actum eliciendo.

45. AD RATIONEM ERGO DUBITANDI in hac secunda difficultate allatam *, quod perveniri potest ad Angelum qui omnia intelligat unicâ specie : RESPONDEO primo, id non sequi in Angelis inferioribus respectu superiorum : quia de quolibet superiori debet inferior habere speciem distinctam, non eamdem cum specie rerum inferiorum. Cujus ratio est : quia Angeli superiores excedunt virtutem Angeli inferioris; ergo oportet quod, ut repræsententur intellectui inferioris secundum capacitatem ejus, quilibet repræsentetur secundum distinctam speciem, non autem omnes superiores Angeli per modum unius inter se, et multo minus ut unum cum rebus inferioribus. Nam si quilibet Angelus superior est excedens et improportionatus capacitati inferioris, si plures uniantur in una ratione superiori, illa magis conducet ad improportionandum quam ad coaptandum Angelos superiores inferioribus. Unde et Angeli superiores, quando illuminant inferiorem, rationes illas superiores multiplicant et dividunt, ut ab inferiori capi possit [1] : ut ex D. Dionysio * docet S. Thomas (infra, q. 106 **, a. 1). Quod exemplo nostri intellectûs comprobatur : quia tardiores intellectus non possunt ita unite intelligere, sed indigent dividi sibi et multiplicari ea quæ intelligere volunt. Quare numquam stare potest quod Angelus inferior, qui habet alium superiorem, possit intelligere omnia objecta quæ sunt extra se per unicam speciem : nam etiam dato quod inferiora sibi intelligeret per unicam speciem, tamen superiores naturas per distinctas species debet intelligere : et sic numquam omnia per unicam speciem.

(* supra, n. 27, *Si enim*)

(* PG 3, 332 B; ** I P. q. 106, a. 1, in fine corp.)

46. Loquendo ergo de Angelo supremo respectu omnium infra se, vel de quolibet Angelo respectu suorum inferiorum (nam seipsum quilibet Angelus cognoscit per propriam substantiam loco speciei), *duplex est modus probabilis respondendi,* qui in re tam obscura et nobis impenetrabili sufficiens judicari debet. — *Primus censet* non esse inconveniens quod quilibet Angelus intelligat omnia sibi inferiora per unicam speciem, nec id videtur superare capacitatem intellectûs angelici, eo quod habet perfectionem superantem omnia illa quæ sibi inferiora sunt; et sic non repugnat, quod per unam speciem sibi proportionatam omnia illa possit unire in repræsentatione. Pro quo modo dicendi P. Suarez (lib. II de Angelis, c. 16, n. 15 et 16 *) citat Cajetanum et nonnullos Thomistas, aliosque auctores.

47. Et si instetur **, quod Angelus inferior si intelligit omnia sibi inferiora per unam speciem : ergo Angelus immediate illi superior intelliget eadem inferiora sine ulla specie, vel per suammet substantiam : quia debet intelligere altiori modo et per pauciores species, nec est

(* etiam nn. 3 et 11; ** supra, n. 27, *Et, si alius*)

[1] Sic omnes ‖ Censemus legendum : *possint.*

aliquis altior modus quam per nullam vel per suam substantiam; aut si intelligit per unam, sicut inferior, habebit æqualem speciem cum illo respectu inferiorum : — Respondetur facile, quod semper Angelus superior retinet speciem universaliorem quam immediate sibi inferior, eo quod complectitur plura in illa unica specie, quam inferior : nempe omnia quæ inferiori Angelo repræsentantur in sua specie, et superaddit aliquid aliud, nempe ipsummet Angelum inferiorem, quem cum reliquis rebus inferioribus repræsentat. Respectu autem superiorum Angelorum habebit species distinctas, et sic semper superior Angelus habebit pauciores species quam inferior : nam Angelus inferior habebat de illo superiori Angelo speciem, et de omnibus sibi inferioribus aliam, seipsum autem per suam substantiam intelligit. Angelus autem superior de seipso non habet speciem accidentalem, sed se intelligit per suam substantiam. De Angelo autem inferiori et reliquis rebus habet unam tantum speciem. De superioribus autem tot habet quot sunt superiores, sicut etiam habebat inferior Angelus. Deveniendo autem ad Angelum supremum ille intelliget etiam omnia inferiora sua per unicam speciem, et seipsum per suam substantiam; si autem crearetur alius Angelus superior, et tunc desineret esse supremus, ille alius superior inferiora omnia etiam per unicam speciem intelliget, in illa tamen includet etiam Angelum qui antea erat supremus, quia sibi inferior est : et in hoc excedet speciem illius, quia hæc repræsentabat omnia inferiora illi Angelo, sed non ipsummet Angelum, quia cognoscebat se per suam substantiam. Et ulterius ille Angelus superior, qui de novo creatur, habebit pauciores species quam ille qui ante erat supremus : quia ille, hoc ipso quod creatur Angelus supra ipsum, hoc ipso recipiet speciem repræsentantem sibi ipsummet superiorem, et sic jam habebit duas species, unam de superiori, alteram de omnibus inferioribus; ille autem qui de novo creatur solum habebit unam de omnibus inferioribus, nullam autem de aliquo superiori.

48. *Alii vero existimant* valde difficile quod unus Angelus possit per unam speciem omnia sibi inferiora intelligere : sic enim minimus Angelus omnia corpora unicâ specie intelliget : quod videtur valde incredibile. Et ideo dicunt quod numquam pervenitur ad aliquem Angelum, qui unicâ specie omnia inferiora cognoscat. — Primo quidem, quia universalitas specierum, ut sit major, non est necesse quod plures species rerum adunet et repræsentet; sed sufficit quod circa eamdem rem plures rationes intelligibiles penetret (ut docet S. Thomas, q. 8 *de Verit.* a. 10 ad 2), id est, plures respectus ad causas latentiores, ut mox * dicemus : vel etiam plura individua ex possibilibus possit in eadem re penetrare. Neque hoc contra rationem comprehensionis est, ut objicit Suarez ** citatus : quia, licet quilibet Angelus comprehendat inferiorem naturam, intelligitur hoc de comprehensione absolutâ, quantum ad ea scilicet quæ absolute et in ordine ad se conveniunt rei, non autem de comprehensione respectivâ : quia non videt omnia quæ tali naturæ possunt convenire respectu aliarum causarum superiorum, v. g. respectu superiorum Angelorum qui aliqua poterunt causare circa talem naturam quod non poterit causare Angelus inferior : idque non ita perfecte intelligit inferior Angelus, sicut superior. Itaque istas latentes rationes et connexiones causarum non æque percipiunt omnes; et ideo in hoc potest crescere major universalitas specierum comprehendendo plures rationes, etiam respectu ejusdem rei, ad quas tamen inferior Angelus pluribus speciebus indigebit, si eas distincte et perfecte debet cognoscere. Et sic non quælibet universalitas major specierum exigit plures quidditates adunare, sed sufficit plures rationes ejusdem.

* infra, in ipso n. 48, et n. 49

** lib. II *de Angel.*, c. 16, n. 17

49. Secundo, etiamsi quilibet Angelus superior habeat speciem magis universalem in hoc quod plures quidditates specificas adunet in ea, et sic, addendo unam quidditatem alteri, possit perveniri ad unum Angelum qui omnia corporalia unicâ specie intelligat, tamen non eâdem facilitate plures quidditates spirituales perfecte adunantur in una specie proportionate ad capacitatem intellectûs superioris propter maximam perfectionem spiritualium substantiarum, quarum accidentia et affectiones, seu operationes intelligibiles et voluntariæ, sunt majoris multitudinis et latentioris profunditatis et superioris perfectionis : et ideo magis indigent multiplicatione specierum ut distincte cognoscantur. Fortassis etiam inter ipsas res corporeas aliquæ sunt tantæ perfectionis, quod non possunt ita facile penetrari unicâ specie simul cum aliis, sed indigent pluribus. Itaque in istis aliquid sic vel sic amplius determinare, omnino incertum est : cum nobis manifestata non sit mensura, qua singulos Angelos Deus mensus est. Sufficit

aperire viam, ne deveniatur ad hoc, ut Angelus se et omnia, tam inferiora quam superiora, unicâ specie cognoscat.

[*Ad tertium argumentum.*]

50. CIRCA TERTIAM * DIFFICULTATEM, BREVITER DICIMUS : Non repugnare quod omnia ea, quæ unâ specie repræsentantur, unico etiam actu adæquato ab Angelo intelligantur, dummodo in ipsis rebus sint condiciones debitæ et requisitæ, ut res possint attingi ab Angelo : scilicet quod non sint intra causas, nec ad genus moralitatis pertineant, sed ad genus naturale, et tamquam aliquid hujus universi. Potest etiam Angelus uti aliquâ specie inadæquate, ad intelligendum aliquid in tali specie contentum, et non omnia. Quocumque vero modo, sive in ipsa repræsentatione speciei, sive in ipsa cognitione, non sequitur infinitas. — *Constat hoc ex D. Thoma :* nam infra (q. 58, a. 2) resolvit, quod « Angeli omnia illa simul possunt intelligere, quæ unâ specie cognoscuntur, non illa quæ diversis ». Idem autem est apud D. Thomam simul intelligere, et uno actu intelligere : nam de cognitione qua cognoscunt Angeli res in Verbo dicit (ibi) quod « simul omnia cognoscunt : quia non erunt volubiles * cogitationes ex aliis in alias redeuntes, sed omnem scientiam nostram uno simul conspectu videbimus » ; ergo idem est simul cognoscere, et uno actu cognoscere, quia in patria uno actu cognoscuntur omnia in Deo. — Similiter, quod possit Angelus inadæquate uti specie illâ quam habet, docet S. Thomas (in q. 8 [*de Verit.*] a. 13 ad 2 et 4) ubi docet posse Angelum uti unâ specie ad diversas cognitiones habendas; et ideo Angelus, qui videt in alio species quas habet, non videt cogitationem et usum earum, quia potest uti specie illâ in hanc vel illam partem.

51. RATIO AUTEM HUJUS EST : Quia species proportionatur lumini et potentiæ cui datur, si debita et proportionata illi est. Ergo si utatur intellectus suâ virtute et lumine adæquate, poterit omnia illa adæquare quæ in tali specie repræsentantur, et consequenter unico actu videre. Sed quia vis intelligendi in suo exercitio subditur moderationi voluntatis, potest uti aliquâ specie et lumine non adæquate, sed per inadæquatos conceptus, vel unum tantum objectum intelligere, vel non omnes rationes intelligibiles de eodem. Et sic potest præscindere diversos conceptus et prædicata, quæ rebus conveniunt, sicque formare conceptum de genere aut specie aliisque gradibus seorsum unum ab alio, vel etiam accipere aliqua accidentia unius rei et non alia, loquendo de consideratione actuali quam pro libito exercere potest, supponendo tamen quod habet comprehensivam cognitionem de rebus : tum habitualiter in vi specierum et efficaciæ luminis, quia potest proxime intelligere adæquate et perfecte rem sibi proportionatam; tum quia actualiter utitur tali comprehensione quando perfecte et adæquate se determinat ad aliquid; tum denique quia, licet in specie repræsentante plures quidditates non semper respiciat ad omnes simul, utendo adæquate tali specie, tamen si aliquam illarum intelligat, comprehensive et plene intelliget quantum est ex vi luminis : licet pro libito et applicatione voluntatis possit omittere in consideratione aliqua ex pertinentibus ad talem rem.

52. *Quod vero infertur* * *pro inconvenienti,* quod poterit Angelus cognoscere, vel illa species repræsentare infinita : — In primis, quod attinet ad infinitum actu, *numquam hoc sequitur.* Quia Angelus non cognoscit de facto, neque species sibi repræsentant, nisi ea quæ ad hoc universum in ordine naturali spectant : hæc enim est ejus sphæra et propria limitatio, ut (seq. disput. *) dicemus. In hoc autem universo numquam actu et simul erunt infinita : quod est infinitum categorematice. Quod vero sint infinita in potentia, aut possint infinita succedere, et illa omnia possit Angelus per eamdem speciem successive intelligere, nihil inconveniens est, neque hoc arguit infinitatem simpliciter, sed secundum quid : sicut eadem potentia intellectiva potest infinitas intellectiones successive elicere, et idem cælum infinitas circulationes et illuminationes habere, si duraret motus ejus in æternum.

* supra, n. 29, *Ex hoc autem*

* infra, disp. 42, præsertim art. 1, n. 6 sqq., et art. 3

53. Deinde dicitur quod, licet repræsentare unum individuum vel unam speciem sit perfectio *, et repræsentare aliam major perfectio, tamen repræsentare infinita est infinita perfectio, *distinguo :* est infinita perfectio in genere determinato, superabilis et vincibilis per perfectionem finitam superioris ordinis, *concedo;* est perfectio infinita simpliciter, et non contenta sub aliquo superioris ordinis, *nego.* In his enim calculationibus incidit defectus : quia numeratur perfectio ex accretione majoris excessûs in aliquo genere inferiori, quæ quidem non pertransitur infinito modo, sed in aliquo finito superioris ordinis


* cf. supra, n. 29, *Constat autem*


continetur : ea enim quæ inferioris generis seu ordinis sunt, licet in infinitum multiplicari possint in se, tamen non requiritur ad illa vincenda infinitus transitus, sed sufficit poni aliquid superioris ordinis, quod hoc ipso quod superioris ordinis est, licet sit finitum in se, æquivalet infinitis ordinis inferioris, id est, toti generi inferiori, quia omnia superat in perfectione : sicut rex æquivalet omnibus subditis, et superat in dignitate, et cælum infinitis corruptibilibus sibi inferioribus, et sic de aliis. Quare infinitæ illæ repræsentationes de individuis, vel de speciebus modo inferiori factis [1], exceduntur per unam repræsentationem altioris ordinis derivatam ab ideis divinis, quæ plura illa in unum adunare potest. — Nec obstat quod dicitur*, speciem quæ repræsentat duas vel tres quidditates posse etiam repræsentare plures in infinitum : Respondetur enim quod, cum istæ plures quidditates repræsententur quatenus uniuntur sub aliqua ratione formæ (ly [2] *una*, sive sit ratio *sub qua*, sive ratio *quæ*), limitatur semper species repræsentativa ad non admittendum plures quidditates quam quæ sub illa formali ratione contineri possunt, quæ finita est; et ita a qualibet quidditate repræsentata inadæquate limitatur illa species, et ab omnibus, ut contentis sub illa ratione formali, adæquate.

* supra, n. 29, *Immo*

(1) Sic omnes || Suspicamur legendum : *factæ*.

(2) Omnes : *ratione formæ, ly una, sive...* non omnino male || Suspicamur tamen legendum : *ratione formali una, (sive...*





QUÆSTIO LVI

DE COGNITIONE ANGELORUM RESPECTU IMMATERIALIUM

SUMMA LITTERÆ



TRIA TRACTAT D. THOMAS IN HAC QUÆSTIONE.

Primum, in articulo primo, quod Angelus cognoscat seipsum; immo sibi ipsi deservit pro specie intelligibili : quia est intelligibilis in actu per se, et non in potentia.

In articulo secundo ostendit secundum, scilicet quod cognoscit alios Angelos : quia impressæ sunt cuilibet Angelo a Deo similitudines tam corporalium quam spiritualium rerum, atque adeo etiam spirituales res potest intelligere.

Tertium determinat articulo tertio, quod Angelus per sua naturalia Deum cognoscit : non quidem videndo Deum per essentiam, quod est proprium beatorum : nec cognoscendo Deum solum per cognitionem ab aliis rebus acceptam, sicut nos videmus Deum in speculo, quia ex aliquo externo seu extra nos sumimus cognitionem, sicut speculum est aliquid extra videntem : sed per cognitionem desumptam a sua substantia, quæ est immediate effectus Dei. Et quia substantia Angeli deservit sibi pro specie, immediate ad se, mediate ad suam causam quæ est Deus, et intime illa substantia actuat intellectum, dicitur cognoscere Deum per seipsum tamquam per similitudinem seu speciem. Sed quia hæc substantia continet Deum solum abstractive et connotative, et tamquam in alio contentum, dicitur repræsentare Deum sicut in speculo, quia Angelus speculum et signaculum Dei est.

QUÆSTIO LVII

DE ANGELORUM COGNITIONE RESPECTU RERUM MATERIALIUM

SUMMA LITTERÆ

IN ARTICULO PRIMO determinat Angelos cognoscere res materiales : quia superiora semper continent inferiora eminentius et perfectius quam in se sint. Angeli autem perfectiores sunt rebus materialibus, et propinquiores Deo. Debent ergo continere eas perfectius perfectione convenienti juxta modum suum, id est, perfectione intelligibili, quia intellectualis naturæ sunt. Intelligunt ergo res materiales.

In articulo secundo docet et explicat quomodo Angelus cognoscat singularia materialia : non quia ab eis species accipiat : nec quod omnino ea ignoret, cum ab homine, qui est Angelo inferior, cognoscantur : sed quia species quas Angeli habent sunt exemplatæ ab ideis divinis, ubi multo perfectius ista singularia continentur et causantur ; et sic ea tales species repræsentant.

In articulo tertio ostendit quod futura non cognoscit Angelus in seipsis : quia non coexsistunt durationi ejus. Cognoscit tamen in causa : vel determinate et certo, si de necessitate ibi continentur : vel per conjecturam, si contingenter, plus vel minus secundum quod causæ futurorum plus vel minus penetrantur.

In articulo quarto ostendit quod cogitationes cordis non intelliguntur ab Angelis, etiamsi exsistant, nisi in suo effectu vel manifestatione, non in seipsis : eo quod ea, quæ ex solâ voluntate liberâ pendent, sunt extra ordinem naturalium, et a solo Deo, intus in voluntate operante, et a voluntate ipsâ fiunt ; ubi ly *a solo Deo* excludit non solum aliam causam, sed aliud consortium vel connexionem cum aliis rebus naturalibus, quam non habent per se tales cogitationes. In effectibus tamen suis, et multo magis in manifestatione sua, possunt cognosci istæ cogitationes secundum quod magis vel minus in effectu significantur.

In articulo quinto ostendit quod naturali cognitione non cognoscunt Angeli mysteria gratiæ : quia supernaturalia sunt, et ex sola Dei voluntate dependent. Cognitione autem supernaturali seu visione gloriæ cognoscunt mysteria gratiæ, non omnia, nec æqualiter omnes, sed prout Deus illis manifestat.



QUÆSTIO LVIII

DE MODO COGNITIONIS ANGELICÆ

SUMMA LITTERÆ

IN ARTICULO PRIMO ostendit D. Thomas Angelos in cognitione naturali non procedere de potentia ad actum, quantum ad acquirendas species et scientiam in actu primo. Sed a sua creatione plenus est formis intelligibilibus; bene tamen procedit de actu primo ad secundum, quantum ad actualem considerationem hujus vel illius. In visione autem gloriæ nec etiam procedit de actu primo ad secundum, sed semper in actuali consideratione est.

In articulo secundo ostendit quod Angelus non intelligit simul, id est, unico actu, plura ut plura : bene tamen plura ut unum, seu redacta ad unam rationem formalem. Ea dicuntur plura ut plura, quæ diversis speciebus repræsentantur, ut diversis. Ea ut unum, quæ ad unam repræsentationem reducuntur.

In articulo tertio ostendit quod Angeli non intelligunt discurrendo : quia statim in principiis vident conclusiones ex illis deducibiles, et in eis contentas; et sic non indigent ea inferre, et per consequentiam colligere. Nos autem, quia visis principiis non statim cognoscimus conclusiones, ideo circa eas discurrimus, id est, per consequentiam inferimus.

In articulo quarto ostendit quod non intelligit Angelus componendo et dividendo : sicut enim intellectus ex eo discurrit, quia comparat principium ad conclusiones, ita ex eo componit, quia comparat prædicatum subjecto. Et utrumque ex eo provenit, quia non statim viso principio videt conclusiones, nec viso subjecto prædicatum quod illi componendum vel adjungendum est. Angelus autem, in re quam cognoscit, apprehendit quidquid illi convenit vel in virtute ejus continetur, propter perfectionem sui luminis; ergo non componit, nec dividit.

In articulo quinto ostendit quod per se non potest esse error vel falsitas in Angelis, bene tamen per accidens. Per se non potest esse falsitas : quia falsitas contingit attribuendo alicui id quod non est in re; Angelus autem non attribuit unum alteri, cum intelligit, sed in ipsa quidditate rei penetrat simplici intuitu quid conveniat et quid disconveniat. Per accidens autem potest esse falsitas : non sicut in nobis, qui aliquando quidditatem rei componendo investigamus, sicut cum ex multis formamus definitionem;

sed quatenus possunt judicare sine lumine superiori, ea quæ a supernaturali ordinatione dependent, sicut interdum dæmones præcipitant judicium.

In articulo sexto ostendit dari in Angelis cognitionem matutinam et vespertinam : quæ distinguuntur per hoc, quod matutina cognoscit res creatas in essentia divina quasi in suo principio et causa, sicut mane est principium diei; vespertina vero cognoscit res creatas in se quasi in termino producto, ut sunt extra Verbum.

In articulo septimo ostendit has cognitiones differre si cognitio vespertina rerum in se sumatur pro ea quæ fit per proprias species, matutina vero pro ea qua res cognoscuntur per essentiam divinam. Si vero cognitio rerum in se, et in Verbo, non sumatur ex parte diversorum motivorum, scilicet per species proprias et per essentiam divinam, sed pro diverso esse seu statu ipsarum rerum quæ cognoscuntur, quatenus cognoscuntur creaturæ quantum ad esse quod habent intra Deum, in quo sunt creatrix essentia, et esse quod sibi competit extra, sic eâdem cognitione utrumque attingitur in cognitione beata : videtur enim esse quod res habent in Deo, et esse quod habent extra per Deum.





DISPUTATIO XLII

DE OBJECTO ET MODO COGNITIONIS ANGELICÆ

ARTICULUS I

Utrum Angelus comprehensive cognoscat tam res inferiores, quam Angelos superiores.

1. OBJECTA QUÆ ANGELUS NATURALI SUÂ COGNITIONE POTEST ATTINGERE AD TRIA REDUCUNTUR : quia cognoscit se, inferiora sibi, et superiora ad se. — Respectu sui, cognoscit se per suam propriam essentiam; et continetur in hoc objecto tam substantia ipsa propria Angeli, quam ejus proprietates, operationes et accidentia. — Inferiora objecta ad Angelum sunt res corporeæ, animæ humanæ et alii Angeli qui sunt inferiores alicui superiori; infimus autem Angelus non habet alium Angelum inferiorem, quem attingat tamquam objectum inferius. — Inter superiora autem objecta in primis est ipse Deus, quem ex creaturis tamquam ex effectibus Angelus cognoscit, et tanto perfectius, quanto ex aliquo perfectiori effectu, et perfectius penetrato, Deum attingit. Et similiter, si non sit Angelus supremus, continentur etiam inter superiora objecta superiores Angeli ad ipsum qui intelligit.

2. *Secundo advertendum est,* quod in præsenti, quando inquirimus utrum Angelus cognoscat omnia ista objecta cognitione comprehensivâ, loquimur de comprehensione prout dicit perfectam et adæquatam intelligentiam alicujus objecti : non solum quantum ad suam exsistentiam et quidditatem, sed etiam quantum ad omnia alia quæ ad se pertinent, sive absolute, sive respective, sive terminative. Est enim considerandum, quod circa aliquod objectum potest dari triplex cognitio. Prima, quæ respicit exsistentiam rei, seu quoad *an est*. Secunda, quæ respicit quidditatem, et dicitur quidditativa cognitio. Tertia, quæ respicit plenitudinem seu totalitatem alicujus objecti, quando non solum quidditas et exsistentia, sed quidquid ad rem aliquam pertinet, cognoscitur et attingitur. Unde cognitio comprehensiva dicitur, quando aliquid « ita videtur quod nihil ejus lateat videntem, aut cujus fines circumspici possunt » : ubi ly *nihil lateat,* importat quod nihil tam intrinsecum quam extrinsecum, dummodo ad se pertineat et secum connectatur, lateat : ut ex Augustino (epist. 112*, c. 7) theologi acceperunt et definierunt (ut diximus præcedenti tomo, disp. 15**, art. 8).

* alias : ep. 147, c. 9, n. 21; PL 33, 606
** supra, tomo II, p. 313

3. Itaque cognitio quoad exsistentiam, si sit cognitio ipsius exsistentiæ in se, est visio intuitiva; si per effectus vel alia extrinseca motiva, est cognitio quoad *an est,* abstractiva et confusa. — Si sit cognitio quidditatis et essentiæ, est cognitio quidditativa seu essentialis. — Si sit cognitio exhauriens et adæquans totam intelligibilitatem objecti quoad omnia quæ illi conveniunt, est comprehensiva in sensu quo nunc loquimur de comprehensione, pro perfecta et plena cognitione rei, non pro sola assecutione : quo sensu aliquando sumitur comprehensio, et Deus etiam comprehendi dicitur, id est, apprehendi, juxta illud (Phili. III, 12) : *Sequor autem,*

si quo modo comprehendam, et (I Cor. IX, 24) : *Sic currite ut comprehendatis;* et inter dotes animæ gloriosæ ponitur una quæ dicitur comprehensio, id est, possessio, et correspondet spei, ut docet S. Thomas (in *Addition.* q. 95, a. 5).

4. *Tertio denique supponendum est* quod, licet comprehensio sit adæquatio intellectûs et cognitionis cum intelligibilitate objecti quoad omnia quæ ad se pertinent, adhuc tamen admittit latitudinem et diversum modum comprehendendi : tum ex parte cognoscentis, tum ex parte ipsius rei cognitæ. — Ex parte quidem cognoscentis : quia licet idem videat et comprehendat in re, quæ alius cognoscit, tamen perfectiori lumine et altiori modo illud attingit : sicut si duo eamdem rem oculis videant, perfectius tamen videt qui acutiori visu rem illam attingit; et sic Angelus superior eamdem rem, quam inferior videt et comprehendit, v. g. formicam, meliori et altiori lumine comprehendit et attingit : et Deus multo excellentius quam omnes, quia infinito lumine. — Ex parte autem rei cognitæ admittit latitudinem comprehensio, non quidem quantum ad ea quæ fundat res ipsa ex se, et quoad rationes intrinsecas : istæ enim ad minus debent cognosci omnes, si res ipsa comprehenditur : sed quoad rationes aliquas extrinsecas, quæ ipsi rei convenire possunt respectu aliquarum causarum superiorum, respectu quarum est capax aliquarum rationum quæ ad eam secundum se non pertinent. Et hæc non requiruntur simpliciter ad comprehensionem, sed superaddunt ad meliorationem comprehensionis, si attingantur.

5. Itaque considerandum est quod res aliqua potest fundare prædicata intrinseca, et proprietates, aliaque accidentia sibi connaturalia, et respectus ad suas causas proprias et connaturales et reliqua omnia ad quæ dicit inclinationem et coaptationem connaturalem. Et hæc omnia quia consequuntur vel fundantur in ipsa natura, necesse est quod comprehensor talis naturæ illa attingat : vel non comprehendat. Pertinetque istorum notitia ad comprehensionem : quia non solum est cognitio de quidditate, sed de eis quæ conveniunt rei extra quidditatem : et sic est cognitio rei ultra quidditativam. — Alia sunt prædicata, quæ conveniunt rei per ordinem ad causas extrinsecas, ad quæ non habet inclinationem connaturalem, habet tamen capacitatem et potentiam ad illa : sicut quod aliquid possit artificiose fieri ex aliqua materia, habet ad id talis materia solum capacitatem. Et similiter habent res potentiam obœdientialem respectu Dei auctoris supernaturalis. Et in hac capacitate, quæ est in rebus ad diversos effectus seu prædicata quæ ei possunt convenire ex causis superioribus, sive per ordinem ad causas corporales superiores, sive spirituales, sive per potentiam obœdientialem in ordine ad Deum, potest magis vel minus aliquis intellectus comprehendere, quanto plus ei proportionatæ fuerint istæ latentiores rationes in ordine ad causas illas superiores. Non tamen pertinet penetratio istarum rationum ad comprehensionem simpliciter seu absolute : alias solus Deus posset comprehendere creaturam, quia solus potest comprehendere potentiam ejus obœdientialem in ordine ad suam omnipotentiam. Sufficit ergo ad comprehensionem, quod aliquid attingatur quantum ad omnia quæ sibi conveniunt connaturaliter et ab intrinseco. Si autem penetrentur etiam ea quæ per respectum ad causas istas extrinsecas possunt alicui rei convenire, hoc pertinebit ad majorem perfectionem et cumulum comprehensionis, non ad simpliciter.

QUID CERTUM SIT IN HAC PARTE.

6. *Ex objectis circa quæ versatur intellectus Angeli,* scilicet circa Deum, circa se, et circa inferiora sibi, certum est quod Deum ex sua naturali cognitione neque videt neque comprehendit. Et certum est quod seipsum et videt et comprehendit. Et tertio certum est quod inferiora sibi, quæ pertinent ad hoc universum et cum eo connexionem habent, et videt et comprehendit. Dixi « quæ pertinent ad universum et connexionem cum eo habent », ut excludam futura contingentia et cogitationes cordis, quæ ad hoc universum non spectant, nec naturalem connexionem et ordinem cum eo habent : sed futura nondum sunt, et cogitationes moraliter sunt, et consequenter ad ordinem naturalem non pertinent, neque terminant cognitionem naturalem Angeli, quæ solum respicit id quod naturalis ordinis est.

7. EX TRIBUS ERGO OBJECTIS relatis*, QUOD ATTINET AD DEUM, CERTUM EST naturali cognitione non posse videri, sed esse invisibilem respectu omnis creaturæ; et multo minus comprehendit (1) :

(1) Sic omnes; id est : *multo minus [Deum] comprehendit [creatura]* || Forte tamen legendum erat : *comprehendi.*

quæ fuit hæresis Anomæorum, qui dicebant se comprehendere Deum, contra quos late agit Chrysostomus (in homiliis contra Anomæos *) et S. Basilius (contra Eunomium **), ut late diximus (tomo præcedenti, disp. 12, art. 1 ***; et disp. 15, art. 8 †).

* PG 48, 701 sqq. ** maxime lib I, n. 10-14; PG 29, 533-545 *** supra, tomo II, p. 124-9 † supra, tomo II, p. 313-321

8. *Si autem inquiras :* Quomodo Angelus Deum cognoscit naturali ratione, et per quam speciem? *Respondetur,* Deum non posse cognosci ab Angelo nisi ex effectibus : quia nulla datur species immediate repræsentans Deum in se, etiam abstractive. Quia omnis species creata, cum habeat intelligibilitatem creatam et finitam, oportet quod ei correspondeat pro immediato objecto aliquod intelligibile finitum : quia intelligibilitas objecti et speciei una et eadem est, si quidem species est objectum ipsum in esse intelligibili. Quare si datur species creata ad repræsentandum Deum, oportet quod immediatum ejus objectum sit aliquid creatum, scilicet aliquid finitæ et limitatæ intelligibilitatis : et solum mediate, et tamquam in effectu repræsentato, potest illa species repræsentare Deum. Et hinc est quod D. Thomas (in hac q. 56. a. 3) cognitionem Dei per creaturas assimilavit cognitioni rei in speculo : quia scilicet res in speculo non videtur immediate per speciem sui, sed per speciem speculi. Et nihilominus dixit D. Thomas cognosci Deum ab Angelo per essentiam suam tamquam per similitudinem, sicut lapis videtur ab oculo per similitudinem ejus in oculo; videturque illam cognitionem condistinguere a cognitione qua videtur res in speculo. Sed tamen D. Thomas ibi se explicavit : dixit enim hanc cognitionem, qua Angelus per sua naturalia cognoscit Deum, assimilari illi cognitioni qua videtur res per speciem ab ea acceptam. Addit tamen (in calce corporis articuli) quod magis ista cognitio tenet se cum speculari : quia ipsa natura angelica est quoddam speculum divinam naturam repræsentans. Et sic sensus D. Thomæ est quod natura Angeli, quia sibi deservit pro specie, ita est species repræsentans se immediate, quod etiam habet munus speciei respectu Dei mediate, quatenus ipsa natura angelica est imago Dei. Quod non contingit in aliis rebus cognitis ab angelo : quia cognoscit illas per species accidentales, non ipsæ res habent rationem et munus speciei in intellectu Angeli, sed solum rationem objecti cogniti. Unde, licet ex ipsis intelligat Angelus Deum tamquam ex effectu, non tamen tamquam in specie. In seipso autem cognoscit Deum, et tamquam in effectu, sicut aliæ creaturæ repræsentant Deum (et hac ratione se habet Angelus ut speculum respectu Dei, cujus est imago), et tamquam species [1] mediate repræsentans Deum, quia est species respectu sui, et respectu eorum quæ continentur in se et ad quæ dicit dependentiam et respectum, et unum ex illis est Deus; et sic respectu Dei habet munus speciei [2], non immediate, sed mediate repræsentantis Deum ut causam sui.

I P. q. 56, a.

9. *Quomodo vero possit cognosci* Deus distincte, et non solum in confuso, per cognitionem ipsius essentiæ Angeli, et quomodo etiam possit eadem cognitio esse intuitiva respectu sui, et abstractiva respectu Dei, *non est difficile intelligere.* — Non enim essentia Angeli repræsentat Deum solum ratione convenientiæ analogicæ, quam habet cum Deo : sic enim solum confuse illum repræsentaret : sicut species, quæ repræsentat hominem, confuse repræsentat equum, quia solum repræsentat illum ut convenit in ratione generica cum homine, non secundum differentiam suam specificam. Sicut etiam unus Angelus per suam essentiam non cognoscit alium Angelum proprie et distincte, sed solum confuse, quatenus convenit cum illo in ratione generica. Et generaliter quæcumque repræsentatio, quæ solum fundatur in convenientiâ objectorum, non repræsentat distincte illud secundum objectum, cum quo convenit, sed solum in eo in quo convenit. Ceterum Deus repræsentatur in essentia Angeli tamquam principium proprium, seu proprium generans Angeli, quia per creationem dat illi esse : et ulterius ut proprium principium ex quo participatur intelligibilitas Angeli, tam in ratione naturæ intellectivæ secundum quam est imago Dei, quam intelligibilitatis secundum quam est species sui, et ex consequenti sui principii cui subordinatur et ex quo participat talem intelligibilitatem; et sic intelligibilitas Angeli, ut participata, repræsentat mediate suum principium, a quo participatur, distincte, id est, tamquam quid distinctum a se et ab aliis rebus, non solum ut aliquid conveniens secum in confuso et in communi. — Illa autem notitia, qua immediate cognoscit se intuitive, et Deum mediate abstractive, non est inconveniens quod habeat has duas formalitates : quia habet illas respectu

(1) Melius legeretur : *et tamquam in specie... repræsentante.*

(2) Ita, ut patet, corrigendum || Mendose omnes : *species.*

diversorum objectorum, quæ inter se connexionem habent; et in uno repræsentatur et exerceatur præsentialitas, in alio non, licet utrumque pertineat ad eamdem speciem seu modum talis notitiæ. Sicut qui videt imaginem imperatoris, in illa attingit imperatorem : sed imaginem præsentem intuitive, et imperatorem abstractive, quia absens est.

10. *An vero perfectius* repræsentetur Deus Angelo per essentiam suam, quam per species aliarum rerum? — *Respondetur,* quod simpliciter perfectius attingit Deum per essentiam suam, quam per species rerum inferiorum : quia Deus perfectiori modo continetur et præsentatur in essentia sua, quam in rebus inferioribus, quia est perfectior similitudo Dei et magis ad illum accedens. Per species autem superiorum Angelorum, si tales species sint quod per eas perfecte ipsos comprehendat, perfectius cognoscet Deum per illas, quam per suam substantiam : quia in illis relucet perfectior similitudo Dei; sicut etiam per mysteria gratiæ, si quidditative cognoscantur, perfectius cognoscitur Deus, quam per quemcumque effectum naturalem. Si autem Angelus inferior non comprehendit Angelos superiores, se autem comprehendit, perfectius cognoscet Deum per se, quam per illos : quia licet illi sint effectus perfectiores, non tamen sunt perfectius cogniti et penetrati quam ipsamet substantia Angeli; et ideo ex hac parte perfectius manifestat Deum, quia ejus participatio, licet sit minor, est tamen perfectius penetrata, et in eodem ordine intelligibili se habet cum Angelis superioribus, licet non in eadem perfectione.

* supra, n. 6, *Et certum est*
** supra, n. 6, *Et tertio*

11. QUOD ATTINET AD SECUNDUM * ET TERTIUM ** PRÆSUPPOSITUM, nempe quod Angelus seipsum comprehendat, et similiter res inferiores, FACILE CONSTAT : Quia vis intellectiva sui adæquat totam intelligibilitatem sui, et est sibi intime præsens, et secundum totam suam intelligibilitatem; ergo habet totum principium requisitum ad comprehensionem perfectam. — Quod si Angelus comprehendit et adæquat intelligibilitatem suæ substantiæ, a fortiori adæquabit et comprehendet intelligibilitatem rerum sibi inferiorum : quia hæc minoris perfectionis et actualitatis est, quam propria; ergo intellectus, qui est sufficiens adæquare intelligibilitatem majorem, etiam minorem adæquabit, et consequenter comprehendet : quia species talium rerum infunduntur Angelo, juxta proportionem et capacitatem sui intellectûs; ergo si intellectus excedit in intelligendo ipsam objectorum intelligibilitatem, etiam postulat sibi infundi species repræsentantes talem intelligibilitatem adæquate et comprehensive. Quare restat solum difficultas circa Angelos superiores, utrum videlicet inferior Angelus illos comprehendat, an vero solum quidditative cognoscat eos citra comprehensionem.

QUOMODO ANGELUS INFERIOR COGNOSCAT SUPERIOREM.

12. Circa cognitionem Angeli inferioris respectu superiorum EST DUPLEX SENTENTIA. — Quidam affirmant Angelum inferiorem comprehendere superiorem : quam sequuntur Carmelitani Salmanticenses (tract. VII de Angelis, disp. 6, dub. 3), et pro ea citant Bañez (supra q. 56, a. 2, dub. 2), Gonzalez (I P. *, disp. 25, sect. 3); et probabilem reputant Suarez (lib. II de Angelis, c. 31, n. 15) et Zumel (super q. 56, a. 2, q. 2 **). — Oppositam autem sententiam sequuntur Nazarius (q. 56, a. 2, controv. 2 ***), Suarez (disp. 35 metaph., sect. 4, n. 4) et alii. — Et fundamentum utriusque sententiæ versatur circa unum punctum : an scilicet proportio intellectûs Angeli inferioris cum specie comprehensivâ superioris sit talis, quod connaturaliter petat ei adæquari, et consequenter ex illa elicere cognitionem adæquantem totam intelligibilitatem Angeli superioris.

* I P. q. 12, a. 2; disp. 25, sect. 3, nn. 19-20, 25, 27
** concl. 2-3,
*** alias : contr. 33, concl. 3

13. *Nam prima sententia existimat,* quod hoc ipso quod Angelus superior, et omnia quæ ad ipsum pertinent, sunt objecta ordinis naturalis, de se manent proportionata cuicumque intellectui inferioris Angeli; atque adeo potest totum quod pertinet ad ipsum Angelum attingere, petitque sibi manifestari : et consequenter adæquare potest naturali vi suâ totam intelligibilitatem Angeli superioris, aut saltem id non est extra sphæram adæquatam proportionis suæ, potestque sibi competere totius entis naturalis cognitio tamquam objecti proportionati.

14. *Secunda vero sententia* e converso sentit omne quidem ens naturale esse proportionatum cuicumque intellectui Angeli, sed non omne esse adæquabile et exhauribile a quocumque intellectu : sed entia intelligibilia superiora esse in aliquo excedentia vim inferiorum, ut penitus ex virtute inferiori adæquari et exhauriri non possint. Et ita intellectus inferior habet se ad superiora intelligibilia sicut oculus æger aut infirmus ad lucem solis : quæ quidem absolute

ipsi proportionata est, potestque eam percipere, sed non plene, nisi purgetur et confortetur.

15. **Nobis media eligenda est via, ET DICENDUM, quod Angeli inferiores in vi propriæ virtutis et intelligentiæ non comprehendunt, neque adæquant superiores substantias. De facto tamen comprehendunt id, quod ex propria virtute non possunt, ex fortificatione et communicatione superiorum substantiarum communicantium illis majorem intelligentiam juxta captum earum** [1]. — Hæc mihi videtur legitima mens D. Thomæ, si attente inspiciatur in his quæ tradit de Angelorum notitia eorumque illuminationibus.

16. ET PRIMA PARS OSTENDITUR : Quia D. Thomas semper admittit illam propositionem (ex lib. *de Causis* *), quod « intelligentia [2] inferior cognoscit superiorem secundum modum substantiæ cognoscentis, non secundum modum substantiæ cognitæ, sed inferiori modo » (ut patet in II *Contra Gent*. c. 98 **) : licet in eo quod dicebat Avicenna ***, quod superior intelligentia causat inferiorem, et ideo non perfecte comprehendit eam, illum reprobet. — Similiter D. Thomas (super lib. *de Causis,* lect. 8 circa finem) loquens de intelligentia inquit, quod « superiora cognoscit per modum suæ substantiæ, inferiori modo quam res superior sit in seipsa ». Non ergo in vi suæ virtutis comprehendit illam : quia solum juxta modum suum intelligit superiorem. Modus autem inferioris, licet superiori proportionetur, sed non adæquetur.

* sect. 8 (ed. R. Steele, Oxon. 1935, inter opp. R. Bacon, t. XII, p. 168)
** § *Dicunt ergo*
*** *Metaph.*, tract. IX, c. 4, circa medium (ed. Venet. 1508, fol. 104v-105r

17. ET URGETUR HOC AMPLIUS SIMULQUE PROBATUR ex D. Thoma SECUNDA PARS CONCLUSIONIS : Nam Angeli inferiores revera perficiuntur et illuminantur a superioribus, etiam de his quæ pertinent ad statum naturæ, et non solum ad statum gratiæ vel gloriæ : quod est manifestum signum ipsos aliqua non plene comprehendere de his quæ ad statum naturæ pertinent; quod maxime verificatur in illis rebus naturalibus quæ sunt supra se, scilicet in substantiis angelicis superioribus. — Antecedens constat ex D. Thoma (infra, q. 106, a. 1 ad 2) ubi inquit quod « unus Angelus non illuminat alium tradendo ei lumen naturæ vel gratiæ vel gloriæ : sed confortando lumen naturale ipsius, et manifestando ei veritatem de his quæ pertinent ad statum naturæ et gratiæ et gloriæ, ut dictum est ». Ecce manifestissime ponit D. Thomas illuminationem et manifestationem fieri ab Angelo superiore, etiam de his quæ pertinent ad statum naturæ, et non solum ad statum gratiæ et gloriæ; ergo in naturalibus aliqua sunt quæ Angelus inferior perfecte non comprehendit : alias non indigeret sibi manifestari et illuminari ab Angelo superiore. Et similiter (in II, D. 9, q. 1, a. 7 ad 4) dicit quod « si Angeli haberent naturalia tantum, adhuc lumen unius excederet lumen alterius; et ita posset esse aliqua illuminatio et perfectio, sed non complete ». Non ergo negari potest in sententia S. Thomæ; nec sumi pro fundamento quod Angeli inferiores comprehendunt totum ens naturale, ita quod etiam superiores substantias perfecte comprehendunt, et non illuminantur ab eis circa aliquam veritatem naturalem : cum oppositum clare doceat S. Thomas. Quod si aliqua naturalia non comprehendunt, quia de eis illuminantur, hoc non potest [3] circa seipsum aut circa sibi inferiora : quia hæc perfecte adæquant et comprehendunt; ergo circa superiora.

P. q. 106 a. 1, ad 2

18. *Nec obstat* id, in quo videntur auctores oppositi æquivocasse, quod S. Doctor (infra, q. 109, a. 3 ad 2) affirmat quod « secundum ea, quæ ad naturalem cognitionem pertinent, non est necessaria manifestatio veritatis, neque in Angelis, neque in dæmonibus : quia statim a principio suæ conditionis omnia cognoverunt quæ ad naturalem cognitionem pertinent; et ideo major plenitudo naturalis luminis non potest in dæmonibus esse ratio illuminationis ». Ergo in naturalibus plene cognoscunt superiores substantias, nec in aliquo ab eis illuminantur. I P. q. 109, a. 3, ad 2

19. *Sed facile respondetur,* quod Angeli superiores non manifestant nunc de novo veritatem aliquam naturalem, sed statim a principio suæ conditionis, vel saltem immediate post primum instans creationis, seu quandocumque potuerunt esse illuminationes a superioribus in inferiores, manifestaverunt ista naturalia : quia Angeli superiores de omnibus, quæ cognoscunt, illuminant inferiores : licet inferiores non tam eminentiori modo cognoscant sicut ipsi, ut docet S. Thomas (q. 106, a. 4). Et quia naturalem suam eminentiam statim ab initio cognoverunt, statim ac potuerunt eam manifestarunt inferio-

[1] Sic omnes || Melius legetur : *eorum(= inferiorum Angelorum)*.
[2] Hæc verba non ex libro *de Causis*, sed D. Thomæ sunt, ex citato loco II *Contra Gent.*, c. 98, decerpta.
[3] Ita omnes || Supple : *non potest [esse] circa...*

ribus : quod non videtur fuisse in primo instanti, quia prius debebant supponi creati Angeli, quam quod aliis loquerentur vel illuminarent. In cujus signum dicitur (Eze. XXXI, 4) de primo Angelo in figura regis Assur : *Flumina manabant in circuitu ejus, et rivos suos emisit ad universa ligna regionis*. Ligna autem illa dicuntur ibi

* Eze. XXXI, 9 *ligna* voluptatis quæ erant in paradiso Dei*, id est, Angeli, ad quos ille supremus Angelus emisit rivos suos, id est, scientiæ suæ copiam et communicationem eminentiæ suæ. — An vero modo etiam id continuetur sicut a principio? Dicendum est, quod dæmones non illuminant de hoc Angelos beatos, etiam inferioris naturæ : tum quia perfectius id jam cognoscunt in Verbo; tum quia retinere et conservare possunt in memoria illam illuminationem, quam semel ab initio acceperunt, licet modo amplius non illumi-

Judæ, I, 6 nentur a dæmonibus, quia *perdiderunt suum principatum*, ut dicitur (in canonica Judæ) : ergo et actiones principatûs, quales sunt actiones hierarchicæ, ut illuminare et purgare, etc. Unde nec bonos nec malos Angelos amplius illuminant, loquendo de propria illuminatione quæ dirigitur

* verius : I P. q. 109, a. 3; et q. 107, a. 2 in Deum, ut docet S. Thomas (infra, q. 106*).

20. *Hæc etiam sententia sumitur ex S. Dionysio*, qui in his quæ de Angelis traduntur præfertur aliis : quia, ut dicit S. Thomas (in II, D. 10, q. 1, a. 2), « discipulus Pauli fuit, et dicitur ejus visiones scripsisse; » et sic (in eodem II *ad Annibald.* dist. 9, a. 1 ad 5) modum assignandi ordines in Angelis, quem Dionysius tradit, veriorem dicit : « Quia Dionysius, inquit, ab Apostolo immediate accepit. » Sanctus ergo

* PG 3, 285 Dionysius (in cap. 11* *Cælestis hierarch.*, in fine) sic inquit : « Ut a nobis sæpe recte dictum est, summæ spirituum descriptiones abunde etiam inferiorum sanctas proprietates habent, ultimæ autem summas superiorum proprietates in totum non habent, cum vicissim in eas primarum operâ illustrationes quæ primum exstiterunt pro earum captu infundantur. » Ita habet Dionysius secundum translationem Perionii, quæ omnino auctoritatem habet. Ex ejus autem verbis deducitur quod inferiores Angeli non plene comprehendunt superiores ex vi sua, quia « non in totum eorum proprietates habent ». Habere autem earum proprietates, mediâ aliquâ participatione superiorum debet esse, et hæc mediante cognitione : hæc enim est intelligibilis participatio. Si ergo non in totum eas habent, non in totum intelligunt; et sic indigent eorum illustratione pro eorum captu, quæ [1] illis datæ sunt quam primum exstiterunt. Et non loquitur Dionysius de illustratione superiorum Angelorum solum quoad supernaturales veritates, sed etiam quoad naturalia, id est, quoad « superiorum proprietates », quæ utique naturales sunt. — Nec potest dici quod sensus Dionysii est inferiores non habere superiorum proprietates entitative, non tamen negat habere eas intelligibiliter et comprehensive. Contra enim est : quia probat Dionysius non habere in totum proprietates superiorum, quia « illustrationes pro eorum captu a superioribus eis infunduntur »; ergo loquitur de habere mediantibus illustrationibus : ergo mediante cognitione, et non solum entitative.

21. Fundamentum hujus sumitur ex duobus. Primum est a priori. Secundum ab inconvenienti. — Primum deducitur ex eo quod intellectus Angeli inferioris non habet substantiam et naturam adæquatam in perfectione et actualitate Angelo superiori : ergo neque in virtute et efficaciâ intelligendi : ergo neque in ipsa cognitione; et sic ex propriis operando non potest ipsum comprehendere : quia non potest adæquare, et comprehendere adæquare est; sicut neque oculus infirmus et debilis potest perfectissimum visibile, ut perfectissimam lucem, adæquare et plene exhaurire. — Totus discursus legitimus est, et propositiones ejus negari non possunt : si quidem constat substantiam Angeli inferioris esse inæqualem cum superiori in perfectione, cum sint diversæ speciei, et aliqui etiam sint diversi in ordine aut hierarchiâ : quod tamen non facit majorem diversitatem, quam in specie, quia omnes Angeli ejusdem generis sunt : licet, intra hoc genus, quædam species magis distent ab aliis, quam aliæ. Igitur si diversæ speciei sunt et inæquales, ergo inferior non adæquat superiorem, licet superior non solum adæquet, sed excedat illam [2]. Quod si dantur aliqui Angeli ejusdem speciei, ut multi sentiunt contra D. Thomam, de illis non procedit difficultas : quia solum est quæstio de Angelis inferioribus respectu superiorum, non de æqualibus. Reliquæ vero propositiones ex ista robur accipiunt : quia virtus Angeli intellectiva

[1] Intelligito : *quæ [illustrationes] illis*...
[2] Sic omnes; unde intelligendum est : *ergo inferior [species] non adæquat*... || At fortasse corrigendum sit : *illum*, atque intelligendum : *ergo inferior [Angelus] non*...

et actus cognoscendi ejus sequuntur ad hanc radicem propriæ naturæ, et juxta ejus modum sic est modus intelligendi : quia natura dicit intellectualitatem radicalem, radicali autem intellectualitati debet conformari actualis seu formalis.

22. *Et confirmatur atque urgetur hæc ratio* ex simili consequentia, quam format S. Doctor (in quæst. 16 *de Malo*, a. 8) comparans species intellectûs inferioris ad species intellectûs superioris; et consequentia est hujusmodi : In unoquoque intellectu « species intelligibiles superioris intellectûs sunt universaliores, et ideo non possunt comprehendi per species intelligibiles inferioris intellectûs; et ideo inferior intellectus non potest eas perfecto cognoscere ». Ubi S. Doctor tradit generalem doctrinam de quocumque intellectu, non autem solum de intellectu humano : nec de solis speciebus intellectûs humani collatis cum speciebus Angelorum, ut aliqui dicunt, non vero de speciebus angelicis superioris et inferioris Angeli collatis inter se. Nam licet D. Thomas applicet postea istam doctrinam ad probandum quod Angeli boni vel mali possunt cognoscere species in anima nostra exsistentes, tamen ad hoc affert doctrinam generalem de quocumque intellectu, et de quibuscumque speciebus superioris intellectûs respectu inferioris; ergo sine fundamento aliquo id restringitur ad solum intellectum humanum respectu angelici. Immo nihil probaret D. Thomas : quia si intendit probare quod intellectus angelicus, quia superior est, comprehendit species intellectûs humani, et ad hoc affert pro probatione, quod species superioris intellectûs sunt universaliores et ideo non possunt comprehendi per species intelligibiles inferiores, bene autem potest intellectus superior comprehendere species inferioris, intelligendo per « superiorem » angelicum et per « inferiorem » humanum : sensus esset quod, quia species intellectûs angelici comprehendunt species humani, ideo intellectus Angeli comprehendit species humani : quod esset probare idem per idem.

23. Ex hac ergo doctrina D. Thomæ fit argumentum : D. Thomas ponit illam causalem, « ideo non possunt per species intelligibiles inferioris intellectûs comprehendi species superioris intellectûs, quia universaliores sunt; » ergo etiam intellectus Angeli inferioris non comprehendet intellectum superioris, quia universalior est. Nam eadem proportio, quæ est inter species superioris et inferioris, est inter intellectum superioris et inferioris : præsertim quia inferior Angelus non potest intelligere superiorem, nisi per species sibi infusas. Ergo si istæ[1] secundum D. Thomam non comprehendunt species superioris intellectûs, neque etiam comprehendent intellectum superioris Angeli. Et saltem hoc habemus ex D. Thoma, quod Angelus inferior non comprehendit omne ens naturale : quia species superioris Angeli naturalis ordinis sunt, et tamen eas non comprehendit Angelus inferior.

24. *Respondent oppositi auctores* * : essentiam Angeli superioris et ejus intellectualitatem et intelligibilitatem, entitative sumptam seu materialiter, esse excedentem et inadæquatam Angelo inferiori, non tamen formaliter et in linea intelligibili : intelligibilitas enim formalis consequitur ad radicalem seu entitativam. Bene autem stat quod aliquid sit superius et inæquale alteri in ipsa intelligibilitate entitativa seu radicali et materialiter sumpta : æquare[2] autem in intelligibilitate formali, seu in linea intelligibili pura et formaliter sumpta; sed possunt plures res intelligibiles, in esse rei inæquales, convenire in eadem intelligibilitate formali : et consequenter inferior intellectus comprehendere superiorem, quia ad hoc sufficit quod adæquetur ipsi in linea intelligibili, licet non in esse entitativo. Et similiter dicunt species inferioris Angeli non comprehendere species superioris, quia species non sunt ens naturale sub ordine et linea entitativa, sed sub ordine et linea intelligibili. Et quando dicit D. Thomas * quod Angelus inferior comprehendit totum ens naturale, intelligitur de ente naturali ut distincto ab ordine intelligibili, et prout est solum in linea entitativa. — Nec oportet ad comprehensionem Angeli superioris comprehendi species illi infusas : quia non sunt accidentia seu proprietates ab ejus essentia fluentes, sed quæ veniunt ab extra et per infusionem Dei. Unde sufficit ad comprehensionem superioris Angeli comprehendere intellectum ejus nude et in se, non autem species ejus.

* cf. supra, n. 12-13

* cf. II *Contra G.*, c. 98-99; I P. q. 56, a. 2; q. 58, a. 1; q. 109, a. 3, ad 2

25. *Ceterum ista responsio inintelligibilis*[3] *videtur*, et complicatoria. Nam intelligibilitas

[1] Ita bene emendant LC || Male MP *iste*.

[2] Ita MP, non omnino male || Multo facilius legunt LC *æquale*.

[3] Prave omnes : *intelligibilis*.

formalis omnino sequitur ad radicalem et entitativam, illique proportionatur. Neque enim potest esse immaterialitas seu spiritualitas in esse rei excedens et inæqualis alteri, et ejus intelligibilitas formalis æqualis cum intelligibilitate sui inferioris : quia intelligibilitas ista formalis se habet ut proprietas quædam consecuta ad radicalem, et ipsa entitas intellectiva radicalis petit habere aliquam intelligibilitatem sibi propriam et adæquatam, quam non habeat altera species seu entitas intellectiva : quia unicuique rei convenit sua intelligibilitas passiva propria, sicut convenit sua intelligibilitas activa seu intellectualitas (quæ est ipsemet intellectus) si substantia intellectiva sit. Ergo non stat, quod intelligibilitas passiva formalis propria et per se, correspondens intelligibilitati radicali, sit ejusdem rationis et æqualitatis cum intelligibilitate formali alterius rei, si ipsæ intelligibilitates radicales, seu entitative acceptæ, sint inæquales in esse entis. Immo, cum id quod intelligitur in objecto non sit intelligibilitas formalis tantum, sed entitas ipsius (quia hæc præcipue intenditur cognosci), si hæc inadæquata et inæqualis est cognitioni rei inferioris, non manet comprehensa ab illa, quantumcumque dicatur inferior cognitio adæquari intelligibilitati illi rei superioris. Nam illa intelligibilitas formalis vel manifestat totam entitatem rei superioris, eamque adæquat tamquam propria illius, vel non. Si non adæquat, ergo neque est propria intelligibilitas rei superioris, neque sufficit ad comprehensionem illius : quia illa est propria intelligibilitas alicujus rei, quæ totam eam reddit intelligibilem et manifestam : quia si aliquid illius relinquit non manifestatum nec intelligibile, respectu illius diminuta est, et ideo adhuc majorem intelligibilitatem res illa exigit : et sic illa non erit propria ejus, nec comprehensiva, quia non adæquata illi. Si autem illa intelligibilitas adæquat et manifestat totam rem illam superiorem, eamque reddit intelligibilem, ergo non potest esse æqualis et adæquata formali intelligibilitati et intellectualitati rei inferioris : quia Angelus inferior per propriam intelligibilitatem suam formalem, etiam comprehensive cognitam, non potest adæquare totam entitatem rei superioris, eamque manifestare et intelligibilem reddere : ergo neque per species sibi proportionatas et proprias, quia istæ adæquantur et proportionantur intelligibilitati formali Angeli inferioris, cui infunduntur.

26. Quod vero dicitur * de speciebus, quod non comprehenduntur ab inferioribus, quia non sunt ens naturale, sed intelligibile : Omnino complicatorium videtur et repugnans dictis istorum auctorum. Nam in sententia istorum auctorum *, quando dicit S. Thomas ** quod ens naturale est objectum intellectûs Angeli, ab eoque comprehenditur, nomine entis naturalis non solum intelligit ens naturale materiale et de se non intelligibile in actu, sed etiam immateriale et intelligibile : si quidem in sensu horum auctorum substantias spirituales et immateriales, etiam superiores, comprehendit Angelus etiam inferior. Si ergo nomine totius entis naturalis intelligit D. Thomas etiam ens intelligibile seu immateriale, etiam species deservientes huic intellectuali naturæ pertinebunt ad ordinem entis naturalis et ad objectum comprehensionis Angeli, tamquam aliquid illius, licet deserviant ad lineam intelligibilitatis potius quam ad lineam entitatis. Hoc enim non obstante, Angelus superior ex vi sua, qua comprehendit inferiorem, etiam ejus species cognoscit et comprehendit, ut D. Thomas (citato loco *) fatetur : si quidem ejus intelligibilitatem, et non solum entitatem, comprehendit. Linea enim intelligibilis, et quidquid ad illam lineam pertinet, cum sit aliquid ipsius entitatis, ad ejus comprehensionem pertinet; ergo signum est species etiam pertinere ad objectum comprehensionis Angeli. Respectu vero Angeli superioris dicunt * istimet auctores quod essentia Angeli in esse entitativo, et in intelligibilitate radicali seu materialiter sumptâ, est inadæquata et superior intelligibilitati entitativæ Angeli inferioris : est tamen illi æqualis et ejusdem rationis intelligibilitas formalis superioris Angeli cum intelligibilitate inferioris, et ob hoc comprehendi potest ab illo; sed species per se pertinent ad ordinem intelligibilem formalem ut distinguitur ab entitativo : ideoque non comprehenduntur ab Angelo, quia, ut dicis *, solum ens naturale ut distinguitur ab entitativo [1] S. Doctor ponit pro objecto comprehensivo Angeli. Ergo tibimet contradicis, dum ponis modo quod species non comprehenduntur, quia non pertinent ad ordinem entitativum, et ante dicis quod intelligibilitas Angeli superioris entitative est inadæquata Angelo inferiori,

* supra, n. 24, *Et similiter*

* cf. supra, n. 13; et infra, n. 35-6
** cf. infra, n. 35

* q. 16 *de Malo*, a. 8

* supra, n. 24, *Respondent*

* supra, n. 24, *Et quando*

[1] Sic omnes, mendose || Sententia, locus etiam auctoris allegatus (id est, supra, n. 24) prorsus exigunt ut legatur : *ab intelligibili*.

intelligibilitas autem formalis adæquata est. Ergo ex hac parte potius species deberent comprehendi, quam essentia Angeli : quia pertinent species ad lineam formalis intelligibilitatis, et illa est adæquata inferiori.

27. *Dicere autem* quod licet hoc verum sit, tamen deficit una condicio, ne possint comprehendi species superiores ab inferiori Angelo, quæ non deest ut possit comprehendi essentia : nempe quia species illæ, utpote universaliores, non possunt unico et simplici actu perfecte cognosci ab inferioribus, bene tamen essentia : — *Hoc est plane voluntaria petitio principii*. Nam si essentia entitative sumpta, ipsaque intelligibilitas in esse rei considerata, est superior et inadæquata inferiori, et universalior quam illa, ipseque intellectus superioris Angeli universalior etiam est, intelligibilitas vero formalis est adæquata, et species pertinent ad intelligibilitatem formalem : cur species, licet universaliores, non unico simplici actu ab inferioribus attingentur, bene tamen essentia et intellectus superior qui etiam universalior est? De hoc enim debet reddi ratio, non vero solum id responderi, ut effugiatur vis rationis, quæ cogit dicere quod species universaliores non possunt unicâ specie et cognitione Angeli inferioris attingi : cum eadem cogat et convincat quod essentia ipsa et intelligibilitas in esse rei, quæ universalior est radicaliter, non attingatur unico actu et specie, quia magis inadæquata est intellectui inferiori entitative.

28. Denique, quod attinet ad species ipsas universaliores, quod debeant comprehendi si comprehenditur intellectus eas exigens : negari non potest. Quia non potest comprehendi virtus intellectûs et capacitas ejus, nisi comprehendatur objectum formale in quod potest (inde enim pendet universalitas ejus), et modus [1] seu eminentia et immaterialitas qua in illud potest (inde enim pendet specificatio ejus); sicut non potest comprehendi potentia et virtus oculi, nisi cognoscatur objectum ejus in quod potest, scilicet lux et color, et modus quo potest, scilicet quod sit talis perfectionis in videndo, scilicet acutioris visûs, vel minus acuti, etc. Sed comprehenso objecto, et modo quo virtus intellectûs potest in suum objectum, comprehendi debent species quarum est capax, et modus earum, scilicet quod sint tantæ vel tantæ universalitatis : quia species non sunt aliud quam ipsum objectum in esse intelligibili, et modus specierum in universalitate et immaterialitate proportionatur objecto formali in ratione intelligibilitatis. Ergo repugnat comprehendere intellectum Angeli superioris et objectum ejus formale et utriusque eminentiam, et non species quarum est capax, sive videantur ut infusæ de facto ipsi Angelo, sive non : sufficit enim quod cognoscat illas ut possibiles et debitas ipsi Angelo, earumque universalitatem comprehendat. — Quare dato * quod non pertineat ad comprehensionem Angeli superioris videre quod de facto ipsi conveniant accidentia quæ ab extrinseco adveniunt, tamen, si dicit inclinationem et proportionem ad illa, debet cognoscere eorum propriam rationem, saltem quatenus debita illi et possibilia illi : quia hæc proportio et capacitas intrinseca est intellectui. Comprehendet ergo inferior Angelus superiores species, saltem in esse possibili et ut debitas superiori intellectui, quidquid sit an cognoscat si de facto sint infusæ vel non : hoc enim non requiritur, et sufficit nobis sic illas comprehendere in esse possibili.

* cf. supra, n. 24, *Nec oportet*

29. Deinde falsum est * quod ad comprehensionem alicujus rei non requiratur quod cognoscantur etiam accidentia sibi debita, et ab extrinseco advenientia, licet non fluant ab intrinseco tamquam proprietates. Nam si comprehendatur cælum, etiam motus ejus debet cognosci, licet ab extrinseco motore veniat : quia pertinet ad ejus perfectionem in quantum est causa generationis istorum inferiorum per motum Angeli. Et qui comprehenderet potentiam materiæ, etiam deberet cognoscere animam rationalem ad quam est in potentia, licet illa per creationem sibi infundatur ab extra. Et qui comprehenderet potentiam obœdientialem, etiam formas supernaturales deberet cognoscere, licet non fluant ab illa, sed ab agente supernaturali fiant in illa. Requiritur ergo, ad comprehensionem alicujus rei, cognoscere omnia accidentia quæ sunt ei debita et cum quibus habet proportionem, etiamsi non profluant ab essentia, sed ab extrinseco veniant.

* cf. supra, n. 24, *Nec oportet*

30. Ultimo ab inconvenienti deducitur nostra sententia * : Nam in primis non potest Angelus inferior comprehendere species intelligibiles superioris Angeli, ut ostendimus **, neque

* supra, n. 15
** supra, n. 21-29

[1] MP *et modum seu eminentiam, et immaterialitatem*, male omnino ‖ LC *quoad modum seu eminentiam, et immaterialitatem*, non sat feliciter emendarunt.

hoc inconveniens ab oppositis auctoribus evitatur : Tum quia id expresse affirmat D. Thomas (in q. 16 *de Malo*[1] supra † citata). Tum quia, ut ponderatum est ††, comprehensio alicujus rei debet esse cognitio adæquata non solum suæ quidditatis, sed etiam omnium perfectionum quæ sibi debentur, vel ad quas dicit ordinem et respectum; ergo ad comprehendendum intellectum Angeli superioris requiritur quod etiam comprehendat species ejus, quæ ejusdem sunt cum illo perfectionis et universalitatis.

† n. 22
†† supra, n. 2-5 et n. 28-29

31. *Alterum inconveniens est :* quia sequitur ex opposita sententia, quod si Angelus inferior comprehendat superiorem virtute suâ, etiam ex comprehensione illius tamquam ex effectu perfectiori cognoscat Deum tantum quantum ipse Angelus superior cognoscit de Deo ex cognitione sui. Unde omnes Angeli æque perfecte cognoscent Deum naturali cognitione : quia comprehendunt omnes[2], quantumcumque sint superiores, et consequenter æque perfecte attingunt Deum ut repræsentabilis est ex talibus effectibus. Et licet semper remaneant superiores in esse entis respectu inferiorum, tamen si[3] in esse intelligibili eos adæquant et comprehendunt, id quod sufficit ad comprehensionem eorum, sufficit ad æqualem cognitionem Dei : quia hæc fundatur in cognitione comprehensiva effectûs repræsentantis Deum. Et sic tam beatus et felix erit beatitudine naturali inferior Angelus quam superior, quia hæc consistit in cognitione naturali Dei, et tantum comprehendit seu cognoscit de Deo propriâ et naturali virtute Angelus inferior quam superior : cum tamen negari non possit quod felicior sit Angelus superior, quia perfectior in ordine naturali. Immo suppositâ lege Dei, quod dona gratuita infunduntur Angelis[4] juxta capacitatem naturalium, si naturalis virtus Angeli inferioris petit comprehendere superiorem, etiam secundum ordinem gratiæ petet comprehendere gratiam superioris : et consequenter non indigebit illuminatione superioris ad hoc ut cognoscat inferior ea quæ superiori revelantur et infunduntur secundum ordinem gratiæ. Ac proinde cessabit omnis ratio et fundamentum ponendi illuminationem in Angelis : quia scilicet veritatem quam superior cognoscit inferiori manifestat, supponendo quod inferior eam non comprehendit. Ergo signum est quod etiam in naturalibus non comprehendit Angelum superiorem ex sua virtute præcise, sicut nec in supernaturalibus.

32. SECUNDA VERO PARS CONCLUSIONIS *, quod ex illuminatione superioris Angeli inferior cognoscat omnes perfectiones naturales superioris, ac per hoc ex parte rei cognitæ illum comprehendat, quia omnes perfectiones et modos ejus attingit, licet ex parte modi cognoscendi semper sit diversitas in superiori et inferiori : SUMITUR EX D. THOMA (infra, q. 106, a. 4) ubi docet quod Angeli superiores de omnibus quæ cognoscunt illuminant inferiores, ita ut easdem res cognoscant inferiores, quas cognoscunt superiores, licet superiores semper eminentius cognoscant, et diverso modo se tenente ex parte cognoscentis.

* supra, n. 15, *De facto*
I P. q. 106, a. 4

33. *Unde sumitur ratio pro ista parte :* quia Angelus superior per illuminationem manifestat totum, quod ipse cognoscit ex parte rei cognitæ, ipsi inferiori, licet accommodando illud juxta modum et capacitatem inferioris; sed sufficit ad comprehensionem alicujus objecti, quod cognoscatur quantum ad quidditatem et quoad omnes perfectiones et modos sibi convenientes, attingendo totum hoc ex parte rei cognitæ, licet ex parte ipsius cognoscentis diversus modus et perfectio detur in superiori quam in inferiori; ergo, etc. — Minor probatur : quia comprehensio objecti solum requirit, quod adæquetur tota intelligibilitas objecti quantum ad omnia quæ sibi conveniunt, ita quod nihil de his lateat videntem : licet possit in hoc dari diversa perfectio cognitionis et comprehensionis in intellectu magis perfecto. Sicut patet quod duo Angeli, unus superior et alter inferior, uterque comprehendit eamdem rem corpoream, seu aliam quæ utrique inferior est : licet superior Angelus eamdem rem inferiorem perfectiori modo attingat, et magis immateriali ex parte ipsius cognoscentis, quam Angelus inferior. Ergo signum est sufficere ad comprehensionem Angeli superioris, quod cognoscat illum inferior quoad omnes perfectiones et modos ex parte rei cognitæ, per illuminationem ortam et participatam ex superiori Angelo : licet ex parte cognoscentis semper Angelus superior eminentiori modo cognoscat idemmet objectum quam inferior.

34. Neque ad istam comprehensionem requiritur quod cognoscantur, ex vi talis comprehen-

(1) Corrupte omnes : *de modo supra citato.*
(2) Intellige : *quia [Angeli] comprehendunt omnes [alios], quantumcumque...*
(3) Intellige : *si [inferiores] in esse...*
(4) Prave omnes : *infunduntur, Angelus...*

sionis, actus liberi ipsius Angeli. Nam isti semper eximuntur a comprehensione naturali alicujus naturæ intellectivæ : naturalis enim comprehensio solum ea petit attingere, quæ ad naturalem ordinem spectant in re comprehensa, non ad moralem vel supernaturalem. Cujus manifestum signum est : quod etiam Angelus superior, qui sine dubio comprehendit inferiorem, non tamen ejus actus liberos ex vi hujus naturalis cognitionis attingit. Ergo non requiritur, ad comprehensionem de qua loquimur, cognitio actuum liberorum.

FUNDAMENTA OPPOSITA SOLVUNTUR.

35. Tota vis fundamenti oppositi ad duo principalia reducitur : alterum ex auctoritate D. Thomæ; alterum ex ratione. — Auctoritas D. Thomæ sumitur (ex II *Contra Gent.* c. 98[1]) ubi inquit S. Doctor quod « ex hoc quod substantia aliqua est intellectualis, comprehensiva est totius entis. Unde cum substantia separata per suam naturam non fiat actu comprehendens totum ens, ipsa, in suâ substantiâ considerata, est quasi in potentia ad similitudines intelligibiles, quibus totum ens cognoscitur; et illæ similitudines erunt actus ejus in quantum est intellectualis ». Et similiter (c. 99 sequenti) inquit quod, « cum intellectus Angelorum sit perfectus naturali perfectione, utpote totus in actu exsistens, oportet quod suum objectum, scilicet ens intelligibile, universaliter comprehendat. » Et infra : « Quia vero intellectus substantiæ separatæ est in actu habens omnes similitudines ad quas est in potentia, habet virtutem comprehendendi omnes species et differentias entis, necesse est quod substantia separata quælibet cognoscat omnes res naturales, et totum ordinem earum. » Quibus verbis manifestissime D. Thomas tribuit cuicumque substantiæ separatæ vim comprehensivam totius entis (scilicet creati et naturalis, ut se explicat in his ultimis verbis citatis ex c. 99). Nec solum dicit quod sub objecto intellectûs Angeli comprehenditur omne ens, sed quod ipse est comprehensivus omnis entis. Ergo male negamus non[2] comprehendere Angelos superiores, cum ipsi pertineant ad ordinem entis intelligibilis ordinis naturalis.

36. *Nec dici potest,* quod Angeli inferiores comprehendunt superiores ex illuminatione superiorum. — *Obstat enim* locus supra * citatus ex D. Thoma (infra, q. 109, a. 3 ad 2) ubi docet quod, « secundum ea quæ ad naturalem cognitionem pertinent, non est necessaria manifestatio veritatis, nec in Angelis, nec in dæmonibus : quia hæc statim a principio noverunt; et ideo secundum ista non est illuminatio in dæmonibus. » Ergo si ex natura sua inferiores Angeli non comprehendunt superiores, neque ex illuminatione superiorum eos comprehendent. * n. 18

37. Respondetur quod in primis, si in istis auctoritatibus verbum comprehendendi sumatur in toto rigore pro comprehensione perfecta et adæquata, non potest intelligi illud verbum « totum ens » totum intelligibile in omni universalitate, cum dicit D. Thomas quod est « comprehensiva totius entis » : quia sub ratione totius entis non potest intelligi ens morale seu liberum (cogitationes cordis), ens supernaturale, nec ens divinum : hæc enim tria excipiuntur a cognitione naturali Angeli. — Dicunt ita esse, quia D. Thomas solum loquitur de ente naturali : et sic intelligendus venit, quia (c. 99 citato *) dicit quod comprehendit substantia separata « omnes species et differentias entis; et sic necesse est quod cognoscat omnes res naturales ». De naturalibus ergo solum loquitur, quando dicit quod universaliter omne ens comprehendit. — Sed si ita est, quod glossatur D. Thomas de omni ente naturali et creato, quando dicit quod Angelus comprehendit totum ens, quare etiam non glossabitur et restringetur ad totum ens naturale sibi inferius? quia dicit idem D. Thomas (in q. 16 *de Malo* supra * citata) quod per species inferiores non comprehenduntur species universaliores superioris intellectûs. Vel etiam glossare possumus ly *comprehendere,* quod sumatur non in rigore pro cognitione adæquatâ et addente super quidditativam, sed pro comprehensione communiter dictâ, id est, apprehensione rei. Quare verba D. Thomæ propter suam magnam amplitudinem capacia sunt istarum glossarum et restrictionum ex his per quæ se explicat in aliis locis. II *Contra G.*, c. 98 * supra, n. 35 * n. 22

38. *Veritas tamen est,* quod nomine comprehensionis non utitur D. Thomas in rigore, prout comprehensiva cognitio sumitur in præsenti pro adæquata et perfecta ultra quidditativam : sed communiter pro cognitione assecutiva rei perfecte, etiam citra comprehensionem. Et hoc sumitur

(1) Mendose omnes : *c. 96*.
(2) Intelligendum est : *negamus [eum] comprehendere...*; adverbium negandi superfluit || Cf. tomi I Præfationem, cap. III, art. 2, § 3, n. 2, a).

tum ex intento D. Thomæ, tum ex modo loquendi promiscue utentis nomine comprehensionis vel cognitionis in eisdem locis. — Ex intento D. Thomæ : nam in illis locis non disputat nec tractat de comprehensione Angeli, secundum quod comprehensio addit supra quidditativam
II *Contra G.*, c. 98 cognitionem : sed solum intendit (in c. 98) ostendere quod Angeli non intelligunt alias substantias spirituales per suam essentiam, sed per species superadditas, et (in c. 99) quod, cum intelligant totum ens, necesse est etiam quod intelligant substantias materiales, quia perfecti [1] sunt et in actu respectu totius intelligibilis, et sic universaliter comprehendunt, id est, complectuntur et se extendunt etiam ad substantias materiales. Quare in neutro loco S. Thomas loquitur de comprehensione intensiva, et quoad perfectam adæquationem cum objecto. Sed in primo ostendit debere habere species ad intelligendum alias res : quia per essentiam suam non cognoscit aut comprehendit nisi seipsum; est autem intellectus Angeli totius entis comprehensivus, id est, cognoscitivus; ergo debet habere species aliorum entium : ad inferendum enim quod debet istas species habere, non conducit quod comprehendat alia, sed quod cognoscat. Et in secundo loco solum probat quod ad res materiales se debet extendere : quia perfectus est in genere intelligibili, et debet totum ens universaliter comprehendere : ubi ly *comprehendere* non refert quod sumatur pro comprehensione rigorosa, sed sufficit quod sit cognitio complectens seu extendens se ad totum ens : hoc enim illi intento tantum deserviebat. — Unde, ut in ipso contextu cerni potest, modo utitur D. Thomas verbo comprehendendi [2], modo cognoscendi; et sic promiscue accipit ly *comprehendere* pro eo quod est cognoscere. Nec contra hanc expositionem oppositi auctores aliquid afferunt quod impugnatione indigeat : sed tantum quod D. Thomas reddit rationem quare Angelus comprehendit totum ens, videlicet quia est perfectus perfectione naturali in suo intellectu, et convenit in gradu immaterialitatis cum quovis ente naturali : quod nihil probare
* infra, n. 42 sqq. statim ostendemus * solvendo rationem : id enim solum probat quod cognoscit omne ens, sed non omne æque perfecte.

39. Addo denique quod si tenaciter insistatur in eo quod D. Thomas loquitur de comprehensione stricta et rigorosa, potest adhuc salvari, dicendo quod quilibet Angelus comprehendit totum ens, sed non æqualiter et eodem modo : sed se et inferiora sibi ex virtute propriâ, superiora autem ex illuminatione et manifestatione superiorum. — Nec obest locus allatus * (ex q. 109 ** * supra, n. 36
infra) : quia jam supra hunc locum abunde explicavimus ***, quod negat D. Thomas secundum ** I P. q. 109, a. 3, ad 2 *** supra, n. 19
naturalia ista fieri illuminationes a superioribus, ita quod de novo fiant istæ illuminationes; sed non negat ab initio fuisse factas, cum alias fateatur † illuminationes fieri secundum ea « quæ † I P. q. 106, a. 1, ad 2
pertinent ad statum naturæ et gratiæ et gloriæ » : ut ibi †† retulimus et ostendimus ex †† supra, n. 17
eodem D. Thoma.

40. Secundo arguitur : Nam Angelo inferiori est connaturaliter debita species superioris, et ipsum cognitum connaturaliter est in cognoscente, et ipsa etiam cognitio rei superioris connaturaliter est in intellectu inferioris; omnis etiam quidditas, omnes perfectiones et modi rei superioris sunt objectum proportionatum intellectui Angeli inferioris. Ergo habet omnia requisita et sufficientia, ut Angelus inferior superiorem comprehendat. — *Consequentia patet :* quia, ad comprehendendum objectum aliquod, sufficit quod nihil illius sit, tam in quidditate quam in perfectionibus et modis, quod non sit tali intellectui proportionatum, et consequenter nihil illius lateat intellectum inferioris. Et similiter quod species repræsentativa illarum perfectionum et modorum sit connaturaliter in Angelo inferiori : sic enim signum est quod objectum repræsentatum per talem speciem non est supra ejus naturam, nec improportionatum illi, si quidem connaturaliter inest ipsi inferiori; ergo attingit totum et totaliter quod in illo objecto est : quia totum, et totaliter sumptum, connaturaliter in illo est.

41. *Antecedens autem probatur :* nam Angelo inferiori datur connaturaliter et a principio species repræsentans Angelum superiorem, tamquam species de objecto naturalis ordinis et pertinente ad propriam sphæram intelligibilem inferioris Angeli. Sed Angelus inferior est intellectus perfectus et in actu, non procedens de potentia ad actum sicut intellectus noster; ergo petit talis intellectus actuari perfecte circa illud objectum, cujus species sibi traditur. Alias non peteret intellectus Angeli perfecte se habere

(1) Ita LC bene correxerunt || Mendose MP *perfecta*.

(2) Male omnes : *comprehendi*.

circa omne objectum quod sibi connaturale et proportionatum est : quod est habere se in potentia erga illud, atque adeo posse acquirere majorem cognitionem et proficere in illa : quod est habere radicem et fundamentum discurrendi. — Similiter Angelus superior, omnesque ejus perfectiones et modi, spectant ad res ordinis naturalis et ad integritatem hujus universi; ergo sunt objectum proportionatum cuilibet Angelo, etiam inferiori, etiam secundum propriam virtutem considerato, et independenter ab illuminatione superioris : quia quilibet Angelus respicit pro objecto omne ens naturale et ad hoc universum spectans, ut ex D. Thoma (locis citatis* in primo argumento) constat. Ergo si Angelus superior et quidditas ejus, et omnis perfectio et modus ejus, pertinent ad ordinem naturalem, consequenter omnia hæc non latent Angelum inferiorem; ergo ex virtute sua comprehendit Angelum superiorem : quia comprehensio consistit in hoc quod nihil de objecto lateat videntem, sed adæquetur illi in tota intelligibilitate ejus.

* supra, n. 35-36

42. Respondetur distinguendo antecedens* : Angelo inferiori est connaturaliter debita species et cognitio superioris, repræsentans Angelum superiorem juxta modum inferioris, et consequenter cum aliqua confusione et potentialitate et inadæquatione ad ipsum, *concedo;* repræsentans Angelum superiorem juxta modum ipsius superioris, et consequenter cum adæquatione et perfecta distinctione erga ipsum, *nego.* — Similiter Angelus superior, et omnes ejus perfectiones, sunt objectum proportionatum* et ordinis naturalis, et pertinens ad hoc universum, *distinguo :* proportione omnino adæquatâ, *nego antecedens;* proportione inadæquatâ, et aliquam confusionem admittente ex parte inferioris, *concedo.* — Ergo sufficit ad comprehensionem*, *distinguo consequens :* sublatâ istâ confusione et inadæquatione per illuminationem superioris, *concedo;* stante illâ, *nego;* et sic erit comprehensivus Angeli superioris mediate et per confortationem intellectûs sui ab Angelo superiori factam : non immediate, et ex vi propriæ virtutis et proprii modi cognoscendi.

* supra, n. 40, *Nam Angelo*
* supra, n. 40, *omnis etiam*
* supra, n. 40, *Ergo habet*

43. *Et ad probationem consequentiæ* dicitur,* quod ad comprehensionem alicujus objecti sufficit quod objectum, et quidquid in illo est, sit proportionatum ipsi cognoscenti, *distinguo :* sit proportionatum adæquate et perfecte juxta modum rei cognoscendæ, *concedo;* inadæquate et imperfecte, et juxta modum et coarctationem seu confusionem cognoscentis, *nego.* Et sic objectum superius, et species* ejus, inest connaturaliter Angelo inferiori juxta modum ipsius inferioris, non juxta modum superioris. Quod autem inest connaturaliter juxta modum recipientis, non sequitur quod totaliter [1] comprehendat illud totalitate adæquationis, sed solum juxta modum suum : nisi talis modus superiori modo se habeat ad id quod naturaliter ei inest. Et licet connaturaliter ei conveniat, et sic non sit supra naturam* ejus quantum ad convenientiam et ordinem naturæ, nec quantum ad specificationem objecti : est tamen [2] quantum ad modum, quia semper modus objecti est superior, et connaturaliter se habet ad tale subjectum non quomodocumque, sed juxta modum capacitatemque illius : sicut lux connaturaliter recipitur in luminoso et in diaphano, sed in diaphano juxta modum inferiorem et non adæquate, nec ad modum quo est in luminoso.

* supra, n. 40, *Consequentia*
* cf. supra, n. 40, *Et similiter*
* cf. supra, n. 40, *sic enim*

44. *Ad probationem* antecedentis dicitur,* quod species Angeli superioris datur inferiori Angelo tamquam de objecto naturalis ordinis, et sibi proportionato, et ad suam sphæram pertinente, *distinguo :* sibi proportionato et ad se pertinente juxta modum suum, *concedo;* juxta modum et adæquationem ad ipsum Angelum superiorem, *nego;* et sic semper manet extra comprehensionem illius, quantum est ex vi propriæ virtutis, nisi superioris illuminatio intercedat. — Et cum dicitur* quod Angelus inferior est intellectus perfectus, et non procedit de potentia ad actum, *distinguo :* est perfectus juxta modum suum inferiorem, et confusiorem respectu superioris, *concedo;* ultra modum suum, *nego.* — Neque ex hoc sequitur* discursus in Angelo : quia non quælibet imperfectio, et habere se in potentia ad aliquod intelligibile, fundat discursum : sed habere se in potentiâ non unico intuitu actuabili, sed per circuitum et pluralitatem illationis. Nam inferiores Angeli sunt illuminabiles a superioribus; illuminantur autem respectu eorum ad quæ sunt in potentia, et [3] actu non cognoscunt, vel non perfecte; nec tamen propterea discurrunt, etiam quando illuminantur. Nec enim sunt in ignorantia privativa, id est, respectu eorum quorum cognitio sibi debetur et quam possunt

* supra, n. 41
* supra, n. 41, *Sed Angelus*
* cf. supra, n. 41, *Alias non*

[1] Intelligito : *quod totaliter [recipiens] comprehendat...*
[2] Supple : *est tamen [supra naturam] quantum...*
[3] Supple : *et [quæ] actu...*

per collationem acquirere; sed sunt in ignorantia negativa seu nescientia, quæ simplici illuminatione tollitur. Non ergo quælibet potentialitas ad intelligendum sufficit ad discursum, sed aliqua sufficit ad illuminationem sine discursu : scilicet quando est in potentia ad cognoscendum per illuminationem simplicem et unico intuitu faciendam; tunc enim, etsi actuatur et perficitur a superiori per illuminationem, sed non discurrit, quia non per collationem et illationem [1] actuatur.

45. Et cum dicitur * quod Angelus superior et omnes ejus perfectiones sunt proportionatum objectum inferioris, utpote ad ordinem naturalem pertinentes : Jam dictum est ** quod sunt objectum proportionatum, applicatum tamen juxta modum inferioris, non superioris. Atque ita aliud est esse objectum proportionatum quoad specificationem, quia scilicet intra sphæram specificationis ejus sunt : aliud quoad adæquationem et perfectionem, qua discernitur [2] et adæquate penetrat et videt omnia illa. Sicut omnes colores et lux sunt objectum proportionatum, id est, specificativum visûs; sed tamen non quilibet visus potest æque discernere et adæquare se cuicumque luci et cuicumque colori, sed juxta modum et capacitatem suam : licet totum, quod in illa luce et colore est, visibile sit et proportionatum sit specificative, non semper adæquate et comprehensive. Sic omnia quæ in Angelo superiora [3] sunt, naturalis ordinis sunt, proportionata sunt Angelo inferiori proportione specificationis, non proportione adæquationis et perfectionis in discernendo, sed [4] juxta modum et capacitatem inferioris.

ARTICULUS II

Quomodo Angelus futura et præterita cognoscat.

1. PRÆCIPUUS difficultatis punctus non est de re ipsa : cum constans sit Angelum vi suâ non cognoscere futura contingentia certo et determinate, nec alia quæcumque futura in seipsis immediate; *sed difficultas est in reddendo rationem cur ista futura non possit cognoscere,* cum non careat speciebus repræsentantibus illa. Quando enim præsentia redduntur, certum est cognosci ab Angelo, non jam ut futura, sed ut præsentia; et tunc non infunduntur illi species de novo, si quidem non accipit species pro singulis individuis quæ fiunt, sed utitur speciebus universalibus quas utique a principio habet : et istæ in sua repræsentatione non dependent ab ipsis rebus, nec ab illis accipiunt perfectionem aliquam vel immutationem quando res fiunt. Quomodo ergo de novo repræsentant illa, cum in se de novo non immutentur? Hæc est difficultas de futuris, et eadem fere est de præteritis, quando Angelus non advertit, sed transeunt aliqua seu fiunt eo non advertente : quare non possit Angelus cognoscere illa præterita in vi speciei, quæ repræsentat illa. Et ex hoc etiam discussa manebit difficultas : quomodo Angelus per speciem suam universalem individua repræsentet, et quomodo ab eorum dependeat exsistentiâ ut determinate hoc vel illud singulare repræsentet.

SUPPONUNTUR CERTA.

2. TRIA SUNT CERTA ET SUPPONENDA in hac parte. — PRIMUM EST, tria esse genera futurorum. Primum est eorum quæ necessario eventura sunt, nec possunt impediri : sicut solem cras oriri, eclipsim futuram esse. Secundum est eorum quæ ut plurimum eveniunt per causas quidem naturales, sed impedibiles, ita tamen ordinatas ut raro impediantur : sicut quod in vere sint tonitrua, et in hieme pluviæ. Tertium est eorum quæ omnino contingenter eveniunt, vel quia habent causas liberas, vel quia habent fortuitas et in utramque partem contingentes : sicut quod Petrus cras ambulet, vel quod canis latret, aut quod seges comburatur a fulmine. Solum autem est duplex modus cognoscendi ista futura : scilicet vel quia cognoscuntur in seipsis, secundum quod habent exsistentiam extra causas : vel cognoscuntur in alio, id est, in virtute causarum a quibus procedet talis exsistentia et in quibus continentur.

(1) Male omnes : *illuminationem.*
(2) Sic omnes || Lege : *discernit.*
(3) Sic omnes || Forte legendum : *superiore.*
(4) Corrupte omnes : *in discernendo se juxta modum... :* quod nullo modo intelligi potest.

3. *Loquendo ergo de cognitione futurorum in seipsis,* id est, prout extra causas, *nullo modo ab Angelis possunt cognosci :* neque futura necessaria, neque contingentia. Et ne accidat æquivocatio in illo termino « in seipsis », oportet distinguere de cognitione rerum in seipsis quoad quidditatem seu quoad quid est, vel secundum durationem et quoad an est seu quoad exsistentiam, ratione cujus ponuntur extra causas et exeunt ab illis. Quando ergo dicimus futura non cognosci in seipsis, non loquimur de quidditate futuri : sic enim non tamquam futurum, sed tamquam quidditas quædam, quasi in abstracto et in esse possibili attingitur. Loquimur ergo de futuris in seipsis ex parte durationis, et quoad exsistentiam. Hæc enim pertinent ad futuritionem : nam futuritio durationem designat nondum præsentem, non autem quidditatem ipsam præcise. Res ergo futura, antequam de facto exeat a sua causa, solum est intra ipsam : alias, si esset extra, jam non esset futura, sed præsens respectu illius mensuræ in qua esset extra causas. Angelus ergo non potest futura cognoscere in seipsis quantum ad exsistentiam et durationem : quia non potest duratio futurorum cognosci ab Angelo nisi prout subest successioni temporis, quæ est propria mensura futuri, non autem prout subest altiori et eminentiori mensuræ in qua contineatur in seipso et extra causas sine ulla successione et mutatione : quia nulla mensura creata est, in qua res contineatur omnino indivisibiliter et immutabiliter. Sola autem æternitas est omnino immutabilis, et est causa ipsius temporis et eorum quæ in tempore accidunt, sine ulla potentialitate aut variatione ex parte ipsius mensurantis; et sic potest illa omnia indivisibiliter, in actu et immutabiliter, continere et mensurare. Reliquæ omnes mensuræ creatæ non possunt continere successiones temporum per causalitatem actualem in illa, et per omnimodam immutabilitatem, sicut æternitas : sed solum per extrinsecam coexsistentiam. Cum autem tempus futurum, in quo res futura erit exsistens, in seipso non sit actu sed solum in potentia (quia est pars motûs per successionem et evolutionem temporis ventura et successura, non in se exsistens), non potest cognosci illud futurum, neque ejus mensura in qua exsistet, nisi prout est in potentia et successione, et intra ordinem causarum. Numquam ergo potest attingi in seipso quamdiu consideratur ut futurum : quia futurum est idem quod successurum, et successurum est idem quod ex potentia reducendum in actum.

4. *Quod si dicas :* Quia veritas ipsa futuri contingentis ex se est determinate vera secundum alteram partem contradictionis : quia utraque pars non potest esse simul determinate vera et falsa; ergo altera est determinate vera, altera determinate falsa; et quando in re fit præsens tale futurum, secundum determinatam veritatem ponitur; ergo qui illud diceret antequam fiat, determinatam veritatem diceret : — *Respondetur negando antecedens,* si loquamur de determinatione futuri ex propriis prædicatis aut ex causis proximis et creatis, ut late a nobis probatum est (præcedenti tomo, disp. 19 * et 20 **) : illa enim futura carent omni principio determinativo, tam in se quam in causis, quamdiu futurum contingens est : cum ipsa contingentia intrinsece importet indeterminationem. Hoc enim est de conceptu essentiali contingentiæ, quod sit ad utrumque. Ergo repugnat dicere quod sit contingens illa veritas in ratione veritatis futuræ, et tamen sit determinata, vel in seipsa, vel in causis proximis (excipio decretum divinum et æternitatem Dei) : cum potius ab illis participet indeterminationem et contingentiam. Ratio autem contradictionis non petit quod una pars determinate sit vera, sed solum quod, si una pars est vera, altera sit falsa, non tamen quod ista præ alia sit determinate vera : quia contradictio non determinat partes contradictoriarum earumque veritates, sed solum enuntiat oppositum ejus quod altera dicit : quod omnino extrinsecum est veritati, sicut et entitati rei, ut possit eam determinare.

* a. 2, n. 2-5; a. 3, n. 1-7; supra, tomo II, p. 411-4; 419-422
** a. 2, n. 1-9; a. 3, n. 1-5; a. 4, n. 3-10; tomo II p. 445-8; 463-4; 478-481

5. Secundo est certum, futura necessaria cognosci ab Angelo certo et evidenter abstractive, id est, in sua causa, non intuitive in seipsis. Futura vero, quæ ut in plurimum eveniunt, cognosci in sua causa proxima conjecturaliter, non evidenter. — Constat hoc : quia futura necessaria habent causas necessarias et inevitabiles, non solum suæ quidditatis, sed etiam suæ futuritionis et exsistentiæ; ergo ex vi talis connexionis sunt certo cognoscibilia, si quidem certitudo et evidentia fundatur in cognitione certa et immutabili; ergo quæ cognoscuntur ex vi talis connexionis cognoscuntur certo et evidenter : non quidem evidentiâ intuitivâ, quia non est de re in seipsa, sed evidentiâ abstractivâ, quæ est de re in sua causa. Futura vero secundi generis dicuntur a D. Thoma (in hac

q. 57) non cognosci per certitudinem ab Angelo, sed conjecturaliter. Quod intelligendum est in sensu formali : id est, quod talia futura, in quantum subsunt causæ vel causis proximis quæ sunt impedibiles, non possunt certo cognosci ab Angelo, sed conjecturaliter, quia per medium fallibile et contingens attinguntur; et sic, sub formalitate talis medii, non possunt cognosci certo et evidenter. Si vero consideretur ille effectus respectu collectionis omnium causarum naturalium, fortasse non manet contingens, neque casualis et per accidens, sed omnino certus, quia inimpedibilis.

6. *Neque in hoc oportet laborare, sicut aliqui* conantur ostendere hujusmodi contingentia numquam certo cognosci posse ab Angelo : quia semper contingentia sunt, et quia sunt effectus per accidens, quia ad nullam causam per se reduci possunt; ergo numquam inducunt infallibilem connexionem, neque fundant scientiam certam; præsertim, quia causæ quæ possunt impedire effectum sunt infinitæ, comprehendique non possunt, præsertim si ab ipsis Angelis vel hominibus impedimenta ponantur. — *Ceterum* in hoc non oportet immorari : quia semper loquendum est in sensu formali, quod futura ista impedibilia, ex vi causarum impedibilium in quibus proxime continentur, non possunt certo sciri : quia sub medio contingenti et fallibili continentur. Si tamen excedunt istam contingentiam et fallibilitatem, et reducuntur ad aliquam necessariam connexionem respectu collectionis omnium causarum, tunc ex vi talis connexionis poterunt certo sciri ab Angelo. Non reducuntur autem ad necessariam connexionem, si inter illas causas interveniat aliqua causa libera : quia hæc per nullam collectionem causarum potest necessitari et de contingentia removeri, quia libera est. Respectu vero causarum cælestium si aliqui effectus manent pure per accidens, et ad causam per se nullo modo reduci possunt (ut sentit S. Thomas, q. 16 *de Malo,* a. 7 ad 16; et 1 P. q. 115, a. 6), tunc non manebit talis effectus extra contingentiam et sub necessitate aliqua qua possit cognosci certo et per se ex vi illarum causarum. Si vero aliqui effectus sint qui respectu totius collectionis causarum maneant determinati per se ac necessarii, tales certe ab Angelo possunt cognosci per cognitionem omnium illarum causarum naturalium, seu collectionis earum; et sic aliqui effectus, qui respectu alicujus causæ proximæ dicuntur contingentes et per accidens, respectu aliarum causarum seu collectionis omnium causarum (quæ infinitæ non sunt : cum omnes causæ creatæ, de facto, finito numero comprehendantur) necessarii et determinati sunt. Et Angelus, qui omnes causas naturales hujus universi comprehendit, poterit certo cognoscere tales effectus : quæ est expressa doctrina S. Thomæ (q. 8 *de Verit.* a. 12) ubi inquit : « Aliquid est contingens respectu unius causæ, quod respectu concursûs plurium causarum est necessarium; Angeli autem omnes causas naturales cognoscunt; unde quædam, quæ contingentia videntur aliquibus causis eorum pensatis, Angeli ut necessaria cognoscunt, dum omnes causas eorum cognoscunt. » Ita D. Thomas.

7. TERTIO DENIQUE EST CERTUM, futura contingentia non posse certo cognosci ab Angelo : licet difficile sit reddere rationem cur excludantur a cognitione Angelorum. — Constat hoc : quia futura certo scire, ponitur in Scriptura tamquam signum certissimum divinitatis (Isa. XLI, 23) : *Annuntiate nobis quæ ventura sunt, et dicemus, quia dii estis vos;* et (cap. XLVI, 9-10) : *Nec est similis mei annuntians ab exordio novissima, et ab initio quæ nondum facta sunt.* Et (Dan. II, 47) ex hoc collegit Nabuchodonosor Deum Danielis verum Deum esse, quia potuit revelare mysterium illud, et somnium de talibus rebus, id est, de futuris : *Loquens ergo rex,* inquit, *ait Danieli : Vere Deus vester, Deus deorum est, et Dominus regum, et revelans mysteria : quia tu potuisti aperire hoc sacramentum.* Videndus est Hieronymus super hunc ipsum locum Danielis (id est, super cap. II), ubi dicit quod « confitentur * magi, et omnis scientia sæcularis litteraturæ, præsentiam [1] futurorum non esse hominum, sed Dei » ; Chrysostomus (homil. 18 ** in Joannem) : « Certa futurorum prædictio immortalis Dei solius opus est; » Isidorus (lib. de Summo bono, c. 10 ***) : futura Angeli nisi revelatione divinâ cognoscere non possunt. Sumitur etiam ex Damasceno (lib. II Fidei, c. 29 †); Augustino (IV de Trinitate, c. 17 ††); Basilio (lib. de Spiritu sancto, c. 16, circa medium †††); D. Thoma (in hac q. 57, a. 3; et II-II, q. 95, a. 1; et III *Contra Gent.* c. 154 *; et q. 8 *de Verit.* a. 12; in I, D. 38, a. 5; et in II, D. 7, q. 2, a. 2; et alibi sæpe); communiterque omnes theologi sequuntur. — Denique, id quo

* PL 25, 499

** alias : hom. 19; PG 59, 122

*** PL 83, 556

† PG 94, 964

†† PL 42, 903

††† PG 32, 137

* revera :] c. 155

[1] Sic omnes, non omnino male || Melius tamen legit Migne : *præscientiam.*

maxime homines aliqui decepti a dæmonibus sunt, ut colerentur tamquam dii, fuit ex prædictione futurorum, saltem ambiguâ : cum ipsi maxime laborarent, ut dii haberentur, conando prædicere futura et oracula reddendo circa talium prædictionem.

IN QUO SIT DIFFICULTAS, EJUSQUE RESOLUTIO.

8. *Difficultas ergo tota reducitur ad hoc,* ut explicemus quæ sit ratio quare ista futura excluduntur a cognitione Angelorum, cum certum sit habere illorum species, etiam antequam fiant : quia quando accidunt et redduntur præsentia, non infunduntur species de novo pro cognoscendis illis individuis, ut supra* ponderatum est. Positâ enim specie, et intellectu expedito, ponuntur sufficientia principia ad intelligendum objectum : cur ergo talium futurorum cognitio excludi debet ab Angelo, si eorum species non excluduntur? Et præterea quia veritas illorum futurorum, etiam determinate sumpta, est aliquid creatum : ergo alicui lumini creato proportionata et debita : cur ergo non erit Angelo?

* n. 1; cf. supra, disp. 41, art. 3, n. 32-40; art. 4, n. 5-25

[*Tres sententiæ.*]

9. AD HOC VARII SUNT MODI RESPONDENDI, qui reducuntur ad tres. — PRIMUS, quod aliqua mutatio intrinseca fit in specie, saltem quantum ad aliquem modum, quo mutatur ejus repræsentatio ut respiciat objectum sub ratione præsentis, quæ antea respiciebat illud sub esse possibili vel futuro.

10. *Sed hic modus habet difficultatem :* quia talis mutatio intrinseca dissolvit speciem, seu corrumpit. Quia si intrinsece mutatur, non manet intrinsece eadem quæ antea : præsertim cum illa repræsentatio non sit accidentalis et superveniens speciei, sed essentialiter et quidditative ei conveniens. Unde si remanet aliqua species, corruptâ illâ priori, debet esse de novo infusa. Et sic perinde est dicere quod mutatur intrinsece species, vel quod infunditur de novo alia.

11. *Deinde, restat videre a qua causa efficienter fit illa mutatio* in specie : nec enim fit ab objecto ipso de novo producto, neque ab Angelo habente talem speciem, neque a Deo. — Non ab objecto : quia improportionatum est ut emittat species in intellectum Angeli, vel in illum agat : cum Angelus per species infusas intelligat, non per emissas ab objecto; ergo neque potest tale objectum immutare infusas, et præexsistentes in mente Angeli. Si enim emittere non potest species, quanto minus poterit infusas mutare? Præsertim si objectum sit corporeum et a longe distans, quod non potest operari in mentem Angeli, speciemque effective immutare : quia species spiritualis est, objectum autem corporeum, et similiter medium. — Neque fit immutatio ab ipsomet Angelo : quia Angelus intra suum intellectum non operatur immutando, sed cognoscendo, cum non operetur aliud quam cognitionem; non potest autem cognitionem elicere circa talem speciem seu objectum ejus, nisi per ipsam speciem; ergo prius est speciem esse habilem ut illâ utatur intellectus, quam ut cognitionem eliciat; ergo priusquam eliciat cognitionem circa tale objectum futurum, quando redditur præsens, debet supponi species immutata et perfecta, ut tale objectum repræsentet. Ergo non per ipsam cognitionem immutatur et perficitur, et consequenter neque per ipsum intellectum, qui aliam operationem non habet quam cognitionem : nec enim datur in Angelo intellectus agens, qui species producat aut immutet non cognoscendo; et casu quo daretur, ille non serviret pro speciebus infusis, sed pro acquisitis et factis a se. — Et eadem ratione non potest immutari ab alio Angelo : tum quia alius Angelus non operatur intra mentem alterius, nec illi illabitur ad immutandum lumen ejus, seu virtutem aut speciem; tum quia solum potest illuminare alterum Angelum per propositionem externam objecti, ut infra (disp. 25*) dicetur. Si autem Angelus illuminans proponit futurum illud quando de novo producitur et fit præsens, ergo jam cognoscit illud; et de ipso erit difficultas, quomodo cognoscat, et per quam speciem, et quomodo species illa immutetur, ut repræsentet de novo illud singulare.

* nunc disp. 45, art 2, concl. 1

12. Denique, si dicatur a Deo immutari repræsentationem illius speciei, ut de novo repræsentet aliquod singulare : non quidem per externam illuminationem tantum, quia hæc non immutat intrinsece repræsentationem speciei, sed coaptat et accommodat objectum ut ejus repræsentationi seu modo repræsentandi, qui inferior est, proportionetur : sed per internam ejus speciei immutationem in sua repræsentatione : — Poterit quidem id facere Deus. Sed talis immutatio, cum intrinsece vertat et mutet repræsentationem ipsam, quæ essentialis est

speciei, mutat sine dubio essentiam ejus et dissolvit, aliamque infundit quæ de novo repræsentat id quod ante non repræsentabatur. Et sic incidimus in aliud inconveniens præcedenti disputatione* exclusum : quod Angelus non habet omnes suas species ab initio infusas, et sic non nascitur plenus sapientiâ et perfectus decore intelligibili. Et iterum species illa, de novo repræsentans, debet esse repræsentativa solum illius singularis quod de novo producitur, non aliorum quæ nondum producta sunt, quia illa sunt futura : non aliorum quæ jam producta sunt, quia jam sunt cognita : nec naturæ illius in communi, quia jam de ea habebatur notitia. Ergo inciditur in illud inconveniens, quod quilibet Angelus intelligit singularia per species adæquate talium singularium repræsentativas : quæ sunt species nimis particulares, et propriæ sensuum, non universalitati intellectûs angelici correspondentes.

* disp. 41, a. 3, n. 23-57

13. *Quod autem aliqui dicunt* immutari speciem a Deo ipso concursu, quo influit cum ipsa et cum intellectu ad repræsentationem hujus determinati objecti : *Hoc nihil est.* Quia ille concursus solum est applicativus causæ ad actum secundum, et influxivus in illum juxta modum et potestatem ipsius causæ secundæ; et sic supponit ipsam constitutam et perfectam in actu primo, et consequenter repræsentationem ejus non immutat, quia hæc pertinet ad actum primum; concursus autem Dei ad operandum non immutat nec constituit aliquid pertinens ad actum primum, sed tantum applicat et ordinat id quod est in actu primo ad actum secundum. Quod si iste concursus immutat ipsam repræsentationem et id quod pertinet ad actum primum speciei, idem est ac si dissolvat illam et infundat aliam; ac proinde reditur ad id quod jam impugnatum est*, quod destruat Deus illam speciem, et producat aliam. Perinde enim est quod id faciat concursu quo influit in actum, vel aliâ antecedenti actione, si inconveniens est idem.

* supra, nn. 10, 12

14. Quare secunda aliorum sententia affirmat speciem intelligibilem Angeli non immutari intrinsece, nec per entitatem, nec per modum superadditum, sed per extrinsecam assimilationem : quatenus objectum non assimilatur speciei repræsentativæ sui antequam in rerum natura tale objectum sit; exsistente autem objecto, statim assimilatur speciei; et sic manet completa similitudo ipsa speciei, quia similitudo inter duo extrema est, et sic exsistente utroque extremo completur. — Hæc sententia videtur plane affirmari a D. Thoma (hîc, q. 57, a. 3 ad 3; et q. 8 *de Verit.* a. 12 ad 1). Et communiter hoc sequuntur Thomistæ : Cajetanus (in hac q. 57, a. 2, § *Quoad secundum*); Ferrariensis (II *Contra Gent.* c. 96 et c. 100) : quamvis inter Cajetanum et Ferrariensem sit dissensio, quod Cajetanus putat durationem ipsam seu exsistentiam, ut in exercitio conjunctam cum re ipsa, non repræsentari ut objectum *quod* seu ut rem repræsentatam, sed ut condicionem; Ferrariensis vero (dicto c. 100) id impugnat, censetque repræsentari durationem ipsam, etiam ut objectum *quod* et rem repræsentatam : quia revera duratio ista, et conjunctio ejus cum ipsa re, est unum ex accidentibus ipsius rei, atque adeo repræsentabilis est ut objectum et res cognita. — Putant autem Suarez (lib. II de Angelis, c. 11, n. 10*) et Arrubal (hîc, disp. 167, c. 2**) sententiam Cajetani in eo esse, quod species Angeli repræsentant futura in potentia : quando vero exsistunt, repræsentant ea in actu sine ulla mutatione ex parte speciei.

I P. q. 57, a. 3, ad 3

* magis n. 9
** præsertim n. 14-19

15. Ceterum sententia Thomistarum in hoc convenit : quod similitudo speciei, quæ est in Angelo, non est completa et terminata antequam objectum exsistat; et ideo non potest illud repræsentare, quamdiu est futurum. Complementum autem similitudinis dependet ab altero extremo, ad quod similitudo terminatur : licet varietas magna sit in explicando quomodo ista repræsentatio speciei terminetur ad illam exsistentiam rei futuræ, et respiciat illam : an sicut condicionem, an sicut rem repræsentatam : et utrum repræsentatio ipsa speciei mutetur, saltem quoad aliquem modum seu relationem de novo acquisitam erga objectum, seu penes aliquid explicitum quod ante solum erat implicitum respectu rei futuræ (quod Suarez* et Arrubal* vocant repræsentare in potentia et in actu) : et hoc totum quomodo intrinsece fiat in specie ex sola positione extrinseca objecti; de quo etiam videri potest Navarrete (controv. 58).

* cf. supra, n. 14, in fine

16. *Hæc sententia non minores patitur difficultates* quam præcedens, *et possunt reduci ad duo* præcipua capita. — *Primum est :* quia responsio D. Thomæ (in hac q. 57, a. 3 ad 3; et q. 8 *de Verit.* a. 12 ad 1) quod species Angeli licet æqualiter se habeat in repræsentando respectu rei præteritæ, præsentis et futuræ, tamen res ipsæ non æqualiter se habent ad ipsas species : quia quando non exsistunt, non habent naturam

per quam assimilentur speciebus, et sic per eas cognosci non possunt : hæc, inquam, responsio procedit in æquivoco de similitudine relativa, fundata in convenientiâ extremorum, et de similitudine repræsentativa fundata in intelligibilitate rei quam participant species intentionales. Nam similitudo relativa, exigit quidem naturam utriusque extremi, eorumque præsentiam, ut completa sit; similitudo autem intentionalis et repræsentativa hoc non exigit : quia non fundatur in convenientiâ naturæ et exsistentiæ extremorum; immo species in entitate sua longe dissimilis est ab objecto, ut patet cum per speciem spiritualem repræsentatur res corporea. — Similiter constat, quod per speciem intentionalem potest repræsentari res absens et non exsistens : sicut patet quod recordamur rei præteritæ; et tamen similitudo speciei, loquendo de similitudine relativa, tunc non est completa : quia sicut res futura non habet naturam per quam assimiletur speciei, ita nec res præterita habet naturam, nec exsistentiam, per quam assimiletur illi; ergo etiam non poterit cognosci : quod tamen ista sententia non concedit.

17. Nec refert dicere quod non cognoscitur res futura in seipsa et intuitive, sed prout continetur in causis, et similiter res præterita, ut relinquitur in effectu. — Contra enim est : quia sufficit nobis quod futura abstractive cognoscantur, dummodo cognoscantur certo, sicut præterita. Non enim est difficultas an cognoscantur futura intuitive ab Angelo, sed an cognoscantur certo, licet abstractive : sicut præterita intuitive cognosci non possunt, et tamen certo cognoscuntur. — Addo quod si ex eo non cognoscuntur futura, quia similitudo speciei repræsentantis illa non completur quousque ipsa futura habeant naturam per quam assimilentur tali speciei, sequitur quod nec etiam supernaturaliter possint cognosci ab Angelo : quia, quamdiu non producuntur, non habent naturam per quam assimilentur ipsis speciebus, etiam supernaturaliter; ergo non poterunt per tales species cognosci, nec per alias supernaturaliter infusas : quia, quantumcumque supernaturalia sint, non poterunt illis assimilari res ipsæ quamdiu non sunt productæ.

18. *Secundo est difficile* in hac sententia explicare quomodo species ipsa repræsentet res istas futuras, quando præsentes redduntur, sine ulla sui mutatione, et ante non repræsentabat illas. Nam rem istam, quæ antea non erat præsens sed futura, et modo redditur exsistens et præsens, repræsentari actu per speciem, aliquid intrinsecum est in ipsa specie : si quidem repræsentat aliquid, quod antea non repræsentabat; ergo in ipsa specie aliquid de novo fit, ut repræsentet talia objecta nunc de novo exsistentia, quæ antea non repræsentabat : et quidquid illud sit, aliquam intrinsecam mutationem petit in specie. Sive enim dicatur quod illa duratio et exsistentia est solum condicio, sive quod est res de novo repræsentata, sive dicatur quod ante solum repræsentabat illam in potentia et implicite, et modo est in actu explicita, totum hoc pertinet ad aliquid proprium et intrinsecum talis speciei : quia pertinet ad diversum modum repræsentationis ejus, et totum, quod repræsentationis est, intrinsecum est in specie; ergo aliquam variationem intrinsecam petit in ipsa specie hæc repræsentatio explicita et actualis, quando res de novo producitur, quæ antea solum erat implicite et in potentia quando res erat futura. Unde currunt ibi difficultates supra* allatæ contra primam sententiam : scilicet quod, si repræsentatio intrinsece mutatur, species ipsa corrumpitur; et quod non potest ab ipso objecto extrinseco* hæc variatio fieri in specie, cum non habeat efficientiam aliquam et influxum in ipsam speciem : nulla autem mutatio intrinseca fit in specie nisi mediante aliquâ efficientiâ et influxu physico.

* n. 10-11

* cf. supra, n. 11

19. TERTIA ERGO SENTENTIA EST quam docet P. Suarez* et alii, qui absolute docent nullam dari mutationem intrinsecam in ipsa specie Angeli, ex eo quod res futura reddatur præsens : sed totam mutationem tenere se ex parte rei repræsentatæ. Non quia compleatur similitudo speciei per ipsam exsistentiam objecti; sed quia, quando est præsens, terminat repræsentationem et cognitionem intuitivam : quando autem est futurum, non terminat repræsentationem speciei, sed solum res ipsa repræsentatur in abstracto et quantum ad quidditatem. Eo quod species intelligibilis non repræsentat Angelo complexe rem esse vel futuram esse, sed simpliciter et secundum se repræsentat illam. Et sic, si res non exsistit, nihil de exsistentia aut futuritione ejus repræsentat, sed tantum quidditatem cum indifferentia ad esse, vel non esse; cum vero de facto res exsistit, de facto terminatur ad illam repræsentatio, ut ad exsistentem, antea vero terminabatur ad ipsam ut possibilem, et ad omnia ejus accidentia et circumstantias etiam ut possibiles. Et sic tota hæc variatio reducitur

* lib. II de Ang., c. 11, n. 13 sqq.

ad diversam terminationem ex parte objecti repræsentati, non ad aliquam mutationem intrinsecam in specie, sive formalem, sive effectivam, neque ad aliquod complementum similitudinis ejus.

20. Addit P. Vazquez (hîc, disp. 208, c. 4) in specie Angeli nullam fieri variationem intrinsecam per hoc quod antea non repræsentet futurum, et modo repræsentet, quando est præsens; sed solum ex parte objecti. Quia, quamdiu est futurum, non est objectum naturale istius speciei, sed solum quando est præsens vel præteritum. Eadem autem species et potentia, in se invariatæ, respiciunt et attingunt objectum quando redditur connaturale objectum speciei vel potentiæ; non autem attingunt quamdiu connaturale objectum earum non est. Quam doctrinam dicit tradi a Capreolo (in II, D. 3, q. 2, a. 3, ad 1um [arg.] Gregorii contra 3^am conclusionem) ubi inquit ideo futura non cognosci ab Angelis, quia capacia non sunt cognitionis, nec ei subjiciuntur; et ad eumdem sensum conatur adducere D. Thomam (hîc, q. 57 *, a. 3 ad 3), Hervæum **, et alios. — Et addit P. Arrubal (hîc, disp. 167, c. 1 †), et P. Alarcon (tract. VI de Angelis, disp. 3, c. 7 ††), exsistentiam actualem objecti bene posse facere ut aliquid sit intra virtutem naturalem alicujus potentiæ vel habitûs, intra quam ante non erat : ut patet exemplo habitûs fidei divinæ, ad quam incipit pertinere aliquod objectum et intra latitudinem ejus contineri, si modo reveletur a Deo et declaretur ab Ecclesia, quod ante non continebatur ex solo defectu revelationis; per quam tamen nihil intrinsecum in habitu fidei ponitur, sed omnino invariatus manet in se. Sic etiam, per hoc quod res aliqua reddatur exsistens pertinensque ad hoc universum, ponitur intra latitudinem objecti proportionati alicujus speciei, cum antea ad talem speciem non pertineret : quia non erat illi connaturale, nec intra latitudinem ejus continebatur, et sic non repræsentabatur; modo vero repræsentatur nullâ factâ variatione in ipsa specie.

* I P. q. 57, a. 3, ad 3
** II, D. 7, q. 2, a. 2
† rectius : c. 2, præsertim n. 21
†† maxime n. 8-9

21. *Ceterum tota hæc sententia,* et omnes ejus explicationes, *non minorem difficultatem patiuntur,* quam non exacte explicat. — *Nam prima explicatio* * divertit a principali puncto difficultatis, explicans quomodo species non varietur variatâ solum terminatione objecti quoad intuitivum vel abstractivum. Dato enim quod eadem species vel notitita varietur de abstractiva in intuitivam solum per extrinsecam terminationem objecti, nullâ factâ variatione in ipsa specie (saltem quantum ad substantialem repræsentationem), tamen in præsenti, ut jam monuimus *, non est difficultas solum in hoc quod Angelus non possit cognoscere futura intuitive : sic enim neque futura necessaria, v. g. eclipsim futuram, intueri potest : quia nondum est præsens, neque in seipsa et extra causas cognoscibilis. Sed etiam debet supponi quod futura contingentia non sunt certo cognoscibilia ab Angelo, etiam certitudine abstractivâ, et eo modo quo futura necessaria cognoscuntur. Et de hac cognitione abstractivâ assignanda est ratio : quare non potest attingi futurum quando est in statu futuritionis abstractivæ, supposito quod eadem species invariata in sua repræsentatione potest illud attingere intuitive quando fit præsens. Et hæc sententia seu explicatio Suarez totam variationem reducit ad terminationem objecti, prout servit cognitioni intuitivæ, quando res fit præsens : quomodo autem non terminet cognitionem sui abstractivam ante quam sit præsens, supposito quod repræsentatio speciei est eadem, non explicat.

* supra, n. 19

* supra n. 17, *Non enim est*

22. Nisi forte dicatur quod, antequam res sit præsens, solum repræsentatur quidditas rei in abstracto seu in communi : aut etiam in quantum hæc in singulari, sed non repræsentatur ejus productio seu duratio et exsistentia ut conjuncta ipsi rei, eo quod species Angeli non repræsentat complexe affirmando aliquid esse vel non esse. — Sed tunc restat difficultas insoluta : videlicet quomodo, quando res fit præsens, incipit illa species per suam simplicem repræsentationem repræsentare rem non solum in sua quidditate, sed etiam cum conjunctione ad exsistentiam et durationem, sine aliqua variatione intrinseca et per nudam terminationem extrinsecam. Hoc enim quod est rem exsistere in exercitio, sicut est aliqua veritas terminativa cognitionis ex parte sui, ita repræsentabilis est in aliqua specie ex parte intellectûs; et Angelus non format novam repræsentationem ex speciebus præconceptis, ad repræsentandum illam conjunctionem rei cum sua exsistentia, per compositionem aut divisionem : sed per ipsam simplicem speciem, viso objecto, videt quidquid illi convenit, inter quæ unum est exsistentia seu duratio; ergo si illa species, antequam res produceretur, non repræsentabat durationem ut convenientem ipsi rei, quomodo ex sola extrinseca positione rei incipit illam per intrinsecam similitudinem seu

repræsentationem repræsentare sine aliqua variatione sui? Et dato quod posset Angelus formare novam speciem repræsentantem conjunctionem durationis cum re, quod antea non repræsentabatur : quomodo ex sola extrinseca productione rei movetur ad formandum illam speciem, cum nihil illi de novo repræsentetur aut mutetur in speciebus quas habebat ante productionem talis rei, et ante illam non poterat formare speciem repræsentantem illammet conjunctionem, etiam pro tempore quo facienda est? Et sic poterit intelligere futurum saltem abstractive, antequam sit, per compositionem seu formationem illius speciei. Quare sola extrinseca terminatio non apparet quomodo sit sufficiens ad repræsentandam conjunctionem durationis cum ipsa re, si species ex sua intrinseca ratione id antea non repræsentabat.

* supra, n. 20

23. *Similiter explicatio* * *Vazquez et Arrubalis* nullo modo subsistit, sed manifeste petit principium, et non explicat difficultatem. Dicit enim, ideo speciem Angeli non repræsentare futurum, quia sub statu futuritionis non est connaturale ejus objectum. De hoc est difficultas : quare non sit connaturale ejus objectum antequam exsistat : cum autem exsistit, incipit esse connaturale objectum, et species incipit ipsum repræsentare. Et non explicat difficultatem : si enim incipit esse connaturale objectum, etiam incipiet ejus repræsentatio esse in mente Angeli quæ antea non dabatur, quia connaturale objectum non erat; ergo non stat objectum ipsum variari, ita quod sit connaturale objectum speciei, et ipsam repræsentationem speciei non variari. Vel si antea dabatur repræsentatio sufficiens istius objecti, licet non exercebatur, quomodo connaturale objectum non erat si jam in mente Angeli species repræsentativa illius erat? — Si dicatur ideo non esse proportionatum objectum et connaturale, quia quamdiu est futurum non pertinet ad ordinem hujus universi, nisi in potentia : Non per hoc evacuatur difficultas. Quia dato hoc quod non pertineat ad ordinem universi illud futurum actu, sed solum pertineat ut futurum (de quo tamen inquiri posset, quare hoc non sufficiat ut sit objectum connaturale), tamen restat explicandum quomodo, quando illud objectum producitur et incipit pertinere ad ordinem universi, repræsentetur ab illa specie sine aliqua variatione speciei de potentia ad actum : quia antea repræsentabat objectum solum in potentia, modo in actu; vel si antea repræsentabatur in actu, quare non poterat ab Angelo cognosci? Variatio autem in ipsa repræsentatione intrinseca, de potentia ad actum, magna et realis variatio est : cum ipsa repræsentatio in se realis sit, nec potest intelligi quod fiat per solam denominationem extrinsecam objecti. Si vero nec in potentia nec in actu repræsentabatur ante, et modo repræsentatur, aliqua intrinseca mutatio speciei est.

24. Instantia autem et exemplum * Arrubalis de objecto incipiente pertinere de novo ad habitum fidei, cum ante non pertineret, sine ulla variatione habitûs in se, non conducit : quia habitus et potentia cognoscitiva non respiciunt objectum repræsentando illud, sed supponendo repræsentationem factam in specie, vel propriam, vel connotativam, prout objectum repræsentari potuerit et scientia postulaverit. Quâ repræsentatione suppositâ, habitus et potentia tendunt sub ratione sua formali ad quodlibet objectum quod sub illa ratione formali contineri potest, et sic contentum in specie repræsentari et proponi : sicut etiam visus ipse non variatur ex eo quod producatur de novo aliquod objectum colore affectum, quod hoc ipso sub latitudine suæ formalis rationis continetur, pertinetque ad talem potentiam. Ceterum species ipsa per se immediate repræsentativa est objecti, illudque conjungit potentiæ in esse intentionali : non in objectum repræsentatum per modum virtutis elicitivæ actûs fertur, sicut habitus vel potentia. Non potest autem species repræsentare id, quod antea non repræsentabat, per solam extrinsecam coexsistentiam objecti, si in se intentionaliter non mutetur : quia repræsentatio ipsa intrinseca perfectio est in specie et realitas ejus, et immediatum respectum habet ad objectum cujus vices gerit species. Habitus autem, ut fides, vel potentia fertur ad objectum, supponendo quod sit repræsentatum in specie; unde perinde est ipsi quod res aliqua de novo producatur, vel non : sed hoc ipso quod induit suam rationem formalem, et sic repræsentatur in specie, in illam potest tendere, id est, actum elicere circa illud. Species vero ipsa non sic tendit, sed repræsentat rem immediate; nec potest repræsentare, quod non repræsentabat ante, nisi per intrinsecam aliquam rationem : quia repræsentatio intrinseca ejus perfectio est. In habitu autem etiam intrinseca perfectio est elicere actum et ferri in objectum, sed prout repræsentatum et per speciem conjunctum intel-

* supra, n. 20, *Et addit*

lectui. Unde tota mutatio non est in ipso habitu, qui supponitur potens in illud objectum, si sic proponatur : sed in objecto ejusque repræsentatione et propositione.

[*Resolutio.*]

* cf. supra n. 14-15

25. **QUAPROPTER REDEUNDO AD SENTENTIAM D. THOMÆ * eamque explicando, DICIMUS quod intellectus Angeli in sententia D. Thomæ non cognoscit singularia, quæ de novo fiunt, « per species de novo acquisitas : sed per species quas prius habebant, per quas tamen non cognoscebant ea prout erant futura :** » hæc enim sunt expressa verba ipsius (quæst. 16 *de Malo,* a. 7 ad 6).

26. Ratio autem quare species illæ non repræsentant futura, seu singularia nondum exsistentia, perpetuo assignatur a D. Thoma per hoc : quod talia singularia nondum participant naturam per quam assimilentur illis speciebus, ut patet citato loco (q. 16 *de Malo* ; et in hac q. 57 *, a. 3 ad 3; et in II *ad Annibald.* dist. 7, q. unica, a. 3 ad 4; et q. 8 *de Verit.* a. 12 ad 1). Et, ut dicit (citata q. *de Malo* *) : « Species intelligibiles, quæ sunt in intellectu angelico, sunt directæ [1] similitudines respicientes naturas specierum, per quas tamen singularia cognoscere possunt : non tamen nisi in quantum participant naturam specierum : quod non est antequam sint in actu. » Igitur in hac repræsentatione specierum considerandum est, quod naturæ non repræsentantur in illis quomodocumque, sed prout descendunt et derivantur ab ideis divinis; et participant naturam speciei, non solum in prædicando, sed in descendendo et participando esse effective a Deo, a quo naturæ derivantur in aliquibus individuis, sed non in omnibus simul, sed successive. Et ideo species, quæ derivantur a talibus ideis divinis, accipiunt vim repræsentandi naturas cum successione individuorum; et sic ex vi suæ repræsentationis, quatenus derivantur ab ideis divinis non solum ut sunt in se sed ut operantur in hoc universo, petunt repræsentare individua, quando sunt in universo producta ab ipsis ideis, non quando non sunt : et hoc non per aliquam variationem speciei quasi formalem et in sua formali repræsentatione, sed per aliquam mutationem modalem : quatenus ipsa repræsentatio, ex vi suæ repræsentationis derivatæ ab ideis, applicatur ad repræsentandum hoc vel illud individuum in particulari, juxta quod ab ipsis ideis descendit et producitur. Quæ variatio et applicatio non fit ab ipso objecto ad extra posito effective, sed ab ideis divinis ex vi prioris infusionis et derivationis specierum : ab objecto autem solum terminative, et ut a quodam requisito, seu potius consecuto ex ipsa derivatione ab ideis, ut species sic determinate et applicate [2] pro isto vel illo individuo in singulari. Explico singula ex doctrina D. Thomæ.

* I P. q. 57, a. 3, ad 3

* q. 16, a. 7, ad 6

27. *In primis certum est,* species Angelorum non repræsentare rem aliquam, nisi prout pertinet ad hoc universum, et participat in eo naturam et esse ab ideis divinis. Certum etiam est species angelicas non esse similitudines derivatas ab objectis ad mentem Angeli, sed derivatas ab ideis divinis ut factivæ sunt rerum ad extra : sicut (præcedenti disputatione *) late probatum est. — Quod autem solum repræsentent res prout pertinent ad hoc universum, et in eo habent esse ab ideis divinis, constat : quia naturalis cognitio Angeli est limitata et finita, petitque juxta suam naturam aliquibus terminis claudi, non solum ex parte modi intelligendi, et, ut ita dicam, ex parte intentionis [3], sed etiam ex parte rei cognitæ, seu ex parte extensionis : quia alias deberet ad omnia possibilia extendi et ad infinita. Non enim est major ratio quod cognoscat aliquod extra hoc universum, quam omnia, saltem divisive : quia intellectus de se ad omne intelligibile extenditur. Et præsertim quia extra universum non est aliqua causa naturalis aut creata, sed tantum Deus; Angelo autem, et cuilibet creaturæ, non est connaturale cognoscere objecta sua in Deo, sed in creaturis et in causis naturalibus, et consequenter pertinentibus ad hoc universum. Creatus enim intellectus directe proportionatur et specificatur ab aliquo creato, et consequenter ab aliqua substantia naturali : quia substantia est objectum intellectûs. Et ita, si cognoscit aliquam substantiam in se immediate, illa naturalis est; si per suas causas, debet esse per causas creatas et naturales. Extra universum autem nihil est præter Deum; ergo neque causæ, neque effectus naturales sunt; ergo nihil ibi est cognoscibile naturaliter ab Angelo.

* supra, disp. 41, a. 3-4

(1) Ita omnes, cum ed. Piana operum D. Thomæ ‖ Melius legunt aliæ edd. : *directe*; sic etiam auctor, infra n. 30.

(2) Sic omnes, corrupte, ut videtur ‖ Suspicamur legendum : *ex ipsa derivatione... ut species sic determinante et applicante...*

(3) Sic omnes ‖ Nisi fallimur, legendum est : *intensionis*; cf. supra, art. 1, n. 38.

28. Ex his ergo principiis deducitur, quod si Angelus connaturaliter habet species infusas a Deo repræsentantes ipsas naturas rerum non quomodocumque, sed ut derivatas a Deo, et pertinentes ad hoc universum in eoque positas et connexas, consequenter debent repræsentare tales naturas prout sunt in aliquo vel aliquibus individuis : quia sic, et non aliter, derivantur res ab ideis divinis (licet etiam pro suo arbitrio possit Angelus uti illâ specie inadæquate ad repræsentandam solam naturam sine individuis, vel unum individuum sine alio). Sed quia ipsa individua successive fiunt ab ideis divinis in hoc universo, hoc ipso quod infunditur Angelo species repræsentativa rerum secundum quod derivantur ab ideis divinis, oportet quod aliqua individua successive repræsentet, et non simul : quia sic derivantur ab ideis divinis in hoc universo. Ergo si species Angelorum repræsentant res, non desumendo aliquid ab ipsis, sed prout descendunt ab ideis divinis, necesse est quod ex vi suæ repræsentationis, et ex vi quam participant ab ipsis ideis, habeant assimilari individuis quando fiunt et participant esse ab ideis, et non aliter. Neque ista repræsentatio seu applicatio ad cognoscendum individuum determinate sumenda est ex ipsis rebus, nisi in quantum sunt termini talis repræsentationis. Unde respectu ipsorum objectorum in se omnino invariata manet species Angeli, tam in ipsa repræsentatione formali, quam in applicatione naturæ ad tale vel tale individuum; sed tota hæc repræsentatio et applicatio regulanda est ex ipsis ideis divinis, a quibus sicut fiunt res in propria entitate seu in proprio genere, ita fiunt in similitudine seu specie intelligibili in mente Angeli : ut ex D. Augustino (II
* PL 34, 269 sq. super Genes. ad litteram, c. 8*) docet D. Thomas
** I P. q. 56, a. 2 (q. 56**, a. 2; et aliis multis locis).

29. Quod ergo species Angeli modo repræsentet aliquod individuum, quod de novo fit, et ante non repræsentaret illud, non est quia non haberet ante speciem potentem in illud individuum, et aliam de novo habeat acquisitam vel infusam : sed ideo est, inquit D. Thomas, quia res ipsæ quæ fiunt, seu individua ipsa quæ de novo succedunt, non assimilantur illi speciei, seu nondum participant naturam repræsentatam ab illa specie (ut dicit in q. 16 *de Malo*, a. 7 ad 6), id est, non assimilantur illi, nec participant naturam illam ab ipsismet ideis, a quibus sicut producuntur individua in proprio genere et entitate, ita in assimilatione speciei : non per novam speciem infusam, nec per actionem totaliter novam, sed per determinationem speciei quæ jam exsistebat. Quæ determinatio fit in illa et resultat ex vi primæ infusionis : quia sic infusæ sunt [1] ab ideis et exemplatæ ab illis, quod acceperunt vim repræsentandi naturam specificam, ut descendit ab ideis divinis in suis individuis. Et quia descendit et derivatur illa natura ab ideis per individua successive, etiam illa species habet vim intrinsecam repræsentandi individua successive : ita quod creato individuo in sua entitate per ideas divinas resultat ex vi prioris infusionis, qua infusæ sunt istæ species ut exemplatæ ab illis ideis, determinatio et applicatio ad repræsentandum ista individua eorumque exsistentiam et durationem : quia sic successive sunt et derivantur ab ideis divinis : et sic etiam successive assimilantur, et resultat similitudo eorum in speciebus angelicis, juxta regulam illam Augustini supra * positam, quod * n. 28, in fine
quidquid fit a Deo in proprio genere, fit primo in mentibus Angelorum. Sed in mentibus Angeli fit a principio per species exemplatas ab ideis divinis, quæ habent vim determinate repræsentandi per successionem temporum individua quæ fiunt ab ideis : quia id habent in repræsentando, quod ideæ in causando. Et sicut lapis ex virtute generantis accipit formam quæ toties movetur ad centrum, quoties ab illo extrahitur, et dicitur ratione talis virtutis a generante moveri, non per novam generationem, sed per antiquam hîc de novo explicatam, quando tendit ad centrum; et sicut, posito fundamento, ex vi talis resultat nova relatio quoties ponitur terminus, non per novam actionem, quia ad relationem non datur per se motus, sed ex virtute primæ, prout hîc de novo determinatur et explicatur : sic species infusæ, ut exemplatæ ab ideis divinis, habent ex vi illius primæ infusionis repræsentare naturam in individuis successive, quia sic successive fiunt ab ideis divinis. Et ita toties prorumpunt et explicantur in repræsentationem determinatam hujus vel illius individui hîc et nunc de novo succedentis, quoties in tale individuum se explicat idea divina causando : quia quod idea divina est in causando pro hoc universo, species Angeli est in repræsentando ex vi suæ derivationis qua exemplatur ab idea divina.

(1) Intelligito : *infusæ sunt [hæ species] ab ideis...*

30. *Et moveor ad hoc ita explicandum,* tum ex auctoritate D. Thomæ, et modo loquendi ipsius cum D. Augustino; tum ex ratione communi, quia non potest intelligi sine aliquâ determinatione intrinsecâ in specie, de novo repræsentare quod non ante repræsentabat in exercitio; tum ex speciali ratione, quia istæ species angelicæ sunt quædam similitudines exemplatæ ab ideis divinis, et juxta eorum modum in causando accipiunt vim repræsentandi successive individua determinate, quia sic successive fiunt a Deo. — Ex auctoritate D. Thomæ id deducitur : quia (dicta q. 16 *de Malo,* a. 7) postquam (solutione ad 6) dixerat quod illæ species intelligibiles « sunt similitudines directe respicientes naturas specierum, per quas tamen singularia cognoscere possunt : non tamen nisi in quantum participant naturam specierum : quod non est antequam sint in actu », addit (solutione ad 9) quod « formæ, quæ sunt in rebus a mente divina procedentes, habent quidem se semper eodem modo quantum ad rationem speciei, non autem quantum ad participationem individuorum : quia quandoque forma speciei participatur a quibusdam individuis, quandoque vero ab aliis; et sic etiam species intellectûs angelici secundum seipsas (1) semper eodem modo se habent, sed ex transmutatione individuorum naturalium provenit quod quandoque assimilantur (2) speciebus exsistentibus in mente Angeli, quandoque autem non assimilantur ». Quod dicit D. Thomas provenire « ex transmutatione individuorum naturalium », intelligi debet de transmutatione facta non solum in ipsa entitate rerum, sed in ipso intellectu Angeli : quia, juxta regulam supra * positam ex Augustino, quæcumque fiunt a Deo in hoc universo, fiunt prius in mentibus Angelorum. Non autem fiunt nisi ratione specierum, in quibus datur assimilatio et repræsentatio ad res quas cognoscunt. Et sic licet species Angeli æqualiter se habeant ad præsens, præteritum et futurum, ut dicit S. Thomas (in hac q. 57, a. 3 ad 3), tamen hoc est quantum ad æqualitatem non accipiendi variationem ab ipsis objectis. Ceterum quantum ad hoc quod est recipere in se aliquam determinationem seu perfectionem de novo resultantem ex ipsa motione Dei, seu idearum divinarum, id non negat D. Thomas : sed potius colligitur ex immediate antecedentibus (in solutione ad 2), ubi inquit quod « in intellectu Angeli est tempus secundum successionem intelligibilium conceptionum, secundum quod dicit Augustinus (VIII super Genes. ad litt. *) quod Deus movet spiritualem creaturam per tempus. Et ita, cum sit successio in mente Angeli, non omnia quæ aguntur per totum tempus sunt ei præsentia ». Notentur hæc ultima verba : nec enim probat D. Thomas ex successione rerum, ad quas terminatur cognitio successiva, (3) ipsius rei repræsentationem sine variatione speciei; sed ex eo quod est successio in mente Angeli, non omnia dicit illi esse præsentia. Sed non sunt præsentia Angelo omnia, non solum in conceptu, sed neque in specie : quia si in hac essent, possent esse in conceptu. Ergo ipsa species impressa successionem patitur : ergo et aliquam mutationem.

I P. q. 57, a. 3, ad 2

* c. 22; PL 34, 389

31. Ex ratione vero hoc idem deducitur, tum generali, tum speciali. — Generalis ratio est : quia repræsentatio speciei semper est perfectio illius intrinseca : nec enim per extrinsecam denominationem potest intelligi quod species repræsentet intellectui aliquod objectum, sed per intrinsecam similitudinem qua intellectum actuat in esse intelligibili; ergo non potest concipi quod illa species aliquid repræsentet de novo, quod antea non repræsentabat, nisi aliqua intrinseca perfectio illi addatur, sive vocetur applicatio, sive modus, sive determinatio, sive explicita repræsentatio quæ antea erat implicita, aut in actu quæ antea erat in potentia. Quidquid horum dicatur, vel his nominibus appelletur, non potest significari aliqua denominatio extrinseca in specie, et omnimoda invariatio : quia species ista informando, et actuando realiter intellectum, illi repræsentat; ergo si repræsentat aliquid de novo, oportet quod intrinsecam actuationem faciat circa tale objectum, quam non faciebat antea; ergo illud aliqua realis perfectio est. — Nec potest dici, quod non repræsentat individuum tamquam objectum et non repræsentatum (4), sed tamquam aliquid exercitum, vel tamquam condicionem aliquam naturæ repræsentatæ. Nam contra est : quia individuum actu exsistens est res de novo repræsentabilis, quæ antea non repræsentabatur : cognoscitur enim ab Angelo

(1) Ita legendum cum edd. D. Thomæ || Male omnes : *seipsos.*

(2) Ita L, cum edd. D. Thomæ || Male MCP *assimilatur.*

(3) Sic omnes || Nisi fallimur, legendum est : *ex successione rerum, ad quas terminatur cognitio, successivam ipsius rei repræsentationem...*

(4) Ita omnes, male || Aut corrigendum : *et ut repræsentatum*; aut melius : *et rem repræsentatam*; cui ultimæ lectioni favent quæ in respondendo infra dicuntur, et etiam superius dicta, n. 14.

ut res quædam a se cognoscibilis : ergo ut repræsentabilis. Quia id repræsentatur ut res, quæ [1] cognoscitur ut res; Angeli autem individua cognoscunt ut res, sicut quando loquuntur cum hominibus, vel eis aliqua singularia ostendunt et enuntiant, ut patet in multis locis Scripturæ; ergo talia individua res sunt repræsentatæ et cognitæ ab Angelo.

32. Ex ratione autem speciali jam supra * hoc deduximus : quia species angelicæ sunt quædam similitudines exemplatæ ab ideis, ut sæpe docet D. Thomas, ita quod id habent species Angelorum in repræsentando, quod ideæ divinæ in causando. Ergo sicut ideæ divinæ causant naturas rerum in suis individuis successive productis, ita species Angelorum habent vim repræsentandi individua, prout successive fiunt per ideas divinas : ita quod ex vi suæ primæ infusionis acceperunt vim repræsentandi ista individua successive, sicut ab ideis causantur in universo, et non aliter, nec ante. Et consequenter ex vi talis infusionis habet illa repræsentatio intentionalis in Angelo determinare et explicare repræsentationem illam ad hoc vel illud individuum quod de novo fit, quia sic producitur ab ideis divinis; et species illæ sunt quædam sigilla et repræsentationes idearum, prout in hoc universo producunt.

COROLLARIA EX DICTIS.

33. Ex dictis colliguntur tria. — Primum est : quid requiratur in speciebus angelicis ut supernaturaliter repræsentent futura in seipsis. — Secundum : quomodo possint cognoscere præterita quæ transierunt, et nullum sui vestigium reliquerunt. — Tertium : quomodo ratio D. Thomæ efficaciter probet futura ista non posse cognosci ab Angelo naturali cognitione.

[*Corollarium primum.*]

34. Quoad primum dupliciter potest intelligi, quod repræsententur futura supernaturaliter ipsi Angelo. Primo, mediante aliquâ revelatione seu illuminatione divinâ, clarâ vel obscurâ. Secundo, per speciem immediate repræsentativam futuri, non in suis causis vel in aliqua causa, sed extra omnes illas in seipso. — Primo modo non est difficile intelligere quod futura supernaturaliter repræsententur Angelo, ut contenta in illa revelatione : eo quod revelatio illa seu illuminatio proponit Angelo objectum illud futurum ut certo et evidenter cognitum a Deo in sua sapientia, licet non sub eo modo quo Deus cognoscit, sed pro captu et intelligentia creaturæ. Sicut etiam in illuminationibus, quæ fiunt inferioribus Angelis a superioribus, repræsentat superior Angelus id quod cognoscit juxta modum captumque inferioris : et sic percipit illam. Cognoscere autem rem aliquam, ut cognita est a Deo et in ejus revelatione contenta, est supra modum proprium et connaturalem creaturæ cognoscentis, quæ solum connaturaliter cognoscit res in suis causis naturalibus, non prout in Deo vel in ejus cognitione et revelatione : hæc enim totam naturam superant; et sic supernaturalem reddunt cognitionem, quia supra totam naturam repræsentatur in altiori motivo.

35. Secundo modo potest dupliciter intelligi quod futurum repræsentetur in se, in specie seu conceptu Angeli. Uno modo ly *in se* excludente confusam notitiam, aut admixtionem alterius rei quæ non est ipsum futurum : quasi non cognoscatur cum alio, aut per aliud, abstractive tamen. Alio modo ly *in se* dicente terminationem propriam et intuitivam alicujus rei, ita quod futura videantur intuitive per terminationem ad eorum exsistentiam physicam et realem, seu extra causas : hæc enim requiritur ut notitia aliqua sit intuitiva et terminetur ad rem in se, hoc est in sua exsistentia extra causas, atque adeo in reali exsistentia. — *Primo modo non repugnat* abstractiva cognitio repræsentans clare et distincte id quod futurum est, ejusque exsistentiam et durationem nondum nunc præsentem, sed aliquando exstituram, perinde ac si esset præsens. Quod supernaturaliter potest Deus facere infundendo alicui speciem et repræsentationem talis futuri distinctam et propriam, v. g. antichristi, quia [2] individualiter cognoscatur qualis futurus sit. Et erit supernaturalis illa species : non quia rem supernaturalem repræsentet : sed quia modo supernaturali datur, id est, antequam sit debita et connaturaliter petita, a Deo infunditur : quia antequam ab ideis divinis causetur in universo, ejus repræsentatio sigillatur in mente, perinde ac si jam esset, ostendendo tamen quod nondum est. Nec est

[1] Ita omnes || Intelligito : *id repræsentatur ut res, quod cognoscitur...*

[2] Ita omnes || Opinamur legendum : *qua.*

major difficultas in intelligendo quomodo species illa repræsentabit clare et distincte rem futuram, licet abstractive, quam in intelligendo quomodo species aliqua repræsentat rem præteritam clare et distincte, et tamen abstractive, quia non exsistit, nec exsistentia sua terminat cognitionem; sic potest Deus eamdem distinctam claramque repræsentationem de re aliqua futura imprimere, manente tamen abstractivâ terminatione, non intuitivâ.

36. *At vero, loquendo secundo modo,* repugnat quod infundatur alicui species intuitiva futuri, ita quod exsistentia ejus in se terminet cognitionem, nisi cognoscens elevetur ad attingendam eam mensuram in qua est exsistens tunc quando cognoscitur intuitive. Non est autem exsistens nunc, si cognoscitur futurum, exsistentiâ propriæ mensuræ : quia propria mensura futuri est tempus nondum exsistens in actu, sed in potentia et successione partium; ergo qui respicit futurum pro illa parte temporis in qua producetur, non potest nunc ante illam partem temporis terminare [1] ut præsens in actu, sed ut præsens in potentia, atque adeo ut præsens in aliqua causa, et non in seipso in actu. Ergo per seipsum non potest intuitive videri. Quare ut videantur futura intuitive ante quam sint, oportet quod elevetur cognitio ad intuendam rem in aliqua mensura in qua jam sit exsistens in actu, et non in potentia : et hæc est æternitas, extra quam nulla alia mensura creata potest continere rem aliquam præsentem, antequam in propria mensura præsens reddatur. Quia nulla alia mensura creata est causa ipsius esse rei et propriæ mensuræ ejus, ambiendo et continendo illam tamquam principium a quo derivetur; sed solum potest concomitanter illi coexsistere, licet in se sit perfectior et immutabilior mensura, non tamen tamquam principium et ratio alterius.

37. Ad hoc autem ut aliqua species repræsentet rem ut exsistentem in æternitate, quidam dicunt necessariam esse visionem beatam quæ æternitatem videt et res in æternitate exsistentes. Alii existimant etiam extra Verbum videri posse res cum exsistentia in æternitate : non quidem videndo ipsam æternitatem in se, sed in quadam participatione æternitatis seu in æternitate participata, quæ est mensura rerum supernaturalium in seipsis; et præsertim [2] cognitiones earum, prout sunt derivatæ a Deo auctore supernaturali, ipsumque in quantum operantem supernaturaliter repræsentare possunt, et sic aliquam æternitatis participationem manifestare. — Sed tamen hoc difficultate non caret : quia si non videtur æternitas ipsa in se, et continentia ipsa futurorum ut est in ipsa æternitate, non potest videri nisi in aliquo effectu creato, seu in aliqua operatione Dei ad extra : quidquid enim non videtur intra Deum, videri debet ad extra in aliqua creatura. Hoc ipso autem quod videntur futura in aliquo creato, non videntur ut præsentia realiter in se : quia solum in æternitate præsentia sunt, non autem in aliqua mensura creata vel effectu creato. Dicere autem quod videatur futurum in se, sed non mensura in qua est præsens, implicatorium est : quia si videtur in se, videtur in aliqua duratione et præsentia : ergo et in aliqua mensura; sicut non potest videri res præsens in tempore, et non tempus ipsum. Et sic valde difficile defendi potest quod extra visionem beatam, per quam videtur æternitas in se, futura possint intuitive cognosci; de quo tamen latius tractari solet III P. q. 11 circa scientiam infusam Christi Domini, an per illam cognoverit futura intuitive.

38. QUARE DICENDUM EST, quod **ad cognitionem futurorum supernaturalium sufficit revelatio vel repræsentatio clara et distincta ipsius futuri modo abstractivo. Cognitio autem et repræsentatio singularium secundum quod descendunt ab ideis divinis, unumquodque in suo tempore et in sua propria mensura, non potest repræsentare illa certo et determinate, sed solum prout sunt in suis causis, in quibus certo et determinate non continentur** : quia antequam producantur, solum sunt positæ [3] ab ideis divinis in virtute causarum, non in seipsis. Repræsentantur certo et determinate quando de facto derivantur a Deo et producuntur extra causas; et tunc etiam speciem ipsam Angeli determinat Deus ex vi prioris infusionis, et immutat ad repræsentandum determinate et applicate hoc individuum, ut diximus *. [* supra nn. 26, 28-30, 32] Quod si supernaturaliter [4] repræsentat futurum, efficiet Deus seu movebit et applicabit hanc

[1] Ita omnes, durissimo anacolutho ‖ Sententia hujusmodi videtur : *ergo, qui respicit futurum pro illa parte temporis in qua producetur, non potest nunc...* [*videre ipsum futurum*] *terminare* [*cognitionem*] *ut præsens in actu...*

[2] Sic omnes ‖ Credimus supplendum : *præsertim* [*videndo*] *cognitiones...;* locus certe sat obscurus.

[3] Sic omnes ‖ Supple : *sunt* [*res*] *positæ ab...*

[4] Supple : *supernaturaliter* [*species*] *repræsentat...*

speciem ad repræsentandum hoc individuum antequam illud entitative producat, cum connotatione non exsistendi in tempore præsenti, sed in tempore successuro : et hoc supra debitum naturale est, sic repræsentari.

39. *Unde sequitur quod,* licet Angelus in suo esse mensuretur mensurâ ævi, et similiter species, quæ in illo est, quantum ad suum esse entitativum eodem ævo mensuretur (quia incorruptibilis et inamissibilis est), tamen exercitium ipsum repræsentandi, quantum ad singularia quæ successive fiunt, non mensuratur ævo, sed tempore : quia hoc (1) regulatur non penes modum essendi ipsius speciei, sed penes modum quo ipsa objecta repræsentabilia sunt. Repræsentantur autem secundum ordinem quo descendunt a Deo; descendunt vero ab ipso per tempus successivum, non per ævum; et sic Deus movet creaturam spiritualem per tempus. — Addo quod etiam res illæ quæ coexsistunt aliquo instanti angelico, quando correspondet diversis partibus temporis, v. g. si correspondet uni horæ vel uni diei, non possunt cognosci ab Angelo in vi illius instantis sic extensi, quamdiu non producuntur in ipso tempore, sed adhuc correspondent parti temporis futuri. Verbi gratiâ, si operatur Angelus operatione (2) indivisibili correspondente tempori unius diei, non potest attingere in principio illius instantis ea quæ futura sunt in fine diei, et adhuc sunt futura : quia licet illud instans sit indivisibile coexsistens omnibus partibus temporis illius diei sine divisione et mutatione sui entitativâ, non tamen indivisibili applicatione et mensuratione omnibus rebus et partibus temporis succedentibus (3) coexsistit, sed prout illa in se producuntur et exeunt. Quia in se non continet actu neque causat ea, quæ successura sunt, indivisibili et immutabili modo, sine ulla potentialitate, sicut æternitas : sed solum coexsistit illis quando res ipsæ producuntur, non ante : quia hoc est proprium æternitatis.

40. **Quod ad secundum DICIMUS, quod res præteritæ ordinis naturalis (seu de his quæ pertinent ad sphæram et propriam intelligibilitatem Angeli) cognoscuntur ab illo, si quando præsentia erant ea cognovit, vel si aliquem effectum aut vestigium sui reliquerunt; abstractive tamen illa attingit. Si autem, quando præsentia sunt, ea non cognovit, neque aliquod sui vestigium reliquerunt, non possunt ab Angelo cognosci : sed reputari debent, respectu illius Angeli, perinde ac si numquam fuissent præsentia.**

41. *De prima parte conclusionis* non est dubium inter auctores : quæ enim cognovit Angelus quando præsentia sunt, etiam transeuntibus cognoscere potest, quia in memoria manent. Si enim nos possumus recordari præteritorum, quia de actibus nostris recordamur et de his quæ fecimus aut vidimus, quanto magis Angeli, qui superioris intellectûs et scientiæ acumine vigent! Et similiter si in effectu aliquid præteritum remaneat, in illo tamquam in vestigio manifestari poterit : sicut enim causæ manifestant suos effectus, ita effectus causas. Si enim nos in effectibus et ex effectibus causas cognoscimus, a fortiori Angeli. Certe Angeli congregabunt electos a quatuor ventis (ut dicitur Mat. XXIV, 31), et cineres ipsos ex quibus corpora sanctorum resuscitanda sunt colligent : quod stare non posset nisi in aliquo effectu eis innotescerent præterita, scilicet, in cineribus illis homines ad quos illa corpora spectant. Et universaliter in quocumque repræsentativo alterius potest Angelus agnoscere id quod ibi continetur; ergo potest, in quocumque effectu vel signo aut testificatione relictâ, rem præteritam cognoscere. — Quod vero abstractive tantum ea attingant, et non intuitive, patet : quia talia præterita in se non exsistunt, neque præsentia sunt; ergo per se et in se non terminant notitiam, sed ut absentia, et in alio ut in effectu, in signo, in memoria et recordatione : ergo abstractive. Nam etiam res, quæ in memoria cognoscuntur, non videntur per conceptum immediate terminatum ad rem extra, sed terminatum ad rem ut depictam et assimilatam in imagine seu in specie, quæ relinquitur in intellectu repræsentante rem illam, non absolute, sed ut aliquando cognitam et expressam in conceptu; et hoc modo illam repræsentare, recordari est.

42. DE SECUNDA PARTE * EST MAJOR DIFFICULTAS : cur videlicet non possit Angelus rem præteritam, quæ omnino transivit sine ejus advertentiâ, et nullum jam ejus exstat vestigium (v. g. volatûs avis in aere, aut natationis piscis in mari olim factæ), modo cognoscere : suppo- * supra, n. 40, *Si autem*

(1) Id est : *hoc [exercitium] regulatur...*
(2) Mendose omnes : *operationi.*
(3) Ita bene corrigunt LC || MP mendose : *succidentibus.*

sito quod in nostra sententia ex ipsis ideis divinis et ex earum infusione nascitur determinatio speciei Angeli ad tale individuum, non ex advertentiâ ipsâ rationis. Illa autem determinatio semel posita in specie non evanescit ex se, neque conservatur ex advertentiâ Angeli : quia omnino extrinseca est, ut conservet vel destruat determinationem factam in specie. Ergo etiamsi non advertat vel cognoscat Angelus tale individuum, poterit ex specie illa, quæ jam semel determinata et completa fuit, tale individuum cognoscere etiam postquam transivit.

43. *Propter hoc P. Vazquez* (hîc, disp. 208, [1] cap. ultimo) tenet quod potest Angelus hæc præterita cognoscere, sive sine speciebus in sua sententia, sive positis speciebus in sententia communi : quia nulla invenitur ratio ob quam id non possit, cum species naturales ea repræsentent, præsertim positâ illâ determinatione et complemento earum respectu singularium quæ de novo producuntur. Quam determinationem et complementum ponit Deus in illis speciebus hoc ipso quod singularia producuntur, etiam antequam Angelus id advertat : quia, ad hoc ut advertat, præsupponi debet illa determinatio, sine qua ad tale singulare non potest adverti. Ergo illa repræsentatio et determinatio non dependet ab advertentiâ rationis, quia ante illam est; et sic, etiamsi non advertat et res prætereat, potest illam cognoscere ex vi talis repræsentationis. Et Patres solum negant * Angelis futurorum cognitionem, non præteritorum.

44. NIHILOMINUS OPPOSITUM EST COMMUNIUS APUD THEOLOGOS : de quo videri potest P. Suarez (lib. II de Angelis, c. 12) ubi eam docet contra Vazquez *, citatque pro se Zumel ** et Pesantium ***. — *Et favet D. Thomas* (in hac q. 57, a. 3 ad 3) ubi indifferenter proponit argumentum de futuris et præteritis; et tamen S. Doctor solum res præsentes dicit cognosci ab Angelo, quia habent naturam per quam assimilentur speciebus angelicis; ergo de reliquis, sive præteritis sive futuris, censet non assimilari illis, sed solum cognosci vel in causa vel in effectu.

45. *Favet etiam Scriptura,* quæ sicut notitiam futurorum dicit esse propriam Dei, ita et præteritorum; ergo sicut futura non possunt cognosci in se certo, sed solum in causa, et quantum ipsa causa potuerit manifestare de determinatione eorum (quod si causam determinatam non habuerint, nihil manifestabitur de illis) : sic et præterita non poterunt manifestari nisi in effectu quem reliquerint. Antecedens constat ex illo (Isa. XLI, 22) : *Accedant et nuntient nobis quæcumque ventura sunt; priora quæ fuerunt nuntiate, et ponemus cor nostrum, etc.* Super quæ verba Hieronymus * : « Dicite, inquit, nobis vel præterita, vel futura, et ex eorum eventibus vestram potentiam demonstrate. » Ubi æqualiter ponitur, in ipsius divinitatis signum, futura cognoscere et præterita. — Nec potest hoc intelligi de præteritis quorum memoria exstat aut vestigium. Nam de his etiam homines recordantur : quanto magis Angeli! Et sic frustra in divinitatis testimonium eorum notitia adduceretur. — Nec etiam per aliud extremum loquitur de præteritis moralibus tantum, et quæ solum pertinent ad cogitationes cordis. Nam hoc modo etiam dicemus quod futura, de quibus ibi loquitur, sunt solum futura moralia seu cogitationes futuræ : reliqua vero [2] quod intelligit Angelus. Æqualiter enim de præteritis loquitur et de futuris; constat autem quod quæcumque futura contingentia solus Deus certo cognoscit.

* lib. XII; PL 24, 418

46. *Denique favet ratio :* quia præterita non possunt cognosci nisi vel in seipsis vel in effectu, sicut futura vel in seipsis cognosci debent vel in causa. In seipsis cognosci non possunt, quia jam transierunt et non sunt; nec etiam in effectu, quia, ut supponimus, nullum reliquerunt. Nec etiam in ipsa determinatione speciei : quia hæc determinatio fit ex appositione et productione rei de novo productæ, quæ assimilatur illi speciei; ergo ex vi illius solum applicatur et determinatur species ad rem productam, dum est vel producitur et assimilatur ipsi speciei. Transeunte ergo re, non amplius assimilatur ipsi speciei, nec species manet determinate et applicate similis ipsi rei : quia solum determinatur erga illam prout res ipsa producitur seu descendit a Deo et similis redditur speciei, non vero ad ipsam ut præteritam, quia jam non derivatur a Deo nec pertinet ad universum. Unde, ut repræsentetur tamquam præterita, debet suffici species aliâ determinatione, quatenus scilicet cognita est, et sic manet memoria de illa : quia memoria est repræsentatio de re ut aliquando cognita. Nec enim recordamur nisi eorum quæ cognovimus : quæ enim numquam vidimus, non per recordationem et memoriam sed per novam notitiam de novo cognoscimus.

(1) Mendose omnes : *108*.

(2) Supple : [*dicemus*] *quod intelligit...*

Vel[1] debet respicere effectum aliquem in quo virtualiter contineatur res præterita : et respectu talis effectûs respicit per illam determinationem effectum illum ut præsentem, rem autem in illo contentam ut præteritam.

47. AD FUNDAMENTUM VERO OPPOSITUM * RESPONDETUR, quod per productionem objecti resultat in specie Angeli determinatio et applicatio similitudinis talis speciei ad illud objectum prout exsistens et productum, quia sic emanat ab ipsis ideis; et sic applicatio ipsarum specierum resultat ad tale individuum, in quantum individuum præsens est et producitur, seu a divinis ideis descendit ut pertinens ad hoc universum : quia illa determinatio fit intuitu et ratione productionis rei, et secundum assimilationem actualem speciei ad ipsam rem. Quare, ipsâ re transeunte et desinente esse, desinit talis assimilatio et determinatio speciei erga tale individuum, aut individui erga talem speciem : si quidem talis determinatio et applicatio est ad res illas prout sunt in universo et prout producuntur et emanant ab ideis divinis : sic enim etiam effluunt in mentem angelicam, eique repræsentant quidquid effluit a Deo, prout effluit et prout ab ideis descendit. Et quia specifica natura semper et perpetuo derivatur a Deo, sive in hoc individuo sive in alio, semper remanet in Angelo species repræsentativa specificæ naturæ; quia vero individua non manent nec semper effluunt a Deo, non manet etiam ex derivatione Dei determinatio et applicatio ad istud individuum repræsentandum in se. Unde oportet recurrere ad aliquid quod maneat de facto, et in cujus virtute contineatur res præterita : scilicet, vel quia manet aliquis ejus effectus, vel quia in specie manet aliqua ejus memoria; memoria autem est de re prius cognita. Quod si nec fuit prius cognita ut in memoria remaneret, nec effectum sui reliquit, omnino nullum principium manet in Angelo unde tale individuum cognoscat.

48. *Et si inquiras :* Quid additur illi speciei per hoc quod Angelus usus fuerit illâ, ad hoc ut dicatur posse per illam cognoscere rem præteritam, non autem per speciem qua non est usus, ut per istam non possit cognoscere tale individuum? — *Respondetur,* addi quod species illa possit fungi vice memoriæ : quatenus per cognitionem, in qua usus fuit tali specie, manet species determinata non solum ad repræsentandum objectum in se, sed ad repræsentandum objectum fuisse cognitum. Hæc autem est condicio rei pertinentis ad memoriam, ut recordetur objecti tamquam antea cogniti. Et sic, quia Angelus tam per suam naturam, qua cognoscit suas potentias et actus, quam per species quibus usus fuit ad talem actum eliciendum, manet determinatus ad repræsentandum actum quem elicuit determinate, et in illo repræsentata fuit non solum natura sed etiam tale ejus individuum : ideo recordando actum illum, seu rem illam ut taliter cognitam, recordari potest et cognoscere illud individuum quod præteriit et cognovit.

49. *Instabis :* Sicut præteriit individuum, ita præteriit actus ipse cognitionis; ergo si propterea non potest immediate repræsentare illa species individuum quia jam transivit, et sic derivatio illius a Deo jam non est præsens, similiter neque actus ipse cognitionis præteritæ repræsentabitur, quia jam præsens non est nec derivatur a Deo. — *Respondetur :* actum ipsum non cognosci in se, sed in suo effectu quem reliquit : videlicet in ipsa potentia, et specie qua usus fuit ad talem cognitionem; et sic manent cum aliqua determinatione erga talem actum præteritum, quatenus aliquis modus seu ordo relinquitur, seu repræsentatio actûs ad quem talis species concurrit. Sicut nostræ species manent in memoria, repræsentantes non solum rem ad extra, sed etiam quod fuerit cognita : atque adeo et actum ipsum cognoscendi, quatenus species ad illum determinata et ordinata manet aliquo modo seu ordine superaddito : quia realiter talem actum elicuit, et sic potest manere aliqua determinatio et ordo erga illum, seu repræsentatio illius ut cognitæ.

50. Ad id quod Vazquez affert * ex Patribus, quod solum negant Angelis cognitionem futurorum, non præteritorum : jam ex loco allegato ** Scripturæ, et D. Hieronymi, oppositum manifeste constat.

* supra, n. 43, in fine, *Et Patres*
** supra, n. 45

[*Tertium.*]

51. **Quoad tertium, scilicet de ratione D. Thomæ *** qua probat futura ista contingentia ab Angelo naturaliter non cognosci,** CONSTAT EFFICACEM ESSE : licet Vazquez (disp. 208 citata, c. 2) teneat ratione philosophicâ et a priori veritatem hanc monstrari non posse. — ***Est tamen efficax ratio S. Thomæ,***

*** I P. q. 57, a. 3; cf. supra, nn. 3-5, 25-26, 30

(1) Supple : *Vel [species] debet...*

quia procedit ex propriis et per se in hac materia. Angelus enim non potest cognoscere hæc futura nisi vel in seipsis, id est, ut extracta a causis et exsistentia actu, vel ut in causis et in potentia, non in actu in se. — Primo modo non possunt cognosci ab Angelo, nisi cognoscat ipsam mensuram seu durationem in qua actu ponentur illa futura, ita quod illa mensura sit præsens sibi et actu exsistens : nam si illa sit etiam in potentia et intra causas, non poterit videri et cognosci in se, sed prout in potentia; et consequenter neque in illa contentum et mensuratum videbitur nisi in potentia et in causa. Solum autem est duplex mensura durationis : alia propria ipsius rei futuræ, scilicet illa pars temporis in qua producetur futurum in se passive : alia inadæquata et superior, quæ continet et ambit illam, et totum tempus indivisibiliter amplectitur, scilicet æternitas, quæ est principium et causa totius temporis. Hanc mensuram æternitatis Angelus non videt, quia est ipse Deus : et sic neque futura in illa intuetur in seipsis. Primam mensuram, scilicet tempus, videt Angelus; sed nondum illam partem successuram videt in se actu, sed in potentia : quia successura est ex partibus temporis quæ nunc fluunt actu, et in istis solum continetur in potentia, et in causis a quibus ille motus et tempus proveniet; non ergo videt illam mensuram temporis futuri in se actu : ergo neque mensuratum et contentum in illo. — Restat ergo quod Angelus solum potest videre futura prout continentur in suis causis proximis et creatis, a quibus suo tempore procedunt. Istæ autem causæ solum indifferenter continent illud futurum, et indeterminate et contingenter : quia modo contingenti illud producturæ sunt. Ergo intellectus respiciens ad tales causas non potest, ex vi illarum, determinationem futuri contingentis elicere.

52. *Sed dicit Vazquez* * non concludere hanc rationem : quia non obstante quod causa ipsa sit indifferens et [in]determinata [1], tamen altera pars contradictoria in ipsis futuris determinate est vera, et altera falsa; ergo utraque est scibilis determinate; et sicut a Deo scitur, cur non ab Angelo, cum sit res ordinis naturalis? Igitur cum illa veritas determinata sit, etiam comparata cum sua causa, poterit in illa ab Angelo determinate cognosci. — Et dato quod non possit proprio et quidditativo conceptu futurum in se cognosci, unde probatur quod nec etiam alieno et connotativo? Quod si per species infusas a Deo cognoscit Angelus, non apparet cur etiam non habeat proprium et quidditativum conceptum de tali futuro. * Vazquez, disp. 208, c. 2, n. 5

53. *Ceterum hæc responsio jam supra* ** *a nobis allisa est,* et locis ibi citatis. In summa dicimus quod vis contradictionis non determinat veritatem aut falsitatem suarum partium : veritas enim sequitur ad entitatem, cum sit passio illius, et inde accipit determinationem, sicut et entitas ipsa quæ directe cognoscitur. Nec lex contradictionis petit aut facit talem determinationem : sed solum quod, si una pars est vera, altera sit falsa : non quod ista vel illa vera sit determinate. Ridiculum enim est dicere quod ista propositio « Petrus cras ambulabit », ex eo quod illi apponam contradictoriam (quod omnino per accidens est), reddatur certa et determinata. Quare hæc determinatio veritatis in futuris non oritur ex vi contradictionis, nec ex natura ipsius futuri contingentis in se : quia ex natura sua est contingens et indeterminatum; quomodo ergo ex eadem natura oritur quod sit determinata veritas, et contingens, hoc est indeterminata? Et eodem modo ex causis creatis et proximis habet contingentiam et indeterminationem [2] : quia causæ contingentes sunt; quomodo ergo ex illis habere potest simul determinationem et certitudinem? Restat ergo quod si determinationem et certitudinem habet, est ex ordine ad decretum divinum, quo Deus id determinat. Sed Angelus non potest naturaliter hanc causam videre, neque naturam futuri per ordinem ad causam divinam, sed per ordinem ad causas creatas, vel ex propriis suæ quidditatis terminis : et in neutro invenit determinatam certitudinem, si quidem invenit contingentiam. ** n. 4

SOLVUNTUR DIFFICULTATES A PRINCIPIO.

54. Ex dictis fere omnes solutæ sunt. — AD ID QUOD PROPOSUIMUS IN INITIO * dubitationis, ante expositionem sententiarum, FACILE RESPONDETUR. Dicimus enim ab initio fuisse infusas Angelis species rerum, sed non æque determinatas et applicatas ad omnia individua, sed * supra, n. 8

[1] Mendose omnes : *determinata*.
[2] Mendose omnes : *determinationem*; cf. superius, nn. 4, 51 in fine, 52; et infra, n. 55.

dependenter ab eorum successione et derivatione a divinis ideis, ut dictum est.* Quare repræsentant naturas prout descendunt a Deo in talibus vel talibus individuis, causis et circumstantiis; et ita illa individua, quæ producuntur actu, repræsentant actu : quia repræsentant quæ descendunt a Deo, prout descendunt. Quæ vero nondum producuntur actu, non repræsentant actu, sed prout in aliqua causa vel causis de facto continentur : quia causæ illæ præsentes sunt. In seipsis autem repræsentabuntur quando præsentes erunt et exsistentes fient : quia sic repræsentantur sicut ab ideis descendunt; et ita quando descendunt illa individua a Deo, etiam in mentem Angeli effluit a Deo non nova species et repræsentatio novi objecti, sed ejusdem nova applicatio et determinatio ad hoc individuum. Eo quod ante repræsentabatur quidditas seu natura, ipsaque exsistentia, duratio, et reliquæ circumstantiæ, per modum quidditatis et in abstracto; copulantur vero et repræsentantur ut applicata et exercite determinata ad hoc individuum, quando illud producitur ab ideis divinis, et non ante : quia species illæ in Angelo non repræsentant res nisi prout descendunt ab ideis, et eo modo et ordine quo descendunt. Unde licet non sit nova infusio speciei, est tamen nova variatio quatenus diversimode applicantur natura et principia individuantia ceteraque, repræsentata ante quasi in abstracto et quidditative : modo repræsentantur ut applicata in actu exercito, quia sic modo fiunt a Deo, et non ante, et species illæ repræsentant res ut fiunt et descendunt ab ideis. Et sic non repræsentant individua absolute et independenter ab omni successione, sed repræsentant principia individuantia et naturas rerum cum dependentiâ ab ideis divinis, prout ab ipsis emanaverint; emanant autem successive, et sic successive fit determinatio et applicatio in speciebus, ut illa individua repræsentent in exercitio exsistentia.

* supra, n. 26-32

55. *Et quando instatur** quia veritas illorum futurorum est creata : ergo alicui lumini creato manifesta : *Distinguo antecedens :* est creata, et indeterminata seu contingens in se et in causis proximis, et nondum producta determinate in actum, *concedo;* est determinata in causis creatis vel in se, *nego*. Ergo potest manifestari lumini creato : ut determinata et certa, vel in seipsa, *nego;* ut contingens et indeterminata, *transeat;* quia hoc esset excedere propriam rationem talis futuri et talis veritatis, ut ad causas creatas pertinet, et oporteret inquirere determinationem ejus in causa divina seu decreto Dei determinante. Sed hoc naturaliter impervium est Angelo, et cuilibet lumini creato.

* supra, n. 8, *Et præterea*

56. Ad ea quæ objecta sunt contra primam sententiam. — *Ad primum** *respondetur,* quod illa variatio intrinseca in specie non est essentialis seu formalis, sed modalis, seu determinatio quædam virtualiter et implicite contenta in illa specie ex vi suæ primæ infusionis, nunc autem de novo explicata ex vi ejusdem infusionis ad positionem objecti singularis. Vocamus variationem essentialem seu formalem in specie, quæ fit circa principale et formale objectum ejusque motivum, quod est ipsa natura specifica : seu res nova, quæ ante nec in abstracto, nec in exercitio, nec implicite, nec explicite repræsentata erat : hoc enim est quasi primum repræsentatum in specie, et non potest ex alio priori oriri. Variatio autem modalis, seu determinatio materialis, consistit in applicatione aliqua eorum quæ repræsentabantur quasi in abstracto et quidditative, et modo determinate applicantur in exercitio hîc et nunc, positâ aliquâ condicione quæ ante non ponebatur. Et hæc variatio, licet intrinseca* sit, id est intra speciem ipsam facta, non tamen corrumpit et variat intrinsece speciem : quia hoc ipsum petit species, et accipit virtualiter ex vi prioris infusionis et suæ formalis repræsentationis, quod repræsentet rem non quomodocumque, sed cum omnibus ad talem naturam pertinentibus, non absolute et independenter ab alio, sed prout descendunt ab ideis divinis. Et quia successive descendunt singularia, ideo ex ipsâ vi suâ habet ut nascatur nova determinatio et applicatio ad hoc individuum, quando de novo illud producitur a Deo : sicut grave ex vi suæ generationis accipit ut, quoties removetur impedimentum, moveatur motu sibi intrinseco et reali. Unde hoc tantum abest quod corrumpat repræsentationem speciei, quod potius id exigit ex sua natura, et in id prorumpit : oritur enim ex vi prioris repræsentationis tali modo exemplatæ ab ideis divinis. Unde in vi prioris infusionis fit ab ipsis ideis hæc determinatio et explicatio speciei intrinseco modo, sine corruptione ipsius : quia potius ab ipsa specie emanat ex infusione idearum, tamquam quid explicitum ex virtualiter implicito. Sicut enim nos ex collatione plurium specierum unam formamus, ita Angelus in una simplici specie habet virtualiter et implicite plura, quæ successive explicantur.

* supra, n. 10

* cf. supra, n. 10. *Quia si intrinsece*

* supra, n. 11

57. *Ad secundum* * *dicitur,* quod illa variatio non fit ab objecto efficienter, licet positio objecti requiratur ut condicio; sed fit efficienter a Deo et ab ipsis ideis divinis, tamquam debitum ex vi primæ infusionis, quæ hoc ipso quod producunt aliquod singulare in universo producunt illud in mente Angeli : licet non speciem novam infundendo, sicut infunderet si novam aliquam speciem crearet. Itaque infusio speciei solum fit propter repræsentationem alicujus naturæ, quæ de novo fit a Deo : quia species angelicæ directe repræsentant naturas, quia secundum universalitatem repræsentant. At vero propter repræsentationem novi singularis non exigitur nova species, sed determinatio seu modificatio aliqua speciei præexsistentis. Quia enim species in mente Angeli sunt quædam similitudines exemplatæ et sigillatæ ab ideis divinis, repræsentant res ut descendunt ab ideis. Et quia descendunt primo in aliquibus singularibus, in quibus primo creantur species, deinde succedunt alia singularia, ideo ex vi prioris infusionis sic repræsentant naturas in illis primis individuis, quod petunt repræsentari easdem in individuis succedentibus. Unde ex vi prioris infusionis, repræsentantis res ut descendunt et conservantur a Deo, consequitur quod productis novis individuis, in quibus natura illa conservatur a Deo, illa repræsententur ut id in quo exercite et applicate exsistit talis natura. — Et sic talis variatio est effective ab ideis divinis, antecedenter ad concursum * quem dat Angelo ad cognoscendum et utendum illis speciebus; sed talis effectio debetur et consequitur ex vi prioris infusionis, qua infusa est species sigillata ab ideis divinis, ut repræsentaret naturas quæ ab eis descendunt juxta modum quo descendunt et sunt in hoc universo, scilicet cum successione individuorum.

* cf supra, n. 13

58. *Est tamen adhuc contra hoc instantia difficilis :* quia sequitur ex hoc quod, cum Angeli fuerint creati in ipso initio temporis quando creatum est cælum et terra, et tunc adhuc non producebantur aliæ species creaturarum quæ per sex dies creatæ sunt a Deo, consequenter in primo suo instanti non acceperunt Angeli omnium istarum rerum species, sed successive productæ fuerunt cum productione ipsa rerum : quia sic effluebant ab ideis divinis; ergo in primo instanti creationis non sunt producti Angeli *pleni sapientiâ* *, contra id quod Scriptura dicit et supra ** ostendimus. — Et sequela patet : quia replebantur sequentibus diebus illis speciebus rerum, quæ a Deo creabantur; ergo non fuerunt in primo instanti pleni sapientiâ, usque ad septimum diem quo Deus requievit ab omni opere suo. Tunc autem jam Angelus lapsus erat : præsertim si est verum quod hominem tentavit sexto die, vel paulo post. Quando autem Angelus est lapsus, omnem suam scientiam habebat.

* Eze. xxviii, 12
** disp. 41, a. 3, n. 27-35

59. *Respondetur in sententia D. Augustini* *, qui tenuit illos sex dies non fuisse naturales, et temporibus discretos, sed unum diem diversis operibus distinctum, argumentum non procedere : quia tunc simul factæ sunt creaturæ in se, et in mente Angeli; de qua sententia videri potest S. Thomas (infra, q. 74 **, a. 2), nec enim illi audet præjudicare, sed probabilem reputat. Et tamen adhuc in sententia Augustini currit eadem difficultas quoad plantas et animalia, quæ ipse sentit non fuisse in actu in primo temporis initio, sed solum virtualiter, postea autem fuerunt facta in actu, ut ibidem S. Thomas notat. — *Quare dicendum est,* quod in illo primo instanti creationis receperunt angeli species totius universi eo modo et ordine quo procedebat a Deo, loquendo secundum naturalem modum suæ cognitionis; et sic intelligitur accepisse omnes species ab initio suæ creationis, juxta modum quo res fiebant a Deo. Et sic ita cognoscebant opera facta primo die, scilicet cælum et terram, quod in eis videbant cetera quæ in talibus causis continentur virtualiter et nondum in actu, quousque a Deo creabantur. Et sic etiam creati sunt pleni sapientiâ in ordine naturali, juxta modum quo res ipsæ naturales et totum universum procedit a Deo. Ceterum secundum supernaturalem cognitionem, scilicet cognitionem fidei dum duravit via, etiam secundum peculiares illuminationes et visionem gloriæ dum successit beatitudo, sic cognoverunt omnia etiam in actu : quia circa omnia aliquid operabatur fides, quæ creatorem omnium credebat Deum; et circa hominem plura cognoverunt per fidem, et in Verbo postea, Angeli sancti, et tamen homo factus est die sexto. Secundum hoc ergo pleni sapientiâ creati sunt, etiam in actu, supplente fide aliisque peculiaribus illuminationibus multa quæ nondum secundum naturales species poterant cognoscere : quia nondum erant in actu, sed successive fiebant.

* IV *super Gen. ad litt.*, c. 26; c. 33; lib. V, c. 3; c. 23; PL 34, 314; 317; 322; 337; XI *de Civ. Dei*, c. 9; PL 41, 323
** I P. q. 74, a. 2

60. AD EA QUÆ CONTRA SECUNDAM SENTENTIAM objecta sunt. — *Ad primum* * *dicitur* quod cum D. Thomas dicit res non exsistentes non habere naturam per quam assimilentur speciebus ange-

* supra, n. 16

licis, non loqui [1] de sola similitudine relativa, quæ fundatur in convenientiâ extremorum : sed de assimilatione completiva et determinativa specierum ad ista individua, quatenus ex transmutatione singularium provenit quod istæ species aliquando assimilentur ipsis, aliquando non, ut dicit idem S. Thomas (quæst. 16 *de Malo*, a. 7 ad 9). Igitur assimilatio illa, qua res assimilantur speciebus in mente Angeli, est assimilatio non solum ex parte rerum se tenens, sed in speciebus ipsis resultans, per novam determinationem seu applicationem ex ideis divinis proveniens : qua, positis objectis et productis, resultat intentionalis assimilatio applicata istis individuis hîc et nunc. Dicitur tamen ex parte objecti inæqualitas ista assimilationis se tenere : quia ex eorum mutatione tamquam ex condicione requisita aut termino provenit, quod in speciebus angelicis immutetur illa determinatio et completa assimilatio ad individua producta : et quia in ipsis rebus fit substantialis mutatio dum producuntur in esse vel desinunt, in speciebus autem non, sed solum modalis aliqua applicatio seu explicatio repræsentationis præhabitæ. — Ad præterita * autem manet determinatio in specie, suppositâ cognitione illius per modum memoriæ repræsentantis rem ut cognitam, sicut dictum est **. — Quomodo vero supernaturaliter *** repræsentari possint futura, jam explicatum est. † ** supra, n. 40-49 *** cf. supra, n. 17, *Addo quod* † supra, n. 34-9

61. *Ad secundum* †† contra istam sententiam *respondetur* : aliquam mutationem dari in speciebus, quando res de novo producuntur : non essentialem et formalem, sed modalem et applicativam, ut declaratum est ††† : quæ etiam dici potest explicita et in actu, cum antea esset virtualiter et in potentia. — Neque contra hoc currunt * difficultates allatæ contra primam sententiam, quibus abunde satisfactum est **, et ostensum quod hæc variatio non corrumpit speciem illam, sed perficit et extendit, seu magis explicat : quia id petit ex natura sua, hoc ipso quod repræsentat naturas eo modo et ratione qua procedunt in hoc universo ab ideis divinis. †† supra, n. 18 ††† supra, n. 56 * cf. supra, n. 18, *Unde currunt* ** supra, n. 56-9

62. AD RATIONES CONTRA TERTIAM * SENTENTIAM NON OPORTET RESPONDERE. Nam in quantum probant debere dari variationem specierum in sui repræsentatione essentiali et formali, non probant : modalem vero et completivam admittimus ex ideis divinis provenientem modo explicato *. Et sic non oportet immorari. * supra, n. 21-4 * supra, n. 56-7

ARTICULUS III

Qua ratione Angelus non cognoscat naturaliter cogitationes cordis.

1. COGITATIONES cordis et secreta cordis idem sunt : et dicuntur talia quæcumque ex libero voluntatis usu proveniunt intra potentias interiores, quæ libertatem participant, et nullo effectu exteriori extra illas produntur et exeunt. Itaque ea omnia quæ sub dominium cadunt voluntatis, vel per elicientiam in ipsa voluntate, vel per directionem ejus in intellectu, vel per imperium ejus in ipsa voluntate et intellectu et appetitu aut in quacumque potentia capaci libertatis et indifferentiæ, dicuntur secreta cordis, quamdiu in effectu vel signo aliquo externo seu extra illas potentias posito non manifestatur [2] : eo quod hæc sunt propria hominis in quantum homo, id est, ut libero et humano modo operans. Et sic dicuntur a solo homine cognosci, juxta illud (I Cor. II, 11 : *Quæ sunt hominis nemo novit, nisi spiritus hominis qui in ipso est*. Et nomine effectûs vel signi manifestantis secreta cordis non solum intelligimus quæ externis membris fiunt, sed etiam quæ internis corporis mutationibus : quas Angeli, licet nobis occultas, perspicacius vident. Et ita notavit S. Thomas (hîc, q. 57, a. 4), quod cogitatio cordis cognoscitur « non solum per actum exteriorem, sed etiam per immutationem vultûs; et multo magis Angeli et dæmones, quanto subtilius hujusmodi immutationes occultas corporales perpendunt ». Loquimur ergo in præsenti non de cogitationibus et secretis cordis quatenus aliquo signo vel effectu, sive interiori sive exteriori, produntur : sed quatenus clausa manent intra potentiam libere operantem. I P. q. 57, a. 4

[1] Omnes : *dicitur quod... non loqui* : inconsequentia auctori haud insueta; cf. tomi I Præfationem, cap. III, art. 2, § 3, n. 3 et 5, d).

[2] Sic omnes ‖ Melius legeretur : *manifestantur*.

2. **De his ergo cogitationibus liberis consideratis in se, et non in effectu vel signo manifestatis, CERTUM EST a solo Deo cognosci de facto.** — Hæc assertio, sicut jacet, est de fide, aut proxime de fide. Et in hoc male audit Durandus qui (in II, D. 8, q. 5, n. 10*) sensit cogitationes et affectus cordis unius Angeli posse ab alio cognosci, non solum quid sint, sed circa quid sint.

3. SED NOSTRA ASSERTIO CONSTAT manifestissimis Scripturæ testimoniis. Dicitur enim (II Par. VI, 30) : *Tu solus nosti corda filiorum hominum.* — Nec dici potest, cum Durando, * loqui Scripturam de cogitationibus tam præsentibus quam futuris : sic enim solum est proprium Dei eas cognoscere. Contra hoc enim est : tum quia hoc non solum de cogitationibus cordis, sed de quibuscumque effectibus liberis seu contingentibus dici potest; unde nihil speciale diceretur de cordium secretis. Tum quia expresse loquitur Scriptura de cogitationibus cordis præsentibus; dicit enim : *Propitiare*, et redde unicuique secundum vias suas, quas nosti eum habere in corde suo : tu enim solus nosti corda filiorum hominum;* et eodem modo (III Reg. VIII, 39) : *Ut des unicuique secundum omnes vias suas, sicut videris cor ejus : quia tu nosti solus cor omnium filiorum hominum.* Ubi aperte loquitur Scriptura de cognitione eorum quæ aliquis de facto habet in corde, non de futuris cogitationibus, sed *sicut videris*, inquit, *cor ejus;* vel *quas nosti eum habere in corde suo.* Non dicit habiturum, sed habere; ergo loquitur de cogitationibus præsentibus, non futuris. Et rationem reddit : *Quia tu*, inquit, *solus nosti corda filiorum hominum;* ergo etiam præsentia secreta cordis solus Deus novit : et tamquam quoddam divinitatis insigne, et proprietas ejus, ponitur perpetuo in Scriptura.

4. *Unde roboratur et confirmatur hoc* ex aliis locis, ubi tamquam proprium Dei significatur scrutari corda, et scire ac videre cogitationes, ut (Jer. XVII, 9-10) : *Pravum est cor omne et inscrutabile; quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans cor et probans renes, qui do unicuique juxta viam suam;* et (Psal. VII, 10) : *Scrutans corda et renes Deus;* (Sap. I, 6) : *Quoniam renum illius testis est Deus, et cordis illius scrutator est verus.* Inde Paulus (I Cor. XIV, 25) ex manifestatione cogitationum cordis ostendit prophetiam esse a Deo, et Deum esse qui illa manifestat : *Occulta*, inquit, *cordis ejus manifesta fiunt, et ita cadens in faciem adorabit Deum, pronuntians quod vere Deus in vobis sit.* Inde evangelistæ, inter mirabilia quæ Domini Jesu divinitatem ostendebant, ponunt cognitionem secretorum cordis; sicut (Joa. II, 24-25) : *Ipse autem Jesus non credebat seipsum eis, eo quod ipse nosset omnes, et quia opus non erat ei ut quis testimonium perhiberet de homine : ipse enim sciebat quid esset in homine;* (Mat. IX, 4) : *Cum vidisset Jesus cogitationes eorum;* (Mar. II, 8) : *Cognito Jesu[s] spiritu suo, quia sic cogitarent;* (Luc. XXIV, 38) : *Quid turbati estis et cogitationes adscendunt in corda vestra?* Ergo dicendum est, quod cognitio istorum secretorum soli Deo convenit.

5. Et ita communiter Patres docent, ex quibus videri potest Athanasius (in lib. quæstionum ad Antiochum, q. 27*); Chrysostomus (hom. 30** in Matthæum); Hieronymus (in cap. IX Matthæi, ad illa verba : *Sciens Jesus cogitationes eorum****; et epist. 40 (1)); Cyrillus (lib. II in Joa., c. 19†; et lib. III, c. 3††); et alii plures, quos sequuntur communiter theologi scholastici.

* et q. 100; PG 28, 613. 660
** alias 29; PG 57, 359
*** PL 26, 55; cf. 79
† verius : c. 1; PG 73, 224 A
†† c. 2; PG 73, 412 BC

6. *Quod vero aliqui respondent*, ex his testimoniis non probari quod Angelis istæ cogitationes sint ignotæ quoad substantiam, sed solum quoad aliquem modum, quem varie explicant (Alii modum dicunt intentionem ipsam, qua aliquis operatur ad intra; Alii, quod se habeat per modum assensûs vel dissensûs, complacentiæ vel displicentiæ; Alii modum istum dicunt terminationem ad objectum particulare et individuum) : — *Ceterum hæc omnia futilia sunt.* Tum quia ista, quæ appellantur modi, in rei veritate ad ipsam substantiam actûs pertinent : quia ad eorum substantiam pertinet sic vel sic tangere objectum. Tum quia ipsa intentio, qua aliquis operatur, si occulta est, ideo est quia et libera : et modi isti ideo occulti sunt, quia liberi; ergo eàdem ratione ipsa substantia actûs, ut subest libertati et prout libere fit, occulta erit. Tum denique, quia Scriptura absolute pronuntiat* ista secreta cordis occulta esse et soli Deo patere; sed substantia actûs liberi etiam intra cor est; ergo sine aliquo fundamento excipimus substantiam actûs liberi, et dicimus solum aliquem modum esse occultum.

* cf. supra, n. 3-4

(1) In quadragesima veterum editionum epistola, vix quidquam invenitur quod ad præsens pertineat argumentum : quam videas nunc inter spurias collocatam (n. 52; P. L., t. XXX; col. 306; et t. XXXIII, col. 1094). Inter genuinas Hieronymi epistolas consuli potest 140a, n.11 in fine, vel etiam 21a, n. 19 (P. L., t. XXII, col. 1174; 387).

EXAMINATUR RATIO INCOGNOSCIBILITATIS IN HIS SECRETIS.

7. Difficillimum semper visum est reddere propriam et efficacem rationem hujus secreti, quare cogitationes cordis sint incognoscibiles omni intellectui creato, sine consensu aut manifestatione cogitantis. *Cujus difficultatis vis ex eo consurgit :* quia istæ cogitationes neque quantum ad id quod habent de naturali entitate (quia supernaturales modo omittimus), neque quantum ad id quod habent de libertate et moralitate, occultæ sunt : quia hoc etiam aliquid creatum est, et ordinis naturalis; et, per hoc solum quod ipsa voluntas consentiat, manifestabile est alteri. Constat autem quod solam voluntatem consentire, nihil in illa cognoscibilitate cogitationis aut diminuit aut addit, magisve proportionatam et aptam reddit alterius intellectui : cum nihil efficiat nisi puram denominationem extrinsecam. Ergo tota illa entitas et libertas cogitationis, ante manifestationem cogitantis, cognoscibilis erat tamquam quid creatum et habens cognoscibilitatem finitam et limitatam. Ergo aliquis intellectus et aliquod lumen creatum est cui tale objectum proportionatum sit, etiam prout intra cor alterius est : mirum enim esset quod aliquod creatum intelligibile non supernaturale, nec ordinis divini, nullum intellectum creatum habeat cui proportionatum et debitum sit, atque adeo quod possit illud cognoscere. Quod si alicui intellectui creabili patere potest, cur non angelico? Ex qua ergo parte, aut ex cujus principii defectu, cogitatio est occulta omni alii præter ipsum cogitantem?

[*Sententiæ*].

8. PROPTER HOC DIVISI SUNT AUCTORES, in hujusmodi ratione reddenda. Quorum sententiæ, quæ variæ et multæ sunt, ad tres præcipuas classes redigi possunt. — *Prima sententia* negat hujusmodi secreta cordis esse penetrabilia Angelo, ex defectu concursûs divini : quia Deus statuit non concurrere cum Angelo ad cognoscendum cogitationes cordis alterius sine ipsius voluntate, licet ex natura rei non repugnaret Angelum cognoscere illa. Ita attribuitur Scoto [1] (in II, D. 9, q. 2, § *Ad argumenta secundæ quæstionis**; et in IV, D. 10, q. 8, ad argumenta in solutione tertia**). Attribuitur etiam Occam***, Gabrieli†, Bassolio [2], Lycheto††, et aliis, quos citat Vazquez (hîc, disp. 209, c. 2) et Suarez (lib. II de Angelis, c. 23).

* n. 27
** n. 12
*** II *Sent.*, q. 20; et quodl. 4, q. 6
† II, D. 9, q. 2, a. 2
†† in Scot., II, D. 9, q. 2, n. 27

9. *Secunda sententia* negat ista secreta cordis esse cognoscibilia ab Angelo, ex defectu speciei repræsentantis illa : carent enim tali specie. Ideo autem dicunt carere, quia talis cogitatio non est res naturalis, sed libera et moralis, super quam creatura rationalis habet plenum dominium et jus ne alteri dentur species repræsentantes talia secreta, nisi ipsa velit. Ita P. Suarez (citato loco, c. 24), Arrubal (disp. 169, c. 2), et alii.

10. *Tertia sententia* docet talia secreta non penetrari ab Angelo, quia carent cognoscibilitate proportionatâ ipsi : eo quod motus voluntatis a nulla causa creata vel naturali pendet, nisi tantum ab ipso eliciente et a Deo. Quæ sententia est D. Thomæ ubicumque agit de hac re (ut in hac q. 57, a. 4; et q. 8 *de Verit.* a. 13; et q. 16 *de Malo,* a. 8); et communiter sequuntur ejus discipuli : Cajetanus (ibidem), Capreolus (in II, D. 8, q. 1, a. 1), Ferrariensis (III *Contra Gent.* c. 154, § *Circa id quod de occultis cordium)*, Bañez, Nazarius*, Zumel (super hanc quæst. 57** citatam), Carmelitani Salmanticenses (tract. de Angelis, disp. 7, dub. 5).

* I P. q. 57, a. 4, controv. I (alias : 40), præsertim concl. 2
** a. 4, q. 2, concl. 4

11. *Alii alias afferunt causas :* scilicet ex profunditate, distantiâ vel indifferentiâ voluntatis. Quæ omnia, quibuscumque nominibus significentur, ad hoc tandem reducuntur : quia secreta illa moralia sunt et libera, et ideo naturali cognitione non cognoscuntur.

12. Postremo P. Vazquez (hîc, disp. 209, cap. ultimo), post prolixam disputationem, tandem resolvit nullam hujus rei causam et efficacem rationem posse inveniri ex philosophia, sed tantum nobis constare ex Scriptura; et sic præsenti difficultati succumbit.

13. PRIMA* SENTENTIA OMNINO REJICIENDA EST : Quia si solum ista secreta cordis non cognoscuntur ab Angelo quia Deus denegat concursum, vel ille concursus debitus est et connaturalis Angelo, vel non. Si non est debitus,

* supra, n. 8

[1] His in locis revera duo docet Scotus : 1° omnem unius Angeli cogitationem ceteris Angelis naturaliter esse cognoscibilem, immo et notam; 2° nonnumquam tamen Deum non permittere ut hæc aut illa cogitatio de facto ab aliis cognoscatur, præsertim a dæmonibus.

[2] Hanc opinionem vocat Joannes de Bassolis « probabilem et subtilem »; eam tamen non sequitur (in II, D. 9, q. 2, a. 1, § *Est alius modus dicendi tertius*).

non bene redditur ratio quod non cognoscantur quia Deus denegat concursum, sed debet reddi ratio quare sit indebitus. Si vero debitus est : ergo non est solius Dei proprium cognoscere ista secreta, ut ex Scriptura ostendimus*; sed proprium erit etiam alicujus creaturæ, licet de facto non cognoscat ex impedimento apposito denegationis concursûs. Nec erit connaturale et ex propriis naturis rerum, sed violentum, quod ista secreta non cognoscantur : videlicet ex perpetua denegatione concursûs debiti. Præter quam quod est magnum inconveniens, Deum alicui naturæ tribuere inclinationem et exigentiam ad aliquam formam vel effectum, et perpetuo denegare concursum ad talem effectum, non solum in pœnam, sed etiam nullâ præcedente culpâ : quia non solum dæmonibus, sed etiam Angelis sanctis, inter se et respectu hominum, denegatur cognitio istorum secretorum. Quod inconveniens denegandi perpetuo alicui creaturæ concursum ad aliquid sibi debitum, et cujus habet naturalem exigentiam, manifeste D. Augustinus excludit, cum inquit (lib. v contra Julianum, c. 14*) : « Nec Deus ita naturas creat, ut leges auferat, quas dedit motibus cujusque creaturæ; » et (VII de Civitate[1], c. 30**) : « Sic Deus administrat cuncta quæ creavit, ut etiam ipsa proprios exercere et agere motus sinat. »

* supra, n. 3-6
* PL 44, 813
** PL 41, 220

14. *Denique,* hæc sententia non explicat auctoritatem Scripturæ et Patrum in proprio sensu; nec sufficienter probaretur divinitas ex eo quod aliquis propriâ vi est cognitor secretorum cordis, quando præsentia sunt (nam de futuris cogitationibus etiam ipse cogitans ignorat) : posset enim aliquis dicere illum, qui cognoscit secreta cordis, non esse Deum, sed spiritum creatum cui non est denegatus concursus debitus ad cognoscendum talia secreta, si quidem ex natura rei potest illa cognoscere si concursus non denegetur. Unde quando dicitur (Jer. XVII, 9): *Pravum est cor omnium et inscrutabile, quis cognoscet illud?* posset plane responderi quod quilibet Angelus cognoscet, si debitus concursus non denegetur. Sicut non esset mirabile, si quæreretur : quis intelligit cælum et terram? nempe Angelus, si non denegetur concursus; et quis comburet stuppam? nempe ignis, si non denegetur concursus. Frustra ergo Scriptura talem responsionem daret, attribuens soli Deo scrutationem cordis. Unde etiam Christus non sufficienter probaret suam divinitatem ex eo quod cognoscebat cogitationes aliorum : posset enim etiam diabolus cognoscere, si concursus debitus ei non denegaretur.

15. CIRCA SECUNDAM* VERO SENTENTIAM SOLUM NOTANDUM EST, eam non plene reddere rationem propositæ difficultatis, sed in hoc manere diminutam. Reddit enim rationem quare Angelo non infundantur species repræsentativæ secreti cordis alterius, quia alter habet jus ne illi infundantur, propter dominium quod habet super tales cogitationes. — Hoc autem est de quo quærimus : quare dominium, quod habet creatura rationalis supra suum actum interiorem, exigat quod Deus non infundat species illius alteri Angelo, ita quod illi debitæ non sint, si alias ex natura sua sunt cognoscibiles. Oportet ergo prius probare, quod dominium reddat incognoscibilem illum actum. Nam etiam creaturæ rationales habent dominium actuum exteriorum, quos libere eliciunt : habent etiam dominium ipsarum potentiarum interiorum, v. g. ipsius intellectûs, et voluntatis, et appetitûs, et potentiæ motivæ; et tamen de omnibus istis habet species alter Angelus, eosque cognoscit; ergo hoc quod est habere dominium super actus interiores, nisi aliquid amplius addatur, non probat alteri Angelo non deberi species repræsentativas talium actuum.

* supra, n. 9

16. *Si dicatur* actus externos, etiam si libere fiant et cum dominio voluntatis, tamen hoc ipso quod externe produntur manifestos esse, et eorum species Angelo deberi; et similiter species potentiarum, quia hoc ipso quod debetur species naturæ, seu essentiæ alterius Angeli, debetur etiam species potentiarum ejus, quæ sunt proprietates illius, quia naturaliter conveniunt naturæ : actus autem liberi non conveniunt nisi libere et contingenter : — *Contra hoc est :* quia actum esse externum vel internum, præter dominium voluntatis in illum, quid addit aut quid ponit, ut unus reddatur connaturaliter intelligibilis Angelo, scilicet actus externus, alter vero non, scilicet internus? Nam hoc quod est esse externum, vel internum, non dicit aliquid speciale. Hoc enim est quod quærimus : quid sit illud, et qua ratione ille qui est internus, ex eo præcise quod internus, non sit intelligibilis connaturaliter ab Angelo. Et similiter inquirimus quare potentiæ, quia naturaliter emanant, sint

[1] Mendose omnes : *de Trinitate.*

cognoscibiles naturaliter ab Angelo, non autem actus, quia libere fiunt. Hoc enim totum est reducere differentiam ad hoc quod unum est ens necessarium, et alterum liberum. Unde cum inquiramus causam propter quam species liberorum actuum non sint debitæ Angelo, bene tamen entium naturalium, si reddimus pro causa, « quia hoc est necessarium, illud vero liberum, » manifeste petitur principium et diminute proceditur.

17. Et ad idem reducitur aliquorum ratio, qui dicunt ideo esse incognita secreta cordis, quia in republica necessarium est secretum naturale, et potest etiam unus alterum decipere et mendacium loqui : quod stare non potest si secreta omnia cordis de se manifesta sunt alteri Angelo. Hæc enim non est ratio, quare illæ cogitationes ex natura sua notæ non sint, sed inconveniens extrinsecum assignat si omnibus passim notæ sint; sicut etiam inconveniens magnum sequitur in republica si id, quod unus alteri loquitur in secreto, prodatur omnibus, præsertim in re magni momenti : et tamen hoc ipso quod quis alteri manifestat, res illa de se manet cognoscibilis, saltem Angelo. Ergo rem istam reducere ad sola inconvenientia illa extrinseca non ostendit efficaciter hanc occultationem secretorum cordis ex se, ita quod soli Deo sit notum : sed solum ostendit non ita facile gubernari rempublicam, si cordis secreta nota essent; sed tamen alio modo tunc gubernaretur, et alio modo procurari posset secretum, si esset necessarium, scilicet modo aliquo artificioso occultante, sicut modo etiam postquam quis alteri loquitur, aut scripto manifestat suum secretum, procuratur occultatio illius artificiose, puta tali modo loquendo aut scripta mittendo.

18. Omitto id quod in hac sententia devorandum est : nempe si Angelus caret specie repræsentante secretum cordis alterius, quoties illud cognoscit ex alterius consensu et manifestatione, debere Angelo infundi speciem repræsentativam illius. Non facio in hoc multam vim : potest enim dici quod non infunditur species de novo, sed determinatur vel applicatur ad hoc secretum cognoscendum, quoties illud manifestatur : quia tunc quasi de novo producitur, in quantum redditur præsens respectu hujus, et ad ipsum pertinens, sicut diximus* de futuris quando de novo producuntur. Vel forte si Angeli

* supra, art. 2, n. 25 sqq.

utuntur aliquibus signis in sua locutione et manifestatione, de quo infra (disp. 25*) agendum est, dicere possent hi auctores per species horum signorum præexsistentium in mente Angeli, non tamen productorum quousque Angelus suum conceptum manifestat, conceptum cognosci : sicut nos per species vocum significantium, quæ in nobis præexsistunt, cognoscimus secreta cordis, quæ alter nobis manifestat. Utut est, in hac sententia supponitur, non probatur, speciem secreti cordis ante sui manifestationem esse indebitam Angelo, quia alter habet jus ne infundatur. Et de hoc quærimus, quare habet jus? Et solum reducitur ad hoc, quia liber actus est et internus. Hoc ipsum quæritur.

* nunc disp. 45. art. 1

19. *Ex quo etiam manet refutata sententia Ricardi**, qui negat Angelum non[1] posse cognoscere secreta cordis alterius, quia indiget speciebus repræsentantibus illud; istæ autem species non derivantur a voluntate cogitantis, nisi motu voluntatis ejus in quo sunt; ergo nisi ipse velit, non poterit habere species secreti sui. — Gregorius* autem ideo dicit non cognosci secretum alterius ab alio, quia, quantumvis sit intimus aut penetratus cum illo, non tamen illi inhæret secretum cordis alterius : quod tamen necesse erat ut ab eo videretur intuitive et in se; alias, si sola intima præsentia sufficeret, posset Angelus intimatus corpori hominis, ubi est anima, secretum illius cognoscere.

* II, D. 8, a. 2, q. 4

* II, D. 9, q. 1, præsertim concl. 3, et in præambulo ad solutionem argum.

20. *Sed hæc futilia sunt et fundamento carent.* Nam in primis Ricardus supponit Angelum accipere species a rebus, et sic male potest explicare quomodo Angelus distans possit loqui alteri, sicut frequenter in Scriptura significatur (ut Zac. II, 3-4, et Dan. VIII, 13-14, 16, et aliis locis); nec enim species illæ, cum spirituales sint, poterunt transire per medium, quod corporale est. Deinde, hoc dato quod species singularium accipiant a rebus, unde probat Ricardus esse in potestate cogitantis impedire quod actus suus non [2] emittat ex se speciem in alium Angelum? Licet enim productio illius actûs libera sit, et in potestate cogitantis, tamen quod semel productus et exsistens non emittat species, in potestate ejus non est : cum emissio specierum naturalis actio sit, ut manifeste apparet in nobis et intellectu agente. — Sententia vero Gregorii in eo manifeste deficit : quia, ad

[1] Intelligito : *qui negat Angelum posse...* || De negantiæ hujus superfluitate cf. tomi I Præfationem, cap. III, art. 2, § 3, n. 2, a).

[2] Intellige : *impedire quominus actus suus emittat ex se...* || Cf. tomi I Præfationem, cap. III, art. 2, § 3, n. 2, c).

cognoscendum aliquid intuitive, non est necesse quod inhæreat per seipsum in intellectu alterius, sed per speciem repræsentantem illud in se : ut constat in nobis, cum videmus res ad extra intuitive. Unde ergo probat Gregorius hanc speciem deesse Angelo, sive distans sit ab altero, sive ei conjunctus? aut unde probat præter speciem requiri etiam quod secretum alterius sit in ipso cognoscente ut attingat illud? Sic enim jam esset proprium, non alterius : hîc autem loquimur de secreto alterius ut alterius, id est, ut manet in altero, quare cognosci non possit ab Angelo sicut cognoscuntur potentiæ ejus et natura, et tamen non exsistunt nisi in altero.

[*Resolutio*].

supra, n. 10 21. QUARE REDUCI DEBEMUS AD TERTIAM* SENTENTIAM D. Thomæ, qui ex propriis probat secretum cordis non esse cognoscibile ab Angelo : non defectu concursûs divini, non defectu speciei talis secreti, non quia modus non est cognoscibilis ab Angelo sed sola substantia talis actûs : sed quia ex propriis et intimis liberi actûs, ut emanantis a voluntate et nondum manifestati in aliquo effectu, cognoscibilis non est. — RATIO autem, QUA ID PROBAT S. THOMAS, TALIS EST : Voluntas rationalis creaturæ soli Deo (præter se) subjacet, et ipse solus in ea operari potest; ergo ea quæ ex voluntate solâ dependent, vel quæ sunt in solâ voluntate, soli Deo sunt nota. Constat autem quod ex sola voluntate dependet quod aliquis aliquid actu consideret : quia utitur habitu, vel specie intelligibili, cum vult. Ergo cogitationes cordis soli Deo sunt cognòscibiles, quia solum ipsi subjacent, et ei a quo eliciuntur.

* II, D. 8, q. 5, n. 7 sqq. 22. *Hæc ratio difficilis visa est Durando*, et aliis*. Quia multa sunt quæ a solo Deo dependent et ab eo fiunt, et tamen ab Angelo cognoscuntur : sicut substantia animæ rationalis, cælum, et alii Angeli : quæ omnia a solo Deo fiunt, et tamen ab Angelo cognoscuntur; ergo ex hoc quod aliquid a solo Deo dependeat in sua productione et motu, non infertur quod a solo Deo cognoscatur, et non ab alio intellectu creato. — Quod si dicatur, propositionem D. Thomæ non inniti illi solum rationi, quod omne quod a solo Deo producitur soli Deo est cognitum : sed addit quod omnis operatio creaturæ, quæ a nulla causa naturali procedit, sed solum a libera et ab ipso Deo, soli Deo et ipsi operanti est cognita : Contra hoc instatur : quia tunc petitur principium, et supponitur id quod est probandum, scilicet quod operatio egrediens a causa libera, et a Deo, soli Deo est nota. Hoc enim est quod quærimus : quare operatio, dependens a sola causa libera, alteri non possit esse nota? Nec defenditur ratio S. Doctoris, qui ideo probat operationem liberam soli Deo esse notam, quia a solo Deo dependet : non quia etiam dependeat a causa libera. Tunc enim et peteretur principium, et instaretur[1] in omnibus operationibus exterioribus quæ procedunt a causis liberis, ut motus cæli factus ab Angelo, motus progressivus factus ab homine, aut motus impressus alteri Angelo, qui non dependet ab hoc universo.

23. Itaque, vel reddimus rationem incognoscibilitatis harum cogitationum ex eo quod a solo Deo pendent, vel ex eo quod etiam dependent a causa libera. — Si primum, instatur in exemplis aductis* : immo et in aliis quæ Deus operatur intra voluntatem et intellectum, ut est infusio habituum supernaturalium et specierum intelligibilium, quas ab aliis Angelis intelligi docet S. Thomas (in hac q. 57, a. 4 ad 2), et tamen hæc omnia operatur Deus solus intra voluntatem et intellectum. — Si vero dicatur secundum, manifeste petitur principium, et instatur exemplis adductis*. * supra, n. 22, *Quia multa* * supra, n. 22, *Tunc enim*

24. *Nihil plus elevat*[2] *rationem D. Thomæ* Cajetani** et Capreoli*** supplementum : nempe quia supponit hæc ratio D. Thomæ Angelum naturaliter solum cognoscere ea quæ a naturalibus causis solum dependent, aut cum eis connexionem habent; actus autem voluntatis, prout intra voluntatem sunt, cum nulla causa naturali habent per se connexionem : quia, quâcumque causâ naturali stante, possunt exire vel non exire a voluntate; et sic illorum cognitionem Angelus non habet. ** I P. q. 57 a. 4 *** II, D. 8, q. 1, a. 1, concl. 1

25. Ceterum hoc supplementum rationis D. Thomæ, præterquam quod ab ipso non ponitur sed illi superadditur, nullam vim rationi ejus affert : quia non probat solum rerum naturalium species Angelo infundi, non vero actuum liberorum. De hoc enim quærimus quare solum res naturales sint objectum proportionatum

(1) Id est : *impugnaretur exemplis petitis ex omnibus operationibus*... || Cf. tomi I Præfationem, cap. III, art. 2, § 2, n. 4.

(2) Id est : *Nil sublevatur, seu adjuvatur, D. Thomæ ratio supplemento Cajetani*...

intellectûs Angeli, et non liberæ : cum tamen actus libere facti etiam habeant entitatem ordinis naturalis. — Et deinde, cur solum actiones liberæ intra intellectum et voluntatem hoc privilegium habent jure libertatis, non autem actiones exteriores libere factæ, præsertim ab Angelo? quia tales, prout sic, etiam non dependent a causis naturalibus, quæ tamen ab Angelo cognoscuntur. — Deinde, quam dependentiam habet a causis naturalibus infusio specierum intelligibilium intra intellectum, vel aliorum habituum supernaturalium intra voluntatem, aut habitus acquisiti et producti per actus nostros? hæc enim omnia a nulla causa naturali dependent, possuntque fieri extra totum universum, cum a solo Deo fiant; et tamen cognoscuntur ab alio Angelo independenter a voluntate alterius. Ergo insufficiens est totum hoc fundamentum jactum a Cajetano et Capreolo pro supplenda ratione D. Thomæ.

26. **NIHILOMINUS ratio S. Thomæ efficax est, et ab ipso tradita ubicumque de hac re agit,** ut supra† diximus (ut videri potest q. 8* *de Verit.* a. 13; et q. 16 *de Malo,* a. 8; et in præsenti q. 57**, a. 4). Et ejus intelligentia solum consistit in sensu formali propositionum D. Thomæ, scilicet quod loquitur de his quæ a sola voluntate dependent; ubi ly *sola* excludit omnem aliam causam particularem et determinatam, quæ pertineat ad totum hoc universum. Et loquitur de voluntate ipsa, ita contingenti et indifferenti quod a nulla causa creata determinari potest, nisi a sola universalitate divinæ operationis. Ex his enim duobus principiis, scilicet exclusione omnium causarum naturalium et eorum quæ pertinent ad hoc universum, et stante operatione voluntatis indifferenti et indeterminatâ, a solo autem Deo determinabili, deducitur manifeste quod a nullo alio intellectu creato potest liber actus intelligi, nisi ab eo qui elicit, vel a Deo qui determinat.

† n. 10
* mendose omnes : q. 4
** I P. q. 57, a. 4

27. Et ratio hujus est : Quia Angelus non habet vim intelligendi quodcumque intelligibile creatum, nisi tantum illud quod pertinet ad hoc universum, et redditur pars illius, et cum eo connexionem habet; quod autem independens est ab hoc universo, nec fit tamquam pars ejus et ad illud pertinens, non est cognoscibile ab Angelo naturali cognitione. Ideo enim dicimus Angelum non posse cognoscere omnia possibilia quæ continentur in omnipotentia Dei et non in causis creatis, quia coarctatur ejus cognitio naturalis ad ea solum quæ ex causis naturalibus proveniunt, seu ad hoc universum spectant ut partes illius, vel ut illi annexa. Si enim extra hoc universum possunt aliqua intelligere, utique solum erunt contenta in Deo : quia extra universum non datur alia causa quam Deus, qui est extra totum universum; et sic poterunt cognoscere quidquid possibile est, saltem divisive. Non enim est aliquid per quod restringatur ad cognoscendum hæc, et non alia, si semel cognoscere potest ea quæ ad hoc universum non spectant. Si ergo in istis objectis naturaliter cognoscendis aliquis terminus ponendus est, et non in infinitum protrahenda sunt, — quia alias omnia possibilia et quæcumque futura contingentia cognosceret, et ea quæ pure sunt in manu Dei, contra illud quod dicitur (Act. I, 7) : *Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate,* — inde fit generalis regula : quod quæcumque ad hoc universum non pertinent, sed supra illud sunt, nec connexionem cum illo habent, ad naturalem et propriam Angeli cognitionem non pertinent.

28. Cui principio adjungitur aliud : quod actus liber, prout exit a voluntate, non prout alicui effectui manifesto et ad hoc universum spectanti conjungitur, non habet connexionem aliquam cum causa aliqua totius universi, nec ab aliquo sufficienter et plene potest determinari voluntas; ergo nulla vis creata potest ex vi sua, aut ex cognitione alicujus objecti creati, cognoscere determinatum exitum hujus actûs aut illius liberi a sua causa : ergo neque cognoscere determinatum actum liberum : sicut neque in futuris determinatum eventum, propter indeterminationem et contingentiam causarum proximarum. Cognoscere autem cogitationes cordis in se est cognoscere illas in ipso exire a voluntate, in quo habent omnimodam contingentiam et indeterminationem ex parte causæ proximæ, totam vero determinationem habent a solo Deo sic movente et sic determinante. Ergo nullum principium habet intellectus creatus, ut possit determinate cognoscere actum liberum in ipso exitu a voluntate creata. Si autem non videt exitum ipsum a voluntate, neque postquam exierit videbit illum : quia actus ipse, quamdiu est, semper exit a voluntate : quia in fieri et conservari ab ea dependet, eâdemque contingentiâ egreditur in ipso conservari, atque in ipso primo exire. Quod in reliquis actionibus

contingentibus, præter liberos actus, non procedit : tum quia actiones aliæ non a solo Deo determinantur, sed etiam ab aliis causis creatis; tum quia effectus aliquos producunt, si sint actiones transeuntes : qui effectus manent determinati, ut aliquid pertinens ad integrationem universi, et sic spectant ad cognitionem Angeli.

29. *Nec obstat,* quod actus liber, quando exit a voluntate, exit determinatus; alias non exiret. — *Nam contra est :* quia ista determinatio est cum omnimoda dependentia ab ipsa voluntate potente retrahere actum; unde si ex illo actu voluntatis effectus aliquis producendus est, adhuc posito actu intra voluntatem æque contingens et indeterminatus manet, et perinde atque si esset intra causas : quia totus ille actus ita est intra voluntatem, quod ab ipsa potest mutari et indeterminari seu tolli. Ergo, quamdiu sic est subjectus mutationi ipsius causæ, retinet contingentiam ad esse et non-esse in ipso exitu a causa, nec ab alio quam a Deo determinatio illa dependet tam in exire quam in conservari : ita quod Deus, in movendo et determinando intrinsece voluntatem, operatur independenter a toto universo, quia cum nulla re totius universi habet voluntas dependentiam et connexionem per se. Ergo determinatio causæ liberæ ad intra est unum ex his quæ *Pater posuit in sua potestate :* quia in alterius causæ creatæ potestate non est, nisi in sua quæ elicit actum, et Dei qui movet ad illum.

30. Quare D. Thomas ex intimis et propriis voluntatis liberæ in sua contingentia et indeterminatione, et ex omnimoda independentia ab omni alia re universi, sed[1] solum a Deo ut est causa supra totum universum, optime deduxit incognoscibilitatem istorum actuum independenter ab ipsa manifestatione causæ liberæ, vel Dei : quia in nulla causa, præter Deum et voluntatem, invenitur continentia istius actûs. In ipsa voluntate est cum summâ indifferentiâ et contingentiâ, etiam in ipso exire et in conservari : quia ita exit actu, quod potest non exire. In ipsa determinatione et motione Dei est ita occultum et positum in potestate Patris, quod operatur ibi Deus ut causa supra totum universum operans, et nihil ad connexionem cum reliquis universi partibus spectans efficiendo. Et sic ex omni parte latet intellectum creatum.

[*Solvuntur objecta*].

31. Unde solvuntur instantiæ allatæ a Durando*, Suarez** et aliis contra hanc rationem D. Thomæ. — *Ad primum*** respondetur* quod multa, quæ fiunt [a][2] solo Deo, cognoscuntur ab Angelo, quando ita fiunt a Deo quod pertinent ad hoc universum tamquam partes illius, vel ipsi universo coordinata et connexa; sicut etiam ipsi actus exteriores qui libere fiunt, hoc ipso quod exteriores sunt, possunt cognosci : quia coordinantur reliquis partibus universi, et concernunt alias causas vel effectus externos aut corporeos, quibus coordinantur reliquis partibus universi. Et sic cælum quod a solo Deo fit, et anima rationalis quæ a solo Deo creatur, et Angelus si de novo crearetur, naturaliter cognoscuntur ab Angelo : quia ista omnia producuntur tamquam partes universi et ut res in se omnino determinatæ, nec dependentes in suo exire et conservari ab aliquâ indifferentiâ et contingentiâ sui principii. Quod totum non currit in actibus liberis, qui in suo exire a voluntate procedunt cum summâ indifferentiâ et omnimodâ dependentiâ[3] quoad conservari vel non-conservari, esse vel non-esse, etiam stante eadem voluntate : non sicut lux dependet a luminoso in fieri et conservari cum omnimoda necessitate, stante luminoso : nec sicut creaturæ dependent a Deo in fieri et conservari tamquam ab agente libero, in quo parificabatur egressioni actuum liberorum a voluntate; nisi[4] creaturæ fierent a Deo ut pertinentes ad hoc universum, et ut partes illius, et tamquam effectus externi* cum aliis effectibus creatis conjuncti et connexi in hoc universo, cujus cognitio naturaliter est debita Angelo. Actus autem liberi intra potentiam non habent connexionem aliquam nec dependentiam cum toto ordine universi : quia a nulla causa vel objecto illius determinari possunt, et æque bene possunt produci et fieri etiam extra totum universum, vel nulla re universi exstante.

* supra, n. 22-23
** cf supra, n. 9
*** n. 22
* cf. supra, n. 22, *Tunc enim*

32. Exempla vero, quæ afferuntur* de speciebus intelligibilibus, vel habitibus infusis in intellectu vel voluntate, non obstant. Dicimus enim quod, si supernaturales sunt, non cognoscuntur naturaliter ab Angelo, sed per species supernaturales. Si vero naturalis ordinis sunt,

* supra, n. 23

(1) Supple : *sed [ex dependentia] solum...*

(2) ML *fiunt solo Deo* ‖ CP *fiunt a solo Deo :* dicendi modus probabilior; cf. infra, et superius n. 22-23.

(3) Intelligito : *dependentia [a voluntate libera]...*

(4) Intelligendum videtur : *Quod totum non currit... nisi [actus liberi quasi quædam] creaturæ fierent...*

cognoscuntur naturaliter ab Angelo : utrumque tamen cognoscitur sine dependentiâ a consensu voluntatis vel ejus manifestatione, licet a solo Deo fiant intra ipsas potentias : quia producuntur a Deo tamquam accidentia adornantia ipsum Angelum, et pertinentia ad ejus integritatem et debitam dispositionem ad operandum in genere naturali vel supernaturali; unde pertinent ad cognitionem integritatis ipsius Angeli in se. Et consequenter sicut ipse Angelus producitur ut pars universi, ita species istæ intelligibiles a Deo infusæ, vel alii habitus, suppositâ elevatione supernaturali, cognoscuntur tamquam aliquid pertinens ad integritatem et perfectionem ipsius Angeli in se : non autem ut aliquid dependens ab indifferentiâ et contingentiâ voluntatis, et a divinâ determinatione ut operante cum omni independentiâ a toto universo et ab ejus causis, sicut ponderatum est *.

* supra, n. 28-31
** supra, n. 25

33. Ad instantiam ** autem contra explicationem Cajetani et Capreoli respondetur ex dictis, quod in primis illa explicatio non superadditur rationi D. Thomæ, sed supponitur hoc ipso quod loquitur de his quæ dependent a voluntate solum, et hoc ipso quod dicit voluntatem a solo Deo moveri, ut intra ipsam operante : hæc enim stare non possunt, nisi supponendo quod voluntas in suis actibus liberis ita est sola, quod est independens et connexionem non habens cum reliquis partibus universi. Nec ut fiant actus liberi necesse est quod sit in universo, sicut nec etiam intellectus ad intelligendum : quamvis, si necessario operetur, tam voluntas quam intellectus se habeant ut natura quædam et pars universi in operando, sicut aliæ naturæ determinatæ.

* supra, n. 25, *De hoc enim*
** supra, nn. 27, 31-33

34. *Et cum instatur**, quod in hoc petitur principium : quare solum res naturales sint objectum proportionatum Angeli et non actus liberi, cum tamen habeant entitatem naturalem : — Respondetur ex dictis ** quod res naturales, et quidquid per modum naturæ consideratur, hoc ipso se habet ut pars hujus universi, et ut integrans et componens illud; pertinet autem ad cognitionem naturalem Angeli tota constructio universi, et quidquid ad illud componendum potest ordinari. Quidquid autem remanet in potestate Dei tamquam in causa supra totum universum, non pertinet ad cognitionem Angeli : alias omnia possibilia posset cognoscere, et non esset unde poneremus terminum in objectis ab Angelo cognoscendis. — Et cum quæritur * : quare hoc jus libertatis solum est in actibus internis voluntatis, non in externis? Jam respondimus ** quod actus externi habent effectum aliquem vel signum, in quo manifestantur : quod importat aliquam determinatam naturam pertinentem vel connexionem habentem cum partibus universi et cum causis naturalibus. Nec enim est aliquis effectus ad extra, qui non subjectetur vel informet aut perficiat aliquid naturale aut aliquod corpus; et sic connectitur cum naturis universi.

* supra, n. 25, *Et deinde*
** supra, nn. 1, 28, 31

35. Ad ultimam * autem instantiam de infusione specierum intelligibilium, vel aliorum habituum intra voluntatem vel intellectum, quorum infusio a causis naturalibus non dependet et potest fieri a Deo extra totum universum : Jam respondimus *. Nec enim dicimus ista causari ab aliqua causa naturali, sed a solo Deo, nec dependere ab ipso universo ut fiat, nec exigere quod res ipsa in universo sit, ut possit accipere istos habitus vel species; sed tamen ideo ista non latent alium Angelum, quia infunduntur tamquam accidentia quibus integratur aut perficitur ipsa virtus et potentia Angeli in ratione virtutis. Perficitur autem ab illis ut a formis, naturali et necessario modo informantibus et ornantibus rem seu naturam hujus universi, quæ est Angelus : et sic per modum naturæ ipsæ species seu habitus se habent, non moraliter et contingenter sicut actus liberi. Unde sicut ipsa substantia et potentia Angeli, licet possit poni extra tòtum universum, tamen per se dicit ordinem ad illud et se habet ut pars illius tamquam natura quædam : ita potentiæ illius, et accidentia quæ potentiam istam naturali modo et informatione vel integrant vel complent, omnia reputantur ut pertinentia ad partes universi et per modum naturæ se habentes. Quod non ita est in actibus liberis, quia non se habent per modum naturæ in informando vel perficiendo, nec determinationem habent et dependentiam aut connexionem cum aliis; et ideo non pertinent ad lineam rerum naturalium et constructionem universi, sed ad lineam moralem et liberam, quæ a solo Deo, ut est extra totum universum, determinatur et dependet.

* supra, n. 25, *Deinde*
* supra, n. 32

36. Quod vero attinet ad habitus acquisitos * nostris actibus liberis, multi sentiunt eos ab Angelo non cognosci : quia alias posset videndo habitus, ex eorum intensione vel remissione cognoscere actum magis vel minus intensum,

* cf. supra, n. 25, in fine

a quo processit ille habitus. Ceterum hoc non multum convincit : quia etiam in externis effectibus potest Angelus cognoscere intensionem vel remissionem actuum liberorum a quibus fiunt. Quod ergo in habitu intenso cognoscat Angelus habuisse hominem intensum actum, jam hoc non pertinet ad cognitionem actûs liberi in se, sed in effectu suo qui relinquitur in potentia. Nec est inconveniens quod actus cognoscantur in suis effectibus, sive effectus sint intra potentiam sive extra, dummodo non retineant libertatem et indifferentiam in procedendo et perficiendo sicut ipsi actus, nec a solo Deo determinentur in sui consistentiâ et processu a potentia libera : quod solum actibus convenit, non habitibus.

[*Quæsita minora*].

37. Sed inquires duo. — Primum est : An lateant Angelum operationes quæ sunt in nostro intellectu, vel in phantasia seu cogitativa, et operationes etiam appetitûs sensitivi.

38. Respondeo : Omnes istas operationes latere Angelum secundum quod sunt operationes ortæ ex motione voluntatis; licet actus appetitûs et phantasiæ, secundum quod ex impressione alterius causæ corporalis vel spiritualis immutantur, ab Angelo possint cognosci. Totum hoc sumitur ex D. Thoma (in hac q. 57*, a. 4 ad 3; et q. 8 *de Verit.* a. 13 ad 2, 4 et 8). — *Ratio est :* quia intellectus est potentia immediate dirigens voluntatem, et ab illa immediate mota, et in suis conceptibus repræsentans ipsos actus voluntatis, ut a voluntate eliciuntur; unde si Angelus posset penetrare omnes actus intellectûs, posset per illos ad secreta voluntatis irrumpere. Unde licet intellectus accipiat species ab objectis per sensus, et quoad hoc possint illæ species cognosci ab altero Angelo, ut etiam concedit D. Thomas (locis citatis, et q. 16 *de Malo,* a. 8 ad 5), tamen in utendo illis speciebus a nulla causa extra se determinatur plene, sed utitur illis cum vult : ut S. Thomas advertit (in hac q. 57, a. 4 in corpore). Et ideo in Scriptura non solum cor seu voluntas, sed etiam cogitationes cordis, id est, a voluntatis imperio ortæ et formatæ, dicuntur soli Deo cognitæ.

39. *Quod vero attinet ad operationes partis sensitivæ,* tam in apprehensione quam in appetitu, S. Thomas (in hac q. 57, a. 4 ad 3) dicit esse ignotas Angelo secundum quod procedunt ex motione voluntatis : licet, in quantum fiunt ex impressione alterius causæ corporalis vel spiritualis, non repugnet ab Angelo cognosci, quia pertinet ad Angelum cognoscere omnem dispositionem corporalem : sic enim appetitus et phantasia hominis se habet aliquando in hoc, sicut phantasia aut appetitus bruti sequens similes impressiones. Non tamen hos motus cognoscit ut procedunt ex motione voluntatis, quia etiam partes inferiores participant aliqualiter rationem (videatur D. Thomas q. 8 *de Verit.* a. 13 ad 4). Hinc fit quod bene potest appetitus sensitivus ex aliquâ impressione extrinsecâ et vehementiâ imaginationis habere vehementissimam passionem, nec tamen voluntatem deduci detinente continentiâ. Unde Angelus non potest ex vi cognitionis appetitûs sensitivi aut vehementis hujus impressionis cognoscere, nisi conjecturaliter, motum voluntatis, non tamen certo : quia non semper appetitus sensitivus movetur ex voluntate, aut eam plene movet. Ex actu tamen externo plene cognoscit Angelus consensum voluntatis : quia actus externus non nisi consentiente voluntate potest exire. Motus ergo appetitûs sensitivi, quando ex voluntate procedunt, redduntur latentes : quia hoc ipso ipse eorum exitus a causa sua est cum indifferentiâ ex[1] contingentiâ; et sic latet Angelum, licet impressionem videat vehementem, quæ appetitum fatigat et inclinat ex impressione naturali. Quod si eorum productio latet, tota substantia actûs latet : hæc enim cognosci non potest nisi ut producta. Si autem productio latet, entitas producta latet.

40. Et hinc sumitur responsio ad id quod in principio* difficultatis et postea sæpe repetitum est** : quod hæc entitas actûs liberi est naturalis ordinis; ergo non excedit capacitem intellectûs creati aut angelici, cum sit aliquid creatum et lumini creato debeat correspondere. — Dicimus enim quod entitas illa in se naturalis ordinis est, id est, non supernaturalis; sed productio ejus est libera, et cum contingentia et indifferentia tali quod a solo Deo plene determinatur et movetur; nec habet connexionem per se cum rebus universi quantum ad determinationem sui plenam, ac per hoc non determinate patet alicui intellectui ex vi cognitionis talis causæ

* supra, n. 7
** supra, nn. 25, 34

(1) Sic omnes || Censemus legendum : *et contingentiâ,* sicut infra legitur, n. 40.

indifferentis a qua exit. Determinatio autem ejus non potest accipi ex aliquo principio naturali pertinente ad hoc universum : quia a nullo dependet, nec cum aliquo habet connexionem per se. Ex principio autem increato et operante determinationem illam supra ordinem totius universi, id est, ut non pertinentem aut per se connexum[1] cum illo (licet non ut supernaturalem, quia non est supra totum ordinem entis creati aut creabilis), non potest ab aliquo intellectu creato penetrari : quia non penetrat ea quæ specialiter sunt in potestate Dei et non ad hoc universum reducuntur; alias posset etiam omnia possibilia cognoscere, ut dictum est*. Itaque ex productionis incognoscibilitate non cognoscitur illa entitas sic producta : sicut ea quæ supernaturaliter producuntur, licet entitative naturalia sint, non cognoscuntur in vi talis productionis. — Nec obstat quod Angeli, immo et homines, possunt cognoscere rem supernaturaliter productam, v. g. oculum datum cæco, vel mortuum resuscitatum, licet modo supernaturali producantur. Non inquam obstat : quia illa, licet supernaturaliter producantur, sunt tamen naturæ quædam et effectus determinati, et fiunt ut pertinentes ad hoc universum, sicut oculus cæci aut homo resuscitatus; actus autem liberi consistunt in ipsomet egredi a causa sua : unde si egressio est occulta, etiam actus ipse : quia, tam in fieri quam conservari, actus est a potentia indifferenti.

* supra, n. 27

41. Quod si inquiras, an etiam hoc procedat respectu præteritorum actuum, si quidem jam actus præteriti non dependent ab indifferentia libertatis, nec est in manu ejus reddere tales actus incognoscibiles : — Respondetur quod actus liberi præteriti, licet non dependeant a libera voluntate quoad esse de præsenti, tamen quia quando exstiterunt non fuerunt cogniti, nec cognosci potuerunt, et postquam transierunt non remansit aliquis effectus in quo manifestentur (ut supponimus), relinquitur quod nullo modo possint cognosci, neque quando præsentes, neque quando præteriti.

42. Secundum, quod inquiri potest, est an habeat Angelus species cogitationum alienarum infusas a principio, an non, sed solum infundantur quando unus Angelus alteri loquitur et manifestat illi suam cogitationem. De hoc inferius dicemus (disp. 25*) agendo de locutione Angelorum : dependet enim ex illa difficultate, an cognoscat Angelus locutionem alterius immediate per speciem illius cogitationis, an in aliquo signo vel effectu in quo manifestetur. — Nunc autem dicimus varias in hac parte esse Thomistarum sententias, de quibus videri potest M. Bañez (hîc, quæst. 57, a. 4). Sed tamen evidenter S. Thomas sentit per speciem innatam, quam unus Angelus habet de altero, cognoscere cogitationem ipsius quando ei manifestatur ab altero seu dirigitur ad ipsum : dicit enim (in q. 9 *de Verit.* a. 4[2] ad 11) sic, « quod unus Angelus cogitationem alterius cognoscit per speciem innatam per quam alium Angelum cognoscit : quia per eamdem cognoscit omne quod cognoscit in alio Angelo. Unde quam cito Angelus se ordinat ad alium Angelum secundum actum alicujus formæ, ille Angelus cognoscit ejus cogitationem; et hoc quidem dependet ex voluntate Angeli, sed cognoscibilitas naturæ angelicæ non dependet ex voluntate Angeli. Et ideo non requiritur locutio in Angelis ad cognoscendum naturam, sed ad cognoscendam cogitationem tantum. » Ita D. Thomas. Ex quo colligitur quod cum Angelus habeat speciem innatam alterius Angeli, et species quas habet Angelus repræsentent non solum substantiam, sed accidentia etiam illius, quia comprehensivæ sunt, consequenter species alterius Angeli vel hominis debet repræsentare ipsum et accidentia ejus : inter quæ etiam sunt cogitationes ejus, ut manifestabiles alteri per aliquam ordinationem erga ipsum.

* nunc disp. 45, art. 1

43. Nec est existimandum quod Angelus loquens, seu ordinans conceptum suum ad alterum, semper illuminet illum : plus enim requiritur ad illuminandum quam ad loquendum. Est enim illuminatio manifestatio veritatis superiori modo cognitæ, disponendo illam pro captu alterius : et ideo solum est in superioribus Angelis respectu inferiorum. Locutio autem est sola ordinatio unius conceptûs Angeli ad alium : quâ ordinatione positâ tollitur ratio secreti respectu illius, et sine alia illuminatione ab altero cognoscitur. Quare species illæ quæ repræsentant alterum Angelum, et secundario ejus cogitationes tamquam quædam illius accidentia, non absolute illas repræsentant, sed ut manifestabiles alteri per ordinationem ad ipsum : per hoc enim incipiunt pertinere non solum ad

(1) Sic omnes ‖ Opinamur corrigendum : *connexam.*

(2) Mendose omnes : *a. 5.*

ipsum elicientem, sed etiam ad alterum ad quem diriguntur, et præsertim si hoc fiat aliquo effectu vel signo determinato in quo cognosci possint : ut latius dicemus infra (disp. 25*), agendo de locutione Angelorum. Quamdiu autem non sic manifestantur et ordinantur ad alterum, cognosci non possunt, ut in exercitio exsistentes, per speciem innatam repræsentantem naturam alterius Angeli : quia non repræsentat illa species nisi naturam alterius Angeli : et ejus accidentia secundum quod se habent per modum naturæ, vel ut pertinentia ad hoc universum, vel ad ipsummet cognoscentem, repræsentantur. Pertinent autem ad ordinem naturæ et hujus universi ipsa substantia et potentiæ Angeli, et quidquid in eis est per modum virtutis et accidentis determinati et naturali modo exsistentis. Accidentia autem libera, si considerentur quoad suam quidditatem et in abstracto, cognoscuntur ab altero Angelo in communi; quoad sui autem exsistentiam, cum exsistant indifferenti et contingenti modo, et sic egrediantur a potentia, non repræsentantur ex se per modum alicujus naturæ determinatæ, prout indifferenti modo exeunt a libertate. Sed poterunt manifestari per modum cujusdam naturæ pertinentis ad hoc universum, si aliquo effectu manifesto et publico manifestentur; poterunt etiam manifestari ut pertinentes ad hunc Angelum cui loquitur, et non ad alium, si ordinentur ad istum et non ad alium (ut dicemus disp 25*).

* nunc disp. 45, art. 1

* nunc disp. 45, art. 1

44. Et sicut non est inconveniens, quod eadem species repræsentet naturam in individuis in quibus fit a Deo, individua vero successive producenda virtualiter repræsentat, et non in actu, quousque fiant habilia ut repræsententur, scilicet quando Deus ea producit et sic applicat et determinat species Angeli, ut ea repræsentet : ita non est inconveniens quod eadem species, quæ repræsentat alterum Angelum et ejus accidentia, etiam repræsentet cogitationes cordis, non absolute in actu, sed dependenter ab earum productione et alterius manifestatione (quia tunc fiunt objecta habilia, ut per illas species repræsententur tamquam aliquid pertinens ad alterum extra ipsum elicientem) : et tunc illæ species ex vi suæ prioris infusionis immutentur et applicentur ad repræsentandum hanc cogitationem, non solum productam in se, sed etiam manifestatam : quia ante manifestationem non accipitur ut pertinens ad hoc universum vel ad alterum Angelum.

45. *Quod si denique dicas :* Cur istæ cogitationes dicuntur non pertinere ad ordinem universi? si quidem non excedunt in sua perfectione potentiam et agens a quo eliciuntur, nec objectum circa quod versantur, ut quando versantur circa res naturales. Tunc enim tam ex parte objecti, quam ex parte potentiæ e qua egrediuntur, pertinent ad ordinem universi : si quidem potentia illa voluntatis de hoc universo est, sicut et substantia Angeli, et ita cognoscitur naturaliter ab altero Angelo. Cur ergo actus liberi talis potentiæ, qui sunt immediata ejus perfectio, non pertinebunt ad ordinem hujus universi, sicut ipsa potentia, præsertim si versentur circa objecta naturalia?

46. *Respondetur* quod isti actus, licet quoad actualitatem et entitatem suam sint perfectiones et fines intrinseci potentiæ liberæ, tamen in modo procedendi et exeundi a suo principio, quamdiu intra illud sunt et effectum ad extra non ponunt, non pertinent ad hoc universum : quia non habent connexionem cum aliqua re universi, a qua sufficienter determinari possint in sua productione, nisi a solo Deo ut operante supra totum universum. Hoc enim petit universalitas et amplitudo illius potentiæ, quæ in sua universalitate solum universalissimo agenti ut universaliter operanti subditur. Et sic sunt fines et perfectiones potentiæ, non solum ut entitas est, sed ut habet modum operandi ita universalem et excedentem alias partes universi. Et licet ipsa potentia sit entitas in se cognoscibilis determinata et fixa, habensque ordinem inter partes universi, tamen ejus modus operandi a nulla parte universi dependet, et solum universalissimo operanti immediate subest in determinando et emittendo ex se actum liberum, quamdiu ille exit intra se, propter suam indifferentiam et contingentiam liberam qua exit. — Quod autem habeat objectum ordinis naturalis, parum interest : quia objectum facit illum actum ordinis naturalis et determinatum quoad specificationem, et solum quoad specificationem ab objecto dependet et determinatur; sed quoad exercitium, et egressum a suo principio, non plene determinatur ab objecto : sed relinquit indifferentem et indeterminatam potentiam et soli Deo, ut universalissimo operanti, subjectam, ut illam determinet; et sic supra totum universum constituitur, quoad exercitium et usum.

47. Quæ pertinent ad mysteria gratiæ, quomodo ab Angelo cognosci possint, non habent peculiarem difficultatem præter illam quæ tractari solet in materia de incarnatione* : quomodo illud mysterium sit naturaliter ignotum omni creato intellectui. Eadem enim ratio est de aliis mysteriis. Ubi, Deo dante, tractabitur; et aliquid etiam attingetur** in materia de fide; et supra ***, agendo de cognoscibilitate Trinitatis, insinuatum est.

* infra, tomo VIII, in III P. q. 1, a. 1, in explicatione litteræ; et disp. 13, a. 1

** tomo VII, disp. 2, a. 2; et disp. 5, a. 1

*** disp. 34, a. 3, n. 1-17

ARTICULUS IV

Utrum Angelus possit intelligere aliquid discurrendo, vel componendo et dividendo.

1. MULTA quæ pertinent ad modum intelligendi in Angelo, ex his quæ tractavimus de modo intelligendi hominis (in lib. *de Anima,* quæst. 11*), hic explicanda sunt : ut quod non possit simul plura ut plura intelligere, et quid sit plura intelligere ut plura, vel per modum unius. Quomodo etiam eis non competat discursus, neque compositio et divisio, sed hoc sit proprium hominis et intellectûs rationalis, non intellectûs perfecti, qualis est angelicus. Ideo breviter difficultas proposita a nobis expedienda est.

* maxime art. 3-4 (RE III, 367-378)

QUID SIT SUPPONENDUM.

2. SUPPONENDUM EST, QUID REQUIRATUR ad rationem veri discursûs, veramque compositionem et divisionem. Ex eodem enim principio nascitur quod aliquis intellectus sit discursivus circa propositiones, inferendo veritatem unius ex aliis, et quod sit compositivus circa terminos, formando ex eis propositiones et judicium : videlicet quia talis intellectus procedit in cognitione et manifestatione veritatis de imperfecto ad perfectum, seu de potentia ad actum, ita quod uno cognito non statim cognoscit alterum neque convenientiam hujus cum illo, sed ex illo prius vel magis noto procedit ad aliud minus notum, ita quod illud prius illuminet et inducat in hoc posterius. Et non agimus hîc de discursu objectivo tantum, seu ex parte objecti se tenente, sed ex parte subjecti : ita quod ipsum subjectum seu ipsum cognoscentem denominet discurrentem. Cognoscere enim discursum ex parte objecti, ita quod cognoscatur discursus ab alio factus tamquam res cognita, vel cognoscatur aliquod objectum esse capax ut discurratur circa illud ab intellectu utente discursu, ita quod ibi cognoscatur ratio causæ et effectûs, seu unum esse notius altero, ita quod possit esse ratio illuminandi alterum, hoc etiam simplici intuitu potest cognosci et a Deo et ab Angelo; nec tamen per hoc constituitur et denominatur discurrens.

3. Loquendo ergo de discursu ex parte subjecti se tenente et denominante intellectum discurrentem, *duplex distinguitur discursus a D. Thoma* (supra, q. 14, a. 7) : scilicet discursus secundum successionem, et secundum causalitatem. — Discursus secundum successionem, est cum intelligimus unum postquam inteleximus aliud, ita quod non simul utrumque cognoscimus. Et sic talis discursus non est aliud quam negatio simultatis in cognoscendo plura, sed [1] unum post aliud. — Discursus secundum causalitatem addit, supra successionem cognoscendi, quod una cognitio causetur ex alia, ita quod ex uno noto seu cognito moveamur ad aliud ignotum ex vi prioris cogniti et manifestati; et sic manifestatio unius debet esse causa manifestationis alterius, non solum quia unum objectum illuminat aliud (hoc enim etiam in simplici intuitu plura objecta attingente accidere potest), sed quia ipse cognoscens prius illuminatur circa unum, et in illo nondum illuminatur circa aliud, sed movetur ad educendum ex illo aliud lumen seu manifestationem alterius. Non ergo sufficit ad discursum illud lumen quod plura manifestat, etiamsi prius unum et postea aliud : quia si eodem lumine utrumque attingitur, totum hoc pertinet ad simplicem intuitum, quia pertinet ad eamdem manifestationem et lumen seu notitiam, licet sint diversa manifestata ordine quodam : sicut oculus eodem lumine plura videt et unum per aliud, quia ordine quodam attinguntur ex parte rerum visarum; et

I P. q. 14, a. 7

(1) Supple : *sed [ponitur, seu cognoscitur] unum*... || Cf. tomi I Præfationem, cap. III, art. 2, § 3, n. 1.

similiter Deus plura attingit unico lumine. Requiritur ergo ad discursum quod sit diversitas et ordo etiam in ipso lumine, ut tenet se ex parte cognoscentis, et unum lumen oriatur ex alio : sicut ex lumine principiorum oritur lumen scientiæ : ita quod primum lumen non sufficit ostendere per se ea quæ inferuntur, sed habet se ut lumen probativum, id est, quod manifestat alterum per deductionem et illationem unius luminis ex alio, quia primum non est sufficienter in se comprehensivum totius. Unde fit quod requiritur ad discursum ex parte subjecti duplex cognitio seu manifestatio, et quod unum sit causa alterius, deducendo manifestationem unam ex alia, ita quod in prima manifestatione non attingatur actu secundum : quas duas condiciones ad discursum ponit S. Thomas (I *Contra Gent.* c. 57; et eodem modo id explicat in hac q. 57*, a. 3 ad 1).

4. An vero requiratur successiva duratio inter istas duas cognitiones, ita quod non possit discursus unico instanti perfici, vel etiam requirantur plures actus, non solum in ratione diversi luminis sed etiam entitative diversi, ad discursum : non multum interest, quamvis hoc secundum magis per se requiratur[1]. Eo quod in nobis, propter limitationem intelligendi, non reperitur quod idem actus seu entitas ita sit eminens quod includat duplex lumen, alterum per se principiorum, alterum illativum conclusionum : sed si unum lumen causatur ex alio, diversâ entitate id fit. — Quod vero in eodem instanti durationis totus discursus fiat vel pluribus, parum interest et materialiter ad discursum se habet : dummodo plura lumina seu actus, quorum unus deducatur ex alio, concurrant.

5. *Ex quibus colliges,* multas cognitiones non esse discursivas, in quibus tamen unum cognoscitur in alio vel per aliud ex parte rerum cognitarum : quia tamen non ex parte luminis seu actûs ista diversitas habetur, ita ut unum deducatur et derivetur ex alio, probativo et illativo modo, non habentur per discursum. Sicut visio rei in speculo, rei repræsentatæ in imagine, visio coloris mediante luce, cognitio rei in testificatione seu auctoritate dicentis : omnia hæc non attinguntur discursu, sed simul seu unico lumine, non uno lumine probativo alterius et deducto ex alio lumine. Nec enim testificatione probamus, aut ex illa deducimus, rem creditam : sic enim non esset credita, sed probata. — Nec obstat, quod aliquis credit hoc quia ille dicit seu testificatur, sicque ex dicto hujus movetur ad credendum : quod videtur sufficere ad discursum. Non inquam obstat : quia ly *quia* non dicit ibi nisi simplicem rationem credendi, et unum tantum lumen quod est motivum assentiendi : sicut oculus videt parietem quia est coloratus; non vero dicit rationem illativam et probativam veritatis, quasi per illationem causando ex uno manifestationem alterius, sed unicâ et simplici ratione assentiendo rei creditæ ex testificatione, non ex illatione et diverso lumine.

6. Ex eodem principio nascitur quod intellectus componat et dividat in formandis propositionibus, sicut quod discurrat in deducendis veritatibus. Componere enim dicitur, quia in unius simplicis rei conceptu non videt quid illi rei possit attribui, vel removeri : sed alio conceptu attingit subjectum de quo aliquid dicitur, alio id quod de illo dicitur, et ex utroque format seu componit enuntiationem. Solum est differentia, quod formatio propositionis ex pluribus procedit ad unum, et sic præsupponit plures conceptus simplices terminorum : tendit vero ad connexionem seu comparationem aut unitatem illorum, sive hæc adunatio et comparatio fiat per tertium conceptum, qui unus entitative sit, sive per ipsorum plurium respectum et collationem; de quo supra (disp. 2*) diximus, et in *Summulis* (quæst. 5**). At vero discursus non tendit ad uniendum seu adunandum conceptus, sed ad deducendum veritates, unam scilicet ex alia inferendo; et sic magis respicit ordinem causæ et effectûs, seu modum unius ex alio per illationem, quam adunationem et formationem alicujus ex pluribus.

* nunc disp. 22, art. 3 (tomo II, p. 620-632)
** præsertim a. 2 (RE I, 150-157)

QUID SIT TENENDUM.

7. His suppositis, CIRCA DISCURSUM ANGELI VERSANTUR TRES SENTENTIÆ, eodemque modo applicantur compositioni et divisioni. — *Prima* admittit in Angelis discursum, sicut in nobis : tam circa res naturales, quam supernaturales : tam circa ea quæ evidenter cognoscit, quam quæ non evidenter. Ita Scotus (in II, D. 7, q. unica, § *Contra conclusionem**; et in prologo

* n. 8, in fine

(1) Sic P, bene ‖ M *requirătur* ‖ L C *requirantur.*

Ii *Sentent.*, 3a parte**, q. 4 et 5 laterali***; et aliis locis). Attribuitur etiam Gregorio †, Occam ††, Gabrieli †††, quos citat Vazquez (hic, disp. 222, c. 1).

8. *Secunda sententia* per aliud extremum nullum discursum attribuit Angelis : neque in cognitione rerum naturalium et sibi evidentium, neque in notitia supernaturalium aut sibi non evidentium. Hæc est communis inter Thomistas : Cajetanus (super quæst. 58*, a. 3); ibi Bañez, Zumel**, Nazarius***, Navarrete (contr. 71), Carmelitani Salmanticenses (tract. de Angelis, disp. 8, dub. 2), Capreolus (in II, D. 3, q. 2, ad argumenta contra decimam conclusionem), Ferrariensis (III *Contra Gent.* c. 91), et alii.

** seu q. 3
*** n. 26-27
† II, D. 7, q. 5, a. 2
†† quodl. 4, q. 9. in fine; et II *Sent.*, q. 16, concl. 6
††† II, D. 3, q. 2, a. 3, concl. 9 primæ partis
* I P. q. 58. a. 3
** q. 58, a. 4, dub. 1-4
*** q. 58, a. 3. controv. 1 (alias : 47)

9. *Tertia sententia est media,* adstruitque Angelo per se non convenire discursum circa naturalia objecta, et ea quæ evidenter cognoscit : bene tamen posse discurrere circa objecta supernaturalia, et ea quæ obscure cognoscit. Non tamen eodem modo explicant hoc auctores hujus sententiæ. — Nam Suarez (lib. II de Angelis, c. 33) absolute tribuere videtur Angelis discursum circa hæc objecta. — Vazquez vero (disp. 222 citata, c. 3) non absolute tribuit discursum, sed aliquem modum discursûs. Distinguit enim in discursu duo. Primum, quod aliquid cognoscatur ut ratio alterius, et medium ad alterum, ita quod non immediate videatur in se. Alterum, quod distinctâ cognitione videatur unum et alterum, ita quod una cognitio sit causa alterius, et non solum objectum unum sit ratio alterius : hoc enim in eodem simplici actu potest contingere. Sic ergo primum dicit posse in Angelis reperiri respectu objecti cogniti supernaturali modo : eo quod hæc cognoscunt Angeli conjecturaliter et in alio, non immediate in se. Secundum vero dicit non reperiri in Angelis, quia eodem actu possunt simul plura apprehendere; ut viso miraculo possunt in eo per eumdem actum cognoscere divinitatem Christi. Et ideo non simpliciter attribuit Angelo discursum, sed aliquo modo, scilicet ex parte objecti, non ex parte cognitionum seu cognoscentis.

10. At vero Molina (super hanc q. 58, a. 3, § *Ex alio capite**) verum et proprium discursum Angelis attribuit, sed per accidens, hoc est, quando id quod ex alio conjiciunt non possunt in una eademque notitia conjungere : ut quia unum videtur abstractive, aliud intuitive. Quia arbitratur non posse unam et eamdem notitiam esse intuitivam et abstractivam, etiam respectu diversorum; et ita quando Angelus videt unum effectum, et ex illo conjecturaliter vel etiam certo cognoscit causam, quam non videt, vere et proprie discurrit : sicut cum visis creaturis cognoscit dari unum Deum : viso miraculo Christi conjiciebat dæmon ipsum esse Deum : viso aliquo signo, seu effectu externo, conjicit cogitationem esse in corde alicujus. In his et aliis similibus casibus Angelus vere discurrit : quia habet plures notitias, quarum una causatur ab alia; ergo est vere discursus; sunt autem plures notitiæ, quia non potest una esse simul abstractiva et intuitiva.

* IP2 600

11. Eodem modo sentit Molina* de compositione et divisione : quod quando prædicatum est necessarium et per se connexum subjecto, viso subjecto per eamdem speciem cognoscit prædicatum : et sic non componit. Cum vero prædicatum non est necessario annexum subjecto, nec per eamdem utrumque extremum videtur, et consequenter neque per eumdem conceptum, tunc Angelus vere componit si illa extrema conjungat. — Idem sentit Vazquez (disp. 223, c. 1) respectu accidentium supernaturalium, quæ Angelus attribuit alicui subjecto : quia non nisi per diversas species et conceptus possunt conjungi ista extrema; et consequenter utitur compositione. Multo autem difficilius dicit* posse teneri quod in Angelis non sit divisio per quam negetur unum de altero : eo quod negatio fit separando ea quæ diversa sunt et diversis speciebus et conceptibus cognoscuntur, sicut cum dicit hominem non esse lapidem; ubi autem sunt plures conceptus in attribuendo vel negando unum alteri, ibi est compositio et divisio; ergo si separatio fit per plures conceptus, Angelus vere dividit. — Idem sentit probabile Suarez (lib. II de Angelis, c. 32).

* q. 58, a. 4; IP2 601
* Vazquez, disp. 223, c. 2

12. NIHILOMINUS DICENDUM EST PRIMO, Angelum non posse discurrere neque per se, neque per accidens, circa objecta naturalia. — Quod si verum est fundamentum D. Thomæ ad probandum quod intellectus Angeli non discurrit, etiam probat circa nullum objectum discurrere.

13. HÆC CONCLUSIO NON ALIUNDE MELIUS DEDUCITUR quam expendendo rationem ipsam D. Thomæ (quam adducit tum in hac q. 58*, a. 3, tum in q. 8 *de Verit.* a. 15), scilicet ex differentia intellectûs angelici ad nostrum : quia

* I P. q. 58

nos sumus rationales, Angeli autem pure intellectuales. Habent enim se Angeli in genere intelligibili, respectu intellectûs nostri, sicut in genere corporali suprema corpora et incorruptibilia respectu corporum inferiorum. Ideo autem illa corpora incorruptibilia sunt et ingenerabilia, quia suum esse et suas perfectiones postulant non acquirere per motum, et transeundo de imperfecto ad perfectum et de potentia ad actum, sed postulant habere suam perfectionem statim a principio : si enim sic non haberent, acquirerent eam per motum, et consequenter generatione aliquâ et corruptione. Ergo Angeli, qui in genere intelligibili sunt supremi intellectus creati, in hoc debent elevari supra intellectum infimum, qualis est humanus, quod illi habeant suam perfectionem intelligibilem seu in genere intellectuali, non acquirendo eam per motum et deducendo ex aliqua manifestatione id quod est sibi ignotum, sicut in motu ex eo quod est in actu reducitur id, quod est in potentia, in actum. Perfectio autem intellectualis naturæ est attingentia veritatis. Ergo in ea attingenda non debent eodem modo procedere supremi intellectus, qui sunt perfecti, sicut infimi procedunt : qui non possunt visâ aliquâ veritate statim attingere et penetrare quidquid cum ea connexionem habet, quia non procedunt in attingenda veritate per comprehensionem, sed per motum seu discursum, et de una veritate nota ad aliam minus notam. Intellectus ergo supremi, qui in genere intellectuali perfecti sunt, oportet quod in veritate attingenda cum perfectiori et superiori actualitate procedant : et in eo in quo inferior intellectus, scilicet humanus, se habet in potentia, scilicet non penetrando neque comprehendendo in aliqua veritate totum quod ei convenit et intelligibile in eo [1] est, angelicus qui est ex naturâ suâ superior id habeat in actu : et sic comprehendat actu, quod humanus attingit transeundo de potentia ad actum.

14. *Et hoc ideo :* quia ea, quæ ex sua natura et non per accidens superiora sunt in entibus et subordinant sibi inferiora, continent actu et unite ea quæ in inferioribus sunt in potentia et multiplicia seu divisa, ideoque in eis proceditur de potentia ad actum. Et præsertim hoc habet verum si illa superiora influunt in inferiora, ita quod potentialitatem inferiorum reducunt ad actum, et eorum defectibus provident. Quod autem habetur in superioribus unite et per modum actualitatis, respectu eorum quæ divisa sunt in inferioribus et potentialiter se habent, hoc est habere [2] illa comprehensive : quia in simplicitate colligunt et comprehendunt quod divisim, et de potentia ad actum procedendo, habent inferiora. Quod si etiam influunt in inferiora, eorumque potentialitatem reducunt in actum, manifestum est quod debent habere in actu, quod potentialiter in inferioribus, ac per hoc per modum motûs, accipitur. Et ad hoc affertur exemplum de cælo respectu inferiorum : quia non perficitur in esse et augmento suo per motum, sicut inferiora; et ita universaliter influit in illa, quod continere debet unite et comprehensive, quod in inferioribus est multiplex et dispersum per suam potentialitatem.

15. *Applicando ergo ista intellectui angelico,* qui est supremus et perfectus in genere intelligibili, invenimus quod naturaliter Angelus est superior in intellectu ad hominem, et intellectus humanus subordinatus illi. Neque hæc superioritas convenit ei [3] per accidens (sicut unus homo potest esse alteri superior in intelligendo, licet omnes æquales sint), sed per se et naturaliter : quod demonstrat ejus pura spiritualitas, et separatio ab omni materia. Ex hoc enim clare colligitur quod intellectus Angeli non per accidens et tamquam res ejusdem lineæ et speciei, sed ex natura sua et per se, est superior et subordinat sibi intellectum hominis : ita quod potest illum perficere et illuminare in omnibus intelligibilibus, licet cum ordine ad sensibilia sub quibus veritas velata nobis proponitur, ut docet S. Thomas (infra, q. 111, a. 1). Ergo oportet quod Angelus utatur comprehensione et actuali intelligentiâ respectu eorum quæ homo per motum, et exeundo de potentia ad actum, intelligit. — Patet consequentia : quia superior causa, et de se influxiva et perfectiva inferiorum, debet actu et magis unite continere ea quæ in inferioribus sunt magis in potentia et magis divisa : si quidem omnia illa, quæ homo per discursum intelligit et procedendo de potentia ad actum, potest Angelus perficere et illuminare et in actum reducere; ergo respectu eorum est in actu, et non procedens de potentia in actum. Ergo comprehensione utitur, et non motu seu

I P. q. 111, a. 1

(1) Sic omnes || Suspicamur legendum : *in ea.*
(2) Omnes : *haberet,* mendose.
(3) Corrupte omnes : *convenit, et per accidens.*

discursu : quia illa est comprehensio, quæ nihil relinquit non intellectum in objecto; ergo implicat quod intellectus comprehensivus, et procedens perfecte, non actu intelligat omnia quæ ad talem rem pertinent. Ergo repugnat quod procedat discursive, si procedit comprehensive : quia sunt oppositi modi inter se discursus et comprehensio : illud enim comprehenditur, cujus nihil latet videntem, et sic non habet necesse procedere de una manifestatione ad aliam, cum nihil lateat hoc ipso quod ad intelligendum accedit; illud autem discurritur, quando aliquid latet videntem, quod ex manifestatione alicujus manifestatur ex alio ut inferente et deducente rem ignotam, non in se manifestante. Intellectus ergo Angeli, cum ex vi et perfectione suæ naturæ procedat comprehensive circa objecta quæ attingit, non procedit discursive.

16. Quod autem comprehensive procedat, deducitur ex eo quod intellectus Angeli est naturaliter superior ad intellectum hominis, et ita superior quod potest influere in illum et perficere. Unde debet habere proprietates rei et causæ superioris respectu inferiorum, sicut in rebus corporeis habet cælum respectu horum inferiorum, quorum potentialitates actuat et imperfectiones reducit ad perfectum; et sic debet unite habere quæ inferiores intellectus habent disperse et potentiâ. Et sic habet ex natura sua Angelus esse comprehensivus in veritatibus, et non discursivus : quia unite tangit, et actu, quæ nos per motum et discursum, et procedendo de potentia ad actum. Unde S. Thomas non procedit ex similitudine cælestium corporum solum quasi ab exemplo, nec quasi ex ratione solum probabili aut a posteriori : ut aliqui superficialiter attingentes litteram D. Thomæ existimant. Sed procedit efficacissime, ratione ductâ a priori ex eo quod Angeli sunt intellectus ex natura sua comprehensivi : ut patet in illis
I P. q. 58, a. 3 verbis, quod Angeli « statim, in illis quæ primo naturaliter cognoscunt, inspiciunt omnia quæcumque in eis cognosci possunt » : hoc enim est intellectus illos esse comprehensivos. Quod vero comprehensivi sint, probat ex perfectione quam habent in genere intelligibili : scilicet quia illum gradum habent in hoc genere, quem corpora cælestia inter res corporeas. Quod quidem non probat ab exemplo, sed ex propriis intellectûs angelici; declarat vero quoad nos quomodo ista vis comprehensiva eis conveniat, et perfectionem in attingenda veritate sine motu habeant, ex similitudine cæli respectu inferiorum. Et hanc rationem desumpsit S. Thomas ex D. Dionysio *, qui perpetuo affirmat Angelos non congregare ex pluribus intelligentiam suam, sed simplici lumine et unito procedere : de quo videri potest id quod citat D. Thomas (in hac q. 58 *, a. 3).

* de Divinis nom., c. 7; PG 3, 868

* I P. q. 58

17. UNDE DEDUCITUR SECUNDA ** PARS CONCLUSIONIS : videlicet quod, si hoc fundamentum D. Thomæ aliquid valet (et multum valere ostensum est), etiam probat quod in nullo eventu potest Angelus discurrere : nec circa supernaturalia, nec circa ea quæ conjecturaliter aut obscure cognoscit. In omnibus enim non mutat Angelus modum cognoscendi a sua superioritate ad nostrum infimum et imperfectum modum : sicut homo, si per intellectum cognoscit, quantumcumque imperfecte et ruditer se habeat, numquam dejicitur ad hoc ut intellectus modo brutali cognoscat, id est, per instinctum et determinationem, non per arbitrium et discursum. Unde D. Thomas perpetuo hoc agnovit, et absolute et pro omni casu docuit Angelum cognoscere sine discursu. Et in specie loquendo de his quæ Angelus naturaliter non cognoscit, et de his quæ conjecturaliter, sicut sunt cognitiones cordis ex aliquibus signis sensibilibus, vel de cognitione causarum in effectibus, manifeste docet omnia ista cognosci ab Angelo sine discursu : ut patet in q. 8 *de Verit.* (a. 15 ad 2, et ad 4, et ad 6) ubi circa ista objecta ponit argumenta ad probandum quod Angelus cognoscit illa per discursum, et tamen solvit illa.

** supra, n. 12, *Quod si*

18. *Et ratio est :* quia, loquendo de rebus supernaturalibus, illarum cognitio non destruit modum connaturalem cognoscendi, sed perficit et elevat; ergo, per hoc quod Angelus accipit cognitionem supernaturalium, non imperficitur nec deprimitur ad modum inferiorem, qualis est modus cognoscendi humanus per discursum. Quia gratia non destruit neque deprimit naturam, sed perficit et elevat. Unde vel dat modum superiorem cognoscendi, sicut visio beatifica, et tunc multo minus in illa discurritur : vel relinquit modum connaturalem cognoscendi, et non tollit illum sed elevat ad altiorem ordinem, et tunc etiam Angelus non discurrit. Numquam vero gratia deprimit naturam ad ordinem inferiorem : quia de se est immaterialior et elevatior quam natura; et sic, ad minus, non imperficit modum ejus connaturalem. Esset enim absurdissimum, quod per gratiam et ordinem divinum fieret Angelus deterior, et ad inferiorem

modum cognoscendi, scilicet ad modum humanum, deprimeretur. — De his vero quæ Angelus conjecturaliter et non quidditative cognoscit, etiam sine discursu judicat de illis : quia in ipsis signis vel effectibus, aut quibuscumque exterioribus ex quibus sumit conjecturam, statim ipsis cognitis videt Angelus ad quid et quantum se extendant. Quia quædam manifestant plene et quidditative per necessariam et evidentem connexionem, quædam vero conjecturaliter, quia solum habent connexionem contingentem; et istas connexiones sine aliquo discursu cognoscit Angelus visis effectibus seu signis in quibus continentur. Sed quia tales connexiones aliquando non plene manifestant aliqua, quia solum contingenter cum illis connectuntur, ideo solum ex talibus objectis accipit conjecturalem notitiam seu judicium, sine ullo tamen discursu : sed simplici intuitu videndo illam connexionem contingentem, sicut sine discursu videt connexionem necessariam cum eo cum quo habet [1] illam. Unde sicut, respectu eorum cum quibus habent connexionem necessariam, non fundant illa objecta discursum in Angelo, quia in ipsa simplici notitia objecti cognoscit connexionem illam ut necessariam, et consequenter ut demonstrantem rem connexam : ita, respectu eorum cum quibus habent connexionem contingentem, manifestant illa objecta ea quæ sic connexa sunt sub eadem connexione contingenti; et hoc est conjecturaliter solum cognoscere rem illam, sed sine discursu, sed unico et simplici lumine penetrante istas connexiones.

19. Non autem dici potest quod ex debilitate sui luminis Angelus conjecturaliter procedat : ut scilicet, ubi est necessaria connexio veritatum et per se, Angelus infimâ et probabili solum ratione procedat. Id enim esset non procedere lumine perfecto et comprehensivo naturarum, nec per species perfectas et exemplatas ab ideis divinis, quæ manifestant et repræsentant res ut sunt, id est, ut derivantur a Deo.

[*Difficultates solvuntur*].

20. *Nec dici potest,* sufficere ad perfectionem intellectûs Angeli, quod illi competat habere statim a principio omnes suas perfectiones in actu primo; non autem oportere quod statim a principio habeat illas in actu secundo. Alias haberet Angelus semper in actu secundo intelligere omnia quorum species habet : quod esset intelligere multa ut multa : quod negat D. Thomas (in hac q. 58, a. 2); et illa dicuntur I P. q. 58, a. 2 intelligi ut multa, quæ intelliguntur per plures species. Si autem non est necesse quod Angelus sit in actu secundo quoad omnem suam perfectionem, nec etiam est necesse quod semper intelligat comprehensive et in actu omnia quæ pertinent ad suas species; ergo poterit de uno procedere ad aliud tamquam de potentia ad actum.

21. *Addo secundo,* quod Angelus potest uti specie suâ inadæquate, et non secundum omnia quæ repræsentat : ut S. Thomas docet (q. 8 *de Verit.* a. 13 ad 2). Hac enim ratione probat quod, etiam si unus Angelus videat speciem quæ est in altero Angelo, non tamen videt quomodo utitur illâ, quia potest varia et diversa cognoscere ex una specie; ergo non semper utitur illâ adæquate : ergo neque comprehensive; ergo potest uti discurrendo, cum scilicet ex una re cognita per illam speciem transit ad aliam in eadem specie repræsentatam. — Et hoc urgetur exemplo scientiæ infusæ animæ Christi, per quam poterat Christus Dominus discurrendo cognoscere, si vellet (ut docet S. Thomas III P. q. 11, a. 3, et ibi communiter Thomistæ), solum per hoc quod poterat uti inadæquate illis speciebus infusis et unum deducere ex alio, licet omnium notitiam haberet et nihil illum lateret. Ergo non requiritur ad discursum quod procedatur ad aliquid ignotum et occultum ex aliquo notiori, sed sufficit uti speciebus repræsentantibus omnia inadæquate, et unum ex alio deducendo, etiam intra eamdem speciem : videlicet utendo illâ specie quoad unum objectum inadæquate, et ex illo procedendo ad aliud objectum partiale ejusdem speciei. Non est ergo id denegandum Angelo.

22. *Denique, in exemplo corporum cœlestium,* quo movetur D. Thomas ad asserendum quod Angeli non acquirunt perfectionem suam per motum, potius oppositum apparet. Nam etsi corpora cælestia non acquirant perfectionem suam per motum augmentationis suæ vel alterationis, bene tamen per motum localem, quo moventur et perficiuntur ad immutandum hæc inferiora : sine motu enim nihil in his inferioribus generaretur. Ergo non habent totam

(1) Sic omnes || Melius legeretur : *habent* [= *ea objecta*].

perfectionem suam ab initio, sed per motum : licet non per omnem motum, sed per localem.

* supra, n. 20 23. AD PRIMAM * RESPONDETUR, quod non est necesse quod Angelus habeat in actu secundo omne quod est in ipso in actu primo; ideoque convenit ei habere discursum successivum, hoc est diversa successive intelligere, et successive diversas operationes habere. Non tamen competit habere discursum secundum causalitatem, neque hanc perfectionem ita acquirere quod acquirat illam transeundo de noto ad ignotum per distinctum lumen, sed simplici motu aut actione eam habendo : sicut etiam corpora cælestia diversis actibus in hæc inferiora influunt, v. g. diversis illuminationibus vel adspectibus. — Et hoc ideo : quia Angelus petit habere operationes in actu secundo limitate, limitatione se tenente ex parte objecti : actiones enim penes objecta limitantur seu specificantur. Unde cum possit operari circa diversa objecta, oportet quod etiam possit habere diversas operationes, et non omnes simul. Ceterum in habendo unamquamque operationem et perfectionem ex illa provenientem, scilicet attingentiam veritatis, petit non procedere de potentia ad actum et de imperfecto ad perfectum, quod est procedere per motum : sed illam operationem perfecte habere, quia comprehensive, et statim attingere totam perfectionem quam potest per quamlibet operationem. Itaque non habere plures operationes aliquam potentiam creatam, non est perfectio : quia limitata potentia limitatas petit operationes; unde si non haberet nisi unam, imperfecta maneret, quia non omnia objecta complecteretur. Et hæc divisio operationum non provenit ex debilitate luminis circa idem objectum penetrandum, vel circa connexionem objectorum, sed ex limitatione potentiæ non valentis unico actu omnia complecti : præsertim quando ordinatur ad plura objecta, et potentia est ita ampla quod potest in infinita syncategorematice, necesse est multiplices esse operationes, quia penes objecta specificantur et limitantur. Et sic non debet habere omnem suam perfectionem simul et unicâ operatione ; quia non potest; nec nisi divisim : quia multas operationes seu omnes habere non potest simul, sed successive. Et sic discursus successivus, hoc est multiplex operatio in intelligendo, Angelis attribuitur. Ceterum respectu unius objecti, et unius intelligibilitatis fundantis de se connexionem ad ea quæ sibi conveniunt, procedere de potentia ad actum et de imperfecto ad perfectum, ita quod non possit vinci tota difficultas et intelligibilitas objecti plene attingi unicâ operatione, sed necesse sit plures adhibere, hoc imperfectionis est in tali natura operante, et oritur ex debilitate luminis non comprehendentis; et de hoc procedit S. Thomas quando eam negat supremis et perfectis intellectibus, quales sunt angelici, ideoque ab eis removet discursum.

24. *Ad secundam* * *dicimus,* quod uti aliquâ specie inadæquate, et non quantum ad omnia quæ repræsentat, potest stare dupliciter. — Uno modo, dividendo ipsum lumen, ita quod non attingatur utrumque objectum simplici tendentiâ ejusdem luminis : sed unum per se et immediate, aliud non per se, sed ex illatione et connexione ad alterum, eliciendo ex tali specie lumen quoddam illativum, et non eodem simplici utendo pro utroque objecto. Et ad hoc dividit [1] illam speciem seu inadæquate illâ utitur, non solum ut dividat conceptus seu cognitiones, unumque cognoscat prius, aliud post : sed etiam dividit lumina, ut unum cognoscat lumine simplici, aliud lumine illativo, et ex vi connexionis deducendo notitiam. — Alio modo potest intellectus uti inadæquate aliquâ specie, solum ut dividat cognitiones seu conceptus circa diversa objecta : non vero dividat lumina modumque cognoscendi, ita ut unum cognoscat simpliciter in se, aliud illative et in vi connexionis, sed utrumque simplici lumine : licet pro sua voluntate dividat cognitiones, applicando modo speciem uni cognitioni seu objecto tantum, et postmodum alteri, non tamen unum deducendo ex altero et in vi ipsius deductionis cognoscendo. — Igitur Angelus non potest uti inadæquate specie suâ primo modo, sed secundo. Potest enim ex multis objectis, quæ in una specie repræsentantur, accipere unum et relinquere aliud : et sic non omnia intelligere quæ per illam speciem repræsentabilia sunt, sed tantum aliqua vel aliquod. Non tamen potest mutare modum intelligendi, et alio lumine intelligere unum objectum, alio aliud : ita ut unum intelligat per se immediate, aliud illative seu lumine illativo et per modum connexionis et illationis manifestativo, non simpliciter. Sed si prius unum objectum tantum cognoscit de

[1] Supple : *dividit [intellectus] illam...*

repræsentatis per illam speciem, et postmodum aliud, hoc secundum non illatione manifestat sed simplici visione, sicut prius, ex eodem lumine deductâ : licet inadæquate utrique objecto applicetur species et lumen illud : sicut si unum luminosum uno eodemque lumine modo illuminet has partes, modo illas : quia diversa applicatio ejusdem luminis est, non diversum lumen derivando unum ex alio, unum quod sit simplex, aliud illativum et per consequentiam illuminans.

* cf. supra, n. 21, *Et hoc urgetur*

25. At vero in scientia infusa animæ Christi *, si aliquando discursu utebatur, licet per illas species omnia sibi essent manifesta et cognita, ideo erat quia ita temperabat illas species, quod unum objectum cognoscebat simpliciter, et aliud ex vi connexionis et illationis. Quod quidem recte poterat facere Christus Dominus : quia illæ species, licet essent infusæ et possent repræsentare sine discursu propter elevationem sui luminis, tamen quia attemperabantur subjecto in quo erant, scilicet animæ rationali et discursivæ, utroque modo poterant manifestare, et quoad usum subjici ipsi intellectui, et taliter ei manifestare unum objectum quod possent aliud manifestare ex vi luminis illativi, et perinde ac si esset in se ignotum et latens. Sicque poterat intellectus ex illis speciebus lumen illativum educere : eo quod, licet essent infusæ, erant tamen magis divisæ seu multiplicatæ, minusque universales quam species angelicæ, ut (eadem q. 11) docet S. Thomas (art. 4). Unde fuerunt magis aptæ ut illos [1] temperaret ad discursum, eliciendo ex eis lumen illativum, et non sistendo in lumine simplici manifestativo utriusque objecti : sed ita inadæquate utendo specie quod divideret lumina, et unum objectum attingeret per se et immediate, aliud non, sed lumine illativo ex illis speciebus educto; licet etiam possint immediate utrumque objectum repræsentare, et simplici lumine attingere propter elevationem talis luminis et specierum.

III P. q. 11, a. 4

* supra, n. 22

26. *Ad tertiam* * *respondetur :* similitudinem inductam a D. Thoma de corporibus cælestibus comparatione ad Angelos optime tenere quoad id pro quo adducitur. Non adducitur autem a D. Thoma ad probandum quod aut illa corpora debeant carere omni motu, aut illi spiritus omni successione et pluralitate actuum, vel etiam omni motione superioris causæ ad quam sunt in potentia; sed solum probat carere debere omni motu perficiente, aut augente eorum actualitatem aut integritatem, sicut per motum augmentationis nos perficimur in his in quibus integramur. Itaque quandocumque perfectio debita, seu quidquid debitum est et haberi potest, per motum et successive acquiritur, hoc ad imperfectam naturam spectat. Quando vero motus non servit ad hoc ut perficiatur et acquirat debitam perfectionem ipsum subjectum, sed est motus rei perfectæ, ut operetur et influat secundum modum suum, talis motus non provenit aut convenit imperfectæ naturæ : quia potius se habet ut motus perfecti, non imperfecti. Et sic cælum prius supponitur in tota sua perfectione et complemento, tam quoad substantiam, quam quoad quantitatem et qualitatem, et tunc movetur motu circulari perfecto : quo non movetur ad acquirendam propriam perfectionem, sed ad dandum et influendum inferioribus; et talis motus non est imperfectæ naturæ, sed perfectæ. Similiter Angelus supponitur perfectus et completus in esse intelligibili per species, et tales species quod possint comprehensive attingere veritatem, et in promptu habere quam volunt [2] et per illius comprehensionem; quod si hoc non posset acquirere nisi per motum, esset imperfectæ naturæ. Quod vero hâc suppositâ perfectione habeat motum quantum ad successionem diversorum actuum, vel moveatur a Deo ad intelligendum, hoc non est imperfectæ naturæ, sed perfectæ, licet creatæ et limitatæ.

[*Solvuntur fundamenta aliarum sententiarum.*]

27. Ex his solvuntur etiam fundamenta aliarum sententiarum ex Molina, Suarez et Vazquez, quæ inter referendas eorum sententias tacta sunt *. — *Nam quod attinet ad sententiam Vazquez* **, non est diversa a nostra : quia illa cognitio qua attingitur unum objectum post aliud, seu in alio, ut in medio, dummodo id fiat eodem simplici lumine extendente se ad diversa objecta (non autem in vi luminis illativi quod tantum cognoscit rem aliquam in vi connexionis et consequentiæ cum alia, non in vi comprehensionis et penetrationis rei in se simplici intuitu), hoc non est discursus de quo loquimur

* supra, n. 9-11

** supra, n. 9, *Vazquez vero*

[1] Ita omnes ‖ Censemus omnino legendum : *ut illas* [= *species*] *temperaret*.

[2] Sic omnes ‖ Facilius legeretur : *habere* [*veritatem*] *quam vult, et...*

ex parte subjecti, sed ex parte objecti vel solum ex parte successionis actuum.

* supra, n. 10, 28. *Ad fundamentum vero Molinæ* *, quod non potest eadem cognitio esse intuitiva et abstractiva respectu diversorum : Respondetur hoc fundamentum debilissimum esse, licet Molinæ valde durum videatur quod eadem cognitio sit intuitiva et abstractiva respectu diversorum : cum ipsemet Molina adducat exemplum in quo oppositum clare convincitur, scilicet in cognitione divina, et in visione beata : in quibus eadem cognitio attingit Deum intuitive ut præsentem, et res possibiles, quas eâdem cognitione in Deo videt, ut non exsistentes et abstractive. Similiter Angelus, intuendo essentiam suam, videt ibi, ut in effectu, Deum abstractive; et qui intelligit speculum cum imagine, videt seu cognoscit in illa abstractive rem repræsentatam, et speculum intuitive quia præsens. Et hoc præsertim verum habet, si intuitivum et abstractivum non sint perfectiones desumptæ ex diversa ratione formali cognitionis, sed sint habitudines (licet intrinsecæ et perficientes notitiam) ad diversam terminationem objecti in se cogniti : quatenus cognoscitur res ut præsens in se et exsistens physice, vel ut absens aut non exsistens. Sic enim eadem notitia procedens ex eadem ratione formali potest attingere ordine quodam plura objecta, et unum intuitive, aliud abstractive : quia illud exsistens, hoc ut absens sed connexum illi.

* cf. supra, n. 9 29. FUNDAMENTA SUAREZ *, quæ etiam militant contra Scotum **, etiam ex dictis soluta manent.
** supra, n. 7 FERE enim REDUCUNTUR AD ILLA DUO CAPITA
*** supra, n. 12-19 jam proposita et soluta *** : scilicet quando Angelus intelligit obscure aut opinative et conjecturaliter, vel etiam falso et erronee : aut quando intelligit supernaturalia non clare et per proprias species, sed connotative et prout ex naturalibus format earum cognitionem, aut per distinctas revelationes a Deo revelantur, nec in una illuminatione manifestat omnia prædicata quæ ad aliquam rem spectant. In his enim omnibus procedit Angelus de potentia ad actum, et per plures cognitiones : quia in ipsa prima inspectione rei non penetrat quidquid ad illam pertinet, sed ex uno conjecturatur aliud; ergo procedit arguitive, non semper comprehensive. — Unde D. Thomas solum removet ab Angelo discursum quando perfecte intelligit, supponens quod, cum imperfecte intelligit, non repugnat ei
I P. q. 79, a. 8 discurrere. Sic enim dicit (infra, q. 79, a. 8) : « Angeli, qui perfecte possident secundum modum suæ naturæ cognitionem intelligibilis veritatis, non habent necesse procedere de uno ad aliud, sed simpliciter et absque discursu veritatem rerum apprehendunt. » Ergo a contrario sensu, quando non perfecte Angeli cognoscunt, videtur ponendum quod Angeli procedant de uno ad aliud atque discurrant.

30. *Quod ergo in his casibus,* in quibus Angeli aut opinative seu conjecturaliter aut circa supernaturalia obscure et ex connotatione ad res naturales procedant, *per plures actus,* quorum unus ex connexione ad alterum se habet, et ex notitia unius ad alterum quasi de potentia ad actum *proceditur, quod sufficit ad discursum, probatur.* Quia in his casibus actus, qui versatur circa naturalia seu naturaliter cognita, est evidens; actus autem circa ea quæ conjecturaliter videntur est obscurus. Circa unum potest esse verus, circa alterum falsus. Similiter circa unum est naturalis, circa alterum supernaturalis : quæ non possunt simul identificari in uno actu. Ad ista autem Angelus est in potentia : quia ex propriis viribus non potest ea attingere; ergo quando movetur de uno ad alterum, ut de naturali ad supernaturale, movetur de potentia ad actum. Quod sufficit ad discursum : quia sic non habet totam perfectionem suam simul in primo actu : in quo fundatur ratio discursûs.

31. *Et confirmatur hoc amplius atque explicatur :* quia quando Angelus ex naturalibus attingit supernaturalia, non potest unico intuitu in naturalibus supernaturalia videre : quia res naturales non repræsentant aliquid de supernaturalibus, quia non se habent positive ad illas, sed mere negative; ergo oportet quod id attingat Angelus arguitive et deducendo unum ex alio. Nam per simplicem intuitum nihil in rebus naturalibus manifestari potest de supernaturalibus : quia res naturales solum negative se habent respectu rerum supernaturalium, et in potentia obœdientiali, quæ est non-repugnantia ad res supernaturales; ergo non potest Angelus per unicum intuitum tales res attingere : ergo per diversos actus, quorum unus deducitur ex alio. Immo, si posset unico intuitu attingere res supernaturales per similitudinem ad naturalia, non posset Angelus decipi, sicut sæpe dæmon decipitur judicando circa ista objecta : in his enim quæ unico intuitu videntur, non contingit deceptio.

32. *Confirmatur secundo :* quia in Angelis potest esse admiratio, quæ importat inquisi-

tionem cum aliqua ignorantia de eo quod inquirimus et insolitum apparet. Similiter est scientia, qua vere cognoscunt effectus per causas : quod sine discursu non contingit. Ac denique in voluntate datur processus de intentione finis ad electionem mediorum; et ex dilectione necessaria sui quoad specificationem, procedunt ad eligenda alia libere; ergo similiter in intellectu datur processus a principiis ad conclusiones : ergo discursus.

* n. 12-26 33. RESPONDETUR : JAM SUPRA * SATIS RESPONSUM ESSE, et ostensum quomodo Angeli, neque circa ea quæ obscure et conjecturaliter cognoscunt, neque circa objecta supernaturalia, habere [1] discursum, sed semper procedere simplici intuitu quantum res ipsa manifestare potest de alia : numquam vero procedere per distinctum lumen ab eo quo attingunt primum objectum in quo alia cognoscunt; sed semper carent lumine illativo, quo cognoscuntur aliqua per modum connexionis et consequentiæ tantum. Atque ita non sufficit quod Angelus per plures actus cognoscat de aliquo objecto ea quæ illi competunt, aut quia unum obscure et aliud evidenter cognoscit, aut quia unum sibi revelatur prius et aliud postea : sed necesse est quod cognoscatur unum ex vi alterius ratione connexionis, seu in vi illius tantum : hoc enim est cognoscere illative et per consequentiam, seu lumine illativo : quod pertinet ad discursum. Quia discursus non penetrat simplici intuitu essentiam, sed ratione connexionum deducit id quod non videt, sed infert ita esse; et sic est lumen consequentiæ, id est, ratione connexionis manifestans. Si autem non ex vi connexionis cognoscatur aliud, quantumcumque diversis actibus cognoscatur, non fit discursus, nisi forte secundum successionem tantum : de quo non agimus in præsenti ut sæpe * admonuimus. Et sic in omnibus exemplis et instantiis, quæ adducuntur in oppositum, est defectus : quia in nulla earum probatur dari duas cognitiones et lumina, quorum unum deducatur ex altero tamquam ex principio magis noto et manifestante alteram veritatem ut deductam et illatam ex priori, ac per hoc in vi luminis illativi et per connexionem et consequentiam, non per simplicem penetrationem veritatis, videatur. Et bene stat quod de supernaturalibus plures illuminationes Deus Angelis faciat, sed in unaquaque attinget unico intuitu quidquid ad illam illustrationem spectat, et sine discursu. Quando autem advenit alia, etiam illam sine discursu intelliget; nec transit de una ad aliam in vi connexionis et illationis, licet distinctâ illustratione detur : quod solum arguit discursum secundum successionem, non secundum causalitatem.

* supra, nn. 2-5, 23-24, 27

34. DICIMUS ERGO quod in illis casibus *, vel obscuræ et conjecturalis cognitionis, vel cognitionis supernaturalium per alienas species, non dari [2] processum de potentia ad actum per plures cognitiones et lumina, quorum unum se habeat illative ad aliud : sed unumquodque vel utrumque percipitur simplici intuitu et penetratione, non deductione et illatione unius ex alio ita quod lumen ejus, ut manifestativum veritatis ex alio, sit lumen illativum et per illationem consequentiæ manifestans, non per simplicem penetrationem quidditatis et eorum quæ sibi conveniunt : licet alias inter se connexa sint, quia ista connexio non est ipsa formalis ratio manifestandi, sicut in illatione et consequentia. Licet, quia connexio rerum non est necessaria, sed contingens, non manifestat Angelo rem certo et evidenter in illo simplici intuitu, sed contingenter et conjecturaliter, atque adeo obscure. — Auctoritas autem D. Thomæ allata * nulla modo est ad rem : quia D. Thomas (ibi **) cum dicit « Angeli qui perfecte possident cognitionem, etc. », ly *qui perfecte possident* non est particula restrictiva discernens Angelos, qui perfecte possident, ab Angelis qui imperfecte intelligunt, aut quando imperfecte intelligunt. Sed est universalis distinguens Angelos ab hominibus, non Angelos inter se. Dicit enim sic : « Ratiocinari est procedere de uno intellecto ad aliud ad veritatem intelligibilem cognoscendam; et ideo Angeli qui perfecte possident secundum modum suæ naturæ intelligibilem veritatem, etc. » Ubi loquitur de Angelis uuiversaliter, et illa particula « qui perfecte possident » universaliter omnes complectitur; et est perinde ac si redderet rationem et diceret : « Angeli quia perfecte possident, etc. »

* supra, n. 29
* supra, n. 29. *Unde D. Thomas*
** I P. q. 79. a. 8

35. *Ad rationem* * *autem respondetur :* in illis casibus unico actu, et non pluribus quorum unus deducatur ex alio, Angelum procedere. Et licet illo actu attingat unum objectum clare, aliud

* supra, n. 30

[1] Omnes : *quomodo Angeli... habere... procedere* || De talibus anacoluthis vide tomi I Præfationem, cap. III, art. 2, § 3, n. 3.

[2] Omnes : *Dicimus... quod... non dari* || Vide eumdem Præfationis hujus locum.

obscure et conjecturaliter, hoc non est inconveniens : cum hoc sit respectu diversorum, et secundum inadæquatas rationes materialiter ibi inventas. — Neque in hoc utimur doctrinâ supra* traditâ de intuitivo et abstractivo : in his enim melius apparet quod idem actus possit respectu diversorum esse intuitivus et abstractivus, eo quod intuitio et abstractio tenent se ex parte diversæ terminationis ex parte objecti materialis; et ideo non est mirum quod eidem actui possit convenire respectu diversorum. At vero actum esse evidentem et obscurum, non pertinet ad terminationem ex parte objecti materialis, sed ad motivum seu rationem formalem, ex qua habetur lumen sub quo aliquid videtur aut clare aut obscure. Unde difficilius apparet quomodo idem lumen possit in eadem ratione formali, seu in uno actu, unire rationem luminis evidentis et obscuri. — Dicimus tamen id non esse inconveniens respectu diversorum objectorum, quando datur diversa modificatio ejusdem luminis seu rationis formalis, ut applicatur diversis objectis, et ex tali diversâ modificatione resultat illa obscuritas seu minor evidentia in uno quam in altero : sicut etiam in visu externo. Quia lumen externum diversimode modificatur prope vel longe, et species rei propinquæ fortius movent quam distantis; ideo bene stat quod eodem actu videndi rem propinquam videamus distincte, et rem distantem confuse et obscure : et tamen idem actus videndi est et idem lumen, diversimode modificatum et applicatum. Quid ergo vetat quod Angelus, efficacitate sui luminis totam intelligibilitatem objecti aperiens, videat eodem lumine et actu comprehensivo ea cum quibus habet objectum illud necessariam connexionem evidenter et certo, ea vero cum quibus habet contingentem connexionem obscure et conjecturaliter et non certo? Sicut videt evidenter causam liberam vel contingentem, v. g. hominem, et inevidenter seu conjecturaliter effectum futurum, quia ibi contingenter continetur : quia videlicet juxta diversas connexiones cum objectis diversimode applicatur et modificatur lumen, ut hîc sit clarum, ibi obscurum.

* n. 28

36. Quod autem circa unum possit esse judicium Angeli verum*, et circa alterum falsum : Dicimus quod, ut bene notat Cajetanus (in hac q. 58**, a. 5), in Angelo solum est falsitas virtualis : quia est virtualis compositio aut divisio, quatenus intellectus Angeli simplici intuitu, et ad modum nostræ primæ operationis ex parte cognoscentis, attingit omnia composita et quidquid nos attingimus nostrâ compositione et divisione. Ille ergo actus simplex in Angelo, quo judicat de diversis objectis, potest virtualem falsitatem habere : quatenus, verum attingendo circa ea quæ naturaliter potest, non detinet illud judicium, sed eodem modo procedit circa ea quæ conjecturaliter tantum sibi repræsentantur. Unde dæmon quando decipitur, ex præcipitatione sua, sicut et quando peccat, ex abundantia advertentiæ speculativæ et malitiæ, decipitur et errat practice : quia videlicet pleno suo lumine advertit hoc objectum non ostendere talem veritatem nisi conjecturaliter seu contingenter, et tamen hoc advertendo vult ulterius extendi, et judicare de illo occulto et conjecturaliter tantum noto, ac si esset sibi certum et evidens. In hac extensione deceptio est et falsitas, sed conjuncta veritati qua judicat quid res illa ostendit certo, et quid conjecturaliter; et non obstante quod videt non nisi conjecturaliter hoc repræsentare, non se detinet, sed vult ulterius procedere et periclitari judicium, dicendo quod ita sit determinate, et fortassis non ita est in re : et sic fallitur. Ideoque dicit D. Thomas (art. 5 citato) quod dæmones non decipiuntur circa ea quæ naturaliter pertinent ad rem, sed circa supernaturalia. Cum judicio ergo non deceptorio, sed vero, circa rem naturalem, præcipitantur in rem sibi occultam. Unde ulterius fit, quod inconsideratio Angeli circa suam deceptionem aut peccatum est inconsideratio prævisa et affectata; ideoque non minus ei inhæret, quam illi rei quam advertit. Et hoc ideo : quia inconsideratio ista non provenit ex ignorantia privativa, aut ex defectu scientiæ speculativæ, sed ex præcipitatione qua sciens et volens non se detinet, sed judicat ultra quam potest, et inconcessa præsumit; unde magis est imprudens, quia magis voluntarie judicat, et se applicat ad id quod non potest. Et sic illud non-detineri est majoris imprudentiæ : quia magis volens peccat, et consequenter major inconsideratio practica seu defectus prudentiæ.

* cf. supra, n. 30, *Circa unum*
** I P. q. 58, a. 5

37. Ad id quod dicitur* de cognitione naturali et supernaturali, quando ex naturalibus procedit ad cognoscendum supernaturalia : Respondetur quod supernaturalia possunt cognosci ab Angelo dupliciter : vel supernaturali cognitione, vel solum naturali, scilicet prout in rebus naturalibus seu effectibus aliquo modo manifestantur, aut

prout cum illis conveniunt convenientiâ aliquâ, saltem proportionali. — Primo modo non cognoscuntur nisi divinâ revelatione, non autem ex ipsis rebus naturalibus : quia in naturalibus non continentur supernaturalia ut in se sunt, cum illa incomparabiliter excedant; et sic non currit argumentum quod ea arguitive* cognoscant. — Secundo modo non possunt supernaturalia aliquo modo cognosci ex solis rebus pure naturalibus, sive per discursum, sive sine discursu : quia nullo modo continentur res supernaturales in naturalibus, nisi secundum potentiam obœdientialem, quam Angelus naturaliter nullo modo cognoscit; et sic ex illa non potest elicere, neque per discursum neque sine illo, cognitionem rei supernaturalis positive, sed solum in communi et in confuso quod Deus potest ex illa creatura plus facere quam nullus valet intelligere. Quod est ex cognitione rei naturalis elicere cognitionem divinæ omnipotentiæ, ut superexcedentis omnia; et hoc sine discursu facit Angelus, sed simplici intuitu et eodem lumine, tantum percipiens de omnipotentia Dei et de ordine supernaturali in confuso et in communi, quantum in illa re naturali manifestabilis est. Ceterum si videat aliquem effectum supernaturalem positivum, ut suscitationem mortui, aut negativum, ut non videndo personam creatam in humanitate Christi, et tamen videns talem hominem subsistere et subsistendo operari, tunc Angelus ex naturali lumine sine ullo discursu judicat id quod illi effectus manifestant de se : scilicet aliquam causam superiorem totâ naturâ ibi esse, a qua ille effectus procedat : et nihil amplius (nisi temerarie et imprudenter judicet, ad quod etiam discursu non indiget, sed præcipitatione ducitur). Ad hoc autem non indiget discursu : quia totum hoc manifestatur sibi in ipsa naturali et simplici penetratione effectûs tam insoliti, videlicet in illâ carentiâ personalitatis propriæ videndo quod subsistit et exsistit illa natura humana, et in illa resuscitatione mortui quam videt a nulla causa naturali posse procedere. Si autem res supernaturales cognoscit Angelus solum in quadam proportione et confusione seu analogia ad res naturales, sic non indiget discursu neque argumento deducente unum ex alio, sed in ipsa penetratione simplici rei naturalis etiam proportionem cum supernaturali cognoscit : quia hoc non est aliud quam cognoscere ens in communi, vel qualitatem in qua communicant naturalia et supernaturalia, et hunc conceptum sine discursu formare potest.

* cf. n. 29, *In his enim*

38. Unde patet ad probationem*, qua dicitur ad ista omnia procedere Angelum de potentia ad actum, quatenus ex suis viribus naturalibus ea non attingit. — Dicimus enim quod ad attingendum supernaturalia in confuso et in communi, vel prout in aliquibus effectibus externis manifestantur, non est in potentia, neque procedit de imperfecto ad perfectum, magis quam ad cognitionem ipsiusmet effectûs aut rei naturalis in quo id videt : quia positâ cognitione effectûs fertur in omne illud quod in tali effectu manifestari aut contineri potest, sine alio lumine illativo quod ex vi deductionis et consequentiæ talem veritatem manifestet. Quod si in tali effectu res illa non continetur nisi pure negative et per potentiam obœdientialem, non poterit neque arguitive et per discursum, neque sine illo, talem rem cognoscere ex vi effectûs illius.

* supra, n. 30, *Ad ista*

39. *Ad primam* confirmationem jam responsum est*** *ex dictis,* quod supernaturalia, si nullo modo continentur in effectibus naturalibus nisi tantum negative seu per non-repugnantiam, non possunt Angelo manifestari ex vi cognitionis rerum naturalium, neque per discursum nec sine illo. Si vero aliquo modo continentur in aliquibus effectibus, hoc ipso sine discursu attingentur ab Angelo vidente talem effectum : quia in ipso videt simplici penetratione et intuitu quidquid ibi continetur, et eo modo quo continetur; et quidquid nos arguitive seu per discursum ex tali effectu possemus colligere et accipere, totum id simplici penetratione, id est, eodem lumine, et non per lumen illativum videt, nec per consequentiam ex alio priori lumine. — Quod autem possit dæmon errare et decipi*, non obstante quod unico intuitu rem videt, jam dictum est** quomodo id possit contingere respectu eorum quæ Angelis occulta sunt, et contingentem connexionem habent [1], et tamen vult determinate de eis judicare.

* supra, n. 31
** supra, n. 37-38

* cf. supra, n. 31, *Immo*
** n. 36

40. *Ad secundam* confirmationem dicitur,* quod admiratio in Angelis potest contingere respectu eorum quæ sibi sunt occulta, et tamen aliqua indicia vel effectus vident, quorum causæ supernaturales sunt : ut visâ resurrectione mortui factâ a Christo, de cujus divinitate non

* supra, n. 32

[1] Ita omnino legendum || Prave omnes : *habet*.

essent certi, aut visâ negatione personæ creatæ in ejus humanitate, poterant admirationem habere de causa sustentante ipsam. Sed illa admiratio in Angelis non incitat ad inquisitionem causæ per discursum, sicut nos : sed ad habendam illustrationem a superioribus Angelis, vel a Deo, de tali re occulta, quam sine discursu accipere debeant. Et hoc modo introducuntur aliquando Angeli in Scriptura quærentes (1) aliquid sibi ignotum, ut (Psal. XXIII, 8) : *Quis est iste Rex gloriæ?* et (Isa. LXIII, 1) : *Quis est iste qui venit de Edom?* Quam interrogationem de Angelis intelligit Dionysius (7 * cap. *Cœlestis hierarch.*). — Quod autem dicitur ** de scientia : Respondetur illam esse in Angelis per cognitionem causæ et effectûs ex parte rei cognitæ, sine aliquo discursu ex parte cognoscentis. Sed ex hac parte habet scientiam eminentiori modo quam nos, scilicet in principiis cognoscendo conclusiones sine ullo lumine illativo, sed per lumen comprehensivum. Nos autem inferiori modo intelligimus causam per se, et effectus per illationem ex causa.

* § 3; PG 3, 209 B
** supra, n. 32, *Similiter*

41. Ad id autem quod dicitur * de processu voluntatis a fine ad media : Respondetur esse disparem rationem inter intellectum et voluntatem. Quia voluntas ex perfectione sua habet quædam bona necessario diligere, alia vero libere; unde non pertinet ad ejus perfectionem quod, amato fine, statim amet omnia media : sed potest pro sua libertate hoc assumere et illud relinquere : licet per accidens, si sit tantum unum medium, feratur in illud necessitate quadam ex suppositione finis voliti, non simpliciter. Et tamen in illud in quod fertur libere ex electione, eodem actu fertur quo in finem, nec in fine sistit, licet non omnia media velit : ut infra (disp. 24 *) dicemus. Perfectio autem intellectûs petit ut nihil eum lateat, sed omnia videat quæcumque videre potest; unde est imperfectio ejus procedere de potentia ad actum, et tanto est perfectior, quanto plura in actu intelligit. Unde non est simile in processu voluntatis et intellectûs. Quæ est solutio D. Thomæ infra (quæst. 60, a. 2).

* supra, n. 32, *Ac denique*
* nunc disp. 44, art. 1
I P. q. 60, a. 2

DE COMPOSITIONE ET DIVISIONE INTELLECTÛS IN ANGELO.

42. **DICENDUM EST SECUNDO : intellectui Angeli nullo modo competere compositionem aut divisionem, et ex eodem principio debere negari ex quo negamus ei discursum.** — Ita D. Thomas (in præsenti q. 58, a. 4), ubi communiter omnes ejus discipuli (et videri etiam potest q. 16 *de Malo,* a. 6 ad 2 * secundi ordinis; et in II, D. 3, [q. 1], a. 2 in corp.).

I P. q. 58, a. 4
* rectius : ad 1m

43. ET RATIO EST EADEM quæ allata est ** ad negandum discursum in Angelis : Quia intellectus utens compositione et divisione est ille qui, viso et intellecto aliquo extremo, non statim videt in illo id quod sibi convenit aut a se removetur; et ideo indiget alterius extremi cognitione distinctâ, quæ comparetur cum prima, ad videndum an sibi conveniat vel disconveniat. Unde formaliter loquendo compositio non consistit in eo quod pluribus speciebus intellectus utatur ad aliquid integre et perfecte cognoscendum, sed quod indigeat comparatione et conferentiâ unius cum altero ad eliciendum judicium et cognitionem de convenientiâ vel disconvenientiâ talis prædicati ad tale subjectum : testatur enim debilitatem luminis intellectualis, quandocumque non potest directe et simplici intuitu penetrare connexiones rerum, sed indiget circuitu et comparatione unius cum alio, ut ex tali comparatione rerum manifestationem eliciat. Si autem, omissâ omni comparatione et conferentiâ unius extremi cum altero, potest quodam simplici intuitu et lumine utrumque extremum ejusque connexionem attingere, sive utatur pluribus speciebus sive unicâ, si tamen manifestatio et lumen inde ortum penetrativum est et comprehensivum ipsarum rerum et connexionum, hoc ipso differt a lumine collativo et ex comparatione rerum orto, quod semper est lumen debilissimum : sicut valde differt in rebus corporalibus oriri lucem ex collisione et attritu corporum, vel ex directa emissione radiorum a luminoso. Cum ergo Angelus habeat lumen intellectuale perfectum, penetrativo et comprehensivo modo tendens in objecta quæ sibi proponuntur, non comparativo et collativo modo, consequenter non convenit illi compositione et divisione uti ad manifestationem connexionis extremorum et veritatis, sed simplici quodam intuitu : quia lumine quodam penetrante, et non comparante, utitur.

** supra, n. 13-16

44. AD FUNDAMENTA AUTEM P. VAZQUEZ supra * indicata, referendo ejus sententiam : videlicet quod Angelus debet componere et dividere, quando attribuit subjecto aliquod

* n. 11, *Idem sentit*

(1) Mendose omnes : *quærente*.

prædicatum supernaturale : quia hoc non potest per speciem rei naturalis nec per conceptum ejus cognosci, et sic indiget duplici conceptu et specie. Et similiter divisio non fit nisi per cognitionem duplicis extremi, quorum unum non repræsentatur in specie seu conceptu alterius, aut illo viso : ut quando dicitur « Homo non est lapis » (nec enim lapis repræsentatur in conceptu hominis); ergo indiget duplici specie seu conceptu; ergo utitur compositione. Quotiescumque enim intellectus indiget ad cognitionem extremorum duplici conceptu vel specie, hoc ipso utitur compositione : quia non possunt illi conceptus adunari ad repræsentandam illam veritatem, nisi mediante aliquâ comparatione vel collatione. — Denique, in intellectu Angeli est veritas et falsitas formalis : ergo compositio et divisio : quia solum in illis agnoscit D. Thomas veritatem et falsitatem.

45. Sed ad hæc respondetur ex dictis. — *Ad primum dicitur* quod, quando supernaturalia cognoscuntur ab Angelo convenire extremis naturalibus, verum est quod species rei naturalis secundum se non repræsentat Angelo rem supernaturalem distincte et clare; potest tamen repræsentari supernaturalis res per aliam speciem, vel propriam de tali re supernaturali, vel connotativam et per respectum ad aliquem effectum vel rem naturalis ordinis. — Si repræsentetur res supernaturalis per speciem propriam et supernaturalem, talis species repræsentat rem illam cum suo subjecto quasi in obliquo et secundario : ita quod sicut per speciem naturalem alicujus substantiæ seu subjecti petit Angelus sibi repræsentari ejus accidentia, quia illi conveniunt illive connectuntur, ita e converso per speciem rerum supernaturalium petit sibi repræsentari talia accidentia non seorsum a subjecto sed prout in illo. Quia debent repræsentari eo modo quo a Deo fiunt per ideas suas, et secundum statum quem habent et exsistunt in re; sunt autem in subjecto; et sic in illo repræsentari debent. Et ratione talis repræsentationis potest Angelus utens illâ specie simul videre utrumque, scilicet subjectum et accidens supernaturale : quia utrumque eàdem specie et eodem simplici lumine repræsentatur, non autem lumine collativo et compositivo, id est, orto ex comparatione unius cum altero. — Si vero repræsentetur res supernaturalis non per speciem propriam sui, sed connotativam et alienam, v. g. per speciem alicujus effectûs aut signi quo manifestatur, tunc talis effectus etiam dicere potest ordinem ad aliquod subjectum, cui convenire debet tale accidens; et sic per talem speciem, sine ulla compositione, per simplicem intuitum poterit repræsentari effectus, res supernaturalis connotative ad effectum, et subjectum talis rei supernaturalis, ut dicit ordinem aliquem ad eumdem effectum. Ut v. g. si videt miraculum ex quo tamquam ex effectu colligit divinitatem Christi, seu mysterium incarnationis, ex eodem intelligit subjectum cui convenit tale mysterium, scilicet illum hominem qui dicitur Christus.

46. Quod si tandem aliquis velit gratiam vel accidens supernaturale repræsentari, vel proprie vel connotative, per speciem seorsum a subjecto, et ut attribuat Angelus tale accidens subjecto debere conjungere duas species, et hoc esse componere : Dico quod adhuc in tali casu non datur compositio, licet detur conjunctio specierum, et utraque specie utatur Angelus : quia uti multis speciebus aut conjungere illas ad producendum unum conceptum non semper est componere et dividere. Requiritur enim ad compositionem, ut diximus *, quod utatur multis speciebus : non manifestantibus convenientiam vel disconvenientiam extremorum unico intuitu, et lumine simplici penetrante et comprehendente illam convenientiam, licet ex concursu plurium specierum id procedat : sed manifestantibus illam convenientiam ex vi comparationis et conferentiæ unius extremi cum alio, ita quod non solum composita extrema cognoscat, sed quod ipsa compositio et comparatio det manifestationem enuntiationis : hoc est formaliter componere et dividere.

* supra, nn. 6 33-34. 36. 43

47. *Ad secundum * respondetur,* quod divisio, quæ est propositio negativa, dupliciter potest formari. — Uno modo cum cognitione distinctâ utriusque extremi, scilicet tam subjecti quam prædicati negati : v. g. si dicitur « Petrus non est lapis » : quod tam Petrum quam lapidem distincte et quidditative intelligat. Licet enim non sit necessarium, ad formandam propositionem illam negativam, quidditative utrumque extremum cognoscere, potest tamen sic cognoscere extrema, et de eis ita cognitis negationem formare. — Alio modo potest formari divisio seu propositio negativa sine cognitione distinctâ utriusque extremi, sed solum cum cognitione repugnantiæ unius extremi ad aliud : ita quod illud aliud extremum non cognoscatur quomodo

* supra, n. 44, *Et similiter*

vel quid in se sit, sed in quantum alteri repugnans, seu in quantum exclusum et negatum, non in quantum in se suis prædicatis constituitur.

48. Ad formandum primo modo propositionem indiget quidem Angelus uti pluribus speciebus conjunctis, quibus repræsentetur illa negatio extremorum : quia non solum repræsentatur negatio, sed etiam utriusque positiva quidditas, super quam cadat negatio. Sed tamen hoc non fit per compositionem : quia duplex illa species simplici repræsentatione et intuitu repræsentat suas quidditates, non ex vi collationis et comparationis. Negationem vero unius de altera quælibet illarum specierum sufficienter repræsentat, non ex comparatione et collatione unius ad alteram dignoscitur : quia in ipsa quidditatis positione alterius negatio est imbibita. — At vero, ad formandam propositionem secundo modo, non requiritur duplicis speciei concursus : sed per eamdem speciem, qua repræsentatur Angelo aliquod extremum, repræsentatur in illo quidquid ei convenit vel removetur ab eo : ut docet S. Thomas (in hac q. 58, a. 4 ad 1). Intelligentia enim quidditatis rei in Angelo æquivalet nostræ compositioni et divisioni, qua attribuimus aliquid, vel removemus ab ea. Quod intelligitur de omni eo quod removetur seu negatur ab aliquo, in quantum negatur et removetur. Nam cognitâ per speciem quidditativam hominis et penetratâ naturâ ejus, hoc ipso cognoscitur in vi talis naturæ, quod ibi non est alterius rei prædicatum quam hominis; et sic videtur leo et lapis et equus, non absolute et quidditative in se, sed prout non sunt homo seu prout excluduntur ab homine. Viso enim quid sit homo, etiam videtur quid non sit, seu quod ibi nihil aliud est, prout negatio fundatur in affirmatione; et sic non indiget Angelus componere cum alia specie, sed penetrare quidditatem unius, ut videat quid non sit illa.

I P. q. 58, a. 4, ad 1

49. Quod vero dicitur * quoties utitur intellectus duplici conceptu vel specie, hoc ipso componere : Jam dictum est ** compositionem aliquid amplius dicere, nempe quod ipsa comparatio et compositio sit ratio videndi et cognoscendi connexionem seu convenientiam aut disconvenientiam unius ad alterum. Et sic non sufficit adunare duplicem speciem, si utrâque solum elicitur cognitio comprehensiva et penetrativa alicujus convenientiæ et comparationis, non vero sola ipsa comparatio est ratio cognoscendi illa extrema et convenientiam eorum. Unde si ita comprehensive penetratur aliqua veritas ex concursu duarum specierum, conceptus erit unus : quia si unus conceptus non sufficit exprimere totum illud, comprehensio non erit una; atque adeo neque comprehensio erit. Sed quia ille conceptus non formatur ex vi comparationis et conferentiæ, sed ex vi penetrationis simplicis, in qua etiam comparatio ipsa attingitur, ideo non est ille conceptus compositio et divisio formaliter, licet totam compositionem intelligat simplici intuitu.

* supra, n. 44, *Quoties-cumque* ** maxime nn. 6, 43, 46

50. Denique, ad id quod dicitur * de veritate et falsitate : Jam dictum est **, quod invenitur in compositione etiam virtuali et eminenti, et non solum in formali. Quia illa simplex penetratio quidditatis æquivalet compositioni et judicio, quod nos per compositionem formalem facimus, id est, per comparationem et compositionem quæ est ratio sic cognoscendi enuntiationem illam. Virtualis vero est quæ ex parte objecti cognoscit compositionem, modus vero cognoscendi non est ex vi comparationis, sed simplici penetratione; et specialiter quomodo ibi sit falsitas explicatum est supra *.

* n. 44, *Denique* ** nn. 36, et 40, *Quod autem*

* n. 36

DUO COROLLARIA.

51. Ultimo, ex dictis collige duo. — Primum est : In Angelis respectu cognitionis naturalis nullus habitus, acquisitus vel ingenitus, est ponendus præter species intelligibiles, tam respectu veritatum quas evidenter cognoscunt, quam quas cognoscunt conjecturaliter aut incerto. Respectu autem supernaturalium indiget lumine superaddito per modum habitûs præter species intelligibiles. Et licet in hoc sint variæ sententiæ auctorum, tamen hæc videtur conformior menti D. Thomæ, quam sequitur Cajetanus (I-II, q. 50, a. 6) : ubi D. Thomas docet quod habitus intellectuales substantiæ separatæ « non sunt similes his qui sunt in nobis habitibus, sed magis sunt similes simplicibus et immaterialibus speciebus, quas continet in se ipsa ». Et (infra) addit quod, in quantum Angelus « est in potentia, indiget perfici habitualiter per aliquas species intelligibles, ad operationem propriam; sed in quantum est in actu per essentiam suam, potest aliqua intelligere, ad minus seipsum », etc. Nec ibi ponit alios habitus proprie dictos præter tales species, sed solum impugnat sententiam eorum, qui excluserunt ab Angelis habitum et omne

accidens, putantes per seipsum sufficere Angelum ad intelligendum omnia : cum tamen respectu rerum naturalium indigeat speciebus superadditis habitualiter disponentibus, qui solum sunt habitus repræsentativi. In supernaturalibus autem indigent non solum habitu seu qualitate repræsentativâ, sed etiam habitu operativo, seu lumine supperaddito virtuti propriæ.

52. *Ratio hujus est :* quia respectu supernaturalium indiget Angelus non solum repræsentatione objecti, sed etiam elevatione virtutis : eo quod virtus ejus est improportionata ad eliciendum actum supernaturalem, qui est superioris ordinis. Unde in ratione virtutis indiget fortificari et determinari aliquo habitu operativo et elevativo. Ceterum respectu veritatum naturalium Angelus habet virtutem ita efficacem quod, positâ repræsentatione suæ speciei, statim comprehendit totum quod illi convenit sine novo lumine et virtute, sive necessario et demonstrative, sive contingenter et conjecturaliter, unumquodque in suo ordine et linea; ergo nullam sentit difficultatem in penetrandis et intelligendis hujusmodi veritatibus, sed per simplicem intuitum ex virtute suæ potentiæ ea intelligit. Ergo superfluit ibi habitus : quia potentia ex se est sufficienter in actu ad penetrandum omnes illas veritates. — Neque in hoc est aliqua differentia inter veritates quæ in principiis continentur magis remote vel magis proxime, quæ continentur necessario vel probabiliter. Nam cum Angelus procedat comprehensive circa objecta repræsentata, primo intuitu attingit quidquid ad talem rem pertinet; atque adeo tantâ facilitate videt in principiis conclusiones proximas, quam remotas : quia comprehensio totum hoc postulat, seu modus iste intelligendi comprehensive. Et eodem modo intelligit quædam contineri in illis objectis necessario, quædam probabiliter. Unde ad intelligendum aliqua conjecturaliter non indiget alio lumine; sed illo ipso, quo rem penetrat, videt aliqua contingenter solum contineri in tali re et cum ea connecti : quod sufficit ut conjecturaliter ea cognoscat. Nec amplius in illa cognitione meliorari potest et perfici per habitum aliquem naturalem a se acquisitum.

53. Secundo colligitur, bene stare quod intellectus noster in compositione et divisione formandâ producat unum conceptum, qui entitative sit unus et secundum qualitatem simplicem formatus, et tamen vere dicatur componere et dividere. Non eo modo quo Vazquez (hîc, disp. 223, c. 3) impugnavit aliquorum, quos ipse refert, sententiam : quod compositio et divisio, et syllogismus, in nobis est una qualitas composita ex pluribus per physicam et realem unionem, sicut ex duabus aquis fit una aqua. Hoc enim nos nullo modo dicimus : cum qualitates illæ seu conceptus non se habeant ut forma et materia, vel ut partes integrales quæ componant unum totum. *Sed dicimus,* præcedere quidem in prima et simplici operatione plures conceptus : postea vero in secunda non illos uniri physice, aut novos respectus accipere quibus respective conjungantur : sed produci unum conceptum de novo, qui sit qualitas quædam una et simplex, repræsentans illa plura, quæ in simplicibus conceptibus distincta erant, per modum unius seu uniti et comparati inter se. Sed tamen recte vocari compositionem et divisionem : quia illa plura repræsentat et manifestat uniri et conjungi inter se, non ex vi penetrationis alicujus extremi, sed ex vi comparationis et conferentiæ unius cum altero, ex quo nascitur manifestatio convenientiæ aut disconvenientiæ extremorum. Et quia hæc manifestatio ex collatione et comparatione plurium oritur, in eaque fundatur, dicitur formalissime compositio aut divisio in ratione formali manifestationis et luminis; licet in entitate conceptûs compositio non sit physica, aut respectiva seu ordine tantum una, sed repræsentativa : quia qualitas illa sub una comparatione et collatione plura repræsentat, ut ex D. Thoma late tradidimus supra (disp. 2 *, art. ultimo et aliis locis).

* nunc disp. 22, art. 3, præsertim n. 25-36 (tomo II, p. 627-632)





QUÆSTIO LIX

DE VOLUNTATE ANGELORUM

SUMMA LITTERÆ



XPEDITO omni eo quod pertinet ad intellectum Angeli, ipso ordine doctrinæ transit D. Thomas ad ea quæ de ipsorum voluntate agenda sunt. ET IN HAC QUÆSTIONE AGIT DE IPSA VOLUNTATE eorum per quatuor articulos; in sequenti de actu voluntatis, qui est amor, per quinque.

In primo ergo articulo ostendit dari in Angelis voluntatem : quia datur inclinatio consecuta ad naturam cognoscentem, regulatamque cognitione, et non cognitione sensitivâ, quæ in eis non est, sed intellectivâ; ergo habent voluntatem.

In articulo secundo ostendit hanc potentiam voluntatis distingui in Angelis ab intellectu, et a natura eorum. — Distinguitur quidem a natura : quia prædicata constitutiva naturæ intra ipsam includuntur, nec ad aliquid extra se respiciunt vel ab eo specificantur. Voluntas autem tendit ad aliquid extra : quia est inclinatio in bonum non solum proprium, sed etiam extrinsecum. — Ab intellectu autem distinguitur : quia intellectus cognoscit trahendo res ad se, voluntas tendendo et impellendo se ad illas. Diversæ autem virtutis est trahere res ad se intelligibiliter, aut in eas, ut sunt in se, tendere : nisi sit virtus increata, quæ intra se habet omne bonum, nec indiget aliquo extra se, neque ad intelligendum neque ad volendum.

In articulo tertio ostendit in Angelis esse liberum arbitrium, idque multo excellentius quam in nobis : quia est in ipsis altior intellectus, cum majori universalitate et indifferentiâ respiciens objectum suum; ex indifferentiâ autem judicii circa bonum nascitur libertas in voluntate ad tendendum.

In articulo quarto ostendit non distingui in Angelis appetitum concupiscibilem et irascibilem : neque sicut in nobis, in quibus distinguuntur isti appetitus in parte sensitiva, qua caret Angelus : neque ullo alio modo, quia voluntas est appetitus boni secundum universalem rationem boni, unde non potest dari appetitus in parte intellectiva, seu voluntas, quæ distinguatur penes bona particularia.



QUÆSTIO LX

DE AMORE ET DILECTIONE ANGELORUM

SUMMA LITTERÆ

IN ARTICULO PRIMO ostendit quod in Angelis est amor naturalis erga aliqua objecta. Et sumitur ly *naturalis* non pro appetitu innato, sed pro actu appetitûs eliciti : qui tamen procedit necessario, et non libere, ab ipso. Et ratio est : quia in omni natura datur aliqua inclinatio juxta modum talis naturæ, eique adæquata et proportionata, quæ necessario illi convenit; ergo et in natura intellectiva debet talis inclinatio non deesse.

In articulo secundo ostendit dari etiam in Angelis dilectionem electivam, id est, liberam, et ex arbitrio procedens [1], non ex necessitate. Licet enim aliqua debeat voluntas naturaliter appetere, sicut fines, aliqua tamen elective et libere appetit, sicut media : quia media non de necessitate simpliciter appetuntur, sed propter aliud, et ut conducunt ad aliud; illud autem aliud propter se appetitur, et non propter aliud : sic enim esset abire in infinitum. Ergo aliqua debet libere appetere, scilicet quæ in se non habent bonitatem necessariam et propter se appetibilem, alia autem naturaliter, scilicet quæ ratione sui appetuntur et ex immediata adæquatione cum voluntate. Intelligitur appeti necessario quoad specificationem.

In articulo tertio ostendit quod Angelus seipsum diligit, tum naturali dilectione, tum electivâ. Naturali quidem, in quantum naturali appetitu aliquod bonum sibi diligit, ut esse, vivere, etc. Electivâ autem in quantum aliquod bonum libere sibi vult.

In articulo quarto ostendit quod alium Angelum etiam diligit naturali dilectione sicut seipsum, in quantum convenit secum in natura : sic enim diligit illum sicut se, et sicut suam naturam in qua alter convenit. Diligit etiam libere, in quantum ab eo differt, vel [2] in aliquibus aliis quam in natura convenit secum.

In articulo quinto ostendit quod naturali dilectione plus et principalius diligit Angelus et homo Deum, quam seipsum : quia naturalis habitudo et inclinatio plus est ad bonum totale et universale, quam ad partem, cum magis ex toto dependeat conservatio partis; ideoque naturaliter partem exponit natura pro conservatione totius. Deus autem est universale bonum, Angelus autem pars. Plus ergo natura Angeli tendit in Deum, quam in se.

(1) Sic omnes || Cf. tomi I Præfationem, cap. III, art. 2, § 3, n. 5, b).

(2) Intelligito : *vel [in quantum alter Angelus] secum convenit in aliquibus aliis quam in natura.*

QUÆSTIO LXI

DE PRODUCTIONE ANGELORUM IN ESSE NATURÆ

[SUMMA LITTERÆ]

EXPLICATÂ naturâ Angeli, ejusque proprietatibus, SEQUITUR AGERE DE PRODUCTIONE IN ESSE. Et primo in esse naturæ, secundo in esse gratiæ.

In primo ergo articulo ostendit Angelos habere causam sui esse, quia sunt creaturæ, et entia per participationem; solus autem [Deus] est suum esse, et a se.

In articulo secundo ostendit Angelum non esse productum ab æterno : quia nihil ab æterno productum est a Deo, ut fides docet; sed cuncta facta sunt in tempore postquam nihil fuerunt.

In articulo tertio ostendit nec etiam fuisse Angelos creatos ante mundum corporeum, sed cum hoc universo in principio temporis factos fuisse : quia pars sunt universi, et unum faciunt cum natura corporea; quamvis contrarium non sit erroneum, præsertim propter auctoritatem Nazianzeni *. * or. 38, n. 9-10; PG 36, 320 C, 321 A

In articulo quarto ostendit creatos fuisse Angelos in cælo empyreo : quia, si creati sunt cum ordine ad hoc universum, in aliqua illius parte creari debuerunt; et cum sint omni creaturâ corporali superiores, eique præsidentes, in supremo corpore quod est cælum empyreum debuerunt creari. Quamvis etiam dici possit quod superiores Angeli in supremo corpore, alii autem in inferioribus corporibus sint creati.



QUÆSTIO LXII

DE PERFECTIONE ANGELORUM IN ESSE GRATIÆ ET GLORIÆ

SUMMA LITTERÆ

IN ARTICULO PRIMO ostendit D. Thomas quod Angeli non sunt creati in beatitudine supernaturali : quia hæc beatitudo non est aliquid naturæ, sed finis superior naturæ acquirendus per merita; non ergo in illa sunt creati, bene tamen in felicitate naturali.

In articulo secundo ostendit quod Angelus indiguerit gratiâ ad convertendum se in Deum supernaturaliter : eo quod inclinatio ad id quod est super naturam non potest oriri, nisi ab aliquo principio supernaturali moveatur talis natura : sicut calor non potest generare carnem, ut movetur ab igne, sed ut movetur ab anima. Ergo nulla creatura rationalis potest habere motum ordinatum ad supernaturalem beatitudinem, nisi ut movetur a supernaturali agente : et hoc vocatur auxilium gratiæ.

In articulo tertio ostendit quod Angeli creati sunt in gratia, utpote magis consonum dictis Sanctorum. Et quia gratia dicitur *semen Dei* (I Joa. III, 9), sicut in prima creatione corporalis creaturæ inditæ sunt illi rationes seminales omnium effectuum naturalium, ita conveniens fuit quod intellectuali creaturæ infunderentur a principio seminales rationes effectuum supernaturalium, quia ad illos ordinabatur.

In articulo quarto ostendit Angelum suam beatitudinem meruisse : quia beatitudo est finis excedens totam naturam; et sic non oritur ex ipsa natura, sed ex dono Dei habetur tamquam præmium virtutis. Ergo oportet quod meritum præcedat ad illam, ex parte ejus qui assequitur beatitudinem. Unde etiam propter hoc oportuit quod gratia esset in Angelis ante gloriam.

In articulo quinto ostendit quod Angeli, statim post unum actum meritorium, habuerunt beatitudinem : quia proprius modus operandi in Angelis est, quod suam perfectionem non acquirant per discursum, seu per multos actus transeundo de imperfecto ad perfectum, sed quod statim habeant totam perfectionem quæ sibi debetur aut datur. Ergo cum iste modus non destruatur a gratia, sed perficiatur, oportuit quod

etiam in supernaturalibus non per multos actus acquirat suam perfectionem, sed per unicum habeat id quod nos per plures.

In articulo sexto ostendit quod Angeli habuerunt gratiam, et gloriam, juxta quantitatem suorum naturalium : non quia natura fuerit dispositio ad gratiam : sed quia Deus suâ voluntate et gratiâ ita disposuit diversos gradus in natura angelica, quod illos ad diversos etiam gradus gratiæ ordinavit : quia gratia modo agendi naturæ se accommodat; natura autem Angeli quanto superior est, tanto efficacius operatur; et sic etiam gratia intensiori vi illam movet.

In articulo septimo ostendit quod in Angelis beatis remanet cognitio et dilectio naturalis : quia per beatitudinem non destruitur sed salvatur natura : ergo et actus naturæ, quæ est operatio naturalis.

In articulo octavo ostendit quod Angelus beatus non potest peccare : quia nullus beatus potest aliquid operari relinquendo vel omittendo visionem Dei, sed attendendo ad illam; nullus autem attendens ad Deum in sua operatione potest peccare : quia peccatum contingit ex defectu et aversione a regula, quæ est Deus.

In articulo nono ostendit quod Angeli beati non possunt proficere in beatitudine quantum ad hoc quod videant Deum clarius aut melius : quia beatitudo est finis ultimus ultra quem non est progressus; unde acquisito fine ultimo, in eo termino qui a Deo præfigitur, non est ulterior progressus.





QUÆSTIO LXIII

DE ANGELORUM MALITIA

SUMMA LITTERÆ

IN ARTICULO PRIMO ostendit D. Thomas quod in Angelis, sicut et in qualibet creatura, potest esse peccatum : quia quælibet creatura, considerata ex sua natura, non habet sibi inhærentem regulam suæ rectitudinis, quia hæc est voluntas divina; unde potest ab ea deficere pro sua libertate.

In articulo secundo ostendit quod in Angelis solum est peccatum superbiæ et invidiæ quantum ad affectum : quia affectus spiritualis substantiæ directe non est ad bona corporalia, sed ad bona spiritualia : in quibus non est peccatum, nisi in quantum in eis appetendis superioris regula non servatur : quod proprie pertinet ad superbiam, quæ renuit subjici ordini superioris; ex quo sequitur peccatum invidiæ. Possunt tamen alia peccata esse in dæmonibus secundum reatum, in quantum ad illa inducunt homines.

In articulo tertio ostendit quod diabolus appetierit esse ut Deus, non quidem per æqualitatem in gradu naturæ, quia hoc erat impossibile, sed per similitudinem : non quidem in eo in quo creatura debet imitari Deum, quod est in exercitio virtutum, sed quantum ad hoc in quo Deus non est imitabilis, ut quod voluerit habere ultimum finem, non emendicando illum a Deo per gratiam, sed ex sua natura; vel saltem renuendo illum habere ex liberalitate Dei, et solum remanendo in sua naturali felicitate.

In articulo quarto ostendit quod dæmones non sunt naturaliter mali, sed ex libero arbitrio : quia natura eorum a Deo facta est, et ordinata in bonum; ergo [dæmon] non est ex sua natura malus.

In articulo quinto ostendit quod istam culpam ex libero arbitrio non habuerit Angelus in primo instanti suæ creationis : eo quod operatio, quæ incipit cum esse rei, provenit ipsi a suo generante. Unde non potest esse defectuosa illa prima operatio, nisi generans a quo movetur defectuose moveat. Qui autem Angelum produxit Deus est, qui defectuose movere non potest.

In articulo sexto ostendit quod diabolus statim post primum instans suæ creationis peccavit : quia cum in ipso primo instanti habuerit actum meritorium, cum quo creatus

est a Deo, et Angeli per unicum actum meritorium acquisierint beatitudinem, si non peccasset post primum instans, beatitudinem accepisset.

In articulo septimo ostendit quod Angelus supremus inter peccantes fuerit simpliciter supremus inter omnes : quia habuit majus motivum ad peccandum propter majorem excellentiam. Et peccatum in Angelis non fuit ex aliqua pronitate vel fomite peccati, sed solum ex libero arbitrio.

In articulo octavo ostendit quod peccatum primi Angeli fuit aliis causa peccandi non per modum cogendi, sed persuadendi : sic enim traxit draco secum *tertiam partem stellarum*, ut dicitur (Apo. XII, 4). Et in hujus signum ceteri dæmones subduntur primo Angelo peccatori in pœna, cui consenserunt in culpa.

In articulo nono ostendit plures permansisse de Angelis in bono, quam cecidisse in malo : quia in naturis perfectis natura in paucioribus deficit, et in pluribus consequitur suum effectum; peccatum autem est defectus contra naturam.





DISPUTATIO XLIII

DE MERITO ET PECCATO ANGELORUM

ARTICULUS I

Utrum dari possit creatura ex sua natura impeccabilis.

1. NULLAM DARI DE FACTO INTELLECTUALEM CREATURAM, QUÆ EX SE IMPECCABILIS SIT, ABSOLUTA FIDES EST : cum id aperte Scriptura testetur colligens omnem creaturam intellectualem, scilicet angelicam et humanam, et illis attribuens peccabilitatem, sicut (Job IV, 17-19) dicitur : *Numquid homo Dei comparatione justificabitur, aut factore suo purior erit vir? Ecce qui serviunt ei non sunt stabiles, et in Angelis suis reperit pravitatem; quanto magis hi qui habitant domos luteas? etc.*; et infra (XV, 15-16) : *Ecce inter sanctos ejus nemo immutabilis, et cœli non sunt mundi in conspectu ejus; quanto magis abominabilis et inutilis homo? etc.* Quibus verbis omnem creaturam Scriptura complectitur, et loquitur universaliter : ut patet illis verbis *nemo immutabilis,* etc., et hoc *inter sanctos ejus;* sed quæcumque creatura impeccabilis dicatur, sancta est; ergo si inter sanctos nemo immutabilis, nulla creatura sancta est impeccabilis. Idem deducitur ex illo (Psal. CXLII, 2) : *Non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* Quem locum ponderat S. Hieronymus (epist. 146 *, ad Damasum), quod non dicit Scriptura « omnis homo », sed *omnis vivens,* id est : « Non evangelista, non apostolus, non propheta; ad majora conscendo, non Angeli, non Throni, non Dominationes, non Potestates ceteræque Virtutes. Solus Deus est in quem peccatum non cadit; cetera, cum sint liberi arbitrii, in utramque partem suam flectere possunt libertatem. » Et S. Augustinus (lib. de fide ad Petrum, c. 3 *) : « Ideo naturæ a Deo factæ proficere possunt, quia esse cœperunt; ideo deficere, quia de nihilo factæ sunt. » Et (c. 23 *) : « Firmissime tene, et nullatenus dubites, omnem creaturam naturaliter mutabilem, et a Deo immutabili factam. » Eamdem rationem quare omnis creatura sit peccabilis, quia ex nihilo facta est, assignant Nyssenus (lib. VII de Libero arbitrio, cap. ultimo *), Damascenus (lib. *Fidei* II, c. 27 **) : quos citat, sequiturque S. Thomas (q. 24 *de Verit.* a. 7; et in hac q. 63 ***, a. 1; et aliis locis postea † citandis).

* nunc ep. 21, n. 40; PL 22, 393

* PL 40, 761

* PL 40, 773

* c. 41; PG 40, 776; cf. PG 45, 800

** PG 94, 960

*** I P. q. 63

† infra, nn. 27-28, 33-34, 50

2. *Difficultas est* in assignanda ratione quare implicet contradictionem, quod aliqua creatura non [1] possit esse impeccabilis. — Et difficultas est in duobus. Primo, in defendendis rationibus D. Thomæ, quas in hac parte affert. Secundo, an probent omnem creaturam esse peccabilem, tam in ordine ad finem supernaturalem, quam in ordine ad finem naturalem tantum, ita ut intra limites naturalis ordinis præcise sint Angeli capaces peccati.

(1) Hæc negatio prorsus superfluit; vide infra, n. 9, in fine || Cf. tomi I Præfationem, cap. III, art. 2, § 3, n. 2.

RESOLUTIO EX D. THOMA.

3. **DUABUS CONCLUSIONIBUS** (1) **RESPONDEMUS. — PRIMA EST : Rationes D. Thomæ efficaciter probant Angelum, et quamlibet creaturam intellectualem liberam, esse peccabilem ex natura sua, et solum per gratiam reddi posse impeccabilem.**

4. **SECUNDA CONCLUSIO EST : Angelus intra limites ordinis naturalis consideratus, et in ordine ad finem naturalem tantum, sub hac ratione præcise, nisi alius ordo seu habitudo addatur, peccare non potest; licet modo, peccando de facto contra finem legemque supernaturalem directe, etiam contra legem naturalem, quæ a supernaturali supponitur, peccare potest.**

5. UTRAQUE CONCLUSIO SUOS HABET CONTRADICTORES. — *Contra primam conclusionem* pauci aut fere nulli sunt auctores qui oppositum teneant, licet in ejus reddenda ratione hæreant. Nam quod Gabriel (in II, D. 23 *, a. 1 et 2) et Major (ibidem, q. 2, concl. 4 et 5) sentiunt posse produci a Deo voluntatem impeccabilem, ideo est, quia existimant posse de potentiâ absolutâ dari voluntatem creatam quæ non sit libera; sublatâ autem libertate tollitur peccabilitas. Et hoc est quia creaturam intellectualem putant posse esse brutalem. — Aliqui etiam existimarunt posse dari creaturam cui sit connaturale lumen gloriæ : ut retulimus et impugnavimus (præcedenti tomo *, disp. 14, art. 4). Et hi faciunt creaturam impeccabilem : quia naturaliter faciunt beatam, et participationem divini et supernaturalis ordinis non extrinsecam ponunt et gratuitam, sed debitam et naturalem.

* D. 23, q. 1, maxime a. 2, concl. 2

* tomo II, p. 220-232

6. Attribuitur tamen Occam (in I, D. 44, q. 1 *, ad 1um dubium) quod teneat ut probabile posse produci Angelum vel hominem alterius speciei, qui peccabilis non sit. — Scotus vero (in II, D. 23, quæst. unica, § *Dico igitur,* in fine), licet teneat non posse produci creaturam impeccabilem per naturam, tamen id magis tenet propter auctoritates, quam ex ratione. Ducitur autem auctoritate Hieronymi supra * citati, et Augustini (lib. III contra Maxim. c. 13 **), et Anselmi (lib. II cur Deus homo, c. 10 in fine ***).

* q. 1, a. 1

* n. 1

** nunc : lib. II, c. 12, n. 2; PL 42, 968

*** PL 158, 410

7. *Contra secundam autem conclusionem* tenet Vazquez (hîc, disp. 131 †, c. 5), Suarez (lib. III de Angelis, c. 7), Molina (hîc, quæst. 63 ††, a. 1). — Est tamen Durandi (in II, D. 23, q. 1), Capreoli (in II, D. 22, quæst. unica, art. 3, a principio), Cajetani (in hac quæst. 63, a. 1, § *Circa consequentiam*), et eam tenent multi recentiores Thomistæ : de quibus vide Navarrete (hîc, controv. 79), Carmelitanum collegium tract. VII de Angelis, disp. 9, dub. 2 et 3).

† rectius : disp. 231

†† IP 1818-9

[EXPLICATUR PRIOR CONCLUSIO].

8. *Pro explicanda ergo ratione D. Thomæ* circa primam conclusionem (in hoc enim tota ejus difficultas consistit), *supponendum est* nos loqui in præsenti de creatura intellectuali libera. Nam sublatâ libertate vel manebit sicut brutum, quod ducitur instinctu, non arbitrio : vel erit beata et utens visione clarâ Dei, et sic erga amandum Deum caret libertate; et consequenter non potest peccare : quia qui peccat, Deum non amat. Et licet verum sit quod omnis creatura intellectualis, ex vi intellectualitatis, non potest carere libertate, sed habeat illam : quia, hoc ipso quod intellectualis est, habet judicium universale et consequenter indifferens ad omne bonum, et sic nullum, quod infinitum non sit clare visum, potest illam universalitatem implere, et consequenter neque necessitare : tamen hoc in præsenti supponendum est, non probandum. Et coarctanda est disputatio ad creaturam intellectualem liberam : an videlicet aliqua creatura intellectualis et libera possit produci, quæ impeccabilis sit : quia si libera non supponitur, non est quæstio.

9. *Eodem modo supponendum est,* quod per gratiam potest aliquis reddi impeccabilis. Quia, ut ostendit S. Thomas (q. 62, a. 8), impossibile est videntem Deum non amare ipsum et attendere; si ergo necessario amat, non stat non I P. q. 62, a. 8

(1) Has Joannis nostri conclusiones sat acriter carpsit R. P. de Lubac, S. J., in nupero opere « Surnaturel » (Paris, 1946, p. 235; et præsertim p. 287 sqq.), et quod D. Thomæ sententiam probe non intellexerit auctor noster, et quod antiquam Patrum theologorumque traditionem hac in re deseruerit. — Non diffitemur quidem thomisticam de Angelorum perfectione doctrinam magna ex parte ædificatam esse super fundamenta (Pseudo-Areopagitæ nempe lucubrationes, textusque Isaiæ et Ezechielis non ad litteram interpretatos), quæ hodie communi doctorum judicio reputantur nutantia. His tamen fundamentis pro ratis ac firmis omnino acceptis, ut D. Thomas veteresque cuncti acceperunt, videat atque judicet æquus lector utrum in eruendis inde conclusionibus fideliter, nec non, adhæserit Angelico Doctori Joannes noster.

amare amore ipsi debito, qui est amor supremæ subjectionis et appretiationis; qui autem peccat, Deum non amat, quia ab eo avertitur; ergo per illam gratiam, per quam redditur necessarius amor Dei, redditur impeccabilis voluntas. — Et licet possit dici, quod de potentia absoluta posset aliquis videre Deum, et impediri seu non sequi amorem : tamen hoc non est connaturale ipsi beato; sed ita est debitum ex vi visionis prodire in amorem Dei necessarium, quod si de facto non prodiret, saltem in oppositum exire non posset : quia illa visio ita adhæret fini ultimo, illumque manifestat voluntati ut summum bonum et primam regulam, quod non possit in elicienda aliqua actione ab illo avertere conspectum et regulationem, atque adeo neque actum elicere regulæ illi aversum. Quod si gratia hæc reddit impeccabilem voluntatem, consequenter si aliqua natura seu substantia ex se habet connaturale lumen gloriæ et visionem Dei, non poterit peccare : si enim voluntas, quæ accidentaliter et participative est beata, non potest peccare, quanto magis si substantialiter et naturaliter beata fuerit! Quare sicut a disputatione ista rejicimus voluntatem cum gratia beatifica, et loquimur de natura non beata : ita rejicimus substantiam supernaturalem, si esset possibilis, quia illa connaturaliter esset bona. Procedit ergo conclusio de natura intellectuali non supernaturaliter beata, et libera; et de hac dicimus rationes D. Thomæ evincere quod implicet contradictionem non esse peccabilem.

10. Rationes autem D. Thomæ sunt duæ. — Prima : Talis creatura libera est ex nihilo facta : ergo ex natura sua defectibilis et peccabilis voluntate. — Secunda : Talis creatura non est per suam naturam et intrinsecam rationem universalis regula omnis boni, seu omnis bonæ operationis; ergo ab aliqua potest deficere. Ad quam rationem reducitur illa, quod creatura non habet rationem omnis boni; ergo potest deficere ab aliquo bono : quia habere rationem omnis boni, et habere regulam universalem omnis boni, seu omnis operationis bonæ, idem est.

11. Vis primæ rationis seu consequentiæ (quam D. Thomas ponit [q.] 24 *de Verit.* a. 7) talis est : Natura, quæ est ex nihilo, est vertibilis et mutabilis in nihilum quoad esse; et sic habet potentialitatem, et non purum actum. Ergo etiam ejus operatio, quæ super tale esse fundatur, est mutabilis a sua perfectione in defectum. — Probo consequentiam. Nullus major defectus, respectu entis et boni, quam non esse : hoc enim totaliter et contradictorie opponitur ipsi esse et ipsi perfectioni; ergo natura quæ est capax summi defectûs et mutabilitatis, qualis est transitus ad non esse, quod est totaliter deficere, etiam erit capax defectûs et mutabilitatis in operando respectu boni finis, sicut natura est capax defectûs et mutationis in esse. Hæc consequentia probatur : quia potentia operativa et modus operandi sequitur modum essendi; ergo potentia operativa libera fundata in natura mutabili, etiam in quantum operativa libere, mutabilis est; ergo non habet libertatem immutabilem et firmatam in bono, sed potest mutari ab illo : mutari autem a bono est deficere; ergo hoc ipso quod libertas est mutabilis in ratione operationis liberæ, hoc ipso est defectibilis. Est autem mutabilis hoc ipso quod nascitur ex natura mutabili et defectibili in nihilum; ergo hoc ipso quod aliqua creatura est ex nihilo, erit capax defectûs et peccati.

12. *Dices :* Hanc rationem D. Thomæ assumere antecedens impertinens, et inferre consequentiam illegitimam. — *Est quidem antecedens impertinens :* quia creaturam esse factam ex nihilo est idem quod esse creaturam; et sic ratio quæ redditur ad probandum quod creatura sit peccabilis, est quia creatura est creatura : quod est ineptam reddere rationem.

13. *Est autem consequentia illegitima :* quia plus infert, quam continetur in antedecenti. Ex eo enim quod natura est defectibilis in esse, solum sequitur quod ejus operatio possit deficere in esse : quod certissimum est. Sed quod possit deficere moraliter, stante esse entitativo operationis, non apparet quomodo ex tali antecedenti inferatur : cum sit deficientia a fine, quæ non potest inferri ex deficientia ab esse. Sicut, licet corpora cælestia possint deficere in suo esse per annihilationem et cessationem ab esse, non tamen sequitur quod possint deficere ex parte materiæ per modum corruptionis; nec infertur, ex majori deficientiâ per totalem annihilationem, minor deficientia per corruptionem. Ergo neque per ipsum esse ex nihilo, quod infert defectum per annihilationem, infertur minor deficientia, quæ est deficientia moralis per peccatum. — Denique, etiam Angelus beatus vel confirmatus in gratia est ex nihilo, et supernaturalis substantia etiam est ex nihilo : et tamen, prout tales, sunt impeccabiles; ergo esse ex nihilo non est sufficiens radix ut aliquid sit peccabile.

Alias, quamdiu non tolleretur ista radix, non posset creatura reddi impeccabilis; non tollitur autem hoc, quod est esse ex nihilo, per confirmationem in gratia vel beatitudinem; et tamen redditur impeccabilis creatura per illam. Et hoc ideo est : quia esse ex nihilo solum opponitur ei quod est esse a se, et ei quod est habere infinitam perfectionem. Esse autem impeccabilem non exigit infinitam perfectionem, sed sufficit determinatio voluntatis erga rectitudinem regulæ.

14. *Respondetur ad primum* * [1], quod objicitur contra antecedens : illud esse valde conducens ad hanc probationem. Quia creaturam esse factam ex nihilo non est idem quod esse creaturam, sed est condicio annexa creaturæ; sicut creaturam esse limitatam, et esse causatam, et non esse actum purum, non est idem quod esse creaturam, sed sunt condiciones sine quibus non est creatura : sicut non est ens sine vero et bono, non tamen est idem ens quod verum et bonum. Sic ergo creatura dicit aliquid constans ex omnibus illis condicionibus, non tamen per quamlibet condicionem explicatur totus conceptus creaturæ : sicut ens increatum habet multa attributa, nec tamen quolibet attributo explicatur totum quod est divinitas. Et sic bene potest assumi pro antecedenti, quod creatura est ex nihilo, tamquam condicio quædam ad hoc quod sit creatura, ut inde inferatur quomodo habeat defectum et mutabilitatem.

15. *Ad primum * contra illationem consequentiæ respondetur,* quod ex deficientiâ in esse non solum infertur defectibilitas operationis in essendo, sed etiam in attingentiâ finis, quæ est formalitas operationis ut moralis est. Nam quod operatio sit defectibilis in esse, non habet in quantum operatio, sed in quantum entitas est : quia ordo ad esse solum convenit alicui in quantum est ens. Unde si, ex eo quod creatura habet deficientiam in esse, solum infertur quod operatio habeat deficere in esse, idem diceretur in antecedente quod in consequenti : si quidem creatura deficiens in esse est creatura in quantum ens, et operatio deficiens in esse est etiam quædam creatura in quantum ens. Quare ex deficientiâ creaturæ in essendo infertur deficientia operationis, etiam sub formalitate operationis : quia sub hac formalitate operationis fundatur in ipso esse, et modus operandi sequitur modum essendi; ergo etiam in hac ratione formali operandi infertur mutabilitas et potentialitas, et consequenter defectibilitas. Formalis autem ratio operationis, in quantum operatio, est attingentia objecti et finis : quia per ordinem ad objectum et finem specificatur actio, præsertim libera. Ergo si in quantum libera, hoc ipso quod est creata et ex nihilo, est mutabilis et defectibilis, etiam in attingentiâ objecti et finis defectibilis erit : quia tota hæc attingentia et modus operandi sequitur modum essendi et fundatur in esse. Ergo erit peccabilis : quia peccare est deficere a fine et a rectitudine objecti.

16. Ad id vero quod dicitur * de corpore cælesti, quod non infertur quod sit defectibile ex parte materiæ vel corruptionis ex eo quod sit defectibile in esse, et quod ex majori defectibilitate non infertur minor : — Respondetur quod non infertur minor corruptibilitas ex majori, quando una non se habet consequenter ad aliam, ita quod non fundetur in illa; si autem in illa fundatur et consequitur, bene infertur ex illa. Deficientia autem ex parte materiæ et per modum corruptionis non infertur ex eo quod cælum sit annihilabile, quia non fundatur in deficientiâ annihilationis deficientia et mutabilitas corruptionis : ad hanc enim exigitur materiam non esse totaliter completam per formam : quod non statim consequitur ad esse limitatum et ex nihilo. At vero modus operandi semper sequitur modum essendi, et in illo fundatur; et, si sit modus operandi libere et moraliter, etiam sequitur modus operandi defectibiliter et mutabiliter in ratione formali operationis liberæ, quæ est attingentia finis. Ergo ex eo quod voluntas libera creata sit ex nihilo, bene sequitur quod non solum entitative, sed etiam operative, et consequenter moraliter, sit defectibilis : quod est posse peccare.

* supra, n. 13 *Sicut, licet*

17. Ad tertium * contra eamdem consequentiam respondetur, quod Angelus beatus vel confirmatus in gratia est impeccabilis ex accidenti, non ex natura; et ideo non requiritur quod non sit ex nihilo. Quia hoc, quod est esse ex nihilo, non est radix peccabilitatis nisi secundum naturam; potest tamen compati quod sit impeccabilis ex accidenti et ab extrinseco, et sit ex nihilo : quia remanet ab intrinseco peccabilis et ex principiis naturæ. Unde, ut aliqua

* supra, n. 13 *Denique*

[1] Ita legendum cum P || Mendose MLC *primam quod.*

creatura reddatur impeccabilis ex accidenti et ab extrinseco, non debet tolli radix illa essendi ex nihilo : quia hæc solum debet tolli ad hoc ut aliquid sit impeccabile per naturam. Ut autem stante naturâ peccabili reddatur impeccabilis per gratiam, non requiritur quod non sit ex nihilo, sed quod perseveranter teneatur in gratia, seu in aliquo principio gratuito cui incompossibile sit peccatum. — Si autem daretur substantia supernaturalis, illa esset ex nihilo tamquam gratia, non tamquam natura sine gratia : de qua solum loquimur in præsenti. Sed quia implicat talem substantiam dari, ut loco supra citato ostendimus (in præcedenti tomo *), ideo utrumque sequitur, et quod sit ex nihilo in quantum creatura, et quod sit impeccabilis in quantum substantialiter esset gratia. Et negamus non requiri infinitam perfectionem ad hoc ut aliquis sit impeccabilis per naturam * : quia requiritur quod habeat esse indefectibile et immutabile in essendo, ut etiam in operando sit indefectibilis; non potest autem dari esse immutabile et indefectibile in essendo, nisi habeat infinitam perfectionem : quia debet carere potentialitate, quod est esse actum purum, et consequenter habere infinitum esse et perfectionem.

* supra, tomo II, disp. 14, a. 4 (p. 220-232)

* cf. supra, n. 13, *Esse autem*

18. PRO EXPLICANDA SECUNDA * RATIONE D. THOMÆ ADVERTENDUM EST, quod omnis actus moralis est idem quod actus regulatus, seu subjectus alicui regulæ : ad quam si conformetur, habet rectitudinem : si difformetur, obliquitatem. Unde oportet quod principia a quibus dependet talis actus habeant sibi indefectibiliter conjunctam rectitudinem, ut operatio indefectibilis sit in sua regulatione. Quod si principia a quibus dependet non habeant sibi annexam indefectibiliter regulam rectitudinis, necesse est quod ipsa operatio, in quantum regulata, non sit indefectibiliter recta seu indefectibiliter regulata : si quidem non potest actus esse indefectibiliter regulatus, si principium applicans seu eliciens actum non sit indefectibiliter regulans : si quidem indefectibilitas regulati essentialiter pendet ex principiis applicantibus, seu dantibus illi regulationem.

* supra, n. 10, *Secunda*

19. *Ex hoc ergo deducitur efficax consequentia D. Thomæ.* Voluntas libera est de se indifferens ad diversas operationes, ita quod ex natura sua non est determinata ad unum; ergo oportet quod, ut talis voluntas sit indefectibilis in istis operationibus ad quas est indifferens, per seipsam essentialiter sit sua regula, vel habeat illam inseparabiliter sibi annexam. Quod si nec per seipsam est regula, nec aliunde habet illam indefectibiliter annexam, ergo ex se defectibilis est a regula : ergo peccabilis : quia nihil aliud est peccare, quam deficere a regula. — Primum ergo, scilicet quod voluntas creata per seipsam et essentialiter non sit sua regula, constat : quia voluntas creata operatur ut subjecta voluntati superiori, juxta illud (Rom. XIII, 1) : *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* Item, quia omnis creata voluntas est capax legis et imperii a Deo : quia ex ratione creaturæ est serva et subjecta dominio Dei; ergo potest a Deo sibi imperari, et lex imponi; ergo non est sua regula per seipsam, quia non est sua lex, nec suum imperium, sed imperatur et dirigitur a Deo. — Et eâdem ratione probatur secundum : quia omnis lex et imperium erga creaturas derivatur libere a Deo; ergo nulli creaturæ est indefectibiliter annexa applicatio istius legis et obœdientiæ [1] ad illam ex natura creaturæ, sed ex gratia ipsius Dei : quia de se creatura, hoc ipso quod indifferens est ad suas operationes, et nulli earum regulæ est inseparabiliter annexa ex ipsâ naturâ indifferentiæ voluntatis, ergo ex vi talis naturæ non habet indefectibilem connexionem cum lege magis quam cum aliis objectis : quia ad omnia indifferens est; ergo potest ab illa deficere, sicut a quocumque alio objecto.

20. *Sed dices :* Nam si hæc ratio aliquid probat, etiam probaret contra secundam conclusionem, quod posset Angelus peccare immediate contra legem naturalem : quia etiam ista lex provenit a Deo libere, et non est inseparabiliter applicata omni actioni liberæ; ergo potest ab ea divertere et deficere, et sic peccare contra illum [2]; vel si non potest, cur etiam non dicemus quod circa finem supernaturalem non possit? — Deinde, ut objicit Scotus *, quia licet aliqua facultas operativa non sit sua regula, potest tamen necessario et connaturaliter esse determinata circa illam : sicut intellectus est determinatus circa prima principia, et tamen non est intellectus ipsa principia. — Quod si

* II, D. 23, q. unica, n. 5

[1] Sic omnes || Nisi fallimur, legendum est : *obœdientia...*
[2] Id est : *contra Deum* || Suspicamur tamen corrigendum esse : *illam.*

dicatur pro eodem reputare D. Thomam, regulam aliquam essentialiter esse ipsummet principium operandi, vel esse illi infallibiliter conjunctum : quia si est suamet regula, est illa formaliter : si vero dimanat a se infallibilis conjunctio cum regula, est sua regula virtualiter seu radicaliter, quia essentia est virtualiter id quod dimanat a se (quæ videtur esse solutio Cajetani in art. 1 hujus quæst. 63) : — Contra est : quia in hac solutione eodem modo restat probandum, quod aliqua voluntas non possit habere sibi infallibiliter et necessario conjunctam regulam recte operandi, ita quod inseparabiliter illi adhæreat, etiam ante visionem claram ipsius summi boni.

* supra, n. 20 ** infra, n. 24 sqq. 21. *Respondetur ad primum* * : ex sequenti conclusione ** petendam esse disparitatem inter legem naturalem et supernaturalem, quomodo una adhæreat vel non adhæreat immobiliter ipsi operanti. Pro nunc dicimus quod licet utraque lex libere detur a Deo quantum ad hoc quod est a Deo derivari, sicut etiam datur a Deo libere, id est, producitur ipsa natura et potentiæ ejus, etc., tamen quoad usum applicationemque talis regulæ est dispar ratio inter supernaturalem et naturalem, quod lex naturalis in ipsamet comprehensione naturæ habetur. Ita quod, cognoscendo Angelus suam naturam perfecte, non potest avertere adspectum suum a lege naturali, nec errorem aut deceptionem circa hæc naturalia et naturaliter sibi impressa pati potest primo et directe, id est, incipiendo ab ipsa natura : ut postea * dicetur. (* infra, n. 24 sqq.) Non fertur autem Angelus in aliquod objectum naturale, nisi ut contentum in principiis naturalibus; unde neque in practicis potest ferri in objectum naturale, nisi ut contentum in suis principiis, et secundum quod continentur in lege naturali et in principiis syndæresis. Si autem contra legem naturalem peccaret, immediate deberet incipere aversionem et errorem practicum in intellectu ab ipsa lege naturali et ab ejus principiis : quod stare non potest, cum naturalis cognitio in Angelis deficere et errare non possit magis quam in nobis ipsa cognitio principiorum non potest deficere. Angelus autem omnia naturalia cognoscit in suis principiis, quia per comprehensionem illa attingit et sine discursu, et consequenter in inspectione principiorum; et sic non potest accidere defectus incipiendo a naturali cognitione. At vero lex alia supernaturalis non cognoscitur ab Angelo sic, quod non possit ab ea avertere adspectum, et errorem pati practicum seu inconsiderationem circa eam; et sic potest circa illam deficere, et ex consequenti circa ea etiam quæ naturali lege dictantur, quatenus deserviunt supernaturalibus principiis, a quibus avertitur. Sed de hoc statim amplius dicemus.

22. Ad secundum * respondetur, quod si voluntas creata non est sua regula, et hoc ideo * supra, n. 20. *Deinde* quia regulatur per regulam et legem alicujus superioris, necesse est quod de se non sit determinata ad talem regulam : neque essentialiter, quasi sit ipsa essentia legis : neque virtualiter, quasi ab illa dimanet (ut propria passio) ipsa adhæsio et determinatio ad regulam. Sed oportet quod imprimatur sibi talis determinatio et adhæsio ab ipso superiori ferente legem : vel a Deo auctore naturæ per naturalem legis notitiam et principiorum ejus, sicut dicitur (Psal. IV, 7) : *Signatum est lumen vultûs tui Domine super nos;* et (Rom. II, 14-15) : *Ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis;* vel ista adhæsio et determinatio ad legem est a Deo auctore supernaturali, qui sicut legem ipsam et regulam supernaturalem manifestat, ita potest suâ protectione et beneficio gratiæ confirmare ne voluntas creata deflectat a lege. Hoc secundo modo potest confirmari voluntas, et reddi impeccabilis circa legem supernaturalem, sed beneficio gratiæ, non ex sua natura. Et respectu hujus non procedit argumentum : quia cum lex illa non solum superioris sit, sed etiam sit supernaturalis, non potest esse naturaliter determinata voluntas creata ad illam. Et consequenter bene colligit D. Thomas quod, si voluntas creata non est sua regula, sed debet exspectare regulam a voluntate superioris positam (quod totum expressit S. Thomas in art. 1 hujus quæst. 63), necesse est quod circa aliquam regulam non sit ex naturâ suâ determinata talis voluntas et sic ex natura sua possit ab illa deficere : licet ex beneficio et gratiâ ipsius superioris possit ei adhærere immobiliter. Primo autem modo fit determinatio circa legem naturalem, quamdiu operatur natura Angeli intra limites naturæ, juxta modum sibi connaturalem, id est, utendo principiis naturalibus juxta modum quo ea intelligit, scilicet plene et comprehensive et sine errore : et sic voluntas, ex defectu erroris practici in intellectu sic procedente, non potest peccare.

23. Unde non remanet probandum in hac ratione D. Thomæ, quod non possit habere

voluntas creata infallibiliter et necessario adjunctam sibi regulam, sicut habet prima principia : quia respectu regulæ supernaturalis, vel positivâ lege extraordinariâ impositæ a superiori, non habet in se voluntas creata sufficientia principia ut immobiliter inhæreat tali legi : quia hoc ipso quod ipsa sibi non est lex, sed a voluntate libera superioris venit, non potest ex sua natura necessario determinari ad illam. Respectu vero naturalis legis determinationem habet, et necessario habet adjunctam regulam bene operandi, quamdiu connaturali modo procedit : ut statim dicemus circa secundam conclusionem. Sed hoc non facit Angelum simpliciter impeccabilem et pro omni statu, et respectu omnis regulæ, sed solum pro aliquo statu particulari.

[Explicatur] secunda conclusio.

* supra, n. 4

24. *Pro secundæ conclusionis* * *explicatione*, quoad utramque sui partem, *notandum est* quod finis naturalis et regula actionum liberarum est Deus, ut naturaliter cognitus et diligibilis super omnia : quia naturale principium practicum est, Deum, qui est summum et primum omnium principium, esse ab omni creatura colendum et amandum, quia summum principium est. Ex quo per consequentiam deducitur evidentem, quod omnia ejus præcepta implenda sunt, et omnia creata diligenda sunt propter ipsum et ordinanda in ipsum : quod pertinet ad electionem, seu ad rectificationem actuum qui versantur circa media. Hæc omnia, in genere ordinis naturalis tantum cognita et amata, regulare dicuntur actiones Angeli in ordine naturali, seu intra limites naturæ tantum. Quando autem Angelus elevatur ad ordinem supernaturalem, non solum cognoscit Deum altiori modo et per diversos effectus quam per naturales, sed etiam in modo cognoscendi et amandi aliter se habet quam circa naturalia; et ex parte rei cognitæ et amatæ, qui est Deus ut auctor supernaturalis, ita tendit in ipsum quod ei subjicit omnia quæ pertinent ad ordinem naturalem, tali nexu et subordinatione quod, si decidit seu avertitur a Deo supernaturaliter cognito et auctore supernaturali, non possit integre se habere et manere respectu Dei auctoris naturalis, sed debet etiam ab eo averti ex consequenti et indirecte. Quod ergo diverso modo procedat circa Deum auctorem naturalem et per principia naturalia cognitum, atque Deum auctorem supernaturalem, in eo stat, quod circa principia naturalia, et Deum naturaliter cognitum præcise, non solum procedit Angelus sine discursu (quia simplici intuitu), sed etiam cum plena comprehensione : quia veritas illa naturalis sibi plene est proportionata sine ullo defectu et cognita, et multo melius quam quælibet veritas supernaturalis, quam in via obscure cognoscebat, utpote per fidem, non evidenter sicut res naturales. Unde sequitur quod, respectu rerum evidenter cognitarum et cum comprehensione, non poterat Angelus invenire defectum speculativum in his quæ tamquam principia speculativa proponebantur, neque circa principia, neque circa conclusiones : quia tam illa quam istas eodem simplici lumine intuebatur, scilicet ex comprehensione principiorum. Circa principia autem practica similiter non poterat Angelus defectum habere, incipiendo ab illis et utendo ipsis : quia cum plenâ et perfectâ atque evidenti luce ipsa comprehendit. Et sic visis principiis, quæ sunt fines, statim videt media, tam indefectibiliter quam principia : quia plena comprehensio ipsa principia attingit; comprehensio autem non permittit deficere ab aliquo, quia nihil latet videntem. At vero in supernaturalibus cum procedat obscure, licet simplici modo procedat, id est, uno actu attingens totum quod potest in re illa (si quidem hic est modus procedendi in intellectu Angeli, qui discursivus non est : sicut oculus obscure aliquando videt, et non discursive), tamen non plene et clare attingit : sicque non convincitur plene mens, dum per fidem ambulat. Potest ergo, ex vi talis luminis procedendo, averti et non considerare, atque defectuose procedere : quia non plenâ comprehensione ad id cogitur.

25. Quod vero in elevatione ad supernaturalia ita connexa sint ista objecta, et ordinatio in utrumque finem supernaturalem et naturalem, quod si avertatur ab uno, avertatur ab alio, ex eo constat quod, si avertitur a fine supernaturali, hoc ipso non amat Deum super omnia; ergo non subjicit illi omnia; ergo nec etiam in ipsa naturali dilectione illi perfecte subjicitur. Quia naturalis dilectio, etsi directe solum tendat in naturalem finem, tamen etiam petit ut non repugnet voluntas supernaturali ordini; quod si renuit ei subjici, non potest perfectam subjectionem in naturalibus retinere. Unde non potest aliquis a supernaturalibus cadere, quin etiam in naturalibus vulneretur; nec aliquod peccatum est contra supernaturalia, quin etiam sit contra

naturam (ut tradi solet I-II, q. 7, a. 2 (1)) : quia non potest peccatum esse nisi sit contra ordinem rationis et dispositionem naturæ : quia etiam in ordine ad supernaturalia ratio dictat ut illis non repugnet neque avertatur, quia bonum est naturæ sic elevari ad supernaturalem finem. Quare non stat deficere a supernaturalibus, et quoad finem naturalem et principia practica manere integrum, esto in speculativis manserint omnia integra in dæmonibus.

26. *Denique notandum est,* quod Angelus circa finem naturalem, et in puris naturalibus consideratus, potest dupliciter procedere : scilicet connaturaliter et juxta modum quem natura ipsa secundum se postulat, aut non connaturaliter nec juxta modum quem de se postulat natura, sed præter illum. Nam connaturalis modus Angeli est ut in naturalibus veritatibus, sive practicis sive speculativis, procedat cum plena et evidenti comprehensione : quia perfectus intellectus est, et in actu, non in potentia, respectu naturalium. Præter naturalem autem modum procederet, si Deus ei denegaret istam perfectionem et comprehensionem debitam, et imperfecte atque inevidenter attingeret finem naturalem et principia atque conclusiones seu media practica : sicut si homini non concederet Deus ut evidenter cognosceret ipsa prima principia speculativa vel practica, non connaturaliter se haberet natura rationalis. Tantumdem ergo sequeretur si Angelus non evidenter et indefectibiliter attingeret conclusiones et media practica : quia per se et evidenter seu comprehensive attingit media et fines, conclusiones et principia.

[*Prima pars conclusionis probatur.*]

* n. 4 27. His suppositis SECUNDA CONCLUSIO supra * posita PROBATUR. ET IN PRIMIS QUOAD PRIMAM PARTEM ostenditur, et ex D. Thoma, et ex ejus fundamento. — *Est quidem D. Thomæ,* quia expresse eam tradit (in q. 16 *de Malo,* a. 3) : « Quidquid, inquit, aliud dici potest, quod ad ordinem naturæ pertineat, in hoc ejus malum consistere non potuit : malum enim non invenitur in his quæ sunt semper actu, sed solum in his in quibus potentia potest separari ab actu, ut dicit-
* c. 11 (alias : c. 9) BK 1051 *a* 5-21 [ur] in IX *Metaphysicorum* *. Angeli autem omnes sic conditi sunt, ut quidquid pertinet ad naturalem perfectionem eorum, statim a principio suæ creationis habuerint; tamen erant in potentia ad supernaturalia bona, quæ per Dei gratiam consequi poterant. Unde relinquitur, quod peccatum diaboli non fuerit in aliquod quod pertinet ad ordinem naturalem, sed secundum aliquid supernaturale. » Latius hoc fundamentum extendit idem S. Doctor (in eodem loco, art. 5) ubi inquit : « Angeli in ipsis principiis intuentur omnes conclusiones, quæ ad naturalem eorum cognitionem pertinent. Et ideo sicut immobiliter nos habemus in cognitione primorum principiorum, ita intellectus eorum immobiliter se habet circa omnia quæ naturaliter cognoscit. Et quia voluntas proportionatur intellectui, consequens est quod etiam voluntas eorum naturaliter sit immutabilis circa ea quæ ad ordinem naturæ pertinent. Verum est autem quod sunt in potentia respectu motûs in supernaturalia, sive per conversionem sive per aversionem. Unde hæc sola mutatio in eis esse potest, ut de gradu naturæ ipsorum moveantur in id quod est supra naturam, convertendo se vel avertendo; sed quia omne, quod advenit alicui, advenit ei secundum modum suæ naturæ, consequens est ut immobiliter Angeli perseverent [vel in aversione] vel in conversione respectu supernaturalis boni. » Sic D. Thomas : ubi clare patet quod, cum in sententia D. Thomæ sit omnino constans Angelos non potuisse peccare in primo instanti ex eo quod erant in illo instanti incapaces dictaminis defectuosi, ex eodem fundamento debere (2) deduci quod non possunt per se primo et directe peccare contra naturalem rectitudinem, quia in naturalibus non sunt capaces dictaminis defectuosi; nec poterit una sententia sine alia recte defendi.

28. Unde D. Thomas etiam (in hac I P. q. 63, a. 1) confirmat hanc sententiam, quod non possit peccare Angelus contra ordinem naturalem; nam (in solutione ad 2) dicit quod « in actione naturali Angeli non potest esse malum inordinationis : bene tamen secundum actionem liberi arbitrii »; statim vero (solutione ad 3) addit quod « naturale est Angelo quod convertatur in Deum, secundum quod est principium naturalis esse; sed quod convertatur in ipsum secundum

(1) Sic omnes, mendose, uti cuique D. Thomæ locum legenti patebit || Censemus legendum : I-II, q. 85, a. 2; consule etiam q. 71, a. 2 et 4; II-II, q. 23, a. 7.

(2) Omnes : *patet quod... debere deduci* || Hujusmodi anacolutha apud Joannem nostrum haud rara; cf. supra, p. 676, notationes 1 et 2. Videas etiam tomi I Præfationem, cap. III, art. 2, § 3, n. 3.

quod est objectum beatitudinis supernaturalis, hoc est ex amore gratuito, a quo averti potuit peccando ». Ubi clare S. Thomas agnoscit peccatum in Angelo solum respectu conversionis in Deum, ut est objectum beatitudinis supernaturalis. Sistendo ergo intra naturalis ordinis limites, et sine respectu ad supernaturalia vel præternaturalia, non est in Angelis principium operandi malum.

29. *Et fundamentum hujus non est aliud,* quam illud quod positum est a D. Thoma : quia Angelus consideratus solum in puris naturalibus, et sine ordine ad legem vel finem supernaturalem, non potest habere operando connaturaliter ad modum suæ naturæ defectuosum dictamen rationis; ergo non potest prout sic peccare. — Consequentia patet : quia defectus moralis in voluntate non potest oriri nisi ex defectu dictaminis regulantis seu applicantis ex parte intellectûs : quia cum actus voluntatis sit regulatus, et in sua regulatione (immo et in sua elicientia) omnino dependens ab intellectu, quia nihil volitum quin præcognitum, impossibile est concipere in voluntate motum seu actum deficientem in regulatione passiva, nisi sit defectus ex parte regulationis cognitæ et per intellectum propositæ, quæ est regulatio activa. Potest quidem voluntas propositum sibi objectum bonum et regulam repellere, sed hoc erit ex propositione talis repulsæ, quæ per intellectum efficacius proponatur : et hoc ipsum defectuosum est, et defectus applicationis regulæ. Quare sicut repugnat voluntatem ferri in aliquid nisi cognitum, ita repugnat ferri in aliquid defectuose, nisi defectuose cognitum aut propositum. Et hoc est quod communiter dicitur quod omnis peccans est errans, scilicet practice.

30. Antecedens vero probatur : nam defectus dictaminis solum ex duplici capite potest oriri : aut quia regula ipsa, per quam actus dirigendus est, non plene consideratur, nec applicatur secundum se ad omnia regulabilia : aut quia aliquid contrarium ipsi regulæ accipitur ut convenientius sibi, regula vero rationis et naturalis lex abominatur et odio habetur aut omittitur. — Hoc secundo modo non potest Angelus, per se et directe, legem ipsam et regulam sui abjicere et odio habere aut omittere : quia regula illa et lex est ipsum bonum naturæ ejus, quod amatur necessario quoad specificationem per se loquendo, et ex vi ipsius naturalis boni; ergo non potest odio haberi per se loquendo, ita quod incipiat voluntas ab ipso odio naturalis boni. Sed solum per accidens poterit odio haberi quando consideratur aliquis effectus, ratione cujus displicet voluntati etiam proprium esse vel bonum naturæ : ut si aliquis propter pœnas quas sustinet vellet non esse, aut Deum odio habeat, ex quo consequenter non vult ipsum amare ut finem naturalem. Ergo per se et directe non potest contra legem naturalem agere ex odio et abjectione ipsius : si quidem illud bonum naturale amatur necessario quoad specificationem. Secus est in homine : quia, cum sit compositus ex natura sensitiva et rationali, habet etiam duplex bonum proprium in quod possit ferri intra limites proprii boni, scilicet bonum spirituale et bonum sensibile; et potest bonum sensibile amare tamquam proprium bonum, etiam relinquendo ipsum bonum rationis; et tamen in statu innocentiæ, in quo bonum sensibile erat totaliter subjectum regulæ rationis, non poterat circa ipsum incipere peccatum quousque pars superior rationis averteretur a Deo. Nec potest Deus ipse, ut bonum naturale est et ut regulam rationis proponit immediate, in quantum talis odio haberi, quousque in aliquo effectu præter effectus naturales repræsentetur aliquid ratione cujus per accidens odio habeatur Deus vel ipsum bonum naturale. Quamdiu autem consideratur ipsa natura et effectus ejus naturalis, nihil est ibi quod non pertineat ad Deum auctorem naturalem, et ad bonum naturale ipsius Angeli. Et sic totum hoc diligitur sub regula rationis et sub ratione legis naturalis. — At vero primo modo, scilicet ex indebita consideratione legis naturalis, seu ex omissione aliqua circa cognitionem ejus, non potest Angelus peccare contra illam : quia quidquid pertinet ad legem naturalem et ad bonum rationis Angelus comprehensive cognoscit : quia cognoscit illud in cognitione suæ propriæ naturæ quam comprehendit et semper habet ut præsentem, nec ab illa potest avertere adspectum, cum sit primum et immediatum cognitum, et objectum formale sui connaturaliter loquendo; ergo ibi comprehensive cognoscit legem naturalem, quæ ad ipsam pertinet naturam. Comprehendendo autem eam, videt principia legis naturalis, et conclusiones [1] quæ ex talibus principiis practice deducuntur :

[1] Mendose omnes : *conclusionis.*

si quidem eodem pacto tangit conclusiones sicut principia, et tam adhæret his quam illis, hoc ipso quod comprehensive procedit.

31. *Dices :* Cur non poterit Angelus videndo legem naturalem et bonum rationis, non quidem absolute odisse illam, sed comparative : quia scilicet aliquod bonum proprium, v. g. excellentia propria, aut modus cognoscendi, similesque perfectiones angelicæ amantur plusquam lex naturalis permittit, id est, non ex subjectione ad Deum auctorem naturalem et ad ejus legem, aut etiam odio habendo alterum Angelum? Licet enim bonum proprium unusquisque amet quoad specificationem necessario, non tamen bonum alienum, neque alterum Angelum, saltem quoad id in quo differt unus Angelus ab alio, ut docet
I P. q. 60, a. 4 S. Thomas supra (q. 60, a. 4).

32. *Respondetur :* non posse proponi omnia ista Angelo contra legem naturalem ut sequenda, nisi in aliquibus principiis in quibus sibi repræsentetur ut bonum id quod est contra legem naturalem : quia connaturale est Angelo omnia quæ ad naturam spectant in suis principiis causisque cognoscere, quia comprehensive procedit. Hoc autem, stando intra limites ordinis naturalis, fieri non potest : quia Angelus omnia quæ naturalis ordinis sunt comprehensive cognoscit, tam speculativa quam practica, et in nullo principio naturali potest repræsentari et cognosci aliquid ut sequendum contra legem naturalem. Unde propria excellentia, et ea quæ ad propriam excellentiam pertinent, non possunt repræsentari ut immediate et directe contra ipsam legem naturalem diligibilia : quia lex naturalis ita immobiliter et adhærenter repræsentatur Angelo, sicut ipsa excellentia propria; et unum ex contentis sub ipsâ regulâ est ipsa propria excellentia ut convenienter diligenda, et cum subjectione ad suum principium. Ergo cum Angelus procedat per comprehensionem speculativam et practicam ipsius legis et regulæ naturalis, oportet quod ex vi talis comprehensionis ita immobiliter adhæreat ipsis principiis universalibus legis naturalis, quod etiam omnibus contentis sub illa (quorum unum est excellentia propria) eâdem immobilitate adhæreat : si quidem eodem modo Angelus adhæret principiis et conclusionibus, tam in practicis quam in speculativis. Si autem immobiliter adhæret excellentiæ propriæ, ut contentæ sub lege, non potest adhærere illi contra legem, nisi sub aliis principiis vel sub alia lege ponatur propter quam relinquendam vel sequendam excellentia naturalis, etiam contra propriam naturalem regulam, ametur. Hoc autem jam est ponere Angelum extra limites pure naturales : quo casu nos non loquimur in præsenti. Quod si ipsa excellentia accipiatur ut primum principium et regula diligenda, et sic subtrahatur a regula rationis sub qua continetur ex vi naturalium principiorum, hoc stare non potest nisi mutando connaturalem modum procedendi in Angelo : quia si ex naturali cognitione comprehensivâ et perfectâ cognoscitur excellentia propria non ut prima regula et principium, sed ut contentum sub universali principio et per modum boni particularis sub fine, non potest Angelus intra limites naturalis ordinis accipere illam ut principium, nisi immutet ordinem cognoscendi naturalem, ita ut ex conclusionibus faciat principia, et sic comprehensive non procedat : quod est proprium cognitionis imperfectæ discurrentis et fluctuantis, modo ab uno, modo ab alio : quod Angelo connaturale non est, sed contra ejus naturam. Si tamen nova et extrinseca lex ponatur Angelo, quæ connaturalis non sit, cui subjiciatur propria excellentia, poterit id renuere; et tunc indirecte etiam subtrahet illam a propriæ regulæ subjectione, et faciet quasi principium deordinationis propriam excellentiam, ut jam dicemus *.

33. Quod attinet ad dilectionem proximi **, dicimus quod eodem modo Angelus diligit eum ex vi legis naturalis, sicut seipsum : licet ordine quodam seipsum diligat et alium : quia principalius diligit se, et necessario quoad specificationem, alium autem a se diligit non necessario quoad specificationem, sed diligit illum naturali dilectione sicut se, in quantum secum convenit in ratione generica vel specifica : ut dicit S. Thomas supra (q. 60, a. 4); in quantum autem differt a se, diligit illum non dilectione naturali, sed electivâ. Et quantum ad dilectionem naturalem dicit ibi S. Doctor (ad 3) quod non potest removeri in Angelis, nec in dæmonibus removetur : nec enim habent odio alios Angelos quantum ad id in quo communicant cum eis in natura; sed quantum ad dilectionem electivam, et quantum ad id in quo differunt Angeli inter se, possunt eos habere odio. Ceterum istud odium non potest per se et directe incipere ex puro motivo naturali, et stante Angelo in puris naturalibus : quia dilectio alterius Angeli vel hominis, etiam in eo in quo differunt, repræsen-

tatur Angelo ut conveniens, tamquam quid contentum in lege naturali : quia est unum ex præceptis naturalibus diligere alterum sicut se. Unde licet ex meritis objecti posset Angelus [1] non diligere alterum, quia non est necessitatus quoad specificationem circa bonum alienum sicut circa proprium, tamen in quantum illud bonum dilectionis alterius Angeli continetur sub principiis universalibus legis naturalis, et Angelus connaturali modo procedit eâdem immobilitate et comprehensione circa finem et circa media, circa principia et circa conclusiones, prout sic non potest odio habere alterum Angelum : quia non potest egredi a limitibus illius regulæ et legis naturalis, quamdiu intra limites ordinis naturalis operatur connaturali modo, id est, comprehensivâ et perfectâ cognitione procedens, sicut exigit natura sua : bene tamen si supponatur alteri legi illud bonum dilectionis alterius Angeli. Cui legi si nolit se subordinare, poterit ex aliquibus effectibus, qui sibi contrarii aut differentes videntur, alium Angelum odio habere, etiam non servando legem naturalem : ut mox amplius explicabitur.

[*Secunda pars conclusionis probatur.*]

* supra, n. 4 *licet, modo*

34. QUOAD SECUNDAM * ERGO PARTEM conclusionis positæ PROBATUR : Tum ex eisdem locis D. Thomæ, ubi admittit peccatum posse esse in Angelis ex ordine ad ea quæ supernaturalia sunt, seu in ordine ad legem supernaturalem. Tum quia (supra, q. 60, a. 5 ad 5) docet, quod illi qui non vident Deum possunt ex aliquibus effectibus, qui eorum voluntati contrariantur, Deum odio habere : quod utique contra naturalem legem est. Tum quia, ut dicit infra S. Thomas (q. 64, a. 2 ad 5), « omnis actus dæmonis, ex voluntate deliberata procedens, est malus; actus autem naturalis bonus esse potest, et tamen tali bono actu abutuntur ad malum. » Tum denique quia omnia peccata secundum reatum esse in dæmonibus, quatenus ad ea homines incitant, docet ipse S. Doctor (in hac q. 63, a. 2) : inter quæ sunt multa contra ordinem legemque naturalem.

I P. q. 60, a. 5, ad 5 — I P. q. 64, a. 2, ad 5 — I P. q. 63, a. 2

35. *Ratio autem a priori hujus est :* quia non potest aliqua voluntas renuere subjectionem ad regulam supernaturalem, nisi ex consequenti et indirecte a naturali regula se avertat. Tum quia, licet naturalis regula non dictet de supernaturalibus aliquid, dictat tamen subjiciendam esse hanc regulam regulæ illi superiori, et non esse abjiciendam : sicut lex prætoris dictat subjiciendam esse sententiam suam et judicium judicio imperatoris vel regis. Unde sicut non stat quod aliquis recte velit parere judicio prætoris, et nolit subjici judicio et legi regis, ita non stat quod aliquis integre et recte se habeat secundum legem naturalem, si renuit subjici regulæ supernaturali : sed hoc ipso manet mancus et non rectus circa naturalem legem, quia læditur naturalis lex in eo quod dictat subjici debere superiori : hoc enim bonum naturæ est, elevari ad superius. Si ergo ex hac parte læditur lex naturalis, hoc ipso Angelus mutat connaturalem modum procedendi practice, et in aliquibus etiam speculative : non quidem respectu eorum quæ naturaliter cognoscit speculative (hæc enim integra manent in Angelo, quia simplex est ejus lumen modusque cognoscendi), sed in quantum abutitur ad judicandum etiam de his quæ naturaliter nota non sunt lumine suo : vult enim præsumptuose præcipitare judicium, aut de interioribus cogitationibus plus judicando, aut de rebus supernaturalibus, ut docet S. Thomas (supra, q. 58 *, a. 5; et q. 16 *de Malo,* a. 6). In parte autem affectiva seu practica etiam judicat appetendum aliquando id quod appetendum non est. Et hoc totum inde provenit, quod Angelus peccans non retinet in operando modum connaturalem suum, nec intra illum se vult continere. Modus autem connaturalis est ut procedat semper indivisibili modo et comprehensivo, et intra illum se contineat. Si enim hoc observaret Angelus, utique non peccaret : videret enim quod naturalis lex in omnibus observanda est, et ad omnia se deberet extendere, in ipsis principiis attingens per intellectum et voluntatem omnia in eis contenta. Unum autem ex contentis est dictamen illud legis naturalis, quod cuicumque regulæ superiori debet subjici, etiam supernaturali. Unde si diabolus ab hac lege se subtrahit, jam non indivisibiliter nec unite et comprehensive omnia quæ sunt contenta sub lege naturali amplectitur. Sed hoc non est incipiendo rumpere hanc indivisibilitatem ab [2] ipsa lege naturali absolute sumpta, et contra eam agendo : sed comparative seu respective ad legem superiorem, cui non vult subjici, et in hoc etiam legem naturalem rumpit.

[1] Ita, certo, legendum || M *Angelū.* || Prave LCP *Angelum.*

[2] Intellige : *non est rumpere hanc... incipiendo ab ipsa...*

Unde hoc ipso distemperatur, et accipit pro principio cui inhæreat suam propriam excellentiam, quæ erat contenta antea sub regula naturali non ut principium sed ut medium seu conclusio; et consequenter facit contra regulam naturalem, et deordinat omnia, faciens finem sibi ultimum ex illo quod se habebat ut medium. Et cum in omnibus nolit se subjicere regulæ supernaturali, in omnibus recedit ex consequenti a regula finis naturalis : quia mutat connaturalem modum operandi comprehensive et indivisibiliter ex vi principiorum naturalium, sed [1] dividendo illa : quia non tendit in finem naturalem et regulam secundum omnia, quæ sub tali fine continentur. Unde ulterius etiam in speculativo judicio ferendo non se continet intra modum et limitem naturalem, sed præcipitanter agit judicando ex naturalibus ultra id quod ipsa manifestare certo et comprehensive possunt, eaque ut certa accipiendo.

* n. 26 36. Ex quo sequitur verum esse quod supra * notavimus, quod ista conclusio procedit supponendo quod Angelus procedat connaturaliter, seu juxta modum suum connaturalem agendi. Quod non intelligitur sic, quod procedit quando Angelus operatur connaturaliter, id est, juxta id quod exigit sua natura in regulatione recta : quasi modus connaturalis sit ipsa subjectio ad regulam naturalem, quæ recta est : hoc enim idem esset, ac dicere quod non potest peccare contra legem naturalem quamdiu operatur secundum regulam naturalem, seu non potest peccare contra regulam quamdiu operatur secundum regulam. Non sic intelligitur : sed quod non peccat contra legem naturalem quamdiu operatur connaturaliter, et juxta modum suæ naturæ, id est, principia ipsa naturalia et finem naturalem intelligendo et accipiendo comprehensive et unite sicut ejus natura postulat, tam speculative quam practice. Sic enim est proprius modus intelligendi Angeli, ut naturalia accipiat comprehensive et unite, et non dividat sicut nos possumus dividere ob nostrum imperfectum modum procedendi. Et ita si Deus de potentia absoluta ita produceret Angelum in pura natura, quod non daret ei modum suum procedendi connaturalem, sed quod ea quæ naturalia sunt plene et adæquate non intelligeret, sed aliquid subtraheret, non coordinate intelligendo aut apprehendendo cum suo principio, tunc non repugnaret Angelum peccare contra legem naturalem primo et immediate : quia tunc sibi proponeretur imperfecte, et ad eum modum quo nobis proponitur, sine plena et perfecta comprehensione. Atque adeo posset invertere ordinem eorum, quæ tenetur diligere, pro sua libertate : posset enim ex parte dictaminis dividere, et non proponere seu attingere unum subordinate ad alterum; atque adeo neque ex parte libertatis, neque ex parte dictaminis, impeccabilis esset.

37. *Quod si dicas :* Ergo si potest Angelus invertere connaturalem ordinem operandi et intelligendi ea, quæ naturalis ordinis sunt, ex recessu a fine supernaturali, poterit discurrere : si quidem ex eo non discurrit, quia comprehensive procedit; ergo si potest non-comprehensive procedere, poterit discurrere : — *Respondetur negando consequentiam.* Et ad probationem dicitur, quod ratio non-discurrendi in Angelo est quia comprehensive procedit, *distinguo :* quia comprehensive procedit ex parte modi operandi, et secundum exigentiam suæ naturæ, *concedo;* quia comprehensive procedit ex parte rei cognitæ, et secundum applicationem ad hanc vel illam materiam determinate, *nego.* Itaque potest Angelus procedere non-comprehensive in aliqua materia quoad usum illius, seu quoad extensionem ad omnia quæ in aliquibus principiis manifestantur; non tamen potest modum comprehensivum exuere quantum ad hoc quod simplici intuitu procedat in materia circa quam operatur, et non per lumen illativum, ita quod duplici lumine procedat, uno exorto ex alio. Atque ita, uno verbo, potest non procedere comprehensive quoad extensionem objectorum, non quoad intensionem in modo operandi; et ex primo non infertur discursus, sed solum ex secundo : quia ad discursum oportet quod lumen non sit simplex, sed illativum, id est, unum lumen ortum et coordinatum ex alio. Ad hoc autem ut Angelus peccet, sufficit dividere comprehensionem ex parte objectorum (quia objecta sunt quæ movent secundum bonitatem et convenientiam), ita ut in illis non servet ordinem quem naturaliter postulant objecta : id est quod fine utatur ut fine, et principiis ut principiis, et medio tamquam medio, non vero quod ita dividat naturalem subordinationem quod velit uti medio ut fine, non subordinando illud legi supernaturali, et ex consequenti neque sub naturali fine retinendo.

[1] Intelligito : *sed [operatur] dividendo...*

38. Et licet in aliarum rerum cognitione possit etiam Angelus uti suis speciebus inadæquate, et non omnia ad quæ possunt se extendere simul intelligere (quod est non comprehendere illas quoad extensionem), nec tamen in hoc peccare : — Ceterum est longe diversa (1) ratio quam in præsenti : quia aliud est Angelum inadæquate uti speciebus quoad cognoscenda objecta earum, aliud inordinate seu naturalem ordinem invertendo, ita ut principiis utatur pro conclusione, vel conclusionem accipiat pro principio, et medium accipiat pro fine, aut e contra. Potest quidem Angelus etiam in puris naturalibus uti inadæquate suis speciebus, et non omnia objecta quæ in qualibet continentur attingere; non tamen hoc facit nisi servando ordinem formalem, quo ipsæ species naturaliter repræsentant : scilicet ut videat res in suis principiis, quia in illis continentur, et simplici lumine, id est, non duplicato ita quod unum oriatur ex alio, quale est lumen illativum. Si non simplici lumine utitur, non solum amittitur comprehensio, sed etiam admittitur discursus, ut in nobis : quia fit lumen illativum. Si utitur lumine simplici, sed non servat ordinem seu subordinationem objectorum, sed utitur medio tamquam fine, non subordinando illud fini, peccat, licet non discurrat. Sed tamen non potest hunc ordinem invertere Angelus operando præcise ex lumine naturali : quia naturale lumen semper procedit ordine suo ex principiis ad contenta in illis, si modo connaturali et formali procedat, non modo potentiali et confuso, sicut nos qui modo ab his modo ab illis procedimus. Unde ut Angelus hunc ordinem invertat, oportet quod naturalia ista subjiciantur aliis principiis, seu regulæ, scilicet supernaturali : cui cum Angelus non subjiciatur ex ipsa vi naturalis luminis, potest ab illa se subtrahere, non subjiciendo illi ea quæ naturalia sunt et subjici deberent. Quod si non subjicitur, sed subtrahitur ab illo, hoc ipso non utitur Angelus propriâ excellentiâ ut medio, sed ut fine et principio; et consequenter neque subjicit illam fini naturali seu Deo auctori naturali : quia lumen naturale, licet nihil dictet de supernaturali fine positive, dictat tamen non esse illi repugnandum nec ab eo subtrahendum. Et ex hac parte rumpitur etiam subordinatio et subjectio ad finem naturalem, et vulneratur in naturalibus, qui non se subjicit cælestibus.

(1) Intellige : *longe alia ratio ac in præsenti* || Cf. tomi I Præfationem, cap. III, art. 2, § 3, n. 7, a).

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

39. Duæ nihilominus præcipuæ objectiones restant contra secundam conclusionem. — Prima : Quia Angelus, etiam in pura natura, est liber libertate contradictionis et contrarietatis, non minus quam nunc; ergo potest peccare. — Consequentia patet : quia libertas contrarietatis est circa bonum et malum. — Antecedens patet : quia in statu naturalis ordinis non omnia objecta amat necessario necessitate specificationis, nisi tantum bonum proprium, seu in quo non apparet aliqua ratio mali; et tamen naturalis lex etiam plura præcipit circa bonum alienum, ut « Quod tibi non vis, alteri ne feceris », etc.; ergo potest non amare illud, et sic peccare contra illud.

40. *Confirmatur :* quia intra puram naturam est Angelus capax ut sibi imponatur præceptum aliquod positivum non supernaturale, sed mere naturale, v. g. quod præcipiat Deus Angelo ire ad talem locum, vel quod manifestet talem cogitationem suam alteri, vel quid simile; et ille poterit renuere. Nec enim est necessitatus obœdire omni præcepto positivo; nec apparet ratio cur possit a præceptis supernaturalibus se subducere, et non a positivis naturalis ordinis. Ergo intra limites puræ naturæ poterit Angelus peccare sine aliquo ordine ad supernaturalia.

41. *Confirmatur secundo :* quia Angelus non potest viribus suis sine gratia servare totam legem naturalem : sine gratia, inquam, ordinis naturalis, et auxilio Dei moventis; ergo non est impeccabilis ab intrinseco. Alias non esset gratia, quod non peccaret et servaret legem.

42. Secunda difficultas est jam supra* insinuata : Quia Angelus, semel devians a fine supernaturali, potest peccare contra naturalem legem : ut modo de facto dæmones peccant contra legem naturalem, incitando ad tot peccata quæ fiunt ab hominibus contra legem naturæ; ejusdem autem prohibitionis est non facere illa, et non incitare ad illa. Similiter dæmon habet modo odium Dei, et sanctorum Angelorum, et hominum : quæ omnia sunt contra legem naturæ. Ergo etiam possunt peccare Angeli immediate contra legem naturæ.

43. *Probatur consequentia :* quia si voluntas Angeli ex principiis naturalibus est impotens ad

peccandum, quomodo ex elevatione ad finem supernaturalem potest reddi potens ad peccandum contra eamdem legem naturalem? Sic enim fieret Deo auctore deterior, et ex elevatione divinâ imperfectior. Nam non posse peccare contra legem naturalem perfectio est, sicut e contra potentia ad peccandum defectus est. Ergo si ante elevationem non habet voluntas Angeli istum defectum, et post elevationem habet, fit ergo defectuosior et deterior Deo auctore. — Deinde, quia libertas voluntatis et cognitio intellectûs circa bonum ordinis naturalis intrinsece immutata manent ante elevationem ad finem supernaturalem et post; ergo si ante non poterant peccare contra illum finem, neque postea poterunt, et e converso : si quidem non potest sine aliquâ mutatione intrinsecâ voluntas impotens ad peccandum reddi potens, vel e contra; ex elevatione autem ad finem supernaturalem nihil libertatis, aut intrinsecæ immutationis, acquirit illa libertas.

44. Denique, si dicatur intrinsece non mutari libertatem, aut aliquid acquirere per illam elevationem quod antea non haberet, sed ab aliquo extrinseco, scilicet ex novo motivo quod ante non proponebatur : currunt omnes instantiæ P. Vazquez (hic, disp. 231 [1], c. 5) et Suarez (lib. III de Angelis, c. 7), Arrubalis (hic, disp. 179, c. 2) et aliorum. Quæ resumentur in hoc quod Angelus, si ex se esset impeccabilis contra legem naturalem, nullo motivo aut fine posset moveri ad peccandum contra illam. Quod si modo habet motiva ad peccandum, quæ in statu mere naturali non haberet, in primis non omnia motiva modo sunt contra finem supernaturalem : nam etiam peccant, et odio habent Deum invidentiamque aliis, quia se vident cruciari, et non solum quia beatitudine sunt privati. Nec apparet quæ necessitas sit, ut Angeli ad peccandum debeant prius moveri ex motivo finis supernaturalis, et non possint ex motivo naturali invidere aliis Angelis, aut odio habere Deum : quia ad hoc non moventur ex ipsa lege supernaturali, sed ex eo quod vident se privatos donis gratiæ. — Et licet minora motiva forent sub statu pure naturali ad peccandum, quam modo sint in statu damnationis, tamen tunc omnino non deessent : quia ad hoc non requiritur error aliquis, sed defectus considerationis, ex quo minus efficaciter apprehenditur bonum honestum, quam delectabile vel utile proprium. Nulla autem apparet repugnantia, cur non posset habere Angelus in statu puræ naturæ talem defectum inconsiderationis, sicut modo habet suppositâ notitiâ legis supernaturalis. — Ac denique quia Angelus, licet modo procedat ex motivo legis supernaturalis seu contra illam, tamen vere et proprie peccat contra ipsam legem naturalem : si quidem objectum, circa quod peccat, est prohibitum lege naturali et participat malitiam ejus [2]; ergo signum est Angelum ex natura sua et intra limites puræ naturæ non esse omnino determinatum ad legem regulamque naturalem : sic enim non posset vere et proprie nunc peccare contra illam.

45. AD PRIMUM * RESPONDETUR : Angelum pro illo statu non habere libertatem contrarietatis ad peccandum contra illum finem naturalem sic solitarie sumptum : licet semper habeat ab intrinseco libertatem ad peccandum contra eumdem finem, non solitarie et seorsum acceptum in puro ordine naturali, sed ut conjunctum seu subjectum fini supernaturali, ut explicatum est *. Remanet tamen in Angelo libertas quoad exercitium, et respectu hujus vel illius operationis circa bonum : nec enim necesse est quod libertas, ut sit libertas, sit defectuosa, et circa malum pro omni statu et consideratione. — Et cum instatur *, quod voluntas non necessitatur quoad specificationem amare omnia bona quæ præcipiuntur lege naturali, præsertim quæ versantur erga alterum : Respondetur, ex supra ** dictis, non necessitari per se et ex meritis objecti, sed ex modo quo Angelus natus est apprehendere et proponere ea quæ ad naturalem ordinem spectant, quamdiu non subduntur superiori regulæ, sed juxta naturalem modum ab Angelo attinguntur et dictamen formatur. Sic enim quæcumque sub præcepto naturali cadunt, cum regulentur per ordinem ad finem naturalem, et ex principiis naturalibus deducantur, in ipsomet fine ab Angelo attinguntur; et eâdem immobilitate fertur dictamen Angeli et voluntas circa illa, atque circa ipsum finem et circa principia universalia : quia iste est modus connaturalis cognoscendi et volendi in Angelo. Unde ex vi hujus coarctatur ad non volendum aliquid oppositum legi naturali, nisi mutet modum tendendi in legem ex subjectione ad legem

[1] Mendose omnes : *131*.

[2] Intelligito : *malitiam [quæ est in violatione] ejus [legis]*.

superiorem quam possunt [1] recusare, et ex consequenti etiam naturali legi non subdi : quia tunc non ex vi ipsius naturalis luminis tendit in talem legem, sed ex ordine ad finem superiorem, ad cujus amorem non necessitatur quoad specificationem, nec ex naturali determinatione et ordinatione.

* supra, n. 40

46. *Ad confirmationem* * *respondetur* : esse circa hoc diversas sententias, etiam inter Thomistas. Nam aliqui sentiunt posse peccare Angelum in pura natura per violationem præcepti positivi quod posset Deus imponere illi in ordine ad finem naturalem, licet non per violationem præceptorum quæ sunt de jure naturæ. Ita Bañez, et Nazarius * (super hanc q. 63, a. 1); et probabile reputat Ledesma (de perfectione Dei, q. 6, a. 7, in subarticulo 2 **); et idem attribuitur Zumel *** (super hunc art. citatum). — Alii vero discipuli D. Thomæ absolute et sine limitatione docent in ordine ad finem naturalem non posse peccare primo et immediate, non distinguentes de his quæ jubentur per præceptum positivum, vel jure naturæ : sicut sentiunt auctores quos supra * citavimus pro nostra sententia. Et in specie quod, etiam posito præcepto positivo de re mere naturali, adhuc Angelus non possit peccare directe et per se primo contra motivum mere naturale, secundum tale præceptum positivum [2], defendunt Navarrete (hîc, controv. 79, § 1) et Carmelitani Salmanticenses (tract. VII de Angelis, disp. 9, dub. 2, n. 35 et 51). Et videtur magis propendere D. Thomas in hanc sententiam : quia nusquam distinxit inter præcepta naturalia et positiva quantum ad hoc quod non possit peccare Angelus contra prima, bene tamen contra secunda; sed absolute docuit non posse peccare ex motivo mere naturali, et solum admisit posse peccare ex motivo relato ad finem supernaturalem : ut in locis supra * citatis videri potest.

* I P. q. 63. a. 1, contr. 1 (alias : 61), concl. 4, 5, 6
** maxime circa concl. 2 et 5
*** q. 63, a. 1, q. 1, concl. 3. 4. 6
* n. 7
* nn. 27-28, 34-35

47. Quare dicendum est quod, si Angelus manet in pura natura, præceptum quodcumque ei ponatur positivum, debet esse circa aliquam rem ordinis naturalis : nam si est circa rem ordinis supernaturalis, jam mutatur casus, et non remanet Angelus in pura natura. Si ergo ponitur præceptum aliquod positivum, oportet quod sit ordinatum ad finem naturalem : quia cum sit præceptum a Deo, debet esse de materia bona et ordinata in bonum finem, et consequenter sub illo fine naturali contentum, id est, sub Deo auctore naturali, et in ordine ad ipsum. Sed in ipsa cognitione et dictamine quo Deus proponitur ut finis naturalis, et sic amatur et acceptatur, hoc ipso acceptantur omnia præcepta sub tali fine ordinabilia : quia ille finis amatur super omnia. Ergo Angelus, sic diligens illum finem, virtualiter omnia præcepta sub tali fine ordinabilia includit; unde non potest aliquod ex illis præceptis non admittere, nisi omittat amorem illius finis naturalis super omnia : quod est non habere illum pro fine, atque adeo non immobiliter adhærere principio illi universali practico, secundum quod diligitur Deus naturalis auctor super omnia. Quare ego nullam video differentiam inter præcepta naturalia et positiva in hac parte : quia præcepta naturalia, quæ versantur circa media seu circa ea quæ sunt ad finem, acceptantur ab Angelo in ipso fine, in quo media attingit ordinata ad talem finem; unde non potest stare, quod diligatur ille finis super omnia, et non acceptentur media ad talem finem ordinata, et consequenter ipsa ordinatio seu præcepta naturalia quibus talia media ad illum finem ordinantur. Sed similiter, hoc ipso quod diligitur ille finis super omnia in genere naturæ, virtualiter acceptatur quidquid præcipi potest positive in ordine ad eumdem finem : quia si præcepto positivo renueret subjici, hoc ipso non diligeret Deum super omnia. Ergo ex suppositione quod finis est acceptatus tantâ comprehensione et immobilitate, ut in ipso acceptentur omnia media requisita et quidquid ad talem finem ordinari stricte et de necessitate potest, quia diligitur super omnia : ergo, nisi retrocedat Angelus in amore illius finis et principii universalis practici, non potest illa præcepta abjicere, sicut nec naturalia. Quia in hoc nulla est differentia : ex suppositione quod Angelus, in ipsa cognitione et acceptatione finis, cognoscit et acceptat per comprehensionem et simplicem actum immobilem omnia media quæ se habent ut conclusiones connexæ fini.

48. *Quod si dicas* : Quia potest Angelus in ipso principio non acceptare illam legem positivam et non se illi subjicere, ex amore excellentiæ propriæ, sicut renuit se subjicere fini supernaturali : et ex consequenti peccare contra regulam et finem naturalem, nec se illi subjicere; non autem ex suppositione amoris ipsius finis

(1) Sic omnes || Suspicamur legendum esse : *possit*.

(2) Ita corrigendum cum P || Mendose M L C *positiva*.

procedendo, quia hoc supposito non potest retrocedere et abjicere præcepta quæ in ordine ad ipsum ponuntur : sicut acceptato fine supernaturali, et diligendo illum super omnia, non potest Angelus renuere præcepta positiva quæ circa talem finem sibi imponantur. Sed tamen potest stare quod ab initio, quando Angelus debuit acceptere legem naturalem et ea quæ ad ipsam ordinabantur, renueret aliquod præceptum positivum sibi impositum propter excellentiam propriam, unde resultaret non acceptare ex consequenti legem naturalem : et, in summa, quod procederet Angelus circa illud præceptum positivum, sicut circa præceptum de fine supernaturali.

49. *Respondetur :* idem argumentum prorsus fieri posse de quolibet præcepto naturali contento sub fine naturali, v. g. de diligendo altero Angelo, et non invidendo illi dona naturalia, et de similibus : quod posset Angelus renuere tale præceptum circa illam materiam, et converti ad propriam excellentiam ut ad finem, et inde ex consequenti abjicere a se legem naturalem. Quod si hoc non admittitur (quia tale præceptum naturale continetur sub fine illo ordinis naturalis, nec potest ferri Angelus in medium aliquod nisi ex aliquo fine, sicut nec [1] conclusiones nisi in aliquibus principiis), idem dicemus de præcepto positivo superaddito : quia etiam tale præceptum continetur sub illo fine, cum ordinetur ad illum, quia versatur circa aliquod medium. Nam finis ex præcepto naturali diligitur, et finis ille diligitur super omnia : atque adeo omnia illa præcepta manent virtualiter ibi acceptata et volita. Nec potest excellentiam propriam accipere tamquam finem ad quem convertatur subtrahendo illam a subjectione finis naturalis, cui tamquam aliquid inferius naturaliter subjicitur, nisi supponendo aliquem defectum ab aliquo fine, ratione cujus accipiat propriam excellentiam ut finem : quia, si connaturali modo operatur, debet propriam excellentiam semper accipere ut contentam sub fine. Si autem accipit illam ut finem, et non ut medium contentum sub fine, hoc ipso deficit ab aliquo fine sub quo continetur. Non a naturali immediate : quia ex illo incipit actum suum : ergo a supernaturali; et, si iste non datur, non deficit. Et sic oportet quod incipiat hoc peccatum Angeli ab aliquo defectu circa finem, et circa modum connaturalem operandi. Qui quidem defectus optime cernitur quando intervenit ordo ad finem supernaturalem, cui Angelus renuit se subjicere : tunc enim, sub tali defectu a tali fine, deficit a connaturali et proprio modo operandi, ut supra * diximus, potestque accipere propriam excellentiam ut finem ad quem convertatur : quia jam finis naturalis, qui est Deus ut auctor naturæ, non plene et perfecte attingitur, hoc ipso quod renuit Angelus se subjicere fini supernaturali. Non tamen hoc contingit si renuat se subjicere præcepto positivo circa aliquod medium subordinatum fini naturali : quia cum Angelus numquam operetur nisi incipiendo a principiis et a fine (sive per subjectionem, sive per aversionem), propter perfectissimum modum intellectualem quem habet in operando, ideo non potest renuere hoc præceptum particulare, quod de se est contentum sub amore finis ultimi naturalis, nisi incipiat hanc renuentiam ab ipso fine. Et cum supponatur non esse alius finis quam naturalis, et circa illum est necessitatus quoad specificationem, quia bonum naturæ est, non potest intra limites puræ naturæ procedens et modo connaturali, id est, incipiendo a principiis ad conclusiones et a fine ad media, renuere subjectionem illam ad tale præceptum positivum magis quam ad alia præcepta naturalia, quæ versantur circa media contenta sub illo fine naturali.

* nn. 35. 38. 45. 47

50. *Ad secundam* * *confirmationem* argumenti respondetur quod, ut docet S. Thomas (I-II, q. 109, a. 3), homo in statu naturæ integræ (et idem est de Angelo ex sua natura considerato, ut ibi se refert ad locum I^æ^ Partis ubi id tractavit, scilicet q. 60, a. 5) ad diligendum Deum super omnia non indiget dono gratiæ superadditæ naturalibus bonis, licet indigeat auxilio Dei ad hoc eum moventis. Sic ergo dicimus quod Angelus ad observandam legem naturalem indiget auxilio movente et concursu generali, qui dicitur gratia generali modo, non autem indiget aliquo dono gratuito superaddito naturalibus bonis. Unde non tollitur quod sit impeccabilis ex vi illius statûs, et in ordine ad illum finem tantum, licet auxilio generali indiguerit sicut ad omnia alia opera, et sicut indigent beati ad amandum Deum.

* supra, n. 41

51. AD SECUNDAM DIFFICULTATEM * RESPONDETUR ex dictis negando consequentiam. — *Ad*

* supra, n. 42

[1] Sic omnes || Supple : *nec [potest Angelus videre] conclusiones...*; aut, alio modo : *nec [continentur] conclusiones...*

** supra, n. 43 *primam*** *probationem dicitur,* quod Angelus non redditur potens, ex elevatione ad supernaturalia, ad peccandum : sed per se redditur potens ad supernaturaliter operandum; quod vero inde sumpserit occasionem Angelus ad peccandum, hoc est ex defectu suo, non ex operatione Dei qui ad superius bonum elevabat Angelum, licet ipse beneficio Dei abusus sit nolens se tanto bono et superiori legi subjicere. Non est autem inconveniens quod, ex beneficio principaliori Dei, sumatur occasio majoris mali : sicut incarnatio Verbi fuit summum Dei beneficium, et tamen ex eo occasionatum est peccatum maximum eorum qui noluerunt ipsum recipere, immo et ipsum occiderunt. Unde dicebat Dominus suis : *Si non venissem et locutus eis non fuissem, peccatum non haberent; nunc autem excusationem non habent de peccato suo* (Joa. XV, 22); et Apostolus dicebat (Rom. VII, 8) : *Occasione acceptâ peccatum operatum est in me omnem concupiscentiam : sine lege enim peccatum mortuum erat.* Similiter ergo in Angelo, ante elevationem ad supernaturalia, potentia erat ad peccandum et deficiendum, si elevaretur et sibi proponeretur lex superior : non autem ad peccandum si intra naturalem legem maneret et in modo connaturali operandi. Unde per elevationem non accepit potestatem peccandi, nec libertas immutata est : sed materia majoris boni et beneficium majus datum est, unde occasionem accepit Angelus peccandi, non ex potestate novâ ad peccandum datâ, sed occasione acceptâ. Unde Angelus non fit Deo auctore deterior : sed melior factus, occasionem sumit ex se deteriorationis.

* supra, n. 43, *Ergo si* 52. *Et cum dicitur**, quod ante non habebat potentiam ad peccandum, et modo habet : *Respondetur* quod etiam ante habebat potentiam ad peccandum, non quidem intra naturalem ordinem manendo, sed habebat potentiam ut cum ordine ad supernaturalia deficere posset. Unde elevatione positâ, impleta est condicio, et occasio ab ipso accepta deficiendi. — *Et sic*
* supra, n. 43, *Deinde* *patet ad secundum**, quomodo non mutatur intrinsece libertas, sed solum extrinsece ponitur occasio circa quam possit deficere : jam enim ante habebat potestatem ad deficiendum positâ hac occasione.

* supra, n. 44 53. *Ad tertiam** *respondetur* quod, si Angelus esset impeccabilis ab intrinseco absolute et simpliciter, nullo motivo posset ad peccandum moveri; sed Angelus ex se et ab intrinseco est peccabilis, si ponatur in eo ordo ad supernaturalia : est autem indefectibilis si talis ordo non detur, et alias operetur juxta suum modum connaturalem, ut diximus*. — Et quando * supra, n. 24-36
dicitur ** quod modo peccant etiam ex motivo ** supra,
mere naturali, ut quia cruciantur, et non solum n. 44,
quia amiserunt beatitudinem : Dicimus quod non *Quod si modo*
possunt ex illo motivo naturali peccare, nisi prout supponit et oritur ex alio priori motivo, quo ipsi noluerunt subjici regulæ supernaturali, seu ordinari per eam, sed eâ relictâ [1] converti ad propriam excellentiam : quâ deordinatione suppositâ, etiam in lege naturali deordinati sunt, et potuerunt contra illam peccare, ut diximus*, * supra, n. 24-38
sed incipiendo semper et utendo illâ primâ abusione et non-subjectione ad regulam supernaturalem ut motivo : quia superbia est præcipuum motivum eorum, quod virtualiter operatur et manet in aliis particularibus motivis, quia Angeli semper operantur incipiendo ab universalibus principiis et a fine. Præterquam quod cruciatus, quem nunc habent, ordinem et connexionem habet cum fine supernaturali, sicut et privatio beatitudinis : quia utrumque ex peccato contra legem supernaturalem emanavit. Et similiter invidentia* de bonis Angelis est ex eo * supra,
quod vident illos excellentissimis donis superna- n. 44,
turalibus cumulatos, quibus ipsi carent : quod *Nec apparet*
totum ordinem dicit ad supernaturalia. Et sic dicit D. Thomas (supra, q. 60, a. 4 ad 3) quod I P. q. 60
« odiunt bonos Angelos in quantum diversificantur penes justitiam et injustitiam »; et (art. 5 ad 5) dicit quod odio habent Deum in quantum facit in eis « particulares effectus, qui eorum voluntati contrariantur ». Quare non est necesse quod dæmones moveantur semper ex lege supernaturali, sed sufficit quod contra eam, vel ex aliquo dicente ordinem ad illam, vel supponente illam, ut dictum est*. * supra, n. 34-36

54. Ad id quod dicitur ** de motivis ad ** supra,
peccandum, quod potuerunt dari in statu puræ n. 44,
naturæ, licet non tot sicut in statu damnationis : *Et licet*
Dicimus non regulari impeccabilitatem Angeli in illo statu penes paucitatem vel pluralitatem motivorum, sed propter modum tunc operandi, ex quo non dabatur locus formandi dictamen defectuosum quamdiu operabatur connaturali modo suo, id est, procedendo comprehensive et tam immobiliter in principiis quam in conclu-

(1) Suppie : *relictâ [voluerunt] converti...* || Cf. tomi I Præfationem, cap. III, art. 2, § 3, n. 1.

sionibus, in fine quam in mediis : ut amplius infra (disp. 24 *, art. 1) dicetur. Sic enim cum non proponeretur illi nisi finis naturalis ad quem ex natura sua determinatus et immobilitatus est, et sub illo continebantur ea quæ poterat pro fine ultimo perverse habere, scilicet excellentia propria, necesse erat sibi proponi alium finem cui ea non subjiceret, ut posset ab alicujus finis aversione incipiendo operari defectuose, et ex his quæ sub fine naturali continebantur finem sibi ultimum constituere. — Et cum instatur *, quod non repugnat etiam in statu naturali dari defectum aliquem considerationis, ratione cujus possit proponi ut conveniens bonum delectabile, seu proprium bonum, relicto bono honesto : Respondetur non repugnare defectum considerationis, et quod bonum proprium anteponatur, dummodo iste defectus considerationis detur incipiendo ab aliquo fine a quo se avertat, vel quem sequatur : quia proprius et connaturalis modus operandi in Angelo est incipiendo a fine, sicut in intellectu incipiendo a principiis, eo quod intellectualis naturæ est perfectæ et comprehensivæ in suo modo procedere (1) : et sic semper incipit a principiis. Cum autem in statu naturali solum ponantur principia naturalia et finis naturalis sub quo omnia bona continentur, et ex amore talis finis Angelus incipiat, in eoque omnia quæ sub illo ordinantur attingat, quia comprehensive procedit et unicâ immobili attingentiâ, tam circa principia quam circa conclusiones, fines et media, inde fit quod non possit omittere considerationem finis et incipere ab aliquo bono contento sub tali fine, et illum sibi ut finem proponere : quia hoc esset invertere modum connaturalem procedendi : quod stare non potest, nisi aliquem defectum supponendo, ratione cujus id quod non est finis accipiatur ut finis. Quod esse non potest, nisi avertendo se ab aliquo fine, seu non subjiciendo se alteri fini quam naturali : quia huic naturaliter adhæret, et non potest ab ipsius aversione incipere, cum sit necessitatus quoad specificationem ad ipsum. Itaque Angelus potest defectum considerationis pati, sed semper servando modum suum, qui est incipiendo ab aliquo fine, vel per conversionem, vel per aversionem; unde, si a fine naturali avertitur, est ex altero fine a quo incipit : et ille non potest esse naturalis ipse finis, quia bonus est : nec aliquid contentum sub isto fine naturali, quia hoc non potest accipi ut finis invertendo connaturalem ordinem, nisi ex non-subjectione ad alium finem cui deberet subjici. Quod non stat nisi respectu finis supernaturalis : nam respectu naturalis per se subjicitur.

* nunc disp. 44

* supra, n. 44. *Nulla autem*

55. Ad ultimum * dicitur : Angelum peccantem contra finem supernaturalem etiam violare legem naturalem, et illius malitiæ reum esse; hinc tamen non sumitur argumentum quod possit Angelus violare eamdem legem naturalem stando in mero statu naturali, sed ex motivo et ordine aliquo ad supernaturalia : a quibus si avertitur, etiam ex consequenti averti potest a fine naturali, ut dictum est *. Et sic determinatus est ad finem naturalem, quamdiu non ponitur alius finis ex cujus aversione possit etiam contra finem naturalem agere; si autem ponatur talis finis, cui Angelus naturaliter non sit subjectus, potest se ab illo avertere, et ex consequenti a fine naturali, ut explicatum est.

ARTICULUS II

Utrum Angelus potuerit peccare in primo instanti.

1. De facto Angelos non peccasse in primo instanti suæ creationis, ita ut cum ipsa creatione sui esse nascerentur mali, omnino certum est; et oppositum judicatur ut erroneum, non solum si dicatur Angelum esse naturaliter malum, id est, ex natura sua et non ex libero arbitrio, ita quod natura dæmonis mala fuerit et a malo Deo creata (quæ est hæresis Manichæorum) : sed etiam ponendo quod Angelus libero suo arbitrio fuerit malus in primo instanti, ita quod numquam fuerit bonus. Hoc enim etiam Scripturæ contrariatur, quæ docet dæmonem aliquando fuisse bonum, ut (Eze. xxviii, 15) ubi dicitur de primo Angelo qui vocatur Cherub protegens : ***Perfectus in viis tuis a die conditionis tuæ, donec inventa est iniquitas***

(1) Ita omnes || Omnino corrigendum censemus : *procedendi.*

in te; et (Joa. VIII, 44) dicitur de diabolo, quod *in veritate non stetit;* ergo supponitur aliquando in veritate fuisse. Et (in canonica Jud. I, 6) dicitur : *Angelos qui non servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in judicium magni diei sub caligine reservavit;* ergo habuerunt aliquando principatum quem perdiderunt : non in natura, quia hæc integra mansit : ergo in gratia.

* ep. 15, c. 6; PL 54, 683
** alias : secundo
*** Mansi IX, 775

2. Unde S. Leo papa (epist. 93 *, c. 6) ait quod « diabolus bonus esset, si in eo quod factus est permaneret ». Et ita in concilio Bracarensi primo **, inter capitula quibus Priscilliana [1] hæresis damnatur, septimum capitulum sic habet : « Si quis *** dicit diabolum non fuisse prius bonum Angelum a Deo factum, nec Dei opificium fuisse naturam ejus, etc., anathema sit; » ubi ly *prius* significat durationem temporis, seu instans aliquod durationis, in quo diabolus bonus Angelus fuit. Quod etiam intendere videtur concilium Lateranense (in c. *Firmiter* *, de summa Trinitate) ubi prius docet angelicam creaturam, sicut et humanam, ab initio temporis conditam esse a Deo, et mox subdit : « Diabolus enim et alii dæmones a Deo quidem naturâ creati sunt boni, » utique in illo initio temporis, de quo dixerat, « sed ipsi per se facti sunt mali. » In aliquo ergo instanti fuerunt boni, scilicet cum creati sunt. — Quare D. Thomas ubique docet hanc opinionem de peccato Angeli, quod contigerit in primo instanti suæ creationis, reputatam fuisse tamquam erroneam a magistris, idque rationabiliter (ut patet in hac q. 63 *, a. 5; et in II, D. 3, q. 1 **, a. 1; et q. 16 *de Malo,* a. 4).

* Mansi XXII, 981-2

* I P. q. 63
** D. 3, pars II, q. 1, a. 1 (alias : D. 3, q. 2, a. 1)

3. *Difficultas ergo est,* utrum in illo primo instanti peccare potuerint, licet de facto non peccaverint. Quod si non potuerunt, unde proveniat ista impeccabilitas pro illo primo instanti. — Et supponimus Angelum habuisse in illo primo instanti elevationem ad supernaturalia, ne dicamus deesse illi ex hac parte condicionem requisitam ad peccandum contra legem supernaturalem, dato quod non possit contra solam legem naturalem; sed præcise est difficultas, an ratione illius durationis, scilicet primi instantis, seu primi actûs quem elicit Angelus, detur specialis repugnantia ad peccandum in Angelo. Et idem est primum instans, ac primus actus quem Angelus habuit in primo instanti quo creatus est : quia creatus est ut actu operans et intelligens : quia natura perfecta et non impedita, in ipso primo instanti quo perfecte producitur et habet esse, simul operatur.

VARIÆ SENTENTIÆ.

4. DUPLEX EST PRINCIPALIS SENTENTIA in hac parte. — *Prima docet* potuisse Angelum in primo instanti, seu in primo actu, peccare. Hæc est Scoti (in II, D. 5, q. 2), quem alii ex antiquis sequuntur : ut Major *, Gabriel **, Palacios ***, etc. — Ex recentioribus eamdem sententiam sequuntur Molina (I P. q. 63, a. 5 †), Valentia (ibi, q. 4, †† puncto 4), Vazquez (hîc, disp. 236, c. 3), et ex parte Suarez, ut statim dicemus, Alarcon (tract. 6 de Angelis, disp. 5, c. 3 †††) et alii [2].

* II, D. 5, q. 3, concl. 2
** II, D. 4, q. 1, a. 3, dub. 1
*** II, D. 5, sect. 3
† Iª 1844-8
†† disp. 4, q. 14
††† n. 12-13

5. *Secunda sententia extreme contraria* affirmat in Angelis non potuisse dari peccatum in primo instanti, seu in primo actu : licet ex diversis fundamentis diversi procedant. — Hæc est expressa sententia S. Thomæ (in hac q. 63, a. 5, et aliis locis supra * citatis ex q. 16 *de Malo*, et in IIº *Sentent.*). Eum sequuntur omnes ejus discipuli in hoc loco Iæ Partis : ubi videri potest Cajetanus, Bañez **, Nazarius ***, Zumel †, Carmelitani Salmanticenses (disp. 11, dubio unico); Capreolus (in II, D. 4, q. 1, a. 1, concl. 4); Ferrariensis (III *Contra Gent.* c. 109, § *Sed circa prædicta*); Arrubal (disp. 179, c. 2 et 4); Granados (tract. 13 ††, disp. 4). — Denique, communem esse sententiam fatetur Suarez citandus, et plures affert Vazquez citatus. Fuit etiam multorum antiquorum sententia : Alberti *, Ricardi **, Argentinæ ***, Holcoth †, Adam [3], Henrici †† : quos citant Carmelitani (loco dicto). Eam etiam sequitur Hugo de S. Victore (in Summa, tract. II, c. 2 †††), attribuiturque etiam D. Anselmo *.

* n. 2
** q. 63, a. 5 et 6
*** q. 63, a. 5, controv. 2 (alias : 68)
† q. 1, concl. 1, 2, 4, 5
†† controv. VII, tract. 13, disp. 4, n. 6 sqq.

* II, D. 3, art. 14
** II, D. 3, princip. 8, q. 1-2
*** II, D. 6, art. 2
† IIº *Sent.*, q. 3, ad 9
†† quodl. 8, q. 10, fol. 321, littera Q
††† PL 176, 81-2
* PL 158, 341 sqq.

6. *Inter has sententias mediam viam* voluit P. Suarez conciliare. Et primo supponit potuisse Angelum in puris naturalibus peccare in primo instanti contra legem naturalem (ut docet lib. III de Angelis, c. 9, a num. 3). Deinde addit (lib. VII, c. 20, n. 47 et seq.) regulariter et secundum ordinariam providentiam Dei non potuisse Angelum peccare in illo instanti contra legem supernaturalem. Et in summa hoc quod est non

(1) Corrupte MP *Priscialliana* ‖ Corruptius LC *Prisciallina*.
(2) Ita bene correxit P ‖ MLC *aliis*.
(3) Revera, Adamus Goddam, in I, D. 1, q. 8, ad 2, dicit Augustinum eorum tantum reprobasse opinionem, qui ponunt Angelos in primo instanti peccasse, non vero eorum qui putant Angelos tunc peccare potuisse.

peccasse Angelum reducit ad manutenentiam Dei specialem, quæ tamen non erat debita Angelo absolute et simpliciter. Et sic docet quod de potentia absoluta, et non secundum leges ordinarias, potuit Angelus peccare in primo instanti; qua distinctione videtur sibi conciliasse sententiam D. Thomæ et Scoti.

ELIGITUR SENTENTIA D. THOMÆ. — OSTENDITUR ALIORUM AUCTORUM INEFFICACES ESSE RATIONES.

7. **COMMUNIS igitur SENTENTIA A NOBIS TENENDA EST, quæ est expressa D. Thomæ : scilicet implicare quod prima operatio Angeli et primus actus ejus, ante quem nullus præcessit, sit peccatum.** — Hæc conclusio non eodem modo probatur ab auctoribus qui eam tenent. Unde oportet prius videre eorum fundamenta, ut ad veram et efficacem D. Thomæ rationem accedamus.

8. PRIMO igitur NON EST HABENDUM PRO SUFFICIENTI FUNDAMENTO, quod ideo Angeli non potuerunt peccare contra finem supernaturalem in primo instanti, quia tunc gratiam acceperunt et justificati sunt; repugnat autem simul in eodem instanti esse gratiam et peccatum, esse eamdem voluntatem conversam et aversam a Deo : præsertim cum Angeli per propriam dispositionem justificati sint, et sic non solum habitualem gratiam habuerunt, sed etiam actualem motum conversionis in Deum, cum quo non compatitur actualis motus aversionis a Deo. — *Ceterum fundamentum hoc non est sufficiens :* solum enim ostendit Angelos non potuisse peccare in primo instanti ex suppositione quod in illo instanti acceperunt gratiam. Potuerunt tamen gratiam tunc non accipere, et creari in pura natura et in ordine ad finem naturalem, contra quem in aliquorum sententia
* supra, a. 1, n. 7 peccare potuerunt, ut (art. * præcedenti) vidimus. Potuerunt etiam creari cum ordine ad finem supernaturalem, et cum cognitione illius per fidem, sed sine gratia pro illo primo instanti, danda tamen pro alio instanti si se disponerent in primo : in hoc enim nulla apparet repugnantia, cum ex libera Dei dispositione largitio sanctificantis gratiæ dependeat. Unde potuerunt habere tunc sufficientem rationem et omnia requisita ut peccarent, operando contra legem supernaturalem quam cognoscebant per fidem : et poterant nolle illi subjici per libertatem, quia nondum tunc reciperent gratiam efficacem. Quare illud fundamentum non procedit absolute, sed ex suppositione quod in primo instanti Angeli sanctificarentur : sic enim non possent simul peccare.

9. SECUNDO, ALII PROCEDUNT EX ALIO FUNDAMENTO : quia existimant primam operationem Angeli non esse liberam, sicque non esse capacem peccati, sed neque meriti. Fundantur, vel quia prima operatio non procedit ex deliberatione, cum sit prima omnium et non præsupponat aliam per quam se moveat deliberando; ergo est indeliberata : ergo non libera. Vel quia existimant in instanti temporis non posse aliquem elicere liberam operationem, nisi tempore antecedenti potuerit se detinere ne in illo instanti eliceret. Et ratio eorum est : quia in eodem instanti non est potens libertas operari et non operari : hoc enim contradictionem involvit; ad libertatem autem requiritur, quod aliquis sit potens operari tunc quando non operatur, et e contra. Ergo potentia libertatis expedita non potest regulari unico instanti, sed debet constare majori duratione quam instantanea : quia in uno instanti non potest operari et non operari; potest autem utrumque pro diversis instantibus. Cum ergo Angelus in primo instanti inceperit durationem suam, non præcessit ante aliquod instans vel duratio ratione cujus posset utrumque, scilicet operari et non operari. In illo ergo instanti nondum poterat libertas ejus exerceri. — Sunt qui Cajetano attribuant sensisse (in hac q. 63, a. 5) quod Angelus non potuerit peccare in primo instanti, quia ejus operatio erat necessaria. Sed Cajetanus expresse loquitur de necessario quoad specificationem, non quoad exercitium, ut patet in eodem articulo (§ *Ad hæc breviter*) : ibi enim exponit et sequitur S. Thomam, qui ibi (solutione ad 3) dicit quod Angelus in primo I P. q. 63, a. 5, ad 3
instanti suæ creationis potuit mereri : quod sine libertate actûs, saltem quoad exercitium, stare non potest.

10. *Unde fundamentum hoc e diametro pugnat cum D. Thoma :* quia absolute docet Angelum in primo instanti posse eligere actu liberi arbitrii (ut patet in q. 16 *de Malo,* a. 4). Et iterum specialiter in primo instanti Angelorum cognoscit meritum (in hac q. 63, a. 5 ad 3) : ergo et I P. q. 63, a. 5
libertatem, quia mereri sine libero actu contradictio est : necessaria enim laudem non merentur, nec præmium; ergo non habent meritum. Et iterum D. Thomas (III P. q. 34, a. 3) expresse

inquirit et determinat quod Christus Dominus in primo instanti suæ conceptionis habuerit actum meritorium liberi arbitrii, eo quod in primo instanti habuerit gratiam : quia a primo instanti fuit plenus gratiæ et veritatis, et caput omnium : quod solum per gratiam esse potuit. Non potest autem dici quod istam gratiam et istud genus sanctificationis accidentalis habuerit Christus imperfecto modo, sicut santificantur parvuli, sed perfecto, sicut adulti, id est, concurrente propriâ dispositione. Dispositio autem fit per actum liberum conversionis in Deum. Ergo si in primo instanti est capax voluntas hujus sanctificationis per gratiam, ad modum adultorum, etiam est capax actûs liberi et meritorii. Denique Christus in primo instanti fuit beatus et comprehensor : alias non habuisset gratiam perfectam et plenam, nec esset plenus veritate a primo instanti, si tunc non videt Deum; sed inconveniens est dicere quod aliquis in aliquo instanti sit capax præmii et summæ perfectionis in intellectu et voluntate, qualis est visio et amor Dei in se, et non sit capax meriti qui est amor Dei imperfectior quam in patria : præsertim cum amor Dei ex visione beata ortus, sicut fertur in Deum necessario, ita in creaturas, quas propter Deum amat, libere; ergo in primo instanti potest esse meritum et actus liber. Unde cum Angeli in primo instanti suæ creationis gratiam acceperint non imperfecto modo, sicut parvuli, sed perfecto, sicut adulti, fuerunt capaces actûs liberi, quo disponerent se ad gratiam in illo primo instanti.

11. Et ratio hujus a priori est : quia Angelus, cum sit perfectæ naturæ intellectualis, potest in primo instanti perfecte et comprehensive intelligere : quia nullum est impedimentum quominus natura perfecta possit perfecte operari hoc ipso quod habet perfectum esse, quia operari sequitur esse. Sed perfecta et comprehensiva operatio intellectualis intelligit objectum cum universalitate et indifferentia. Ergo format judicium indifferens : ergo regulativum actûs liberi, quia ex propositione indifferenti judicii sequitur operatio cum indifferentia in voluntate. Ergo si in primo instanti est capax judicii indifferentis et perfecti, etiam est capax operationis liberæ et perfectæ, quæ ex tali judicio oritur.

12. *Unde solvuntur instantiæ allatæ pro ista parte.* — Ad primam * enim dicimus, quod aliud est actionem esse deliberatam, et aliud liberam : sumendo deliberatam actionem proprie et in rigore pro operatione illa quæ procedit ex alia priori, a qua aliquis se movet; sic enim actio deliberata versatur circa media, atque se movet aliquis ex fine præconcepto. Ad ipsum autem finem non se movet ex deliberatione, seu ex aliquo actu priori, et ideo reducitur motio prima voluntatis et intellectûs in Deum. Ceterum, ut actio sit libera, sufficit quod feratur in objectum cum indifferentia : et si non quoad specificationem et ex parte objecti, saltem quoad exercitium et ex parte actûs, quia potest elicere hunc actum vel illum [1] : et sic ipsamet elicientia actûs proponitur cum indifferentia, ideoque regulatur per talem propositionem libertas quoad exercitium. Quare non repugnat quod primus actus sit liber quoad exercitium, si procedit cum perfecto judicio, licet non sit deliberatus, id est, ex alio priori actu procedens; est tamen principium deliberationis, quatenus est principium alterius actûs. Nec dicitur actio indeliberata, si ly *indeliberata* sumatur privative et cum imperfectione pro actu non habente indifferentiam; sed potest dici indeliberatus negative, quatenus non est ex alio actu priori. In Angelo tamen potest aliquo modo dici ille actus primus « virtualiter deliberatus », quatenus eodem actu fertur in finem et in media. Sed quia fertur ex motione Dei, et non ex motione sui, quia non supponit priorem actum quo se moveat, ideo simpliciter et formaliter non dicitur deliberate procedere, licet libere, in illo primo instanti.

* supra, n. 9, *Fundantur*

13. Ad secundam * dicitur : ridiculum esse dicere quod voluntas, quæ ex suo modo operandi perfecto instantanee operatur, indigeat tempore ut libere operetur : cum possit in instanti proponi sibi judicium indifferens et cum majori vel efficaciori propositione unius objecti quam alterius, unde voluntas manet expedita ut possit eligere et ferri in tale objectum ex vi propositionis indifferentis. Unde dicimus quod libertas non est ad operandum vel non-operandum simul in eodem instanti et in sensu composito, sed disjunctive et in sensu diviso : quia ad neutrum est determinata voluntas ex se, vel ex meritis objecti et ex vi indifferentiæ judicii, sed potest eligere alterum quod voluerit ex propositis; et sic potest divisive operari vel non-operari, non conjunctim operari et non-operari. Et ad hoc sufficit quod sit potens ad utrumque potentiâ

* supra, n. 9, *Vel quia*

[1] Intelligito : *hunc actum vel illum* [*intra eamdem speciem*].

Vide infra, n. 49, circa medium.

antecedenti, licet non possit utrumque simul potentiâ consequenti, id est, cum effectu simul utrumque conjungendo. Et hoc modo, etiam dum operatur in eodem instanti voluntas unum actum, potest oppositum potentiâ antecedenti seu in sensu diviso, et quantum est ex se : licet non potentiâ consequente et in sensu composito, seu ex suppositione quod operatur. Et sic sufficit quod, prius quam operaretur hunc actum, prioritate naturæ potuit ad oppositum determinari, quantum est ex vi suæ indifferentiæ : licet, ex suppositione quod operatur hunc actum, jam non possit oppositum; nec ad hoc est ulla libertas, ut possit utrumque simul conjungere.

14. Tertio probant alii impossibilitatem peccandi in Angelo in primo instanti ex eo quod non potuit in eo instanti proponi efficacius cogitatio boni delectabilis quam honesti; ergo non potuit pro illo instanti deviare a bono honesto, et sequi proprium. — Consequentia probatur : quia peccatum non potest contingere nisi ex aliquo defectu considerationis, quatenus de bono honesto, quod est debitum et sequendum, non ita efficaciter considerat sicut de bono contrario quod est fugiendum; ergo si iste defectus cogitationis non potest esse in Angelo in primo instanti, neque potest esse peccatum. — Antecedens vero probatur : quia in primo instanti si Angelus format sibi cogitationem, debet formare eam in quam magis inclinatur ipsa natura, et cujus vivaciores et fortiores habet species; magis autem inclinatur in bonum honestum quam in apparens, et fortiores species habet de illo, pluraque motiva et efficaciora; ergo illa omnia fortius et vehementius considerabit, quia tunc in primo instanti operatur ipsâ inclinatione et impetu naturæ; deinde tempore procedente libere poterit divertere cogitationem; in primo vero actu non habet quo divertat, sed juxta naturæ inclinationem et propositum operatur. Si vero a Deo immittatur tunc cogitatio, immittere debet efficaciorem et vivaciorem quam petit ipsa natura Angeli secundum se; quod si non fecerit, instigabit ad malum, eritque causa peccati : quia, postulante naturâ meliorem et vivaciorem cogitationem, Deus minus efficacem immittit.

15. Hæc est ratio Arrubalis (loco supra citato, c. 2 *), et ad eum modum trahit rationem et fundamentum D. Thomæ (in hoc art. 5 **) propositum; potestque satis juvari ex his quæ tradit ipse S. Doctor (in II, D. 3, q. 1 ***, a. 1) ubi docet quod non potest esse peccatum circa verum bonum, sed circa verisimile seu apparens; non potest autem dari intellectus circa bonum verisimile, nisi præcedat intellectus veri boni; et ita in primo instanti petit intellectus ferri in objectum honestum seu verum bonum ex naturâ suâ, nec potest ante illud ferri in apparens seu verosimile. In cujus etiam signum S. Doctor non negat absolute non (1) posse liberum arbitrium absolute peccare in primo suæ creationis instanti, sed solum quando est in natura integra, ut patet (in III P. q. 34, a. 3 ad 1) ubi inquit : « Et ideo liberum arbitrium creaturæ in primo instanti creationis potest moveri ad bonum merendo, non autem ad malum peccando, si tamen natura sit integra. » Sentit ergo quod, si non sit integra, potest moveri ad malum : quia videlicet in natura integra efficacius movetur circa bonum honestum; et ideo est debitum illi sic moveri circa illud : quod in natura non-integra, seu corrupta, debitum non est.

* disp. 179, c. 2, n. 13-16

** I P. q. 63, a. 5

*** D. 3, pars II, q. 1, a. 1 (alias : D. 3, q. 2, a. 1)

16. *Nihilominus hæc ratio Arrubalis,* quæ aliquibus etiam placet, *non explicat plene efficaciam* rationis D. Thomæ, sed assumit aliqua quæ omnino certa non sunt, et majori indigent probatione. Nam in primis non est certum quod ex duobus objectis inæqualiter propositis, et cum inæquali vivacitate aut efficaciâ ex parte intellectûs, non possit voluntas pro sua libertate inclinare in id quod minus efficaciter proponitur, relicto vivaciori. Hoc enim in opinione positum est; et fortasse est probabilius posse voluntatem in minus bonum et minus bene propositum inclinare, meliori relicto (de quo agendum est I-II, circa q. 13 *). Non potest ergo veritas hæc D. Thomæ fundari in re tam incerta. — Deinde quia, licet conformiter ad illam (2) procederet D. Thomas, tamen hoc solum probaret dare Deum collationem auxilii sufficientis pro illa parte quæ vivacius proponitur; non tamen probat quod semper teneatur Deus dare auxilium efficax pro bono efficacius proposito. Unde enim ad hoc tenetur? Si quidem voluntas semper manet indifferens ad unum et ad alterum. Quare ergo tenetur ex vi naturalis exigentiæ dare concursum suum ad bonum honestum tantum,

* infra, tomo V, disp. 6, art. 2

(1) Sic omnes || Negantia hæc superflua omnino; vide tomi I Præfationem, cap. III, art. 2, § 3, n. 2, a).

(2) Supple : *ad illam [opinionem]*...

ita quod non possit Deus oppositum permittere? — Nam dicere quod alias Deus esset causa peccati, ridiculum est : cum in secundo et in tertio instanti, et deinceps, Deus non teneatur dare efficax auxilium ad bonum, quia subjectum indifferenter se habet; nec ex eo quod illud (1) subtrahat, et permittat peccatum, sequitur quod Deus sit auctor peccati : alias in quovis instanti curreret eadem ratio, hoc ipso quod Deus permittit peccatum. Si ergo in primo instanti etiam indifferens est voluntas, nec est aliud fundamentum et ratio ut Deus moveat illam efficaciter ad bonum honestum, quam inclinatio naturalis ad bonum potius quam ad malum, non apparet quomodo ex hoc obligetur Deus ad dandum efficax auxilium, et opportunam seu congruam cogitationem ad bonum, ita ut oppositum implicet : cum etiam in totâ vitâ eadem sit inclinatio in natura Angeli ad bonum potius quam ad malum. Obligatio enim et necessitas dandi concursum ad bonum, ne alias Deus sit auctor mali, nulla est, ut diximus * : quia si natura de se est in statu indifferenti, estque proxime potens ad formandum dictamen defectuosum si a Deo permittatur, nullo jure Deus obligatur illi assistere cum dictamine recto magis in primo instanti, quam in reliquis totius vitæ : in quibus non aliâ ratione Deus potest permittere peccatum et defectuosum dictamen, nec tenetur dare auxilium congruum, nisi quia natura ipsa de se indifferens et mutabilis est, et de se potens proxime ad deficiendum et formandum dictamen defectuosum, si a Deo permittatur. Cur ergo in primo instanti magis tenetur Deus non permittere defectum? aut cur magis sequetur quod sit auctor peccati, si in illo primo instanti illud permittat, quam in reliquis? cum inclinatio naturæ intellectualis ad bonum honestum eadem semper sit, quia ex natura est.

* in hoc ipso n. 16. *Nam dicere*

17. Itaque vel Angelus in illo primo instanti est simpliciter potens ad formandum ex se pravum dictamen, et ad deficiendum ex parte voluntatis, si a Deo permittatur, licet, ex eo quod rationalis natura est et integra atque perfecta, magis in bonum sit inclinata quam in malum; vel non est potens pro illo instanti formare dictamen pravum, ita quod antecedenter non sit potens et simpliciter, non consequenter solum, id est, quia de facto non peccabit : hoc enim est petere principium quare non peccabit, et divertere a difficultate proposita (nec enim quærimus de facto, sed de possibili : quod enim de facto non peccet, et supposito hoc facto non possit ex consequenti peccare, res est nullius difficultatis; nec solum pro primo instanti, sed pro quocumque idem dici debet, quod scilicet Angelus bonus etiam in secundo instanti fuit impeccabilis consequenter, quia de facto non erat peccaturus). — Si ergo in primo instanti est impotens, etiam antecedenter, ad formandum dictamen pravum, assignet Arrubal formam incompossibilem cum tali deficientiâ, et radicem unde natura Angeli pro illo primo instanti eam incompossibilitatem habet : sicut si Angelo beato assignamus formam incompossibilem, ipsam beatitudinem, et in Christo ipsam divinam personam. Quod si non assignat, diminuta manet ejus ratio, et nihil probat. Sola enim inclinatio rationalis naturæ ad bonum potius quam ad malum, et quod petat efficacius sibi proponi bonum quam malum, hanc impotentiam non ostendit : si quidem hæc inclinatio non est necessitans ad bonum, sed indifferentiam relinquens et mutabilitatem; nec solum datur in primo instanti, sed in toto reliquo tempore; nec vivacior et efficacior inclinatio est pro primo instanti in natura rationali, quam in reliquo tempore : unde enim constat oppositum, aut ex qua forma et ratione id postulat? Et sic quamdiu non assignatur ista radix et causa repugnantiæ ad dictamen pravum, diminute proceditur. — Si autem pro illo instanti potens est Angelus formare dictamen pravum, si permittatur a Deo, ergo tam potens est ad peccandum et tam peccabilis in primo instanti quam in secundo, quantum est de se : quia de se potens est formare dictamen malum si a Deo permittatur, et æque indifferens et contingens est ex se atque in reliquis instantibus, cum pro primo instanti nullam habeat formam necessitantem magis quam in reliquis.

18. Quod si semel ponimus naturam Angeli de se in illo primo instanti non esse impotentem ad formandum dictamen pravum, nec habere necessitatem aliquam intrinsecam aut impedimentum ad formandum illud si a Deo permittatur, ita quod, attento jure creationis et naturæ Angeli, pro illo primo instanti potens est ex se deficere et dictamen defectuosum formare si Deus permittat, non possumus invenire funda-

(1) Id est : *auxilium efficax*.

mentum unde implicet quod Deus non (1) permittat : quia ex parte naturæ Angeli id non implicat. Ex parte autem Dei non repugnat : quia, ex hoc quod permittat, non erit auctor peccati magis in primo instanti quam in secundo, nec magis contra inclinationem bonam naturæ faciet in primo instanti quam in secundo. Unde vel hoc quod est Deum manutenere Angelum in primo instanti ne peccet, nec permittere ut deficiat, est gratia et beneficium Dei : vel est debitum et necessarium. Si est gratia, potest illam negare sine violatione ullius juris, et sine hoc quod in Deum refundatur peccatum, ut in auctorem. Si est debitum et necessarium, debet assignari ex parte creaturæ status vel forma exigens tale debitum et necessitatem : nam si ex parte creaturæ non est exigentia talis debiti, necessitas et determinatio ad non peccandum, frustra injicitur Deo tale onus et necessitas dandi auxilium congruum, et non denegandi illud, nec permittendi oppositum. Est ergo ratio Arrubalis valde inefficax; et velle ad eam reducere D. Thomæ fundamentum, est reddere illud enervatum.

EFFICACIA RATIONIS D. THOMÆ.

19. *Quare solum restat una via* ad efficaciter probandam sententiam D. Thomæ : scilicet ostendere quod in illo primo instanti est impotentia ex parte Angeli ad formandum dictamen pravum, et ad deficiendum. Quæ impotentia cum non nascatur ex defectu libertatis quoad exercitium, quia constat in illo primo instanti meruisse Angelos per motum liberi arbitrii *, etiam ipso D. Thoma attestante, restat ut impotentia ad formandum dictamen pravum sit ex hac unica ratione : quia ille actus est omnium primus, nec in illo potest se movere Angelus, sed solum ab exteriori principio moveri ad formandum dictamen.

* cf. supra, n. 10-12

20. **IN HOC STAT TOTA RATIO implicationis D. Thomæ, et nervus rationis ejus : Angelus, et quæcumque creatura intellectualis, in suo primo actu non potest se movere, nec a se accipere et formare dictamen, sed a principio exteriori; ergo nisi tale principium exterius movens, et dans illi dictamen, sit principium defectuosum, non poterit defectuosum dictamen dare; si autem possit dare defectuosum dictamen, poterit Angelus recipiens illud deficere et peccare. Sine dictamine autem defectuoso non potest voluntas aliqua peccare : quia voluntas semper vult ex directione et motu intellectûs. Unde si voluntas deficit circa bonum sibi propositum, necesse est quod in ipsa propositione seu applicatione objecti volendi sit aliquis defectus,** saltem quia non corrigit nec detinet voluntatem ne feratur in malum, aut ut non tendat in bonum. Quare ipsum determinare ad malum ex parte intellectûs, aut permittere quod voluntas determinetur, defectus dictaminis est : quia saltem in applicatione regulæ intellectus manet deficiens, nec potest continere voluntatem aut divertere illam ne tendat in malum. Et sic ex hac parte censetur dictamen intellectûs aut omnino pravum, si objectum malum proponat, aut inconsideratum et tepidum, si inefficaciter proponat bonum; et utrumque defectuosum est. — Nec potest dici, quod æqualiter proponat utrumque, et voluntas pro suo arbitrio eligat quod vult, nullo defectu stante ex parte dictaminis. Quia si unum ex illis objectis malum est, sive ex parte sui, sive ex parte modi, non potest acceptari a voluntate nisi quia convenientia ejus sibi manifestatur, et non reputatur ut multum inconveniens quod pro nunc acceptetur : nec enim alias posset voluntas illud sequi de facto, si convenientia ejus non repræsentaretur, sed solum id quod inconvenientiæ est. Hoc ergo est dictamen defectuosum, repræsentare cum convenientiâ, seu ut conveniens, quod nihil nisi inconvenientiæ habet : quale est peccatum, cujus convenientia solum est apparentia.

21. *Restat ergo probare in ista ratione duo :* Alterum, quod Angelus in primo actu non potest seipsum movere et per seipsum formare dictamen, sed debet ad illud moveri ab alio principio exteriori. Secundum est, quod hoc principium exterius movens intellectum, et tribuens ei primum dictamen, non potest defectuose movere, et ita non potest defectuosum dictamen emittere. Ex his duobus principiis manifeste sequitur impedimentum inevitabile in Angelo ad peccandum in primo instanti : scilicet quia caret principio determinante defectuose ex parte dicta-

(1) Negatio redundat. Intelligendum : *unde implicet quod Deus permittat*, seu : *unde impediatur Deus quominus permittat* ‖ Cf. superius, p. 694, notationem 1; et tomi I Præfationem, cap. III, art. 2, § 3, n. 2, c).

minis, scilicet quia nec a se formare illud potest, neque ab alio exteriori principio defectuoso illud suscipere; ergo est indefectibilis pro illo instanti in dictamine et motione agendi : ergo impeccabilis [1]. Sicut etiam quia beatus non potest dictamen defectuosum habere, repugnante ad hoc ipsâ visione beatificâ, ita si Angelus in primo instanti caret principio formante dictamen pravum et defectuosum, omnino redditur indefectibilis, prout est in illo primo instanti.

22. Primum ergo illud probatur, scilicet quod non possit seipsum movere in primo actu, eâ ratione quâ D. Thomas (I-II, q. 9, a. 4) probat ex Aristotele, quod in primo motu voluntas debet operari ex instinctu alicujus exterioris moventis. Quia scilicet voluntas non movet se ad aliquem actum nisi ex alio actu priori, per quem constituitur in actu ad se movendum; unde relinquitur quod in actu omnium primo non potest se movere voluntas, quia non supponit alium priorem actum per quem reducat se de potentia in actum; et idem est de intellectu.

23. *Et hujus ratio est :* quia omne movens est in actu et omne mobile in potentia : et sic movens, ut movens, reducit mobile de potentia ad actum; nulla autem potentia reducitur ad actum per potentiam, sed per actum; ergo ut voluntas se moveat, debet supponi in actu, et non solum in potentia. Ergo cum procedit in primum actum, ad illum non potuit se movere : quia non fuit alius prior actus per quem moveretur ad istum. — Nec sufficit habere objectum propositum, vel intellectum habere speciem illius : quia circa tale objectum et circa talem speciem adhuc voluntas est in potentia ut velit vel nolit, et intellectus est in potentia ut intelligat vel non intelligat, et ut bene vel male intelligat; ergo solum et nudum objectum non est sufficiens actualitas ut potentia ista se moveat, cum potius se habeat ut materia circa quam debet se movere. Et sic circa tale objectum est potentialitas in voluntate et intellectu, ad quam vincendam actualitas desideratur; ergo solum ex uno actu potest se movere ad alium, non vero ex objecto solum se movet, cum circa illud indigeat moveri : et ab illo quidem movetur objective, sed non seipsam movet, nisi ipsa efficienter se applicet circa tale objectum, sicut circa materiam. Unde recte dixit Cajetanus (citato loco I-II *) quod « aliud est loqui de volitione, aliud de volitione ut a voluntate applicante seipsam ad volendum. Volitio enim nihil aliud dicit nisi operationem voluntatis, qua vult; et certum est quod ad volendum sufficit voluntas cum objecto. Sed ad volendum a se, ita quod ly *a se* dicat causalitatem applicantem seipsam ad volendum, non sufficit voluntas cum objecto, sed exigitur voluntas prævolens finem : quia velle a se non solum importat velle, sed agere seu movere se; quod, quia oportet fieri propter finem, præexigit naturâ vel tempore appetitum finis : et non advertere hoc casus est loquentium ». Ita Cajetanus. Ubi insinuat efficacem hujus rationem, et fundamentalem : quia homo vel Angelus, se movens in aliquo actu, debet ex fine aliquo se movere; alioquin casualiter et fortuito operatur, si, se movendo, non ex aliquo fine procedit et se applicat. Ex fortuito autem motu non posset rationalis operatio dirigi. Unde perveniendo ad primum omnium actum, cum non possit in illo se applicare voluntas et intellectus ex præconcepto fine, oporteret quod omnino fortuito et cæco modo se applicaret, vel quod applicetur ab alio exteriori movente, et finem altiorem præhabente. Unde in primo motu seu actu, tam propter finem propter quem movetur, quam propter actualitatem secundum quam movens movere debet (quæ actualitas sumitur ex affectu seu actu circa finem), necessarium est quod in primo cujusque rei actu operans non se moveat, sed moveatur ab alio.

* in I-II, q. 9, a. 4

24. Et in hoc innititur vis rationis D. Thomæ (in hac q. 63, a. 5) : videlicet quod illa operatio, quæ simul incipit cum esse rei, est ei ab agente a quo habet esse. Quæ doctrina est universalissima de omni prima operatione agentis, quæ incipit cum esse rei : semper enim prima operatio supponit potentiam, a qua egreditur, non se moventem, quia supponit illam in potentia, non in actu; movens autem ut movens semper est in actu, sicut mobile ut mobile semper est in potentia, eo quod movere est reducere aliquid de potentia ad actum; non reducitur autem aliquid de potentialitate ad actum, nisi per actualitatem, non per potentialitatem : quia potentialitas non reducit, sed reducitur. Unde cum in prima operatione, quæ simul est cum ipso esse, non supponatur potentia operans in actualitate ad movendum seipsam per alium

I P. q. 63, a. 5

(1) Male omnes : *impeccabiles* || Nostram tamen emendationem jam exhibet M[m].

priorem actum suum, oportet transire ad actualitatem exterioris agentis, ut possit per ipsum reduci de potentia ad actum : quod est moveri ab alio. Et sic prima operatio motive et applicative debet esse ab alio, licet elicitive possit ab ipsa potentia esse : quia elicientia solum est emanatio actionis, quæ utique ab ipsa potentia efficiente est, ut applicata tamen et mota ad operandum. Applicare autem se et movere non potest per eumdem actum ad quem applicatur et movetur, si quidem ad hoc applicatur et movetur, ut operationem illam agat; ergo ex alio actu applicatur ad istum, non per istum se movet ut ipsummet operetur. Ergo in ipso primo omnium actu, quale est primum dictamen quod format intellectus in primo instanti suæ creationis, non potest formare illud a se, et movendo seu applicando se : sed debet illud habere a principio exteriori movente et applicante intellectum, et excitante ut tale dictamen habeat : quia, cum sit primus actus, formare illum non potest ex propria applicatione et excitatione seu motione sui.

25. SECUNDUM, QUOD in ista ratione D. Thomæ RESTAT PROBANDUM, EST quod istud principium extrinsecum movens Angelum in illo primo instanti, et dans ei dictamen, non possit esse movens defectuosum et defectuose. Quia si dictamen defectuosum est, ab agente seu movente defectuose provenire debet : ab agente enim recte, ut rectum est, defectuosus motus provenire non potest. Et quidem facilis videtur ista probatio : quia in illo primo actu movetur a suo generante, quod est Deus, qui solus produxit Angelos in esse, et solus est auctor naturæ, et solus potest intra mentem illabi, in eaque operari; ergo solus ipse operari potest illum primum actum, et dictamen illud primum intellectûs formare, ad illudque excitare; Deus autem indefectibile agens est; ergo non potest dare dictamen defectuosum Angelo in primo instanti. Et ita, si non est aliud agens a quo detur, quam a Deo, bene infertur quod deficere non potest.

26. *Ceterum* si hoc intime perspiciatur, *non modicam habet difficultatem :* quia oportet non solum probare quod Deus sit principium movens ad illud dictamen quod formatur in illo instanti, sed quod sit ita speciale movens, quod pro illo instanti non potest compati quod ab alio agente creato etiam moveatur intellectus Angeli qui creatur : a quo utique defectuose potest moveri, et consequenter impediri illud dictamen quod a Deo (si solus operaretur) infunderetur. Itaque argumentum bene probat quod connaturale dictamen, quod pro tunc postulat Angelus, sit a Deo; non tamen ostendit quod non possit impediri istud dictamen, et ab alio agente seu movente defectuosum reddi. — Similiter oportet ostendere quod Deus sit ita speciale movens pro illo instanti, ut non sufficiat movere physice et entitative ad actum illum, et secundum generalem modum quo præmovet reliqua agentia creata, sed etiam [1] quoad rationem moralitatis, ita ut in modo movendi moraliter ipse specialiter excitet et moveat. Specialis autem motio vel potest accipi ex parte objecti, quia ad objectum speciale movet, v. g. ad supernaturalem alicujus objecti cognitionem : vel ex parte subjecti, ut quia se habet tamquam particulare et immediatum agens illius effectûs, sicut persona divina in Christo est specialiter influens in actus etiam humanos Christi : vel denique ex parte modi, ut quia efficaciter concurrit ad aliquem effectum a se intentum, vel sine consortio alterius causæ, sed se solo. In præsenti non potest Deus dici speciale agens solum quia movet ad objectum speciale, v. g. ad supernaturale, vel ad honestum : tum quia posset Angelum creare in puris naturalibus; tum quia hoc est de quo inquirimus, cur non possit in illo primo instanti movere Deus juxta dispositionem ipsius causæ creatæ ad entitatem materialem peccati, et non ad actum bonum, si ita a se vel ab alia mala suggestione incitaretur, sicut post illud primum instans potest movere ad entitatem peccati sine hoc quod sit auctor peccati. Nec potest in præsenti accipi specialis motio illo secundo modo ex parte subjecti : cum etiam concurrat voluntas creata ad eliciendum actum : Deus autem non se solo, sed ut prima causa, quæ est concursus generalis. Restat ergo quod videamus quomodo specialiter concurrat tertio modo, scilicet applicando seu excitando intellectum Angeli, et formando illius dictamen, ita quod a nullius alterius suggestione possit formari.

27. Nam quod tunc operetur Deus tamquam principium ipsiusmet libertatis creatæ, non solum in actu primo sed etiam in actu secundo, non videtur sufficere : quia hoc etiam debet salvari in omni actu, etiam post primum instans : cum

(1) Supple : *sed etiam [requiratur movere] quoad...* || Cf. tomi I Præfationem, cap. III, art. 2, § 3, n. 1, d).

omnis actualis libertas reduci debeat in primum liberum, ideoque ad omnes actus necessaria est præmotio physica Dei. Inquirimus autem qua ratione ita specialiter debeat esse a Deo in hoc primo instanti, quod non possit compati peccatum. Et D. Thomas, cum reducit istos motus in Deum, non solum id facit ex eo quod libertas actuum reduci debet et dependere a primo libero, et ab ipso accipere actualitatem : hoc enim in quocumque actu libero reperiri debet, quia a primo libero dependens est. Sed specialiter hoc reducit ad ipsum primum dictamen intellectûs, quod debet esse ab exteriori principio, scilicet a Deo : ut ex Aristotele (in VIII * *Ethic.*) docet infra (q. 82 **, a. 4 ad 3, et Cajetanus ibi; et III *Contra Gent.* c. 89, ratione 6, in fine capitis; et I-II, q. 9, a. 4) : quibus locis semper eodem tenore procedit, quod voluntas movetur ab aliquo exteriori principio, quia movetur per consilium (idem est quod dictamen), et hoc consilium ex alia priori voluntate, et illa voluntas ex alia priori propositione intellectûs, quousque deveniatur in aliquod primum intellectum, quod non est a voluntate, sed ab aliquo instinctu exteriori, et exteriori movente, scilicet a Deo. Quare in hoc insistendum est, sequendo doctrinam D. Thomæ, quod Angelus in primo actu non potest ab alio accipere dictamen et motum intellectûs, quam a Deo; et ideo defectuosum dictamen et motionem tunc habere non potest.

* rectius : VII *Eth. Eudem.*, c. 18 (alias : c. 14, n. 20-22); BK 1248 *a* 15-32

** I P. 82, a. 4

28. *In hoc autem difficultatem continet ratio D. Thomæ :* quia non apparet cur non possit in illo primo instanti accipere dictamen defectuosum, si non a se, quia ille est primus omnium actus in quo nondum potest se applicare et movere (licet possit actum elicere), saltem ab alio Angelo malo. Ponamus enim quod modo Deus creet unum Angelum cum cognitione aliorum Angelorum, et inter illos videat dæmones, et eorum dictamina mala, aut quia Deus illi revelat eorum pessimas cogitationes, aut quia videt ipsos operantes et loquentes mala, aut quia ipse dæmon in illomet instanti, in quo Angelus de novo creatur, suggerit ei et loquitur malum. In hoc enim nulla implicatio involvitur. Et præsertim quia potest Deus dicere dæmoni quod in illo instanti B producet unum Angelum, et ipse potest habere paratam suggestionem, et destinatam ad illum suam cogitationem : ut, confestim atque producatur, videat illum et cogitationem ejus malam sibi persuadentem ut habeat illud dictamen. Quod enim loqui possit Angelus illi Angelo qui producitur in eodem instanti in quo creatur, patet : quia bene potest agens creatum, operans instantanee, movere et agere in rem in eo instanti in quo creatur a Deo : sicut si modo creatur luna vel aer in præsentia solis, in eodemmet instanti illuminaretur ab eo, et illuminaret alia; et si crearetur homo in præsentia solis apertis oculis, in eodem instanti videret : quod est illuminari a lumine solis. Et materia prima, in instanti quo creatur, potest a generante immutari ut formam suscipiat : sicut fit quotidie, cum ex speciebus eucharisticis generatur aliquid in eo instanti in quo subrogatur materia prima loco quantitatis. Ergo etiam, in eodem instanti quo creatur Angelus, potest ab alio Angelo illuminari et per suggestionem moveri, multo magis quam a luce corporali. Si enim Angelus ille creatur apertis oculis videndo alium Angelum, ergo poterit creari videndo ejus cogitationem et dictamen pravum quod sibi suggerit.

29. Quod si hoc admittitur, ruit totum fundamentum D. Thomæ : quia licet a Deo ut auctore naturæ vel gratiæ moveatur Angelus in illo primo instanti, et prout ab eo non possit in Angelo esse defectuosum dictamen neque peccatum, tamen quia potest compati quod ab altero Angelo sibi suggeratur pravum dictamen, jam ex illa parte habere potest Angelus principium in quod refundatur malitia peccati, et non in Deum : sicut in aliis instantibus præter primum potest ex suggestione alterius peccare, sine hoc quod refundatur id in Deum. — Nisi dicatur quod Deus in primo instanti per specialem providentiam vel manutenentiam avertit ne dæmon suggerat malum Angelo quem creat, aut, si suggerit, quod iste non consentiat. Sed tunc oportet ostendere quod illa manutenentia et providentia specialis ita sit debita, quod implicet non dari : nam si est possibilis suggestio mala pro illo instanti, cur erit impossibilis Dei providentia quæ illam non impediat? Quare iste recursus ad specialem manutenentiam Dei importune et extra rem hîc interponitur : quia vel illa specialis manutenentia est ex gratia, vel ex debito. Si ex gratia, potest a Deo negari, et peccare Angelus. Si ex debito, oportet ostendere ex qua causa et ratione id necessario exigat creatura, et illa erit ratio impeccabilitatis ante manutenentiam. Et licet Deus, ut generans et auctor naturæ, tunc moveat cor Angeli et mentem, tamen operatio generantis bene potest

impediri quantum est ex natura rei, nisi Deus speciali manutenentiâ id evitet, de quo in præsenti non agimus : sicut aqua a suo generante produci postulat frigida, et tamen potest per impedimentum contrarium produci calida, ut cum producitur in æstate sub sole; et lapis a generante producitur in loco deorsum vel cum motu deorsum, potest tamen ex contrario impediente produci in loco sursum, ut in nube, immo cum motu violento in sursum, ut si fulmen cum lapide excutiatur sursum a nube. Quid ergo prohibet quod connaturaliter Angelus producatur a Deo cum recto dictamine in primo instanti, sed tamen possit ab aliquo contrario impediri per suggestionem pravam, ut in casu posito? Quod si Deus tenetur id impedire, ita ut implicet contradictionem non impedire, assignetur ex quo principio id proveniat, ut non possit permitti.

30. *Nihilominus hæc nihil evincunt contra rationem D. Thomæ*. Cujus solida veritas hoc solo verbo conspicietur : quod formatio dictaminis licet pendeat a duobus, scilicet a propositione seu manifestatione objecti ut a materia circa quam formari debet, et ab efficiente seu applicante per quem movetur, applicatur et formatur dictamen, quoad primum potest quidem cooperari [1] in primo instanti aliqua creatura (ut exemplis allatis * monstratum est), quoad secundum solus Deus, qui intus in mente, operari potest; ipsa vero mens seu voluntas movere se non potest neque applicare in illo primo actu, esto a Deo mota et applicata illum eliciat, ut jam ostendimus *. Quæcumque ergo creatura movens voluntatem per suggestionem et locutionem seu propositionem objecti, quo alliciatur voluntas, non format ipsum dictamen intus in intellectu : sed ipsemet intellectus sibi format illud ex objectis propositis, sive proponantur per suggestionem et propositionem seu per suasionem alterius, sive per propriam inventionem aut inquisitionem, vel per immissionem a Deo. Et sic ut aliqua creatura loquatur alteri, ita ut ei suadeat id quod intendit et de quo loquitur, necesse est quod supponat exsistentem eum cui suadere vult. Quia cum ad ipsum, qui audit suggestionem, pertineat intra se formare dictamen, ille autem qui proponit et persuadet non facit aliud quam manifestare et exhibere materiam, ut motiva seu rationes attrahentes et allicientes, ut is qui audit formare sibi possit dictamen, inde est quod persuadens seu alliciens alterum debet supponere ipsum cui loquitur in statu habili ad formandum dictamen ex his quæ sibi proponuntur : quia is, qui proponit, non operatur intus applicando et formando dictamen, sed manifestando objectum, et exhibendo materiam unde formari possit ab eo qui audit. Et sic debet supponi exsistens : quia quod non est actu et in facto esse exsistens, operari non potest, et consequenter neque effective seu applicative aut motive formare sibi dictamen. Et rursus non sufficit quod sit exsistens, sed ita in actu quod possit se movere et reducere de potentia ad actum; ad quod requiritur quod sit illa potentia jam facta in actu, quæ est condicio seu status moventis, non in potentia solum, qui est status mobilis seu moti. Unde pro primo actu eliciendo nulla creatura movere potest : quia esto ex parte exsistentiæ posset dici quod sufficit illa exsistentia illius instantis, ut in illam creaturam agat tunc ipsum agens creatum actione pure physicâ, et in qua pure recipiat ipsum mobile, tamen agere in ipsam solâ actione proponentis et manifestantis objectum, ut ipsa formare sibi possit dictamen, plus requirit quam exsistentiam : scilicet rem sic exsistentem quod possit se movere et applicare, sibique formare dictamen; quod tamen pro primo actu eliciendo nullus intellectus vel voluntas habet, ut ostensum est *.

31. *Unde solvuntur omnia quæ in oppositum allata sunt*. Fatemur in formando illo dictamine et primo actu Deum non dici specialem motorem * vel ratione specialis objecti, id est, supernaturalis ad quod moveat : quia etiam si in puris naturalibus creetur Angelus, adhuc solus Deus operari dicetur illum primum actum. Sed dicitur speciale movens, quia non potest ab alio voluntas moveri quantum ad applicationem effectivam in illo primo instanti, nec ab alio formari dictamen illud, ut applicante et movente ad illud formandum, licet objectum possit ab alio proponi. Et sic concedimus quod in illo primo instanti operatur Deus specialiter illo modo : scilicet non solum ut primum principium liberorum actuum quantum ad entitatem et esse, ut primum efficiens : sed etiam ut primum principium excitans et movens intellectum ex parte formationis dictaminis, et consequenter voluntatem constituens in actualitate requisita ut moveat se *. In quo genere non potest voluntas neque

* supra, n. 28-29
* supra, n. 24
* supra, n. 23-24
* cf. supra, n. 26, *Specialis autem*
* cf. supra, n. 27

[1] Corrupte omnes : *cooptari*.

intellectus applicari ab alio agente creato, nisi a solo Deo, qui est proprium et immediatum principium voluntatis et intellectûs, illumque generat per creationem, tamquam universalissimum principium movens illas potentias, quæ propter suam universalitatem a solo Deo generantur, et ab eo accipiunt primum motum quo constituuntur in actu ad se movendum. Sicut cor accipit a suo generante primum motum vitalem quo incipit se movere, nec ad illum motum potest se movere cor, licet illum eliciat vitaliter : quia, cum sit primus motus, non supponit alium priorem quo se applicet et moveat ad istum; et ita debet applicari et moveri ab alio exteriori principio, scilicet a generante, a quo accipit genitum primam motionem et applicationem naturalem, qua constituitur in statu convenienti sibi et debito ad se movendum seu vivendum : sicut lapis ad quiescendum, vel ad tendendum in suam quietem. Ita viventia vitâ intellectuali accipiunt a suo generante Deo, qui est primum intelligens, ipsum primum motum se movendi vitâ intellectuali et volitivâ, id est, ipsum primum dictamen et applicationem ad illud, ut inde incipiant se movere; ita quod in eo motu est quasi motus cordis intellectualis. Et hoc solum possunt habere a Deo : quia non est aliud agens quod intra intellectum [1] et voluntatem possit operari et influere, seu applicare, illum primum motum. Et illum quidem voluntas et intellectus eliciunt, quia vitalis est, et libero modo eliciunt, quia cum indifferentiâ seu universalitate judicii et sine coactione voluntatis est; sed non ad illum se movent et applicant, quia primus est; nihil autem movet et applicat nisi per actum, nec movetur nisi prout in potentia. Unde ad primum alicujus rei actum repugnat quod res illa se moveat et applicet, licet illum producat et eliciat.

* supra, n. 28 32. Ad id vero quod argumentum urget * : quia potest poni quod Angelus, qui modo creatur, ab alio Angelo malo accipiat dictamen defectuosum; et sic habere potest principium ad quod reducatur ille defectus dictaminis, quo in primo instanti moveatur : — Respondetur quod, admisso vel dato quod ita possit Angelus jam exsistens loqui ad Angelum qui de novo producitur in eodemmet instanti in quo creatur, tamen hoc non sufficit ad formandum dictamen illud. Quia Angelus, vel quicumque exterius proponens et repræsentans alteri objectum, non sufficit formare dictamen intra intellectum audientis, sed ipse audiens formare debet ex his quæ sibi proponuntur ab alio. Unde qui loquitur alteri, et vult illi persuadere atque ejus dictamen formare, debet supponere quod ille cui loquitur non solum sit exsistens, sed ita exsistens quod possit se movere et applicare ad ea quæ audit ab alio, ut ex illis formet dictamen : quia ille qui loquitur seu proponit, et moraliter movet audientem ad formandum dictamen, non aliter concurrit quam proponendo objectum quasi materiam quam alter intelligat, et intelligendo formet sibi dictamen; sed effectiva formatio et applicatio interior debet esse ab ipso audiente, vel a Deo qui operatur intra ipsum. Unde parum interest quod Angelus, qui nunc creatur, videat dictamina seu cogitationes aliorum Angelorum, sive bonas sive malas, nisi ipse intus se movere possit et applicare ex his quæ intelligit ad formandum illud dictamen; sed illa applicatio debet venire ab extrinseco principio : quia est primus actus, nec supponit alium priorem quo se moveat et applicet. Unde oportet quod reducatur illa applicatio et motio formandi dictamen ad ipsum Deum, qui in illo primo instanti solus potest movere intus intellectum et voluntatem Angeli. — Et licet moveat ad intelligendum ea quæ ab aliis proponuntur *, sive sint bona sive mala, * cf. supra, n. 29 sicut in eodem primo instanti Angeli inferiores illuminabantur a superioribus et ad illos convertebantur ex motione Dei, sed tamen intelligere et cognoscere mala quæ alter proponit nondum est malum, sed ita illa accipere ut conformet se illis, et juxta illud malum quod sibi proponitur velit operari. Ad hoc autem non sufficit propositio mala alterius, ejusque cognitio, sed requiritur defectuosa applicatio audientis, qua se applicet ad consentiendum illi malo et ad formandum dictamen conforme illi. Quod si ipse audiens non possit se movere pro illo instanti, et formare sibi dictamen, sed ab alio debeat formari et moveri, ille alius defectuose se habebit si applicet audientem ad formandum illud dictamen defectuosum. Unde non sufficit in primo illo instanti habere aliquem suggerentem sibi malum dictamen, ut in illum tamquam in principium totaliter reducatur pravitas illa et malitia : sed oportet id reduci in aliud principium, scilicet in illud a quo effective formare debet tale dictamen,

(1) Male omnes : *intra intellectualem et voluntatem...*

et moveri seu applicari ad illud. Et cum hoc principium effectivum, sic movens et applicans, non possit esse ipse Angelus qui in illo instanti creatur et qui audit illam suggestionem, quia non potest se movere in primo actu, sed solus Deus possit in illo primo actu movere et applicare, inde fit quod talis suggestio mali Angeli non possit aliquid tunc operari, nisi ipse Deus, qui solus in illo actu movet et applicat cor Angeli, conformiter ad ipsam malam suggestionem applicet ad formandum dictamen pravum : quod esset refundere defectum in ipsum Deum. Quod cum stare non possit, efficaciter probat D. Thomas quod non possit in illo primo actu Angelus peccare, ex eo quod non datur tunc aliquod principium a quo moveatur defectuose et applicetur ad formandum dictamen pravum, nisi refundatur defectus in Deum, qui solus in illo primo actu movere potest. — Neque hoc reducitur ad specialem manutenentiam Dei *, quæ in illo primo instanti sit indebita, sed ad puram et meram impossibilitatem alterius proxime et immediate moventis ad formandum dictamen, nisi solus Deus.

* cf. supra, n. 29, *Nisi dicatur*

33. Ad id quod ultimo additur **, quod bene potest operatio generantis impediri ab alio extrinseco agente, ut in exemplis allatis apparet : — Respondeo posse quidem impediri, quando operatio illa dependet ab aliquo exteriori, vel quando agens extrinsecum potest per se immediate immutare ipsam rem quæ generatur, et a statu naturali divertere. Si autem agens extrinsecum non sit tale quod possit intus immutare ipsum genitum ad operandum, sed solum extrinsece proponere et allicere ut se immutet, sicut est in intellectu et voluntate, tunc non poterit Angelus per suggestionem externam immutare alterius Angeli intellectum in ipso primo instanti et prima operatione sua : quia nec ipse Angelus suggerens potest intra ipsum intellectum alterius operari efficienter, nec ille cui suggeritur pro illo primo instanti potest seipsum movere et applicare ad formandum dictamen. Si autem devolvatur ad Deum, ut ipse immutet et formet dictamen in mente Angeli quem producit, tunc certum est quod Deus potest illud imprimere intra intellectum Angeli producti; sed eodem modo certum est quod non potest defectuose applicare, neque movere ad formandum defectuosum dictamen : et sic neque juxta alterius suggestionem pravam ad illud concurrere. Quare illa prima operatio intellectualis creaturæ in primo suæ creationis instanti ita est immediate a Deo, ut a generante, quod non potest ab alio creato agente extrinsecus impediri, propter rationem allatam.

** supra, n. 29, *Et licet Deus*

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

34. Primo arguitur ex auctoritate D. Thomæ : Quia, si implicaret contradictionem quod Angelus in primo instanti peccaret, universaliter id esset verum pro omni eventu et in omni casu : si quidem id fundamus in hoc quod sit prima operatio et primum instans, in quo non potest moveri nisi a Deo. At D. Thomas non pro omni casu ponit Angelum non posse peccare in primo instanti. Ergo id non est implicatorium. — *Minor probatur :* nam in primis (in q. 16 *de Malo*, a. 4) docet, ideo Angelum non peccasse « in primo instanti, quia in primo instanti suæ creationis oportuit quod converteretur ad naturalem sui cognitionem, secundum quam non potuit peccare; postmodum autem [potuit converti] in id quod est supra naturam, vel ab eo averti ». Ergo in casu quo in primo instanti converteretur non solum in sui naturalem cognitionem, sed etiam in supernaturalem, potuit peccare. Constat autem ex eodem D. Thoma, quod in primo instanti meruit Angelus beatitudinem supernaturalem, et motus fuit supernaturaliter per gratiam : cum receperit gratiæ sanctificationem in illo primo instanti per propriam dispositionem, ut adultus, non ut parvulus : sicut constat ex ipso D. Thoma (in hac q. 63 *, a. 6; et supra, q. 62 **, a. 5; et III P. q. 34, a. 3).

35. Item, quod aliqua natura in primo instanti mereatur et non peccet, verificatur solum si natura sit integra, non vero si sit corrupta : ut patet loco citato (ex III P. q. 34, a. 3 ad 1) ubi inquit : « Et ideo liberum arbitrium creaturæ in primo instanti creationis potest moveri ad bonum merendo, non autem ad malum peccando, si tamen natura sit integra. » Ergo, a contrario, si natura non sit integra, sicut in nobis, non repugnat quod in primo instanti moveatur ad peccatum. — Et sic ratio illa quæ totum fundamentum ponit in hoc quod non potest peccare Angelus ratione primi instantis, et quia prima operatio est, non tenet; sed instatur in prima operatione naturæ non integræ.

36. *Unde confirmatur argumentum :* quia homines, quando perveniunt ad usum rationis,

in illo primo instanti possunt non-converti ad Deum et peccare : ut concedit S. Thomas, et communiter ejus discipuli (I-II, q. 89, a. 6), ponentes quod in illo instanti, quo incipit operatio, potest esse peccatum originale cum mortali, sed non cum veniali; ergo sentit quod in primo instanti peccare potest. Ergo, ex eo præcise quod primum instans et prima operatio Angeli est, non convincitur quod non possit peccare : ut patet in homine.

* supra, n. 34, At D. Thomas
** supra, n. 34, Minor probatur

37. RESPONDETUR NEGANDO MINOREM *. — *Ad primam probationem* ** *dicitur,* quod D. Thomas non fuit sollicitus in omnibus locis tradere omnes rationes quæ probant Angelum non posse peccare in primo instanti; sed aliam tradidit in II° *Sent.* (D. 3), aliam in quæstione *de Malo* citata, aliam in hac Iª Parte (q. 63, a. 5) : et ista ultima universalior est, et complectitur omnem casum pro omni opinione, id est, sive Angelus in primo instanti habuerit actum supernaturalem, sive tantum naturalem, ut aliqui dixerunt. Et ideo ista ratio ultima est efficacior et universalior, nec negatur a D. Thoma in aliis locis ubi alias rationes tradit. — Et istam rationem quam tradit in quæst. 16 *de Malo,* si intelligatur in tanto rigore quod in primo instanti non habuerit Angelus actum supernaturalem, sed naturalem tantum, constat emendatam esse quoad hoc in hac Iª Parte, ubi aperte docet Angelum creatum in gratia meruisse in primo instanti beatitudinem (ut patet in hac q. 63, a. 5 ad 3, et a. 6; et supra, q. 62, a. 5); et quod non meruit nisi per conversionem caritatis, quæ est per gratiam, docet ibidem (art. 4 ad 2), et res est certa. Quare in hoc emendata est illa ratio. Et ideo licet ibi tradita fuerit ratio cur Angelus non peccaverit in primo instanti pro uno casu tantum, scilicet si tunc non habuit conversionem nisi naturalem, tamen in hoc loco Iª Partis tradita est universalior ratio, etiam pro casu quo habuerit supernaturalem motum in illo primo instanti.

* P. q. 62, a. 4, ad 2

* supra, n. 35

38. *Ad secundam* * *probationem* (ex loco IIIª Partis) *respondetur :* in primis constructionem litteræ magis legitimam sic esse faciendam, quod liberum arbitrium creaturæ potest in primo instanti creationis moveri ad bonum merendo, si tamen natura sit integra, non autem ad malum peccando : ita quod illa condicionalis « Si natura sit integra » solum cadat et construatur cum illa particula « potest moveri merendo », non autem cum illa « et non ad malum peccando »; sed illa clausula « non autem ad malum peccando » censeatur interposita quasi per parenthesim, et illa condicionalis « Si natura sit integra » referatur ad posse mereri. Quia revera, ut possit mereri in primo instanti, oportet quod natura sit integra : si enim per peccatum sit vitiata, non poterit tunc mereri. — Si vero quis non acquiescat isti constructioni litteræ, quæ satis legitima apparet, sed contendat etiam illam condicionalem cadere super illam particulam « et non ad malum peccando », ita quod ad utrumque, scilicet ad merendum et ad non peccandum, requiratur quod natura sit integra : si vero sit corrupta, quod peccare possit : tunc dicendum est quod natura vitiata per peccatum, seu non-integra, potest peccare in primo instanti creationis, non simpliciter quando physice creatur in esse, sed quando moraliter, id est, quando venit ad usum rationis et ante præcessit in esse : sicut modo homines, in quibus, ut statim * dicemus, probabilius est * infra, n. 40
posse in illo primo instanti usûs rationis peccare. Quod locum non habet in Angelis, in quibus natura non potest esse vitiata in primo instanti suæ creationis physicæ, quod etiam est instans usûs rationis eorum. Quia vitium vel est originale, vel actuale. Originale in Angelis esse non potest : cum non propagentur et contineantur sub aliquo capite peccatore a quo descendant, sed a solo Deo fiant immediate. Actuale vero, si datur in primo instanti, non supponit naturam vitiatam, sed ejus integritatem destruit, et primo tunc peccat : et hoc dicit D. Thomas impossibile. Quare naturam non esse integram, sed vitiatam, solum contingere potest in nobis : in quibus quia usus rationis non est operatio quæ nascitur cum anima quando creatur, sed longo [1] tempore postea advenit, potest invenire naturam diversimode dispositam et actuatam, ut movere se possit in illo primo instanti ex præacceptis cognitionibus imperfectis disponentibus ad usum rationis, ut mox * dicemus. * infra, n. 40

39. Ratio ergo D. Thomæ (quam ponit in hoc art. 5 **) solum procedit de operatione quæ simul est cum ipsa inceptione essendi; natura autem, quæ operatur cum primo esse rei, non supponitur vitiata, sed integra. Et difficultas est : an vitietur per primum illum actum peccando. ** I P. q. 63, a. 5

[1] Ita bene emendat C || MLP *longe*.

D. Thomas autem affirmat quod illa natura meretur et non peccat in primo instanti, quæ cum ipsa inceptione essendi operatur, atque adeo si est integra; si vero fuerit non integra, sed vitiata, ut contingit in nobis, nihil ibi determinat, sed disputationi permittit; de quo jam dicemus.

* supra, n. 36 40. *Ad confirmationem* * *respondetur*, quod resolutorie loquendo videtur mihi cum Cajetano (I-II, q. 89, a. 6, in calce commentarii), quod perveniens ad usum rationis potest ex mala consuetudine ante actus discretionis moveri magis ad delectabilia mala, quam ad bonum honestum quod sibi tunc proponitur : et præsertim quia illud bonum honestum valde debiliter et confuse tunc proponitur, delectabilia vero sensûs valde efficaciter. Et ideo, ut ibi bene notat Cajetanus, non parvi refert quod assuescat puer ad audienda spiritualia et honesta. — Ratio vero hujus, et simul disparitas inter Angelum in primo instanti creationis, et puerum (1) in primo instanti usûs rationis, est : quia Angelus non habet aliam operationem quam intellectivam, eamque perfectam; nec habet paulatim disponi ab imperfecto ad perfectum ut veniat ad usum rationis, sed statim a principio perfectum judicium et intelligentiam habet. Unde ad ipsum primum actum nihil actualitatis supponit, quo primum se excitet et se moveat intra se; sed debet ab exteriori principio id provenire, scilicet a Deo, qui solus potest applicare mentem, et formare illud dictamen. At vero homo ex sensibus accipit, et disponitur ad excitandum se præcognitione intellectivâ; et in hac paulatim procedit, ita ut primo intelligat confuse, et non cum discretione et sufficienti dictamine ad libere se movendum; sed tamen saltem imperfecte intelligit et se disponit, ut crescente majore claritate et apertione sensuum tandem prorumpat in actum liberum et deliberatum se movendo. Et quia Deus movet creaturas intellectuales juxta earum modum et exigentiam, inde fit quod pro primo actu, qui est primus simpliciter, ipse solus moveat : quia non est aliud agens a quo actuetur intellectus, ut formet sibi dictamen; sed tunc ille actus in nobis est valde imperfectus, et nondum ad libertatem sufficiens. Quando vero format dictamen secundum usum rationis et discretionis, tunc jam habet et præsupponit in se dispositiones ante usum rationis acquisitas, et motiones in se factas, quibus actuatus potest in liberum dictamen prorumpere. Et quia illæ motiones possunt esse malæ, potest juxta illas formari dictamen; nec Deus tenetur illud avertere, quia jam non solus operatur illud, sed juxta causæ creatæ dispositionem.

41. *Dices :* Ergo etiam in cujusque negotii inceptione non incipit Deus movere, sed possumus ex nobis incipere determinari. Et si ita est, ad quid tam anxie ponimus prædeterminationem Dei pro omnibus actibus? — *Respondetur*, quod inceptio alicujus negotii vel est nova inceptio simpliciter, ut quando aliquis incipit de novo cogitare de his de quibus ante nihil sciebat : sicut in supernaturalibus incipit totum negotium salutis ab excitante gratia Dei, ut definit Concilium Tridentinum (sess. VI, c. 5). Et in hoc genere incipit Deus movere et applicare per excitationem (2) mentis et manifestationem sui, juxta illud (Isa. LXV, 1; et Rom. X, 20) : *Inventus sum a non quærentibus me; palam apparui his, qui me non interrogabant*. Similiter in aliquibus quæ fortuito et casu accidunt, seu inopinato nobis eveniunt, etiamsi alias cogitemus de re aliqua, tamen illa inopinata manifestatio est a causa superiori, ut a Deo : sicut cum dicitur (I Mac. IV, 44) de Juda : *Et cogitavit de altari holocaustorum, quod profanatum erat, quid de eo faceret : et incidit illis bonum consilium, etc.*; ubi illa incidentia consilii non fuit in vi cogitationis prioris, sed aliquid non-præmeditatum tunc primo accepit. — Vel inceptio alicujus negotii non est simpliciter nova, sed paulatim disponitur ex aliquibus præmeditatis, aut ex aliis notitiis præcedentibus, ut in aliquid novum modo erumpat.

42. Quando fit hoc secundo modo, clarum est quod ipse homo potest toties de novo incipere et determinare se, quoties de re illa incipit cogitare, etiamsi interrumpat et dormiat : quia operatur in virtute præcedentium notitiarum. — At vero primo modo semper illa prima excitatio incipit a causa superiori : si sit in bonum, per excitationem Dei intus operantis in intellectu et voluntate, et extrinsecus ponentis (3), vel per se vel etiam ministerio Angelorum : quia ex parte propositionis objecti utitur Deus ministerio

(1) Prave omnes : *puero*.

(2) Male omnes : *exercitationem*; cf. inferius, n. 42.

(3) Sic omnes ‖ Suspicamur legendum : *proponentis*.

Angelorum, etiam in ordine gratiæ et fidei, quia per eos illuminat homines, ut S. Thomas docet (infra, q. 111, a. 1, ad 1) : sicut etiam ad exteriorem credibilium propositionem utitur ministerio prædicatorum et ministrorum. Si vero sit incitatio in malum, incipit per suggestionem spiritûs mali, qui tamen intus intra intellectum et voluntatem non operatur, nec format ipsum dictamen, sed proponit ut homo sibi formet. Et potest homo tunc formare, et se movere : quia intellectus ejus non est in pura potentia, nec operatur tunc primum actum simpliciter; sed ex aliquibus actibus præcedentibus, qui virtute manent in homine, est in actu ut se moveat ad formandum dictamen de his quæ sibi suggeruntur. Quod non posset facere in primo actu, quando est primus simpliciter : quia non supponit aliquid prius, neque actu, neque virtute, in vi cujus moveat se. Et in hujus signum constat quod diabolus, quando tentat et suggerit, semper repræsentat aliqua juxta ea quæ aliquando sensimus vel experti sumus, licet ab ipso vivacius exprimantur : de his vero quorum notitiam numquam habuimus, vix potest suggerere et tentare, sicut cæcum [1] natum non potest tentare de coloribus. Et hoc ideo, quia solum proponit objecta, ut nos formemus dictamen : quod tamen formare non possumus, nec ad illud nos applicare, nisi in vi alicujus actûs præteriti. Deus autem potest etiam de his quæ numquam novimus infundere nobis speciem et lumen et excitationem; quamvis etiam aliquando sic proponat, ut relinquat nos formare dictamen. Semper tamen intus operatur intra intellectum et voluntatem : respectu bonorum, quoad entitatem et bonitatem; respectu malorum, quoad entitatem tantum, non quoad malitiam. Et respectu hujus entitativi influxûs ponitur illa prædeterminatio : semper enim omnis causa physice subordinatur influxui Dei in quocumque actu; sed non semper excitationem et formationem dictaminis ipse solus operatur.

I.P. q. 111

43. Secundo arguitur : Angelus in primo instanti operatur libere, si quidem potest mereri; et illa potentia libera est defectibilis ab intrinseco, et tunc non est impedita, neque physice neque moraliter; ergo potest peccare. — Antecedens, de libertate meriti, D. Thomas et nos fatemur. — De defectibilitate intrinseca et physica etiam constat : quia eadem entitas et potentia physica voluntatis est in primo instanti et in sequenti, eadem etiam radix peccati et defectibilitatis, scilicet quod sit ex nihilo. Ex parte etiam moralis motionis non est impedita tunc ad peccandum : quia tunc proponitur objectum cum indifferentiâ, et cum cognitione hujus et oppositi; ergo non est impedita moraliter ad peccandum : quia impedimentum, si daretur, esset coarctatio indifferentiæ ex parte objecti propositi. Cum enim moralis motio teneat se ex parte objecti, tunc impeditur moraliter voluntas quando ex parte objecti non cum indifferentiâ movet, et tunc manet expedita cum ex parte indifferentiæ [2] objectum movet; ergo, si tunc movebatur cum indifferentiâ, non erat impedita libertas ad peccandum.

44. *Sed dicas :* Esse liberam voluntatem tunc et non impeditam quoad libertatem contradictionis et exercitii, scilicet ad velle et non velle : bene tamen [3] quoad libertatem specificationis et contrarietatis, quia in hoc est tunc necessitata voluntas. Hæc enim libertas non est solum ad velle et non velle, seu ad ipsum exercitium actûs, sed ad objecta ipsa, scilicet ad bonum vel ad malum; respectu autem mali, tunc caret libertate. — *Contra est primo :* quia si tunc est voluntas libera ad velle et non-velle, sed non-velle est omittere, ergo est libera ad omittere. Ergo si pro illo instanti ponatur sibi præceptum (ut de facto habuerunt) ut convertatur in Deum, si suspenderent actum et non vellent, omitterent præceptum; ergo peccarent. Ergo, hoc ipso quod habent libertatem illam contradictionis, possunt habere et contrarietatis.

45. *Item secundo :* quia Angelum habere in illo instanti cogitationem illam bonam efficaciter moventem, est gratia Dei, non minus quam continuatio ejus in secundo instanti ut perseveret. Quomodo enim intelligi potest, quod idem auxilium primo collatum in hoc instanti non sit gratia Dei, et in secundo instanti idemmet continuatum sit gratia? — Et deinde quia illud auxilium si non erat gratia nec beneficium Dei, ergo Angelus sine gratia merebatur in primo instanti, et consequenter ex viribus liberi arbitrii : quod est hæreticum; ergo quod illi daretur auxilium ad non-peccandum, sed ad operandum bene, non erat debitum jure creationis, sed ex

(1) Prave omnes : *cœco natum.*

2 Intelligito : *cum, ex parte sua, objectum cum indifferentiâ movet...*

(3) Supple : *tamen [impeditam] quoad...*

gratia Dei descendens, sicut et in nobis. Quod si non erat debita, poterat negari, et consequenter Angelus peccare.

46. *Tertio:* quia, secundum intrinseca, eamdem potestatem physicam et moralem ad peccandum habuit Angelus in primo et in secundo instanti, ut dictum est* : nec enim in secundo instanti aliquid illi advenit intrinsece, quod antea non haberet; ergo simpliciter, et ex intrinsecis [1] principiis loquendo, potuit Angelus peccare in primo instanti : quod si non potuit, solum fuit ex manutenentia Dei extrinseca. — Denique, homo in primo instanti potest nasci cum habituali peccato, scilicet originali, quod simpliciter ei est voluntarium [2] : ergo et Angelus cum actuali, quod ei est liberum; et sicut ex primo habituali nihil refunditur in Deum, ita neque ex isto actuali. Præsertim quia homo in primo instanti usûs rationis peccare potest actualiter : ergo et Angelus in primo instanti sui usûs rationis et liberæ operationis, quæ est primum instans simpliciter.

* supra, n. 45

47. RESPONDETUR SOLUTIONE DATÂ inter arguendum*, quæ sine dubio certa est, et ex D. Thoma desumitur (q. 16 *de Malo*, a. 4, præsertim solutione ad 5 et 7 et 18). Itaque Angelus pro illo instanti non potest moveri libertate contrarietatis penes velle hoc objectum, scilicet bonum, et oppositum ejus, scilicet malum : quia primæ operationi, in quantum prima, incompossibilis est deficientia circa bonum ex defectu moventis ad illud, seu formantis dictamen defectuosum. Potest tamen moveri libertate contradictionis penes velle aut nonvelle, exercere vel non-exercere ipsum actum. — Nec obstat quod pro illo instanti possit sibi æqualiter proponi bonum aliquod, et malum sub ratione boni, potestque voluntas pro sua libertate eligere minus bonum vel æquale, relicto altero. Dicimus enim quod, licet demus hoc quod in potestate voluntatis est ex duobus æqualibus aut æqualiter propositis eligere æquale vel etiam minus bonum immediate et per se, non imperando aliud dictamen fieri, adhuc tamen non sequitur quod possit eligere minus bonum vel æquale sine defectu : quia hoc ipsum quod est proponi malum æqualiter vel meliori modo quam id quod est in se bonum, aut non detinere vel impedire voluntatem ne minus bene propositum eligat, magnus defectus in ipso dictamine et propositione est.

* supra, n. 44, *Sed dicas*

48. *Ad primam* instantiam*, de omissione, *respondetur* quod voluntas habet principium omittendi, ex vi libertatis et quantum est ex vi et meritis objecti, omissione physicâ, quæ non est aliud quam negatio actûs et suspensio operandi; per accidens autem, et ratione primi instantis, in quantum ille actus est primus et prima operandi occasio, non potest omittere moraliter et culpabiliter : omissio enim moralis addit supra physicam, quod sit voluntaria vel volita. Et ut sit volita, requirit actum, cujus objectum sit talis omissio : nihil enim est volitum ut objectum, nisi respectu alicujus actûs volitionis. Et sic, si datur in illo primo instanti omissio volita, datur volitio illius. Unde jam non est pura omissio, sed actus malus volens omissionem malam, eademque est ratio illius et cujuscumque alterius peccati commissionis. Ut autem omissio sit voluntaria, licet non sit volita, requiritur quod illa omissio emanet a voluntate, seu voluntas sit causa illius. Est autem causa : vel expressa et directa, volendo illam, de quo jam diximus; vel indirecta, volendo aliud ex quo sequitur omissio, vel antecedenti aliquo actu, vel concomitanti. Et cum antecedenter non detur alius actus, si quidem in illo primo instanti ille est primus, restat quod solum possit concomitanter illa omissio esse voluntaria, quatenus in illo primo instanti voluntas convertitur ad aliquod objectum per quod impeditur seu desinit implere præceptum, et omittit illud : et talis actus, cum tali circumstantiâ omissionis, peccatum est, exigitque dictamen defectuosum et inconsiderationem, sicut quæcumque alia peccata. Unde pro morali omissione, stante præcepto pro illo primo instanti, ego non video differentiam inter omissionem moralem culpabilem, vel commissionem.

* supra, n. 44, *Contra est*

49. *Et quando dicitur** quod, si pro illo instanti voluntas est libera ad omittendum omissione physicâ et secundum libertatem contradictionis, posito præcepto illa omissio erit peccatum, et sic poterit peccare omittendo : — *Respondetur* variari hîc appellationem ex parte illius termini « posse », in quo frequenter fiunt paralogismi in hac materia de libertate, a posse sub una ratione, ad posse sub alia, a posse in sensu diviso, ad

* supra, n. 44, *Contra est*

[1] Mendose omnes : *et extrinsecis...*

[2] Sic omnes. Intellige : *voluntarium [in primo homine, cujus est membrum]...*

posse in sensu composito, et sexcenta alia. Est ly *posse*, et ly *potentia*, terminus importans appellationem erga objectum suum, et ordo ad objectum semper debet sumi formaliter, et ut stat sub formali ratione tendendi ad objectum; et similiter aliquid attentis omnibus non potest, quod ex vi alicujus rationis formalis præcise sumptæ non repugnat, vel etiam e converso. Quæ omnia præ oculis valde habenda sunt; alias continget facile paralogizare. Dicimus ergo quod in primo instanti potest facere et non facere Angelus, velle vel omittere, considerando ly *non-facere*, et ly *omittere*, ut sunt extremum contradictionis et exercitii liberi, non ut sunt extremum contrarietatis et culpabilis ac voluntariæ omissionis, quæ exigit actum concomitantem vel antecedentem : et antecedens dari non potest, cum sit ille primus; si autem concomitans daretur, jam non daretur pura omissio, sed etiam commissio. Libertas ergo pro illo instanti solum est libertas contradictionis ad diversos actus ejusdem speciei, non contrarietatis; et ita facit hunc actum quod non cogitur facere illum, sed potest alium facere intra eamdem speciem; et ita facit hanc speciem actûs, quod non cogitur facere illam, sed potest non-facere, quantum est ex vi objecti et ex meritis illius, ut bonum est et appetibile. Et tamen sub alia ratione consideratum illud objectum, scilicet ut deficiens a regulis rationis, non potest ab ista voluntate hîc et nunc esse volitum, per accidens et ex alia ratione : scilicet quia deest principium defectuose movens et dirigens. Nec enim necesse est quod voluntas, ut libera sit, possit omittere illum actum vel objectum sub omni ratione et modo; sufficit quod in quantum conducit ad libertatis indifferentiam, seu ad noncoactionem potentiæ, possit illud non velle, id est, non cogatur ab illo ex meritis objecti et ut appetibile est. Sicut etiam Christus Dominus ratione personæ, et beatus ratione statûs, et Deus ipse ratione summæ perfectionis, non possunt velle omissionem, seu illud non-facere, quatenus defectuosum est, licet liberæ voluntatis sint : quia non pertinet ad perfectionem libertatis posse velle et non-velle, etiam defectuose : sed posse velle et non-velle, non-coactive et quoad exercitium : quidquid sit an ad volendum [1] defectuose necessitentur quoad specificationem.

50. Quare cum dicitur * quod potest non-facere, etiam stante præcepto, *distinguo* : potentiâ antecedenti seu in sensu diviso, *concedo;* potest potentiâ consequenti et in sensu composito, *nego*. — Dicitur potentia antecedens, quæ consideratur secundum se, ante actum et ante omnia requisita ad actum; et sic respicit objectum secundum se præcise, et hoc est in sensu diviso, scilicet dividendo a collectione eorum quæ concurrunt et requiruntur ad operandum hîc et nunc, et solum considerando id quod est in objecto ex meritis objecti. Dicitur potentia consequens, illa quæ est conjuncta cum actu, et respicit actionem ut faciendam hîc et nunc, et objectum cum omnibus requisitis et concurrentibus ad agendum. Et sic non requiritur ad libertatem quod possit non-operari, aut possit circa tale objectum, si importatur objectum sub aliqua formalitate et respectu ipsi incompossibili. Et sic illa omissio ut culpabilis, et illud nonfacere ut defectibile et ut contrarium rationi, redditur impossibile illi Angelo per accidens, id est, pro primo actu : quod alias secundum se, et non sub appellatione defectibilis, impossibile non est. Et Christo ratione personæ redditur impossibilis omissio ut defectuosa et contraria præcepto, quæ secundum se impossibilis non est, nec illi voluntati ex parte naturæ creatæ, sed ratione personæ. Sicut etiam beato, ratione statûs, est impossibilis actio vel omissio defectibilis, et non ex propriis et intrinsecis principiis voluntatis et naturæ. Ad libertatem autem sufficit quod aliquid non sit impossibile antecedenter et in sensu diviso, ita quod ex propriis et intrinsecis principiis non coarctet voluntatem, et in quantum pertinere potest ad id quod perfectionis in voluntate est : licet in sensu composito et potentiâ consequenti, et in quantum reducitur ad aliquid defectibile, non possit fieri : quia hoc imperfectionis est, et non requiritur ad libertatem quod sub omni ratione et appellatione aliquid possit : sicut nec ad intellectum, quod sub omni modo, etiam imperfecto, intelligat.

* supra, n. 44, *Ergo si*

51. *Ad secundam * instantiam respondetur*, quod in auxilio Dei, quod datur ad operandum in primo instanti, est distinguendum de auxilio illo, ut supernaturalis ordinis est et datur cum valore meritorio vitæ æternæ : et sic est omnino gratuitum, nec debitum Angelo jure creationis,

* supra, n. 45

[1] Sic omnes. Intellige : *an erga volitionem defectuosam necessitentur quoad specificationem [scilicet ad talem volitionem respuendam]*. || Facilius tamen legeretur : *ad nonvolendum.*

aut aliquo alio titulo quam ex mera liberalitate Dei : posset enim denegare Angelo quidquid supernaturalitatis est. Aliud potest considerari in illo auxilio seu concursu, scilicet quod non habeat adjunctam permissionem peccati, etiamsi in genere supernaturali non sit. Et hoc est debitum jure creationis; nec est gratia specialis, sed solum generalis, sicut concursus cum quacumque alia re juxta debitum suæ naturæ pro loco et tempore. Et licet non sit debitum Angelo absolute, est tamen debitum ipsi Deo tunc moventi; et ex suppositione quod Deus creat Angelum perfectum, id est, cum operatione sua in primo instanti, tenetur Deus ipso jure creationis illum movere et applicare ad agendum; nec est aliud movens defectuosum a quo determinetur ista creatura, et juxta cujus dispositionem Deus se accommodando permittat defectum. Ideo non est recurrendum ad specialem gratiam pro illo instanti, sed ad ipsam exigentiam creationis sic factæ, et creaturæ intellectualis sic motæ, ut pro illo instanti non adjungatur ei, nec adjungi possit, permissio defectûs ex suppositione quod operatur.

52. Et ad ipsum præceptum supernaturale caritatis implendum * indiget gratiâ speciali et supernaturali, non quia evitatio peccati est præcise, sed quia actus supernaturalis est : semper enim quod supernaturale est, gratiâ indiget speciali simpliciter : quia non tenetur Deus in ordine supernaturali dare gratiam et concursum absolute et simpliciter. Non tamen repugnat quod ex suppositione aliqua Deus habeat debitum dandi gratiam supernaturalem, quod est debitum secundum quid : non quidem ex sola suppositione quod dat notitiam Angelo præcepti supernaturalis : hæc enim notitia communis est pro primo et secundo instanti; sed ex alia suppositione, nempe quia creat Angelum elevatum ad statum supernaturalem cum præcepto illo, et in instanti ita coarctato quod non potest ab alio quam a Deo dictamen suscipere. Sicut, ex suppositione quod Christo imponit præceptum dilectionis supernaturalis, tenetur illi dare auxilium supernaturale, quia persona impeccabilis est.

* cf. supra, n. 45 *Et deinde*

53. *Ad tertiam * instantiam dicitur* quod, ut dicit S. Thomas (q. 16 *de Malo*, a. 4 ad 3), « [quod] Angelus non potuerit peccare in primo instanti, non fuit neque propter defectum alicujus potentiæ qui postmodum fuerit suppletus, neque propter perfectionem quæ postmodum fuerit subtracta ante peccatum, sed propter ordinem actûs. » Quare dicimus quod totum quod est intrinsecum in potentia peccandi, fuit in primo instanti, sed non omne extrinsecum : quia defuit dictamen defectuosum, et a quo posset formari. Et sic habuit potentiam ad peccandum antecedenter, non consequenter. Sicut etiam beati, quia ratione statûs carent dictamine defectuoso, non possunt peccare : quamvis in beatis hæc impotentia [1] sit magis antecedens et per se, quia status ille est perpetuus, licet accidentalis sit beato. In Angelo autem tota peccabilitas et defectibilitas intrinseca quæ est in secundo instanti est in primo, et ideo potentia peccandi est in illo; sed non-posse peccare non provenit in illo ex defectu potentiæ physicæ, sed per accidens et ex impotentia dictaminis defectuosi. Quæ impotentia licet moralis sit, est tamen moralis intrinseca, et non solum extrinseca, sufficitque ad denominandum Angelum simpliciter impotentem ad peccandum. Sicut homo etiamsi habeat habitus supernaturales, si tamen caret gratiâ excitante, impotens est ad operandum : quia caret aliquo simpliciter requisito ad posse, et intrinsece concurrente ex parte intellectûs; licet, quia ex parte objecti moventis se tenet excitatio, dicatur pertinere ad moralem motionem, ut condistinguitur ab operatione physica intra voluntatem operante.

* supra, n. 46

54. Et ita non-posse moraliter dupliciter dicitur. Uno modo, ut distinguitur contra non-posse simpliciter. Alio modo ut distinguitur contra non-posse physice, licet per se et necessario requiratur illa moralitas. — Primo modo intelligitur quod possumus aliquid simpliciter, licet difficulter; et quia difficulter, dicimur moraliter non posse : quia moralitas non dicit potestatem, sed difficultatem. Et in hoc sensu Patres olim refutabant Pelagium, qui dicebat gratiam dari, non ut simpliciter possimus facere, sed ut facile : quasi moraliter potestatem daret, non simpliciter. — Secundo modo potest aliquid morale, et non-physicum, requiri simpliciter ad aliquid, ita quod sine illo simpliciter non possimus : licet physicum non sit, nec physice moveat seu concurrat. Sicut propositio objecti, et ea quæ ex parte propositionis se tenent, non physice influunt intra voluntatem, sed exterius alliciunt; et

(1) Ita legendum cum LC || Male MP *hæc in potentia*.

tamen simpliciter requiruntur, ita ut sine illa non difficulter possit voluntas, sed nullo modo possit : nihil enim volitum quin præcognitum. Et quia Angelus in primo instanti caruit dictamine defectuoso, nec ex aliqua parte potuit illud habere, simpliciter non potuit peccare, et non solum ordinarie seu connaturaliter aut difficulter. Non tamen hæc impotentia simpliciter orta fuit ex impeccabilitate physica et indefectibilitate ex parte voluntatis, sed ex indefectibilitate morali ex parte intellectûs, intrinsece tamen et simpliciter requisita.

* supra, n. 46, *Denique*

55. *Ad quartam** *instantiam respondetur* ex D. Thoma (citata q. 16 *de Malo*, a. 4 ad 21), quod « anima in primo instanti suæ creationis efficitur mala, non per actionem propriam, sed per unionem ad corpus infectum; unde non est similis ratio de Angelo, qui non potuit fieri malus nisi per actum proprium ». Itaque peccatum originale non refunditur in Deum etiamsi in primo instanti contrahatur : quia non ex ipsa motione aut creatione Dei contrahitur, sed ex ordine et respectu ad primum hominem, a quo seminaliter descendit corpus cui unitur anima; et fit totus homo membrum illius primi hominis, et particeps peccati ejus, per peccatum sibi communicatum. Unde datur extra Deum causa et ratio sufficiens habendi illud peccatum, non per actionem propriam, sed per contractionem : quæ non datur in Angelo. — Ad id vero quod dicitur* de perveniente ad usum rationis, quod potest peccare in primo instanti actualiter moraliter : jam supra dictum est*, et explicata differentia inter hominem et Angelum quantum ad hoc.

* supra, n. 46, *Præsertim*
* supra, n. 40

56. Tertio arguitur : Quia si aliqua ratio convincit quod Angelus in primo instanti non potest peccare, maxime ratio D. Thomæ : quia alias, cum prima operatio attribuatur generanti, et generans sit Deus, refunderetur peccatum in Deum. At hæc ratio non probat. Ergo. — *Minor probatur primo :* quia dato quod Deus prædeterminet physice voluntatem ad materiale peccati, adhuc non dicitur auctor peccati, nec in illum refunditur malitia, etiamsi illi entitati inseparabiliter sit annexa malitia. Immo etiamsi cogitationem offerat ex qua videt futurum peccatum, quia hæc cogitatio liberam relinquit voluntatem ut velit, non refunditur in Deum. Ergo similiter, etiamsi Deus moveat voluntatem Angeli in primo instanti, non illi attribuetur malitia : quia non influit ut causa deficiens, nec Deus amplius influet in primo instanti quam ad materiale peccati : hoc enim solum est capax influxûs divini; eo vero posito cum permissione, infallibiliter sequitur peccatum. Ergo, ut in primo instanti detur peccatum, sufficiet quod Deus permittat ejus malitiam cum prædeterminatione ad materialem ejus entitatem. Sed ex hoc quod Deus in illo instanti permittat malitiam peccati et prædeterminet ad materiale, non refunditur aliqua malitia in Deum : quia totum hoc habetur in secundo instanti, et tamen in Deum non refunditur malitia. Ergo ex eo quod Deus ponat in primo instanti quidquid requiritur ad peccandum, et quo posito infallibiliter sequetur peccatum, non sequitur quod in illum refundatur malitia.

I P. q. 63, a. 5

57. Quod si dicatur, in illa prima operatione Deum non solum prædeterminare ad materiale peccati, sed etiam infundere cogitationem ostendentem illud objectum (ad quod est illa prædeterminatio) esse malum, ac proinde non esse amandum : quæ cogitatio cum in illo primo instanti sit a Deo, sequitur a Deo esse potentiam peccandi; et sic, si Deus dat illam, erit causa peccati, quod per se oritur a tali potentia : — Hæc responsio omnino futilis est; eamque tamquam Thomistarum responsum affert et late impugnat Alarcon (tract. VI de Angelis, disp. 5, c. 2*, n. 16 et seqq.). Sed, ut video, fingit hostem quem feriat, et magnam paraturam ex Apostolo affert, qua totam illam solutionem potenter enervet. Sed non multo labore opus est : cum constet Deum per legem, per doctrinam et per multas sanctas cogitationes ostendere hominibus et Angelis quid sit malum et fugiendum ab ipsis, quid non; ex hoc autem velle Deum facere auctorem potentiæ peccandi, nullus nisi insanus dicere potest : cum *lex sancta* sit *et bona*, quæ ostendit quid sit malum et fugiendum. Nec tamen ex eo quod Deus dat legem, est auctor potentiæ peccandi, aut peccati ipsius : licet occasionaliter ex notitia peccati per legem aggravata sit concupiscentia operando contra illam, ut argumentatur Paulus (Rom. VII, 7-14). Non oportet nos in hoc immorari, cum hæc responsio non admittatur a nobis.

* revera : c. 3, n. 16-20
Rom. VII, 12

58. *Secundo, probatur eadem minor :* quia tota ratio D. Thomæ fundatur in eo quod prima operatio, quæ incipit cum esse, est illi a generante : sicut lapidi moveri deorsum. Hæc autem propositio non est vera, nisi tantum in illa operatione qua ipsum genitum perficitur in statu

sibi naturali et pertinente ad complementum naturæ ipsius : non autem in illis operationibus quæ omnino accidentales sunt, et supponunt naturam jam plene completam in suo statu naturali. Ut patet in igne : quia licet generanti attribuatur quod ignis moveatur sursum, non tamen attribuitur illi quod calefaciat vel illuminet, etiamsi istæ actiones conveniant igni cum ipso suo esse in primo instanti. Nam ignis eodem instanti, quo est, illuminat, et in eodem instanti quiescit in loco sursum, vel movetur ad illum si sit extra (eo modo quo incipit motus, scilicet extrinsece); et motus attribuitur generanti, quia pertinet ad complementum generationis rem esse in loco : non autem attribuitur ei calefactio vel illuminatio, quia istæ actiones non pertinent ad complementum generationis, nec ad constitutionem ejus in suo naturali statu, sed ad motionem seu actionem erga alia. Non ergo omnis operatio, quæ est in primo instanti, attribuitur generanti. — Multo minus attribuentur illi actiones vitales rei genitæ a se, et adhuc multo minus actiones liberæ : quia omnes istæ non pertinent ad constituendam rem in suo naturali statu et esse, neque ad complementum generationis, sed ad elicientiam actionis supponentis totum esse productum, et in quibus agit et operatur vivens, non autem movetur in se; ergo non attribuuntur generanti. Alias omnes actiones, quas vivens operatur, illi attribuentur. Ergo non manet fundata illa propositio, quod omnis operatio, quæ est cum esse rei, attribuitur generanti.

59. *Tertio, eadem minor probatur,* et enervatur principium D. Thomæ : quia non est necesse omnem operationem, incipientem cum esse rei, esse solum a generante seu ab auctore talis naturæ, nisi tantum in his quæ a solo generante pendent, et quasi ad ipsam generationem ejusve complementum pertinent : non ad ea quæ fiunt a generante seu ab auctore naturæ simul cum ipsa re quæ generatur, sicut est actus liber et vitalis : si quidem, pro ea parte qua pendet ab ipsa creatura, poterit defectuosa esse. Et similiter bene intelligitur quod istæ actiones tribuuntur auctori naturæ secundum eam rationem qua sunt ab ipso, et secundum principia ab eo data et quæ sibi subordinantur : non secundum ea quæ Deo non subordinantur, scilicet secundum principia defectibilia : sic enim necesse non est quod moveantur a Deo. Ergo cum in primo esse concurrant ista principia, scilicet quæ participantur a Deo, et quæ sunt defectibilia a Deo, poterit Angelus secundum prima a Deo moveri et non secundum alia, sed deficere, sine hoc quod id refundatur in Deum qui auctor deficientiæ non est. Sed peccabit ut motus et applicatus ex propriis quæ tunc cognoscit, vel ex suggestione alterius, qui sibi potest in illo instanti loqui, ut supra * vidimus. — Immo, cum Angelus possit circa plura operari quæ sibi tunc manifestantur, non est necesse quod Deus moveat ordinate et recte ipsum Angelum quoad omnia; sed potest movere illum recte circa ea quæ sunt ordinis naturalis, et permittere quod cadat circa supernaturalia. Nulla enim in hoc apparet repugnantia; et salvatur quod operatio illa sit a Deo, sed non quoad omnia. * n. 28-29

60. Denique, urgetur semper illa paritas de instanti primo cum instanti secundo * et reliquis totius vitæ : et [de] operatione illa prima, quæ incipit cum esse rei, et de prima quæ incipit in quovis alio negotio *. Non enim est major ratio cur illa specialiter sit a Deo, et non alia qua incipimus quodlibet aliud negotium : in quo tamen sæpe incipimus peccando, et pravum finem desiderando. Est etiam paritas in primo instanti et in reliquis : quia Angelus habuit in primo instanti easdem potentias, quoad intrinseca et quoad defectibilitatem, atque in secundo instanti. Habuit in primo instanti plenum usum cognitionis, et omnia objecta cognovit, non solum quoad verum bonum et honestum, sed etiam quoad apparens. Indigentia etiam determinationis et motionis Dei non minus concurrit et necessaria fuit in secundo instanti, quam in primo. Cur ergo determinatio et motio facta in secundo instanti non refunditur in Deum, et in primo instanti refunditur? Et cur propositio boni apparentis facta in secundo instanti movere potest ad malum, et cognita in primo instanti non potest?

* cf. supra, nn. 29, 43-46

* cf. supra, n. 41

61. Respondetur negando minorem. — *Ad primam * probationem respondetur,* quod ex sola prædeterminatione ad actum materialem peccati, vel ex positione cogitationis quoad entitatem unde potest oriri peccatum, nulla refunditur malitia in Deum, quando supponitur creatura in tali statu quod possit se movere et formare dictamen defectuosum. Non ergo negamus quod sive in primo sive in secundo instanti prædeterminatio Dei, sive per physicam immutationem ad materiale peccati, sive per permissionem malitiæ, aut per ipsius cogitationis productionem in intellectu

* supra, n. 56, *Minor probatur*

quantum ad entitatem suam, nihil malitiæ refundit in Deum : quia totum hoc operatur in quantum efficiens, non in quantum principium actûs defectuosi. Ceterum totum hoc debet supponere ipsam creaturam in statu habili ut possit, vel propriâ motione vel ex alterius suggestione, formare dictamen defectuosum et inconsideratum, atque ita se applicare ut peccet. Quod si hoc non potest, quia est primus actus et nullum alium priorem supponit ex quo possit se movere ad formandum tale dictamen, parum interest quod moveatur a Deo vel prædeterminetur physice ad materiale peccati, si ex parte intellectûs non est habilitas ut formetur a se dictamen (quia primus actus est), sed ut accipiat illud ab alio, nempe a Deo : tunc enim, si cum illâ prædeterminatione physicâ accipiat dictamen defectuosum a Deo, malitia ipsa in Deum refunditur : non quia ex prædeterminatione physica ad materialem entitatem præcise resultet malitia in Deum : sed quia totum ipsum dictamen defectuosum a Deo esse debet, quia non ab alio potest formari. Si autem dictamen defectuosum non formetur, non peccabit Angelus in illo primo actu, propter essentialem dependentiam peccati a defectuoso dictamine, et consequenter neque prædeterminabitur a Deo ad materiale peccati.

* cf. supra, n. 56, *Immo*

62. Et cum instatur *, quod in aliis instantibus potest Deus sic determinare intellectum Angeli, sine hoc quod sit auctor malitiæ : — Respondetur quod, si in aliis instantibus Deus ipse formaret dictamen defectuosum in mente Angeli, eodem modo refunderetur malitia in ipsum Deum, sicut in primo instanti. Sed quia in aliis instantibus ipse Angelus potest se movere, et vel ex propria cognitione vel ex alterius suggestione se applicare ad formandum sibi dictamen, ideo tunc non attribuitur defectus ipsi Deo, quantumvis ad materiale peccati physice prædeterminet, vel cogitationem ipsam quoad physicam entitatem producat. — Et cum dicitur *, quod ad peccatum nihil aliud requiritur quam quod Deus permittat malitiam cum prædeterminatione et concursu ad materiale peccati, ex quo nulla refunditur malitia in Deum : Respondetur non amplius requiri in subjecto potente se movere et formare dictamen defectuosum; in eo autem quod non potest, vel pro ea duratione et tempore quo non potest, non sufficit illa prædeterminatio et permissio, nisi etiam adsit formatio ipsius dictaminis defectuosi. Quod si formatur a Deo, deficit Deus; si non formatur a Deo pro illo instanti, non deficit creatura, quia a se formare non potest pro illo primo actu.

* supra, n. 56, *Ergo, ut in primo*

63. Quod si instes : Quid est formare creaturam dictamen defectuosum? Vel quid ad hoc requiritur præter ipsam prædeterminationem Dei cum permissione malitiæ? Et quare magis refundit in Deum malitiam formatio dictaminis, quam prædeterminatio concursûs? — Respondetur, quod de hoc ultimo satis a nobis dictum est supra *, tractando de voluntatis divinæ et decretorum ejus efficaciâ, et in Physica (q. 25 **), aliisque in locis. — Nunc dicimus formationem dictaminis defectuosi nihil aliud esse quam propositionem objecti pravi cum practica inconsideratione. Creaturam autem formare hoc dictamen, et movere se seu applicare ad talem formationem, requirit quod ex aliquo priori actu (virtualiter saltem remanente) se moveat et applicet ad formandum dictamen, sive pravum sive rectum. Non enim potest ipsa potentia applicare et movere se ad aliquid, nisi aliquo actu præcedente : quia movere, actualitatem dicit, actumque supponit per quem potentialitatem suam reducat in actum. Et ita, ut jam ponderavimus *, aliud est elicere seu producere actum, aliud movere seu applicare se ad ejus elicientiam. Cum ergo in actu omnium primo, seu in primo instanti, non possit supponi alius prior actus seu alia actualitas qua se moveat et reducat de potentia ad actum, oportet quod in eo actu moveatur seu applicetur totaliter ab alio principio exteriori, etiam in formatione hujus dictaminis : sicut in motu cordis animal movetur a principio generante vitam ejus. Et ita in primo instanti neque ad bonum neque ad defectuosum dictamen se applicare et movere potest creatura, sed ab exteriori principio ille motus debet provenire, sicut primus motus cordis. Et sic non sufficit prædeterminatio Dei, ut causæ primæ, qua generaliter cum qualibet causa et ad quemlibet actum concurrit : quia prædeterminatio neque virtutem dat agenti, neque objectum proponit aut voluntatem dirigit, sed solum potentiam virtutemque activam creatam applicat et determinat juxta modum suum ut transeat ab actu primo ad secundum. Et quia physice et entitative transit voluntas, etiam cum actum peccati elicit, ideo ad talis actûs entitatem et elicientiam indiget illâ præapplicatione; nec ex illa sequitur defectus aut malitia in Deum, sed entitatis illius actûs productio, in quantum entitas est : sicut nec concursus

* disp. 25, art. 2-7; maxime art. 6, n. 65-70 (tomo III, p. 246-250)
** RE II, 487 sqq.

* supra, n. 23-24

simultaneus cum actu peccati refundit malitiam in Deum. At vero excitatio, propositio objecti, suggestio formatioque dictaminis, cum non influat physice in actum sed juxta allicientiam objecti, non respicit præcise entitatem actûs, ut entitas est, sed totum, quod objectum illud et dictamen in se habet, totum imprimit voluntati. Et cum in objecto non possit separari entitas seu substantia actûs ad quem allicit, a malitia quam habet, sicut in concursu ad entitatem præcisam actûs separatur, hinc est quod, si per manum Dei formatur dictamen pravum, refunditur in eum defectus, sicut si ex suggestione alterius formaretur, non vero refunditur ex eo quod physice ad entitatem concurrat.

64. *Ad secundam* * *probationem respondetur :* generanti solum attribui illos motus seu actus rei generatæ, qui pertinent ad constitutionem ipsius in statu convenienti et debito ad id quod sibi connaturaliter convenit, sive operando sive quiescendo : sicut motus gravium et levium attribuitur generanti, quia per talem motum movetur grave ad connaturalem locum, ubi quiescere et conservari debet, quia perfectio et finis talium corporum consistit in ipso quiescere; et ita, si generatur extra locum proprium, motus ad talem locum dicitur naturalis, non propter locum, sed propter quietem in loco. In viventibus autem propria et connaturalis perfectio est, quod operentur se movendo; et quia non possunt se movere nisi in quantum mota et applicata, quæ applicatio et motio debet fieri per aliquem motum priorem per quem (1) constituatur in actu seu moveatur ad se movendum, ideo pertinet ad generantem dare istum primum motum : non propter aliquam quietem, sed quia per ipsum applicatur et movetur ad se movendum. Sicut motus cordis in animali datur a generante tamquam principium vitæ, quatenus per talem motum constituitur animal in ratione moventis se. Et licet talis motus eliciatur a vivente, tamen, quia primus motus est, non movet se ad illum, sed movetur ut se moveat; et quia ad connaturalem statum viventis pertinet, a generante debet esse. Quod autem facit motus cordis in animali quoad vitam sensibilem, facit prima operatio intellectûs quoad vitam intelligibilem. Quare non omnes operationes, quæ incipiunt cum ipso esse, attribuuntur specialiter generanti : sed solum illæ quæ se habent ut principium ceterarum, et constituunt ipsam rem genitam in statu connaturali et habili ad se movendum vel operandum quoad alias actiones et motus. — Calefactio * enim et illuminatio, licet incipiant cum ipso esse ignis geniti, non tamen incipiunt tamquam principia seu requisita quibus constituatur ignis in statu connaturali et apto ad se movendum, vel ad quiescendum, aut operandum alia quæ sunt perfectiones complentes ipsum statum naturalem debitum ex vi generationis. Sicut etiam actiones illæ * intellectûs et voluntatis, quæ post primam consequuntur, non attribuuntur generanti : sed solum illa prima, qua constituitur in statu habili et connaturali ad se movendum. Sicut etiam motus vitales, qui sequuntur post modum cordis, non attribuuntur generanti, etiamsi simul tempore sint cum motu cordis. In Angelo autem, quando datur prima operatio, illa constituit primum instans ad quod pertinent quæcumque sub illa operatione coordinantur. Si vero ab illa deficiant et deordinentur, jam pertinent ad aliud instans : quia operationes ipsas dividunt, non continuant.

65. *Ad tertiam* * *probationem respondetur :* verum esse quod prima operatio solum pendet a generante seu ab auctore naturæ, in his quæ ab ipso generante et per principia ejus fiunt : non autem in his quæ ab aliis principiis pendent, si talia dentur. Negamus * tamen quod in prima operatione creaturæ intellectualis, seu rei genitæ, possit dari dependentia ab alio quam a generante, et a principiis a generante derivatis, quantum ad ipsam motionem seu applicationem ad operandum : quia quantumcumque in ipsâ re genitâ dentur alia principia, sive defectibilia sive non, tamen in primo instanti nulla principia creaturæ seu rei genitæ possunt se movere et applicare ad operandum, sed debent ab exteriori principio applicari. Et cum hoc exterius principium sit ipse Deus, qui est indefectibilis, non potest aliquod principium creaturæ, a quo illa prima operatio dependet, defectuose moveri et applicari ad operandum, licet concurrat ad eliciendum ipsam operationem; sine motione autem et applicatione defectuosâ numquam resultat defectus et peccatum in actione quæ a tali motione et applicatione per se dependet, sed semper fit recta applicatio. Quod etiam currit in his quæ Angelus ex suggestione alterius vel ex propria cognitione potest operari in illo primo

(1) Supple : *per quem* [*vivens*] *constituatur*...

instanti : quia omnia ista non potest attingere nisi vel se movendo, vel motus ab alio. Et cum non possit in primo actu se movere, necesse est quod operetur tantum ut motus a Deo, et consequenter ut recte motus : quia motus, qui est tantum a Deo, non potest non esse rectus.

* supra, n. 59. *Immo, cum*

66. Ad id quod dicitur *, quod in illo instanti potest Angelus operari erga plura, et circa unum deficere et non circa aliud : Dicimus hoc esse impossibile. Quia illa plura attingit Angelus ut coordinata, et ab uno primo principio seu primâ operatione derivata, ex qua incipit se movere. Vel si demus quod illa non se habent coordinate, sed disparate, tamen in nullo potest incipere se movere : quia eadem ratio est de uno atque de alio, sed semper in prima operatione debet reduci ad primum motum in quo non se moveat, sed moveatur ab exteriori principio; et illud respectu Angeli est indefectibile, quia est solus Deus. Sicut si fingeremus in aliquo animali esse plura corda quæ simul moverentur sine dependentiâ unius ab alio, sed disparate, utrumque moveretur immediate a generante; nec posset in aliquo esse defectus, nisi in generante defectus esset. Sic dicendum est, si fingeremus in Angelo vel creatura intellectuali esse plures actus seu motus, quorum quilibet esset prima operatio, non dependens ab alia : in utraque immediate moveretur a Deo; et non posset esse defectus in illo, prout sic a Deo applicaretur. Si autem solum est una operatio prima, in qua Angelus immediate movetur a suo generante Deo, et reliqua omnia quæ intelligit seu operatur derivantur ex ista prima operatione, non potest intelligi quod in reliquis peccet, quamdiu operatur illa ut subordinata primæ, quæ pro illo primo instanti recta est, utpote subordinata Deo. Et quidem potest Deus non movere Angelum ad objecta supernaturalia, sed tantum ad naturalia : sed in hac denegatione supernaturalium nullum erit peccatum, quia pura negatio est. Sed sive Deus moveat ad supernaturalia, sive ad naturalia tantum, hoc ipso quod immediate per se movet, tamquam formans et dans dictamen illius primæ operationis, non potest ibi defectus incidere : et consequenter neque in actu voluntatis, in quantum ex tali motione et dictamine derivatur.

67. Denique, ad paritatem illam quæ fit * inter primum et secundum instans Angeli operantis, jam sæpe ** respondimus : parificari quidem ista instantia quoad intrinsecam entitatem et defectibilitatem potentiarum, et quoad perfectiones ex parte modi, specierum et luminis ad intelligendum, et respectu etiam objectorum quoad bonum et malum quæ quasi speculative intelliguntur. Non enim est dubium quod in primo instanti intelligit Angelus peccata et vitia sicut et virtutes, et bonum apparens sicut et honestum, speculative, et quoad quidditates istorum. Solum differentia est, quod in primo instanti seu in prima operatione non potest operari Angelus ut se movens in intelligendo et volendo, sed ut motus a Deo, eo quod illa est prima operatio omnium; in reliquis autem instantibus potest operari non solum ut motus a Deo, sed etiam ut se movens. Et ideo illa prima operatio non potest defectuose proponere et excitare, seu dictamen defectuosum formare : quod tamen reliquæ operationes possunt, nisi gratiâ Dei conserventur. Et ideo ex ipsâ naturâ primæ operationis, solum quia prima est et ex motione immediatâ Dei proveniens, non potest deficere : licet in reliquis parificetur cum sequentibus operationibus, quæ possunt deficere.

* supra, n. 60

** supra, nn. 31, 41-2, 47-55, 61-2

ARTICULUS III

Quo genere peccati, et circa quod objectum, peccaverit Angelus.

1. In præsenti articulo non solum agimus de genere ipso peccati, sed etiam de specie : species enim ex objecto sumitur, nec potest declarari objectum in particulari, nisi species ipsa peccati innotescat.

GENUS PECCATI ANGELI.

2. Peccati genus potest attendi primo in ratione mortalis vel venialis. Secundo, in ratione commissionis vel omissionis. — De peccato veniali CONSTAT non fuisse solum in Angelis, sed MORTALITER PECCASSE. EST DE FIDE : Tum ex locis quibus Scriptura explicat genus illius peccati, ejusque effectus. Tum ex damnatione secuta : constat enim diabolum esse damnatum pœnâ æternâ (Mat. xxv, 41) : *Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus;* sed propter peccatum veniale non debetur pœna

æterna; non ergo diabolus peccavit solum venialiter. — Declaratur etiam hoc peccatum diaboli eo genere peccati, quod mortale peccatum significat, ut cum dicitur (Joa. VIII, 44) : *Ille homicida erat ab initio, et in veritate non stetit;* homicidium autem, aut peccatum quod homicidio æquivalet, peccatum veniale non est. — Et similiter peccatum ejus superbiæ fuisse Scriptura declarat, ut (I Tim. III, 6) : *Ne in superbiam elatus in judicium incidat diaboli;* (Eccli. X, 15) : *Initium omnis peccati, superbia;* constat autem primum peccatum omnium fuisse peccatum diaboli. Et superbia de suo genere peccatum mortale est : *superbis* * enim *Deus resistit;* et præsertim superbia diaboli, quæ fuit pessima. — Denique, nomine iniquitatis peccatum Angeli nominatur (Eze. XXVIII, 14-15), quo nomine non nisi peccatum mortale designatur; dicitur autem ibi de illo Angelo, qui vocatur Cherub extentus et protegens : *Perfectus in viis tuis a die conditionis tuæ, donec inventa est iniquitas in te;* et de ejus superbia subditur * : *Elevatum est cor tuum in decore tuo, perdidisti sapientiam tuam in decore tuo, etc.* Quare ex omni parte constat peccatum illud mortale fuisse.

* Jac. IV, 6; I Pet. V, 5

* Eze. XXVIII, 17

3. *Statim vero se offerebat illa difficultas :* an habuerit Angelus peccatum aliquod veniale, licet etiam mortale habuerit, vel saltem an possit Angelus venialiter peccare. Sed hæc difficultas tractatur a D. Thoma I-II, q. 89, a. 4 (et q. 7 *de Malo,* a. 9). Et resolvit non posse : quia numquam Angelus leviter operatur, sed incipiendo a fine, et in fine attingens media. Quare, si errat voluntas et practicus intellectus, semper errat ex fine; et, si vult recte, etiam rectitudo incipit a fine; et sic in omni actu multus est Angelus (1) : in bono magnus, et in peccato pessimus. Et in tali actu, in quo est peccatum, oportet quod deviatio incipiat a fine : illo enim retento, non stat circa media errare seu in his quæ ad finem sunt, sicut nos.

4. *Quæ doctrina aliquibus aversa visa est :* licet enim concedant Angelum peccare non posse venialiter ex surreptione et indeliberatione judicii : at peccata venialia, quæ cum perfecta deliberatione fiunt, sed ex parvitate materiæ levia sunt, ut mendacium jocosum et similia, dicunt Angelo non repugnare : quia hæc ex sua intreseca ratione levia sunt; ergo, ex eo quod ab Angelo fiant, non reddentur mortalia. Quare enim repugnabit quod Angelus habeat aliquam inadvertentiam levem, sufficientem ad veniale et non ad mortale? Aut quare non poterit operari cum plena consideratione mendacium, aut aliam rem levem, juxta modum et naturam talis rei levis, et non ex superbia vel contemptu aut alio fine mortali? Quod si non faciat, id erit ex providentiâ aliquâ Dei extrinsecâ pro hoc statu gratiæ, in quo nec hominem in statu innocentiæ, nec Angelum, voluit destituere congruentibus auxiliis ad non peccandum venialiter, quamdiu a caritate non excidissent. Et ita tenent plerique auctores, ut videri potest apud Vazquez (I-II, q. 89 a. 4, in notatione articuli); Granados (I P. *, tract. 13, disp. 1, n. 8); Alarcon (tract. 6 de Angelis, disp. 9, c. 3), et alii.

* Controv. 7, tract. 13, disp. 1, n. 8-15

5. NIHILOMINUS sententia D. Thomæ verissima est : nempe Angelos, juxta connaturalem modum suum operandi, esse incapaces peccandi venialiter, ut citato loco Ia-IIæ * tradit, et ibi communiter ejus discipuli : Cajetanus, Conradus, Medina, et alii. — ET RATIO SUPRA * INDICATA ID SUFFICIENTER PROBAT : Quia Angeli numquam operantur voluntarie et deliberate, sive bene sive male, nisi incipiendo a fine, sicut neque intelligunt nisi incipiendo a principiis et in his videndo conclusiones sine discursu : quia proprium est eorum procedere comprehensive, et in ipsis principiis attingere quidquid ad illa spectat et in eis continetur. Similiter voluntas in ipso fine eligit media, et non procedit ad media nisi sub aliquo fine et in fine : ita quod idem actus est necessarius quoad specificationem ex parte finis, et liber ex parte mediorum cum primum eligit, licet in exercitio quoad utrumque liber sit. Cum ergo deordinatio peccati venialis, sive ex parvitate materiæ, sive ex indeliberatione rationis, non sit deordinatio circa finem, oportet quod Angelus operetur circa illud ex alio priori fine, in quo talia venialia velit. Et quidem si finis sit bonus et recte volitus ab Angelo, cum eodem actu et impetu, quo fertur in finem, feratur in media, non potest tendere in finem bene et sine defectu, id est, sine deordinatione a fine, et in media tendere deordinate : quia sic separaret motum in ipsa media a motu in finem : quod solum in nobis contingit. Ergo oportet quod, si deordinate tendit in aliqua media, seu

* I-II, q. 89, a. 4

* n. 3

(1) Prave omnes : *Angelo.*

in aliquam parvitatem materiæ quæ solum pertinet ad malitiam mediorum, tendat in illa ut deordinata in vi alicujus finis, et in eo contenta, in cujus volitione sunt volita, et non seorsim ac separatim a fine. Ergo omni parvæ materiæ volitæ ab Angelo semper adjungitur granditas alicujus finis; quia parvitas materiæ semper pertinet ad media, numquam ad finem : quia finis numquam est parvus, cum sit principium quo etiam magna diriguntur. Tam impossibile igitur est Angelo peccare venialiter in aliquo actu, sicut separatim a fine attingere media, et conclusiones extra principia; et solum illa natura quæ alio actu attingit finem, alio media, potest retentâ rectificatione circa finem, saltem habituali, errare in applicatione et tendentiâ erga media præter finem, licet non contra finem, et sic peccare venialiter et non mortaliter: quod est idem ac peccare seu aberrare a mediis, non errando a fine. At vero illa natura, quæ non potest tendere in media nisi per eumdem actum quo tendit in finem, numquam deordinatur a mediis neque parvitatem materiæ attingit nisi incipiendo deordinationem a fine, atque adeo adjungendo illi circumstantiam mortalem deordinationis a fine, seu contemptum : ratione cujus parvitas illa materiæ, v. g. mendacium quod ex se veniale est, seorsum a fine consideratum, ex pravo fine et in ejus deordinatione volitum non parvum est.

6. Et hoc ita convenit Angelo, non solum ratione statûs damnationis, in quo nunc operatur semper ex odio et contemptu Dei, sed ex natura sua : quia ex ipsa postulat operari circa media non seorsum a fine, sed eodem actu, eâdem ordinatione qua fertur in finem. Unde sicut, quando operantur ex caritate, in ipso fine amato amant media, v. g. in Deo omnes proximos : ita, quando operantur circa aliquod malum medium, operantur ex præsupposito fine malo. Et sic adhuc in pura natura, si operantur ex fine bono et rectâ ejus intentione, ibi non compatiuntur alicujus mali medii, etiam ex parvitate materiæ, deordinationem. Si vero aliquam deordinationem patiuntur, illa incipit a malo fine.

* supra, n. 4 7. *Unde solvitur oppositum fundamentum* *. — Respondemus enim quod, licet aliqua peccata sint ex naturâ suâ et materiâ propriâ levia, tamen quia Angelus suo connaturali modo operans non potest illa attingere nisi sub aliquo fine in quo sint volita, et eodem actu quo ipse finis (sicut neque conclusiones nisi in principiis), ideo illi parvitati [1] materiæ semper adjungit pondus grave circumstantiæ finis, extra quam vel sine qua non potest parvitatem illam velle, neque ex levi advertentiâ operari circa media et circa parvam materiam (quæ semper ad media pertinet), non operando circa finem, nec incipiendo deordinationem a fine, quæ semper gravis est. Levem autem advertentiam habere non competit Angelo, qui non imperfecte procedit, sed comprehensive. Ipsam etiam materiam parvam si acciperet non pro medio, sed pro fine, multo esset gravius : quia poneret finem in re creata et tam parva. Non mutat ergo Angelus parvam materiam, in mendacio, v. g., sed accumulat pravum finem, ante cujus deordinationem malum medium volitum non est.

8. **DICO SECUNDO : Genus peccati Angeli primum non potuit esse peccatum omissionis, sed commissionis.** — PROBATUR EX DICTIS * : Quia primum peccatum Angeli incepit in eo ex aliquo motivo circa finem; sed primum motivum et finis Angeli non potuit esse omissio; ergo primum peccatum Angeli non potuit esse omissionis, sed commissionis. — *Major constat* ex ipso connaturali modo Angeli in operando, scilicet ex fine et in fine attingendo media, sicut conclusiones non potest attingere nisi in principiis, quia comprehensive procedit; ergo debuit Angelus primum peccatum inchoare ex aliquo motivo circa finem, si quidem voluntas in modo operandi semper proportionatur modo operandi intellectûs. Unde sicut intellectus propter vim comprehensivam semper incipit a principiis, et in principiis conclusiones intelligit, sic voluntas a fine et in fine tangit media.

9. *Minor probatur :* quia omissio illa non potuit esse peccatum, nisi esset voluntaria, vel in se volendo illam, vel in aliqua causa vel occasione, ratione cujus esset incompossibilis adimpletio præcepti cum tali volitione; alioquin omissio illa culpabilis non esset, si voluntaria non esset. — Si illa omissio sit voluntaria tamquam directe volita, oportet quod hoc ipso involvatur ibi aliquod peccatum commissionis : quia qui vult directe et per se omissionem contra præceptum, hoc ipso in tali omissione repræsen-

[1] Male omnes : *illi parvitate.*

tatur aliquid majoris boni, vincens illud bonum quod est in adimpletione præcepti divini : omissio enim, ut omissio, cum sit privatio et non ens, non potest ratione sui esse volita directe, sed ut vestitur aliquo bono, saltem apparenti. Et, si est omissio præcepti [1], oportet ut repræsentetur aliquod bonum, non quomodocumque, sed vincens illud bonum quod ex adimpletione talis præcepti consurgit, ut possit moveri quis ad frangendum præceptum directe; ergo prius debet affici voluntas illi bono, quo vestitur omissio, ut ex ejus appetitu non recuset frangere præceptum. Et sic directa volitio omittendi semper importat aliquam commissionem, vel præsuppositive, vel concomitanter, qua afficiatur [2] taliter erga aliquod bonum seu objectum, ut ratione ejus non recuset velle omissionem, quæ in se non est aliquid neque bonum, et habet adjunctam fractionem præcepti affirmativi : quia omnis privatio seu negatio in aliquo bono seu positivo fundatur. — Si vero omissio non sit directe volita in se et ut objectum, sed indirecte ex eo quod est aliquid prius volitum cum quo non compatitur adimpletio præcepti, jam illud prius volitum pertinebit ad actum positivum volendi, et non solum omittendi; et ex alia parte est peccatum, qui [3] est impeditivum adimpletionis præcepti et causa omissionis. Ergo necessario incipit primum peccatum Angeli ab aliquo motivo culpabiliter volito, et non omisso; et sic tale peccatum est commissionis.

10. *Sed quia posset aliquis dicere* quod, licet verum sit quod tale bonum prius volitum est quidem culpabiliter volitum, sed non habet aliam culpam quam culpam omissionis : quia inde sumit totam malitiam, et sic formaliter est peccatum omissionis, licet materialiter habeat adjunctum aliquid commissionis, quod vitiatur ex omissione quæ ex tali volitione sequitur et [4] adimpletio præcepti impeditur :

11. *Contra hoc instauratur argumentum,* et confirmatur ratio adducta : quia [5] hoc in primo peccato [6] Angeli locum non habet, sed necessario illa omissio, sive indirecte volita ex aliquo priori præsupposito ex quo habet sequi, sive directe volita ut vestita aliquo bono apparenti, semper debet præsupponere aliquod peccatum commissionis præcessisse. Etenim illa omissio, ut sit peccatum, debet esse in præcepto, et esse voluntaria, ut supponimus. Angelus autem non potest aliquid velle, nisi in aliquo fine, ut sæpe dictum est * : quia naturalis modus ejus est videre in principiis conclusiones, et velle media in fine. Ergo vel ipsa omissio est finis quem sibi Angelus proponit, vel in aliquo fine est volita tamquam medium vel condicio medii, aut denique ut aliquid subordinatum fini. — Si ipsa omissio est finis, præterquam quod est impossibile, cum omissio in se solum sit privatio et nihil nec bonitatem habeat, etiam in hoc maxime peccatum commissionis est quod vult facere ipsam omissionem culpabilem finem ultimum, cum in se nihil bonitatis habeat : et præsertim quia, si vult illam habere pro fine ultimo, est peccatum commissionis omnino præposterum, et contra præceptum negativum, non solum affirmativum : si quidem non solum vult frangere præceptum impositum, quæ est omissio, utpote contra præceptum affirmativum, sed etiam vult in ipsa omissione finem ultimum ponere : quod est contra præceptum negativum, et est commissio. Nec potest imaginari quod aliquis, nisi insanus, velit omissionem ipsam facere finem ultimum, ut est privatio in se; sed seipsum constituit finem ultimum, nimis se amando, et exinde volendo omittere seu frangere præceptum. — Quod si omissionem vult non ut finem ultimum, sed ut subordinatum alteri ultimo, aut tamquam medium vel condicionem fini illi subordinatum, ergo jam supponit illa omissio finem aliquem ultimum prius volitum : et non finem ultimum bonum, qui est Deus, si quidem sub tali fine non potest subordinari omissio peccaminosa; ergo supponit finem ultimum malum, seu aversum a Deo, antecedenter ad omissionem : et in illo fine, seu eodem actu et impetu, vult omissionem. Ergo peccatum Angeli non incipit ab omissione, sed ab aliquo ultimo fine, quem contra Deum appetit; et in tali volitione peccat, non omittendo, sed committendo, seu positive appetendo, et contra præceptum negativum non diligendi aliquid ut ultimum finem præter Deum.

12. Nec obstat quod de ipsomet Deo amando datur præceptum affirmativum, et hoc potest

(1) Male omnes : *præcepta.*
(2) Supple : *afficiatur* [*voluntas*] *taliter...*
(3) Sic omnes. Intelligito : [*iste actus*] *qui est...* ‖ Fortasse tamen corrigendum sit : *quia est...*
(4) Supplendum : *et* [*per quam*] *adimpletio...*
(5) Sic LCP, bene ‖ Mendose M *qui.*
(6) Ita emendandum cum LC ‖ Prave MP *primo peccati.*

Angelus frangere : — Dicimus enim posse quidem frangere tale præceptum, sed ex aliquo priori motivo quo velit aliquem finem, et, volendo illum, omittat converti ad Deum finem ultimum. Omissio enim aversionis [1] ab aliquo fine non potest appeti per se primo, nisi ex conversione ad aliquem finem, sicut nec recedere a termino *a quo,* nisi convertendo se ad terminum *ad quem.* Nec potest voluntas pure se suspendere per negationem omnis actûs, etiam antecedentis, et qui sit causa vel occasio illius omissionis : quia talis suspensio (si esset dabilis) esset pure suspensio physica, et non moralis, quia nec voluntaria, utpote non procedens ab ipsa voluntate aliquo modo, ut latius dicetur (I-II, q. 6 *).

* infra, tomo v, disp. 3, art. 3

13. *Dices :* Potuit Angelus in primo instanti seu in primo actu peccare contra præceptum affirmativum : ergo peccato omissionis. — Consequentia patet. — Antecedens probatur : quia in primo instanti fuit præceptum in Angelo convertendi se ad Deum, et erat liber ad eliciendum vel non eliciendum; et saltem pro secundo instanti erat liber libertate etiam contrarietatis, ita quod poterat peccare; ergo, per hoc solum quod supenderet actum amandi, peccaret. Poterat ergo in illo primo peccato incipere ab omissione, quia tam liber erat ad velle quam ad nolle, etiam contrarie. Quis ergo prohibebat tunc non velle, et incipere a suspensione actûs, et hoc erat peccare? — Item, quia in illa omissione erat peccatum mortale; ergo erat aversio a fine ultimo, et conversio ad finem pravum; ergo poterat incipere a tali aversione, et a fractione illius præcepti affirmativi, nolendo ei obœdire ex contemptu Dei, et omittendo ejus præcepta. Et licet vellet omissionem istam ex alio fine, tamen, cum non interveniret ibi alia malitia quam omissionis, neque dicetur ibi peccare peccato commissionis, sed omissionis : sicut qui vult propter ludum missam omittere, non peccat peccato commissionis in ludendo, sed omissionis in non audiendo sacrum.

14. *Respondetur ad primum :* non potuisse Angelum peccare in primo peccato ex motivo omissionis, sed ex motivo commissionis; et sic antecedere debuisse peccatum commissionis. Licet enim curreret præceptum affirmativum * convertendi se in Deum, tamen ista omissio non erat appetibilis ab Angelo nisi in aliquo fine, in quo primo avertebatur a Deo : eo quod in bono fine et recte ordinato non poterat Angelus velle omissionem culpabilem, quia illa non erat referibilis in talem finem neque illi subordinabilis; ergo sub aliquo fine averso deberet appeti. Et illa conversio ad talem finem, antecedens omissionem, jam erat mala; et non erat omissio, sed commissio, quia positivo actu volita, et ut quoddam appetibile. Homo autem non eodem actu vult finem, et id quod sub fine continetur; et sic potest velle omissionem seorsum sine commissione, licet habeat aliquem actum qui sit causa et occasio illius, ut moraliter voluntaria sit. — Et poterat * Angelus velle vel nolle, *distinguo :* nolle moraliter et voluntarie, ex præsuppositione alicujus finis, *transeat;* sine tali fine, *nego :* eo quod modus connaturalis in Angelo est velle vel nolle media sub aliquo fine, et eo actu quo vult vel non vult finem; omittere autem finem bonum purâ omissione, et nullum alium finem appetendo, sed ab omni actu cessando in exercitio, non est connaturale Angelo : immo neque homini, quia non est connaturale voluntati (et fortasse impossibile) ab omni actu se suspendere, et sine ullo vitali motu manere : ut latius (I-II, q. 6 *) dicetur.

* Cf. supra, n. 13, *Antecedens probatur*

* supra, n. 13, *Poterat*

* infra, tomo v, disp. 3, art. 3

15. Ad secundum ** dicitur, quod in omissione, quæ est peccatum mortale, datur conversio et aversio a fine, *distinguo :* taliter quod conversio ad finem non sit ex meritis ipsius omissionis, ut pura omissio est, *concedo;* taliter quod sit ex aliquo adjuncto quod non per omissionem, sed per commissionem seu positivum actum appetatur, *transeat.* Nec ipsa omissio, ut diximus *, potest habere rationem finis secundum se, nisi induat aliquam rationem quæ positive appetatur : ut propter contemptum vel odium Dei, propter commoditatem propriam vel ad experiendam libertatem, aut aliquid simile, quod prius appetitur ut finis, et appetitur non omittendo, sed positive volendo. — Et cum instatur * quod potest esse volita omissio ex alio fine, qui non habeat aliam malitiam quam omissionis : Respondetur quod, non disputando modo an in illo actu, qui est causa omissionis, etiam detur propria et intrinseca ratio peccati, licet cum ordine ad omissionem (sicut ille ludus, v. g. propter quem volo omittere sacrum, etiam in genere ludi fiat superfluus et malus commissive), hoc inquam omisso, est specialis

** supra, n. 13, *Item, quia*

* supra, nn. 9, 11-12

* supra, n. 13, *Et licet*

[1] Id est : *omissio, quæ est in avertendo se ab aliquo...*

ratio in Angelo qui, ex eo quod non potest incipere deordinationem suam et actum voluntatis nisi a fine in quo et sub quo deordinationem omnem exercet, ideo oportet quod, si ipsam omissionem non accipit ut finem in se (quia est privatio, et carens bonitate), præsupponat volitum finem distinctum ab omissione, in quo ipsa omissio, ut medium vel quid contentum sub fine, volita sit. Et talis finis malus est, et non recte volitus, antecedenter ad omissionem : quia ille finis ultimus, sub quo deordinate est volita omissio præcepti, non potest esse bonus, nec Deus ipse, quia ad illum non est referibilis; est ergo aliquid malum, et aversum a Deo. Non ergo incipit peccatum Angeli ab omissione.

SPECIES PECCATI ANGELI.

16. Circa speciem peccati Angeli unum est fere certum apud auctores : scilicet primum peccatum de facto peccatum superbiæ fuisse. Aliud vero controversum : an motivum peccandi in Angelis potuerit aliunde incipere quam ex motivo superbiæ.

[*Primum punctum.*]

17. Et circa primum dico esse fere certum : nam ALIQUI ALIUD CONATI SUNT ASSIGNARE PRO PECCATO ANGELI, aliqui luxuriam, aliqui invidiam. — *Qui luxuriam assignarent* non defuerunt inter antiquos Patres, qui etiam carnalem luxuriam Angelis tribuerunt, sic explicantes illud (Gen. VI, 2) : *Videntes filii Dei filias hominum, etc.;* de quo videri potest Tertullianus (lib. de Idololatria, c. 9 *), Lactantius (lib. II Institut., c. 14 **), et alii. Fortasse antiquiores hi doctores existimarunt Angelos corpora habere, licet subtiliora nostris : de quo egimus supra (disp. 19 ***, art. 1). In præsenti solum adverto hos Patres, qui sic interpretati sunt locum illum Geneseos, Angelosque in commixtionem carnalem cum filiabus hominum cecidisse existimarunt, nequaquam loqui de peccato primo diaboli, quando de cælo exturbatus est. Nec enim ignorare potuerunt illi Patres, quod illo tempore, quo Scriptura narrat filios Dei appetiisse filiarum hominum concubitum, jam diabolus peccaverat : cum illud factum Scriptura contigisse narret post multiplicatum genus humanum; diabolum vero jam peccasse et a cælo fuisse exclusum, cum ex ejus tentatione et suasione primi nostri parentes peccarunt, ignorare nullus potest. Quapropter peccatum hoc primum Angeli carnalis luxuriæ fuisse, nemo quod sciam potuit sentire. Quomodo vero locus ille Genesis de filiis Dei et filiabus hominum intelligendus sit, diximus (citata disp. 19 *).

* PL 1, 671 ** c. 15; PL 6, 330 *** nunc disp. 39, a. 1, n. 7-14 (supra, p. 449-451) * nunc disp. 39, a. 1, n. 29 (supra, p. 454)

18. Aliter ergo luxuriam Angelis attribuit Scotus (in II, D. 6, q. 2 **) : nempe non carnalem et propriam, sed spiritualem, qua per nimium amorem et delectationem de proprio decore et felicitate, quasi luxuriante venustate proprià, delectati sunt : quod superbiam impropriam esse putat, propriam vero cupiditatem et luxuriam spiritualem circa suum decorem.

** nn. 14, 16-17

19. *Invidiam fuisse peccatum Angelorum* docuerunt non pauci, licet non ita clare explicent fuisse primum peccatum Angeli; quod enim ex primo peccato superbiæ fuerit peccatum invidiæ secutum, negari non potest, nec D. Thomas negat. Et Scriptura * aperte testatur, quod *invidià diaboli mors intravit in mundum.* — Aliqui autem hoc peccatum invidiæ explicant fuisse invidiam erga homines : ut deducitur ex S. Cypriano (opusc. ** de Zelo et livore), Tertulliano (de Patientia, c. 5 ***), Basilio (in serm. de Invidia †), Irenæo (lib. IV, c. 78 ††). — Alii fuisse invidiam erga ipsum Dominum Christum, cui dignitatem unionis hypostaticæ inviderunt, sibique immoderate appetierunt : quod deduci videtur ex S. Bernardo (hom. 17 ††† in Cantica), Ruperto *, et aliis; quorum sententiam, quantum ad appetitum unionis hypostaticæ, sequitur Granados (tract. 13, disp. 2, sect. 4), et probabilem reputat Suarez (lib. VII, c. 13) et pluribus confirmat.

* Sap. II, 24 ** c. 4; PL 4, 640-1 *** PL 1, 1256-7 † n. 4; PG 31, 377 D; cf. 1453 C; et PG 32, 1341 C †† nunc c. 40, n. 3; PG 7, 1113 C ††† n. 5-6; PL 183, 857-8 * PL 169, 570 D-572 C

20. **CETERUM communis sententia attribuit Angelis peccatum superbiæ, ita quod illud fuerit primum, et initium ceterorum.** — Ita sentiunt communiter theologi cum Magistro (in II, D. 6) et D. Thoma (hîc, q. 63 *, a. 2) : ubi videri possunt interpretes. Videantur ibi Cajetanus, Bañez **, Zumel ***, Nazarius †, Carmelitani Salmanticenses (tract. 7 (1) de Angelis, disp. 10, dub. 1), Vazquez (disp. 232 (2) c. 3), Suarez (lib. VII de Angelis, c. 8 et seqq), Granados (ubi †† supra, sect. 2, n. 4), qui etiam oppositam sententiam « temerariam ††† » vocat.

* I P. q. 63, a. 2 ** a. 2, dub. 1 *** q. 2, concl. 3-4 † controv. 2, concl. 4 †† tract. 13, disp. 2, sect. 1 ††† ibid., sect. 1, n. 3

(1) Mendose omnes : *tract. 6.*

(2) Mendose omnes : *disp. 132.*

21. *Constat autem hoc ex Scriptura et Patribus :* ut enim supra * notavimus, Scriptura ponit superbiam pro initio omnis peccati (Eccli. x, 15; et Tob. iv, 14). Ipsum etiam peccatum Angeli, qui primus inter intellectuales creaturas peccavit, si quidem ex ejus suasione peccavit primus homo, superbiam fuisse significat : tum in illo loco (I Tim. iii, 6) : *Ne in superbiam elatus in judicium incidat diaboli;* tum in aliis locis ubi secundum communem expositionem sermo est de diabolo, licet sub figura aliorum principum, aperte ejus peccatum dicitur superbia, ut (Eze. xxviii, 17) : *Elevatum est cor tuum in decore tuo;* (Isa. xiv, 12-14) : *Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer, qui mane oriebaris, qui dicebas in corde tuo : In cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, adscendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo.* — Unde S. Ambrosius (epist. 84 *) inquit quod « sive in lapsu diaboli, sive in prævaricatione hominis, initium peccati superbia est »; et Augustinus (xii de Civitate, c. 6 **) : « Initium, inquit, omnis peccati superbia. Hic primus defectus et prima inopia, primumque vitium ejus naturæ, quæ ita creata erat, ut non summa esset. » Videndus est Basilius (in cap. ii Isaiæ *, ad illa verba : *Dies Domini super omnem contumeliosum et superbum*); Gregorius (lib. xvii Moralium, c. 13 **; et lib. xxiii, c. 4 ***); Hieronymus (lib. ii adversus Jovinianum, c. 3 †); Cyrillus (lib. vi in Joannem, c. 6 ††); Prosper (in Dimidio temporis, c. 1 et 2 †††; et in lib. de Vita contemplativa, c. 3 *); Bernardus (serm. 4 ** de Ascensione), et alii plures. Quæ omnia sufficienter probant de facto accidisse in Angelis peccatum superbiæ.

* n. 2
* ad Demetr. c. 9; PL 55, 168-9
** PL 41, 353
* n. 88; PG 30, 261
** nunc c. 24-25; PL 76, 26
*** c. 6; PL 76, 259
† n. 4; PL 23, 289
†† PG 73, 896 D, 897 A B
††† PL 51, 837-8
* PL 59, 420
** n. 3-5; PL 183, 310-1

22. Quod vero fuerit superbia proprie dicta, non luxuria illa spiritualis quam Scotus ponit *, manifeste deducitur : Tum ex ipsa proprietate locutionis Scripturæ et sanctorum : nec enim dicendum est tam frequentes locutiones improprias esse, sine fundamento valde urgenti : quod in præsenti non apparet. Tum quia illa delectatio, quam ponit Scotus circa propriam pulcritudinem et amorem, vel fuit delectatio de propria excellentia cum subjectione ad Deum, vel sine illa. Si cum subjectione ad Deum, non fuit peccatum, etiamsi fuerit vehemens et intensa : quia delectatio de pulcritudine et de bono quod in se bonum est, dummodo non sit contra præceptum Dei et cum deordinatione a fine, non est peccatum : cum delectatio sit consequens amorem de bono præsenti; sicut qui delectatur de pulcritudine uxoris, aut de proprio decore et sapientiâ, referendo ista omnia ad Deum, non peccat. Si autem delectatus est Angelus de sua pulcritudine sine subjectione ad Deum, hæc fuit propria superbia : quia appetitus superbiæ, proprie sumptus, est appetitus inordinatus propriæ excellentiæ sine subjectione ad superiorem : ut docent theologi cum S. Thoma (II-II, q. 162). Complacere autem et delectari de hac ipsa excellentia, de honore, de divitiis, etc., non facit speciale peccatum luxuriæ : quia delectatio seu voluptas de eo, in quo peccatur, est valde generalis condicio pro omnibus peccatis. Omnia enim peccata fiunt cum quadam expletione propriæ voluntatis, quæ voluptas quædam est et delectatio. Tunc autem est luxuria determinate, quando est in materia intemperantiæ circa sensibilia bona, præsertim venerea, in quibus animus diffluit : in reliquis peccatis delectatio est, sed non luxuria. Et sic inordinatus amor propriæ excellentiæ in Angelo fuit in toto rigore vera superbia; nec transtulit ad speciem luxuriæ delectatio huic amori annexa, quæ generalis condicio est in peccatis.

* cf. supra, n. 18

[*Punctum secundum.*]

23. *Circa secundum vero,* quod diximus controversum esse in hac parte : nempe an fuerit aliud motivum, quo posset Angelus peccare in primo peccato, quam motivum superbiæ : *sententia D. Thomæ est,* non fuisse aliud motivum quam superbiæ. Ita sumitur ex his quæ tradit in hac quæst. 63, a. 2 (et in II, D. 5, q. 1, a. 3), et agendo de peccato primi hominis (in II, D. 22 [1], q. 1, a. 1; et II-II, q. 163, a. 1 ad 1 et 3). Videripotest Cajetanus (in præsenti q. 63 *, a. 2), et ibi communiter Thomistæ. * I P. q. 63, a. 2

24. *Refragatur vero huic sententiæ Vazquez* (in commentario hujus art. 2 *) *et Arrubal* (hîc, disp. 178. c. 1 **), qui plura alia peccata assignant, quæ Angelo convenire possunt : sicut est peccatum omissionis frangendo præcepta affirmativa, peccatum odii, aut desperationis, aut inobœdientiæ : quia hæc peccata non solum versantur circa materiam sensibilem, sed etiam circa spiritualem, et sic non repugnant Angelo. Item erga homines non repugnat [2] quod Angeli

* n. 27-30
** n. 5

[1] Prave omnes : *in III, D. 22, q. 1, a. 1, ad 4.*

[2] Mendose omnes : *non repugnant.*

committant peccatum injustitiæ, occidendo illos aut male tractando, vel res suas; aut etiam peccatum invidiæ, eorum excellentiæ invidendo. Peccatum etiam iracundiæ non repugnat Angelo: quia non est de ratione iræ quod sit passio appetitûs sensitivi, sed solum quod sit appetitus vindictæ, ut supra (q. 20, a. 1*) dixit S. Thomas; non ergo talis ira, sine passione, repugnabit Angelo. Quod si ista peccata Angelo non repugnant, ergo neque eorum motiva; et consequenter neque repugnabit ab illis incipere: quia libertatem habet Angelus incipiendi peccare a quacumque materia seu objecto, nec habet aliquam necessitatem incipiendi a superbia.

* I P. q. 20, a. 1, ad 2

25. **NIHILOMINUS sententia D. Thomæ vera est, et tenenda, sed prius explicanda. Et ejus explicatio consistit in duobus. — Primum** : quod loquitur S. Thomas de Angelo juxta suum connaturalem modum, et sicut de facto creatus est *plenus sapientiâ et perfectus decore,* ut dicitur (Eze. XXVIII, 12). Unde sequitur quod non poterat peccare in appetendo seu desiderando, illicito modo, aliquid quod sibi deesset ex bonis spiritualibus: quia plenus erat omnibus his quæ sibi debebantur. Et sic ex parte boni spiritualis, quod desiderare poterat, solum poterat peccare desiderando aliquid ultra propriam mensuram, et ultra id quod sibi debebatur et quo erat plenus: quod pertinet ad inordinatum motum propriæ excellentiæ.

26. **Secundum est** : quod D. Thomas non negat plura alia peccata præter superbiam posse esse in Angelo, sed loquitur de primo peccato, quantum ad motivum et objectum cui afficitur Angelus: hoc enim docet non esse aliud quam motivum inordinatæ excellentiæ; licet, posito illo motivo et peccato, possit etiam ad alia declinare, eaque committere. Unde (in II, D. 22 supra * citata) inquit D. Thomas quod « aliorum peccatorum occasio defectus aliquis esse solet; sola vero superbia est quæ fundamentum ex perfectione sumit ». Ubi S. Doctor manifeste indicat se loqui de motivo seu fundamento ad peccandum in natura perfecta, qualis est angelica, quæ non movetur ad peccandum per defectum, sed per excessum, et ratione alicujus perfectionis et excellentiæ indebitæ et excessivæ.

* supra, n. 23

27. Ratio autem hujus sumitur, tum ex ipsa natura et modo connaturali operandi Angeli, tum ex solutione oppositi fundamenti, ostendendo quod, licet alia peccata non repugnent Angelo, repugnant tamen esse primum motivum ad peccandum. — *Ex ipsa natura et connaturali modo procedendi in Angelo* sumitur ratio ex jam supra * insinuatis: quia Angelus non potest peccare, nisi incipiendo volitionem ab aliquo fine, sicut incipit cognitionem suam a principiis. Finis autem debet esse aliquod bonum, cui Angelus afficiatur: finis enim est id quod appetitur ratione sui, et ejus gratiâ appetuntur alia. Non potest autem Angelus per se primo affici ad bonum sensibile tamquam ad finem: quia non est sibi proportionatum, neque conveniens; finis autem appetitur ut conveniens et bonum ipsi appetenti; debuit ergo esse bonum aliquod spirituale circa quod tamquam finem operetur Angelus. Rursus bonum spirituale secundum se conforme est rationi: nec illi contrariatur, sicut in nobis bonum sensibile quandoque rationi non subjicitur; spirituale autem bonum de se rationi est conforme et conveniens, quia spirituale est: solum autem potest reddi malum secundum quod excedit mensuram a Deo constitutam, et sic appetitur inordinate seu ultra debitum ordinem. Et cum Angelus productus sit perfectus et plenus omni perfectione sibi debitâ, non poterat inordinate appetere acquisitionem earum perfectionum spiritualium quæ sibi debentur, v. g. scientiæ et cognitionis, circa quam vitio curiositatis laboraret. Solum ergo potuit appetere aliquem modum excellentiæ inordinatum v. g. circa potentiam et honorem, aut superiorem scientiam, appetendo id quod sibi non debebatur, aut non eo modo quo debebatur: v. g. cum aliqua singularitate peculiari, aut cum independentia ab alio, vel cum aliquo genere non-subjectionis contra ordinationem Dei: quod totum pertinet ad superbiam, quæ est appetitus inordinatæ excellentiæ seu perfectionis. Ab illo ergo debuit incipere motivum peccati in Angelo, si quidem incepit ab aliquo affectu circa spirituale bonum, seu excellentiam aliquam, quæ inordinate appetitur.

* nn. 3, 5-8 11. 14-15

28. Quare non negamus, multa alia peccata posse esse in Angelo, quæ spiritualia sunt; sed negamus posse modo connaturali præbere Angelo primum motivum peccandi. Quia ex aliis peccatis multa sunt, quæ præsupponunt alia peccata præcessisse, vel saltem motivum aliquod peccaminosum; superbia vero est aptissimum et congruentissimum medium, ut sit primum motivum peccandi in Angelo: quia

semper primum motivum peccandi in Angelo debet esse ex aliquo fine et bono cui afficiatur, et hoc non potest esse aliquid corporale : quia non est proportionatum naturæ spirituali et perfectæ, sicut est Angelus, ut afficiatur illi tamquam proprio bono. Excellentia autem propria, immoderate et ultra debitam mensuram volita, est potissimum attractivum et allectivum naturæ ita perfectæ et spiritualis, sicut est angelica. Illud ergo erit primum motivum, et illud est motivum superbiæ.

29. *Ex quo secunda ratio deducitur,* quæ est etiam solutio fundamenti oppositi : nempe discurrendo circa alia peccata, et ostendendo quod, connaturali modo loquendo, non præbent de se primum motivum peccandi. — Nam in primis peccatum omissionis* per se et ratione sui non præbet primum motivum peccandi : quia de se est negatio seu privatio, et ut appetatur debet vestiri aliquo bono apparenti et aliquo fine, ratione cujus non recusat quis fractionem præcepti; ergo ipsa omissio non est primum motivum peccandi, seu primum cui affici potest Angelus tamquam fini. — Item odium Dei et desperatio* non potest convenire Angelo, nisi præsupposito aliquo priori peccato, ratione cujus reddatur dissonum ejus dictamini id quod habetur odio, vel a quo desperatur, ut S. Thomas advertit (loco supra citato ex II, Dist. 5, q. 1, a. 3*) : non enim aliquid habetur odio, nec desperatur ab illo, nisi quia consideratur seu judicatur ut dissonum et disconveniens sibi : et sic odio habetur. Et hoc ideo est, quia odium et desperatio pertinent ad quamdam fugam voluntatis, quatenus aliquid apprehenditur ut disconveniens vel nocivum, et sic non amatur, sed abominatione vel inimicitiâ prosequitur : aut judicatur ut impossibile adipisci, et sic non prosequitur illud spes, sed ab illo dejicitur vel fugitur, et hoc est desperatio. Unde repugnat quod Angelus inde incipiat peccati sui motivum : Tum quia odium et desperatio pertinent ad fugam, non ad affectum et prosecutionem; primum autem motivum in Angelo est ex affectu circa aliquem finem seu bonum quod sibi conveniens apprehendit : finis enim ut finis amatur, non fugitur, et Angelus in amore finis tangit ea quæ se habent ad finem, non seorsum; non ergo primum motivum et affectus finis est in fuga. Tum quia, ut Deus habeatur odio vel desperetur, debet apprehendi ut disconveniens; non autem apprehenditur Deus ut disconveniens nisi corrupto jam judicio, et talem supponendo aversionem ab ipso ex aliis effectibus vel affectibus ut inde formetur judicium, quo etiam Deus ipse ut nocivus et disconveniens apprehenditur. Quod vero prima apprehensio de Deo, præsertim in natura perfecta et perfecte intelligente, sicut est Angelus, sit apprehensio Dei ut disconvenientis, omnino videtur contra modum ejus connaturalem. Unde S. Thomas (II-II, q. 34, a. 5) docet ideo odium non esse vitium capitale, quia non est primum in destructione virtutum, sed ultimum; et sic potius est peccatum finale quam capitale seu initiale, supponens tantam corruptionem in subjecto, quod potest ab eo Summum Bonum apprehendi ut disconveniens subjecto; hoc autem sine magna corruptione fieri non potest, et supponendo in subjecto præcedere alia peccata, ex quorum suppositione et affectu Deus concipitur ut disconveniens, quia concipitur ut contrarius subjecto. Non concipitur autem ut contrarius ipsi naturæ aut perfectioni ejus, cum sit primum ejus principium et auctor totius esse; sed solum concipi potest ut contrarius, vel in quantum infert mala pœnæ (et hæc jam supponunt culpam), vel quatenus prohibet ipsa mala culpæ, et sic ex affectu ad illa mala, quæ prohibet, Deus ut contrarius et dissonus concipitur odioque habetur. Sed hoc jam supponit alia mala culpæ. Et sic odium numquam est peccatum capitale et primum, quod versatur erga affectum ad finem : sed est peccatum finale seu ultimum, supponens alia peccata ex quibus movetur quis ad apprehendendum Deum ut dissonum et contrarium sibi, quia vel prohibet, vel punit illa peccata quibus quis afficitur.

30. Ad ea quæ objiciuntur pro peccatis quæ versantur circa homines* : Quod attinet ad peccata injustitiæ, dicimus dupliciter eam committi. Primo, ex eo quod aliquis vult accipere aliena in commodum proprium, et tunc injustitia nascitur ex inordinato amore et concupiscentiâ sui. Secundo, ex eo quod aliquis vult eam in incommodum seu nocumentum alterius, et inde movetur ad faciendum ei injuriam contra justitiam. — Primo modo non potest Angelus velle injustitiam seu injuriam facere homini, immo nec alteri Angelo : quia non potest ipse ex injuriis hominum sive ex acceptione suarum rerum vel jurium, aut ex quibuscumque ipsius bonis, fieri ditior et commodior : quid enim

* cf. supra, n. 24, *sicut est*

* cf. supra, n. 24

* ad 2

* cf. supra, n. 24, *Item erga*

commoditatis sibi provenire potest ex bonis sensibilibus hominis, cum ipse Angelus spiritualis sit? Ex bonis autem ejus spiritualibus nihil potest surripere, aut injustitiam committere circa illa : quia non possunt homine invito perdi, nec etiam eo volente possunt Angelo accrescere et propria ipsius fieri. Et idem est respectu aliorum Angelorum in bonis spiritualibus eorum. — Secundo vero modo potest quidem Angelus nocere homini, et injustitiam in illum committere, et fortasse etiam in Angelum, v. g. ipsum ultra modum affligendo et vexando; sed tale peccatum supponit odium et malevolentiam erga homines contra quos movetur, si quidem ex appetitu nocendi facit injuriam, et hoc iterum est peccatum fugæ et abominationis, et sic dimanat ex volitione priori alicujus finis. Non ergo primum peccatum est injustitia.

* cf. supra, n. 24, *aut etiam*
** I P. q. 63, a. 2
*** II, D. 5, q. 1, a. 3, ad 2

31. De invidia * etiam dicimus cum D. Thoma (in hac q. 63, a. 2 **; [et] (1) citato loco ex II, D. 5***) « quod invidia est dolor alienæ prosperitatis in quantum est impeditiva alicujus boni proprii ». Nulla autem felicitas neque Dei, neque alterius hominis, aut Angeli, est impeditiva boni proprii ipsius Angeli, si velit tale bonum proprium eo modo quo sibi a Deo collatum est, et cum subjectione ad Deum qui distribuit unicuique juxta modum sibi debitum. Unde solum potest aliena felicitas impedire bonum proprium Angeli inordinate volitum, v. g. si ipse vult esse singularis in aliquo bono, et super omnes esse, nec aliquem sibi præferri etiam ex Dei ordinatione : et tunc invidiam habere potest, sed supponentem deordinationem præcedentem circa aliud bonum : et hoc est supponere aliud peccatum, quod utique est superbiæ, cum sit circa excellentiam propriam, cui opponitur bonum alienum quatenus impedit proprium aut singularitatem ejus. — Et quando dicit S. Basilius (in homilia * de Invidia) quod « invidia impulit principem malorum dæmonem ad bellum », quod etiam alii sancti affirmant : Dicimus verum esse, quod ad bellum cum homine impulit illum invidia. Sed hanc præcesserat peccatum superbiæ contra Deum. Nec est inconveniens, quod in eodem instanti, sicut et nunc modo, simul Angelus de propria excellentia nimis delectetur, et de alieno bono tristetur et corrodatur intus in corde : quia isti affectus sunt circa diversa objecta, et sic non pugnant inter se.

* n. 3; PG 31, 376 A

(1) Male omittunt omnes conjunctionem *et*.

32. Ad ea quæ dicuntur * de ira, an repugnet Angelo, dicimus D. Thomam (in hac q. 63, a. 2 ad 2) excludere iram ab Angelo, quia dicit passionem corporalem. De ira vero quæ est simplex voluntatis affectus, appetentis vindictam sine passione corporali, nihil dixit; sed hoc non ita curæ fuit D. Thomæ : quia ira ista, quæ est simplex affectus voluntatis, habet rationem aversionis et fugæ respectu personæ in quam appetitur vindicta. Unde non servit talis ira pro motivo primi affectûs erga finem cui afficitur operans : quia talis affectus debet esse sine fuga, sed per prosecutionem et amorem. Unde appetitus vindictæ non servit pro primo peccato : quia est erga finem desideratum et volitum, quia est finis cujus gratiâ cetera appetuntur.

* supra, n. 24 *Peccatum etiam*

33. De vitio curiositatis non est quod illud attribuamus Angelo in statu quo creatus est *plenus sapientiâ;* sic enim non habuit quod desideraret inquirere circa cognitionem sibi possibilem et connaturalem : quia Angelus non habet scientiam acquisitam, sed innatam et ab initio perfectam. Curiositas autem est vitium in excessivo studio acquirendæ cognitionis superfluæ. Circa cognitionem vero supernaturalem posset in Angelo esse vitium, si desideraret superiorem scientiam habere contra ordinem divinum et sine subjectione ad Deum (nam ex subjectione ad ipsum et subordinate ad illum, peccatum non est). Velle autem scientiam superiorem sine subjectione ad Deum plus habet de superbia, quam de curiositate : quia Angelus, si quid ibi inordinate appeteret, non tam esset scire, quam excellere : sicut cum Evam tentavit de appetitu scientiæ, magis ibi expressit desiderium excellentiæ quam acquisitionem notitiæ, dicens : *Eritis sicut dii, scientes*. Sic ergo, si id appetiit diabolus, magis appetiit in illa scientia superioritatem et excellentiam sine subjectione ad Deum : quod est motivum propriissimum superbiæ, cui per accidens est quod sit in materia scientiæ, vel potentiæ, aut honoris, vel cujuscumque alterius excellentiæ.

Ezc. XXVIII, 12

Gen. III, 5

34. ADHUC TAMEN OBJICIES CONTRA NOSTRAM CONCLUSIONEM, ad probandum quod non fuerit proprie motivum superbiæ primum peccatum Angeli, et in favorem Scoti : Nam in primo

peccato Angelus non respexit tamquam rem volitam ipsum præesse aliis, et non-subjici superiori, sed solum tamquam condicionem alterius rei volitæ : quia scilicet voluit sibi inhærere ut ultimo fini, avertendo se et non subjiciendo se ipsi Deo : quod utique non pertinet ad speciale peccatum superbiæ, sed est condicio generalis cujuscumque peccati importantis aversionem a Deo. Ut autem esset speciale peccatum superbiæ, oportebat quod non solum ut condicio, sed ut res volita, attingeretur ipsum non-subesse superiori, et præesse aliis. — Quod vero hoc non potuerit esse primum motivum peccati Angeli, probatur : quia, ut docet S. Thomas (in hac q. 63, a. 1 ad 4), Angelus non peccavit eligendo malum ex parte rei volitæ, sed eligendo male ex parte inordinatæ electionis circa objectum bonum. At nolle subesse superiori, si accipiatur ut res volita, est malum objectum, et non solum mala condicio ex parte electionis. Ergo non potuit in primo peccato esse peccatum speciale superbiæ.

35. *Confirmatur :* quia Angelus non vult inordinatam et superfluam excellentiam sibi, nisi supponendo dilectionem suæ personæ inordinatam : non quia proprie habeat ad se amorem amicitiæ, sed quia se amat ut primum diligibile, et tamquam objectum cui vult quidquid vult. Et quia se inordinate vult ut personam et objectum *cui*, ideo vult sibi excellentiam superfluam : ut præesse aliis, non subjici superiori. In hoc autem, quod est inordinatam excellentiam velle, est peccatum superbiæ; in eo vero quod est se nimis amare, ut personam et objectum *cui*, non est peccatum nisi nimiæ delectationis de seipso, quod pertinet ad peccatum luxuriæ spiritualis (sicut multoties homines peccant nimiam delectationem capiendo de spiritualibus, et nolendo eis carere), aut saltem solum est generalis condicio omnis peccati quod procedit ex inordinato amore sui. Ergo in Angelis præcessit peccatum superbiæ nimia delectatio et amor sui, qui est libido spiritualis.

36. Respondetur, quod non-subjici superiori potest sumi non solum ut res volita primo et per se (sic enim non solum est malum, sed pessimum, et vix appetibile nisi stulte et per errorem), sed potest sumi ut modus et condicio objecti voliti; et aliquando potest esse condicio generalis peccatorum, aliquando specialis, vel peccati inobœdientiæ, vel peccati superbiæ. — Est condicio generalis peccati quando ly *non-subjici* sumitur pro eo quod est non-subjici superiori ut regulanti et mensuranti actus rationis : sic enim omni peccato mortali generale est averti a regula cui conformari debet actio. — Est condicio specialis in peccato inobœdientiæ quando recusat aliquis facere rem præceptam, ex hoc quod ab ipso superiori præcipitur, ita quod non vult subesse alteri ut præcipienti et superiori : ut docet S. Thomas (II-II, q. 104 *). * II-II, q. 104, a. 2
— Est condicio specialis superbiæ, in quantum recusat subjici superiori ex motivo excellentiæ propriæ : vult enim excellentiam suam ita servari quod nulli reputetur inferior, et ex hoc recusat superiori subesse, ut excellens maneat; et sic proprie non vult subesse superiori, ut excellenti. Ideoque, ut S. Thomas explicat (II-II, q. 162, a. 6), superbia pervenit ad hoc ut aversionem, quæ in reliquis peccatis est consequens, ipsa habeat pro proprio, quatenus deducitur usque ad contemptum Dei; sed hoc totum habet sub motivo excellentiæ propriæ : et contemnit Deum seu recusat illi subesse ut excellentiori se, in eo in quo Deus vult quod creatura se reputet inferiorem; et idem est de aliis superioribus, quatenus ex hoc videtur propria excellentia diminui, seu non servari. — Dicimus * ergo, quod ad superbiam non pertinet velle ipsum non-subesse, ut rem primo et per se volitam : sed ut modum seu condicionem requisitam ad propriam excellentiam, quatenus non vult subesse alteri ut excellentiori se; et sic sub ratione excellentiæ et motivo illius fertur in non-subesse, seu admittit ex parte modi volendi, et eligendi, ipsum non-subesse. * cf. supra, n. 34, *Quod vero*

37. *Ad confirmationem* * *respondetur,* quod ille amor sui tamquam personæ primo dilectæ non constituit speciale peccatum, sed est principium cujuscumque peccati, ut sumitur ex D. Thoma (I-II, q. 77, a. 4). Neque talis amor inordinatus sui est separatus ab amore rei sibi volitæ contra præceptum Dei, ratione cujus materiæ sumitur speciale peccatum modo in excellentia propria, modo in delectatione cibi aut veneris, modo in possessione pecuniæ, etc., aut in quacumque alia re, quæ vel secundum timorem et fugam, vel secundum concupiscentiam attingitur : ut ibidem docet S. Thomas (solutione ad 3). Quare illa delectatio et amor de seipso est generalis condicio omnis peccati; et respectu cujuscumque peccati, etiam odii Dei, aut injustitiæ, aut * cf. supra, n. 35 I-II, q. 77, a. 4, ad 3

timiditatis, etc., potest fieri idem argumentum, quod oritur ex amore nimio erga se et delectatione sui, ob quam vult aliquis illa bona sibi, aut nimis amando, aut nimis timendo. Et sic probaret argumentum, quod pro omni peccato interveniret peccatum luxuriæ : quia intervenit, tamquam motivum et origo, nimius amor sui et delectatio de se. — Dicimus * ergo quod, cum species peccatorum determinata et in speciali non sumatur ex amore sui, ut præcise terminatur ad se ut ad personam cui vult bonum, sed ex ipsa materia circa quam voluntas versatur, et quia Angelus sic voluit sibi bonum et amavit se quod istum amorem exercuit in tali materia (scilicet in excellentia propria volita sine subjectione ad excellentius bonum, et ad superiorem, secundum regulam et mensuram Dei), ideo illud peccatum, ex parte materiæ *circa quam*, fuit specialissime peccatum superbiæ : licet ex parte sui principii et originis supposuerit amorem sui et delectationem de se, quæ est principium generale omnium peccatorum tamquam motivum generale, non vero se habet ut materia cujuscumque peccati; sed hæc in Angelo fuit propria excellentia. Ex amore autem sui non denominatur aliquod peccatum esse luxuriæ, sed ex materia volita circa quam est delectatio : non ex persona cui est volitum generaliter omne peccatum, scilicet ex amore sui.

* cf. supra, n. 35. *In hoc autem*

SINGULARITAS PECCATI ANGELI : CIRCA QUOD OBJECTUM DETERMINATE SUPERBIERIT.

38. Superbia cum sit inordinatus appetitus excellentiæ, in qua vult aliquis singulariter eminere, potuit in Angelo circa diversa objecta versari. *Et difficultatem habet,* singulariter et determinate *assignare circa quod objectum de facto superbierit.* Numerari autem possunt quatuor objecta. — Primum est circa ipsum Deum in se, appetendo ejus æqualitatem in altitudine et majestate. — Secundum est unio hypostatica, appetendo eam sibi, aut dedignando quod humanæ naturæ fuerit communicata. — Tertium beatitudo supernaturalis, nolendo eam habere ex indigentiâ divini auxilii, aut cum consortio hominum. — Quartum est beatitudo et felicitas naturalis, volendo eam tantum habere, et in illa omnibus aliis præesse sine elevatione ad supernaturalem beatitudinem, in qua possent alii ei æquari, aut etiam superare : sicut superare debebat anima Christi et Beatissimæ Virginis.

39. Circa ista laboratur in duobus. — Primum, in assignando objectum cujus appetitus non appareat impossibilis aut fatuus in Angelo, qui peccavit cum maxima advertentia et malitia. — Secundum, in evitando errorem speculativum in judicio requisito et præsupposito ad peccatum.

[*Æqualitas Dei.*]

40. Igitur circa primum objectum, scilicet circa æqualitatem Dei, *pro certo D. Thomas supponit* (in art. 3 hujus q. 63) quod diabolus appetiit esse ut Deus. — Id enim manifeste deducitur ex Scriptura : Tum (Isa. XIV, 14) ubi ex persona Luciferi dicitur : *Adscendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo;* et (Eze. XXVIII, 2) : *Elevatum est cor tuum, et dixisti : Deus ego sum, et in cathedra Dei sedi in corde maris; et dedisti cor tuum quasi cor Dei.* Tum quia superbia dæmonis excedit omnem hominum superbiam, cum dicatur *ipse esse rex super omnes filios superbiæ* (Job XLI [1], 25); constat autem quod Antichristus in tantam erumpet superbiam, *ut ostendat se tamquam sit Deus* (II Thess. II, 4); ergo multo amplius hæc superbia locum habuit in diabolo, ut voluerit ipse haberi ut Deus. — Ex quo manent etiam firma testimonia allata ex Ezechiele et Isaia. Nam licet aliqui velint illa loqui ad litteram de principe Tyri, vel de rege Babylonis, non de diabolo, tamen ex hoc convincitur etiam ad diabolum pertinere : nam si ejus superbia excessit quorumcumque hominum superbiam, et in istis hominibus fuit talis superbia quod voluerunt haberi ut Deus, quanto magis talis existimanda est fuisse superbia Luciferi, qui illorum iniquorum caput est, et in superbiendo ipsos excessit!

I P. q. 63, a. 3

41. DIFFICULTAS VERO EST, an peccaverit Angelus desiderando divinitatem ipsam secundum æqualitatem et naturam, an vero desiderando solum aliquam illius similitudinem. — *In quo D. Thomas aperte affirmat* (citato loco) Angelum non potuisse appetere esse ut Deus per æqualitatem, ita ut vellet naturam habere divinam : sed solum appetivit esse Deus per similitudinem.

I P. q. 63, a. 3

[1] Mendose omnes : *Job 40.*

42. *Aliqui tamen in hoc D. Thomæ refragantur*, ut P. Suarez (lib. VII de Angelis, c. 12), Vazquez (hîc, disp. 234 [1], c. 1 et 2), Molina (super quæst. 63, a. 3, disp. unica, membro 3 *), Alarcon (tract. VI de Angelis, disp. 9, c. 2, concl. 4 **), citantque ex antiquis Scotum ***, Gabrielem †, Majorem ††, et alios. — Quia vero instat ratio D. Thomæ, quia Angelus [est] [2] evidenter videns et sciens impossibilitatem hujus objecti, scilicet se esse creaturam et non posse esse creatorem sine dispendio sui esse, et adhuc cum hujus dispendio id stare non posse ut Deus esset per transmutationem sui esse in ipsum (sic enim esset Deus factus, non Deus verus) : ideo distinguunt duplicem appetitum, scilicet efficacem quo intenditur rei consecutio, et inefficacem quo solum apprehensa bonitas appetitur et in ea quis delectatur, ut multoties in figmentis et impossibilibus, etiam cognoscendo quod talia sunt, delectamur. Dicunt ergo quod primo modo certum est Angelum non potuisse appetere Dei æqualitatem, utpote rem omnino impossibilem, quam nec stultus aliquis homo posset intentare : quanto magis Angelus! At secundo modo potuit Angelus de illo figmento delectari, seque tamquam Deum apprehendere, et in hac de tali figmento delectatione peccasse : immorari enim in istis vanum est.

* IP 1828-9
** n. 13-21
*** II, D. 6, q. 1, n. 2-7
† II, D. 6, q. 1, a. 3, dub. 2
†† II, D. 6, q. 1

43. **EXISTIMO TAMEN omnino certum esse Angelum directe et formaliter non peccasse hoc peccato simplicis voluntatis vanæ delectationis circa æqualitatem cum Deo, nec appetiisse esse Deum per naturam, sed per quamdam similitudinem. — An vero ex consequenti et quasi virtualiter circa hoc etiam peccaverit, statim dicam.** Quæ fuerit autem similitudo illa, in qua voluit esse sicut Deus, dicemus * tractando difficultates sequentes de appetitu unionis hypostaticæ, refutatione supernaturalis beatitudinis ex gratia Dei, et remanentiâ in sola naturali beatitudine.

* infra, nn. 54-9; 64-71; 78-82

44. Et ita, *quoad primam partem*, sententiam D. Thomæ non solum probabilem, sed certam existimo. — *Et probatur :* quia peccatum Angeli fuit circa aliquem finem, quem voluit et intendit consequi; ergo non fuit peccatum ejus circa aliquid impossibile, neque potuit consistere in aliquo simplici et inefficaci affectu complacentiæ simplicis circa rem impossibilem. — Consequentia constat : quia affectus intentivus assecutionis non potest esse circa impossibile cognitum ut tale, id enim omnino stultum est; Angelus autem clare et evidenter cognoscebat esse impossibile quod ipse esset Deus per æqualitatem et secundum naturam. — Antecedens vero probatur primo ex ipsa natura rei : quia primus finis cui afficitur voluntas Angeli accipitur ut finis ultimus, cujus gratiâ cetera omnia appetuntur; id autem, cujus gratiâ omnia fiunt, non poterat ab Angelo accipi id quod judicabat esse impossibile et consequenter non sibi conveniens, nec ad quod ceteræ actiones essent dirigibiles, nisi operaretur ex magna ignorantia et stultitia. Licet enim circa rem impossibilem et chimæricam possit aliquis vane et otiose delectari, et peccare, tamen quod rem chimæricam et impossibilem, cognitam ut talem, velit aliquis intendere tamquam finem ultimum, et id cujus gratiâ cetera faciat, omnino videtur impossibile, et vix a summa stultitia imaginabile. Quomodo enim tam serias et deliberatas actiones, sicut sunt reliquæ omnes quas homo facit in vita sua, et sicut fuerunt deliberatæ et cum omni advertentiâ quas diabolus fecit, dicemus propter quamdam rem chimæricam et omnino impossibilem fieri? Et, si fatentur auctores citati non potuisse Angelum appetitu efficaci velle esse Deum per æqualitatem, quomodo potuit id sibi proponere ut finem ultimum, cui reliquas actiones subordinaret? cum in istis multæ actiones efficaces sint. Illæ autem originari non possunt ex inefficaci voluntate finis : quia voluntas finis influit in omnes alios actus qui ex fine sunt; ergo, si inter istos multi sunt efficaces, non possunt illi originari ex inefficaci voluntate rei impossibilis, ita quod ejus gratiâ reliqua fiant. Non ergo potuit ille appetitus divinitatis secundum æqualitatem esse voluntas finis ultimi, et cujus gratiâ reliqua fierent; ergo debuit ante ipsum supponi aliquid aliud pro fine ultimo, cui subordinabantur reliquæ peccaminosæ actiones; ergo in illo fuit primum peccatum Angeli, non in appetitu illo inefficaci æqualitatis divinæ.

45. Deinde, probatur idem antecendens : quia Angelus in rei veritate, in eo quod appetiit in primo suo peccato, non solum intendit et voluit inefficaciter delectari, sed voluit negotiari, et illud consequi, aliosque ad id sollicitavit. Quis

(1) Mendose omnes : *134*.

(2) Male omittunt omnes verbum *est*.

autem dicat totam sollicitudinem et negotiationem tam sublimis et tam sapientis creaturæ sicut fuit primus Angelus, et tam intelligentibus creaturis loquens sicut erant omnes Angeli illi inferiores, in unicum illum scopum collineasse, ut in re omnino impossibili et cognitâ ut tali delectarentur, scilicet inefficaciter et vane cogitando se esse Deum per naturam? Quis, non dico Angelorum, sed etiam hominum, admittet vel non ridebit, hanc totam fuisse curam alicujus sapientissimi ac prudentissimi inter omnes homines, ut infinitis fere populis persuaderet vanam et ineptissimam cogitationem alicujus rei impossibilis et chimæricæ, v. g. quod detinerentur in cogitando se esse Angelos, aut volare sicut aves, aut se habere corpora cælestia, aut divinam habere naturam? Et in hoc totam curam et conatum suum ponere, ut persuaderet immorari in istis? Quid ineptius? Quomodo ergo existimandum est illum Angelum plenum sapientiâ, et vaferrimum draconem, rem talem persuasisse Angelis suis, ut vane et inefficaci quodam motu cogitarent et desiderarent se naturam habere divinam, et in hac ineptia immorarentur? At[1] persuasisse Angelum illum supremum et inquietâ negotiatione sollicitasse inferiorum Angelorum peccatum, intentasseque ut sequerentur se, clare ex Scriptura deducitur (Eze. XXVIII, 14, 16) : *Tu Cherub extentus et protegens, et posui te in monte sancto Dei, etc. In multitudine negotiationis tuæ repleta sunt interiora tua*[2] *iniquitate, et peccasti*; et
* Eze. XXVIII, 18 infra * : *In multitudine iniquitatum tuarum, et iniquitate negotiationis tuæ polluisti sanctificationem tuam, etc.*; et (Isa. XIV, 12-14) : *Quomodo cecidisti de cælo Lucifer, qui mane oriebaris? Corruisti in terram, qui vulnerabas gentes, qui dicebas in corde tuo : In cælum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, adscendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo*;
* Isa. XIV, 20 et infra * : *Tu enim terram tuam perdidisti, tu populum tuum occidisti, etc.* Ecce quomodo peccatum Angeli describitur, non per modum simplicis voluntatis et complacentiæ de re chimærica et impossibili, sed tamquam negotiatio quædam et inductio aliorum quos perdidit, et ut intentio rei quam desiderabat consequi, scilicet adscendere super cælum, exaltare solium super astra, et in hoc assimilari Deo. Non dixit : « Æqualis ero Deo, » aut : « Ero ipse Deus; » sed : *Similis ero Altissimo*; quod dicit non æquiparantiam divinitatis, sed assimilationem in majestate, in cultu, etc. — Denique, quod desideraverit aliquid non chimæricum et impossibile ex se, licet illicito et pravo modo superbiæ, constat ex illo Anselmi (lib. de Casu diaboli *) ubi ait : « Diabolum id appetiisse, ad quod pervenisset, si stetisset. » Igitur objectum ejus non fuit aliquid impossibile et chimæricum, sed aliquid ad quod poterat perveniri aliquo medio, licet non illo quo ipse appetiit. At ipsum Angelum esse Deum secundum naturam, nullo medio erat assequibile, nec ad illud pervenisset, etiam si stetisset; ergo illud non fuit primum peccatum Angeli directe et per se primo desideratum et volitum. * c. 6 : PL 158, 335 A *(sensus non verba)*

46. CIRCA SECUNDAM PARTEM CONCLUSIONIS supra * positæ, nempe an ex consequenti et quasi virtualiter Angelus potuerit sic peccare, volendo esse sicut Deus per æquiparantiam : DICIMUS HANC VOLUNTATEM NON REPUGNARE quod sit in Angelo, tum virtualiter et indirecte, tum formaliter secundum quamdam vanitatem post aliud prius peccatum, in quo tamen ipse etiam ex pravo fine adjuncto peccabit mortaliter. — *Est quidem virtualiter et indirecte*, quatenus in promptitudine et affectu animi, ex odio adversus Deum, ita diabolus est dispositus quod si posset ipsi eripere divinitatem, et ab eo tollere quod non [3] esset Deus, id faceret; et ex superbia sua ita est affectus, quod si posset sibi ipsi divinitatem habere, et nulli subesse, ita vellet, ne scilicet alius ipso excellentior esset. Et hoc est virtualiter velle esse Deum in natura et secundum æqualitatem, si id non esset impossibile : scilicet in promptitudine et dispositione animi, quantum est ex vi dispositionis et affectûs quem habent [4] contra Deum ex odio, et complacentiæ circa propriam excellentiam ex superbia. * n. 43

47. *Similiter talis voluntas potest esse formaliter in Angelis :* quia ipsi bene cognoscunt illam condicionalem : « Si possem esse Deus per naturam, haberem summam excellentiam, nulli subessem, liberarer ab his miseriis, etc., » et bene cognoscunt quod hoc est phantasticum et chimæricum bonum, licet chimærice sibi repræsentari possit ut valde delectabile, et [5] et cogitare quod

[1] Mendose omnes : *An persuasisse...*
[2] Mendose omnes : *sua.*
[3] Intelligito : *tollere quominus esset Deus*; de quo dicendi modo vide tomi I Præfationem, cap. III, art. 2, § 3, n. 2, c).
[4] Supple : *quem habent [Angeli] contra...*
[5] Supple : *et [possint] cogitare...*

multa facerent si haberent omnipotentiam divinam. Nam et nos ista cogitamus, et delectamur (esto otiose) in similibus chimæricis fictionibus et historiis, licet illa ficta esse cognoscamus; et multa, sic chimærica et ficta, a dæmonibus nobis proponitur [1], ut in illis otiemur, sicut multa poetica vana, ut in illis delectemur. Ergo ipsi etiam possunt in similibus chimæricis et phantasticis vane delectari : ut si possent electos qui sunt in cælo dejicere in infernum, Christum et Beatissimam Virginem occidere, destruere et conculcare; et inter hæc etiam possunt cogitare se esse sicut Deus in æqualitate, et quid in tali casu facerent. Nec enim est major ratio cur in destruendo Deum et Christum et electos, quod est omnino chimæricum, possint immorari, et non in cogitando et desiderando se esse Deum, licet inefficaci et simplici affectu.

48. *Et aliqui docent posse Angelum habere velleitatem* de hoc, non voluntatem actualem et absolutam : id est, voluntatem condicionatam, tam ex parte objecti quam ex parte actûs, quæ explicatur dicendo : « Vellem hoc si esset possibile; » non quæ explicatur per actum præsentem : « Volo hoc, v. g. Volo me esse Deum, si sit possibile ». Quia licet circa futura possit dari actus absolutus sub condicione tenente se ex parte objecti, non tamen circa possibilia : eo quod possibilitas, vel impossibilitas, non convenit sub condicione, sed absolute ex præcisâ terminorum habitudine vel repugnantiâ. Unde quantumvis ponatur illa condicio « Si hoc fuerit possibile », numquam reducitur ad veram possibilitatem, sed semper manet impossibile et chimæricum illud objectum simpliciter et absolute, et consequenter sine aliquâ convenientiâ respectu voluntatis, ut possit appeti actu absoluto. Et sic talis condicio « Si hoc esset possibile », nihil omnino conducit, sed æquo modo se habet voluntas erga illud objectum impossibile positâ illâ condicione, vel sine illa.

49. *Nihilominus in hoc non oportet multum immorari* : omittimus enim disputare nunc illam quæstionem quid sit velleitas, et in quo consistat : de quo agendum est (I-II, q. 6 *) agentes de voluntario ex metu, in quo relinquitur velleitas de opposito ejus quod ex metu operamur. Et nunc supponimus velleitatem etiam aliquo actu formali explicari posse, saltem per modum alicujus complacentiæ circa id quod repræsentatur nos facturos, si hoc esset possibile. Unde licet circa impossibile, etiam adjectâ condicione ex parte objecti, non possit dari actus de facto et absolutus per modum resolutionis, poterit tamen dari per modum simplicis complacentiæ : quia ad hoc non requiritur ulla condicio possibilitatis, aut convenientia quoad assecutionem rei, sed sufficit apparens illa et repræsentata bonitas, ut circa id voluntas delectetur tamquam circa quoddam bonum apparens et conveniens in ratione præcisa boni repræsentati, non boni assequibilis. Et tamen illa condicio adjecta « Si esset possibile » juvat, non quidem ut moveatur quis ad assecutionem rei impossibilis (ad hoc enim nihil illa condicio conducit), sed ut magis excitetur animus ad complacendum de re illa sub apprehensione possibilitatis condicionatæ. Velleitas ergo omnino condicionata est ex parte objecti et ex parte actûs, quantum ad ordinem efficaciæ et assecutionis, aut resolutionem animi circa illam : non tamen est condicionatus actus, sed de facto et formaliter datur quantum ad complacendum et otiandum circa illud, sicut quotidie experimur in nobis. Similiter ergo potest in dæmonibus dari actus, quo absolute et de facto delectetur de re chimærica et impossibili, licet sit condicionatus ex parte actûs et objecti quoad resolutionem et determinationem assequendi : et quoad hoc explicatur per ly *vellem,* quod non designat actum qui est, sed qui esset.

* cf. infra, tomo v, disp. 4, a. 2, puncto 1, in fine

50. Hæc autem voluntas, sic condicionata et imperfecta et inefficax, de se non habet aversionem vel conversionem in peccato vel merito quantum ad electionem et determinationem erga aliquem finem vel media : quia non potest vim electionis vel intentionis habere; bene tamen potest habere peccatum otiositatis et vanitatis, aut disponere ad alia pejora peccata. In dæmonibus autem, quia id procedit ex odio Dei et ad odium Dei disponit, quatenus delectantur et complacent quod essent Deus ex odio contra Deum, ideo in eo etiam gravissime peccant : sed aliud supponendo, non primum peccatum statuendo. — Et totum hoc docetur a D. Thoma, qui in primis admittit talem voluntatem imperfectam et inefficacem dari posse de re impossibili, quæ velleitas dicitur : licet non voluntas electiva, et perfecta, seu ad assecutionem tendens (ut

[1] Sic omnes, sat duriter ‖ Forte corrigendum : *proponuntur.*

patet I-II, q. 13, a. 5 ad 1). Deinde vero loquens de dæmonibus (q. 16 *de Malo*, a. 3 ad 9) dicit quod « voluntas, quæ dicitur impossibilium, non est perfecta voluntas tendens in aliquid consequendum : quia nullus tendit in id quod existimat impossibile; sed est quædam imperfecta voluntas, quæ dicitur velleitas, qua aliquis vellet id quod existimat impossibile, sed sub hac condicione : Si possibile sit. Talis autem non est voluntas aversionis et conversionis, in qua meritum et peccatum consistat ». Ubi tota nostra resolutio satis clare traditur a D. Thoma.

51. EX DICTIS etiam facile SOLUTA MANENT OPPOSITORUM AUCTORUM FUNDAMENTA *. Quæ reducuntur ad hoc quod potest aliquis appetere aliquid impossibile, non intendendo ejus consecutionem, sed tantum complacendo et delectando se in illo : sicut pænitens vellet habere innocentiam et non peccasse, quod tamen videt esse impossibile : et multa impossibilia fingimus in quibus delectamur. — Item possunt dæmones ex odio Dei velle illum non esse, et quod, si possent (1), destruerent illum : quod non minus impossibile est quam velle se esse Deum. Ergo sicut hoc modo appetit sine errore speculativo, ita sine eodem errore potuit ex superbia appetere se esse Deum in primo peccato. — Item non obstat quod, ad appetendum se esse Deum, deberet appetere suum non-esse. Nam in primis non repugnat quod aliquis appetat non-esse, apprehendendo illud ut minus malum quam tolerare alia plurima mala, quibus carere vult etiam non exsistendo. Deinde, quia potest quis in his impossibilibus solum appetere illam convenientiam boni imaginati, nihil cogitando de destructione sui esse : sicut homo potest cogitare et desiderare se esse avem, se esse Angelum, nihil cogitando de destructione sui esse, sed delectando de convenientia illius boni. Et eodem modo potest quis delectari de habenda divinitate.

* cf. supra, n. 42

52. *Ceterum ista ex dictis manent soluta.* — Ad primum * dicitur non repugnare quod aliquis cogitet et simplici affectu delectetur de re impossibili, voluntate quâdam imperfectâ, ut ex D. Thoma vidimus *. Repugnat autem quod hoc assumatur ut finis ultimus, qui est finis *cujus gratia*, et sic affectu efficaci intenditur. Angelus autem incepit peccatum suum ab aliquo fine ultimo, ut dictum est *, eoque efficaciter desideravit id circa quod primo peccavit. — Ad secundum ** jam diximus *** posse ex odio Dei desiderare et complacere de illis impossibilibus, et similiter posse simplici affectu desiderare se esse Deum, non tamen potuisse id esse motivum primi peccati : quia incipit in Angelo a voluntate finis ultimi, ut diximus †, quæ semper efficax est de se. — Ad tertium †† similiter constat ex dictis †††, quod ideo non potest appetere se esse Deum, quia appeteret se non esse, loquendo de appetitu efficaci et intentivo consecutionis, non de appetitu simplicis affectûs et velleitatis. Et quia in primo actu debebat Angelus incipere a fine, circa quem non datur solum affectus simplex sed etiam efficax, ideo bene infertur non appetiisse Angelum se esse Deum in primo peccato; alias appeteret se non esse : quia ille appetitus debebat esse efficax. Non tamen negamus posse appeti inefficaciter, sine hoc quod appetat Angelus se non esse.

* supra, n. 51, *Quæ reducuntur*

* supra, n. 50

* supra, n. 44

** supra, n. 51, *Item possunt*

*** supra, nn. 46-47, 50

† supra, n. 44

†† supra, n. 51, *Item non*

††† supra, n. 49-50

Quid de appetitu unionis hypostaticæ?

53. *Circa secundum objectum*, scilicet circa unionem hypostaticam, an peccaverit Angelus illam appetendo sibi, et Christo homini invidendo, *multi negant :* Quia Angelus incepit peccatum suum a fine ultimo, et unio hypostatica neque est finis ultimus supernaturalis, quia non est beatitudo, neque naturalis, quia ad ordinem naturalem non spectat. — Similiter Angelus superbivit circa proprium decorem se elevando, ut dicitur (Eze. XXVIII, 17) : *Elevatum est cor tuum in decore tuo.* At non pertinuit unio hypostatica ad perfectionem et decorem Angeli in quo elevaretur. — Nec etiam potuit primum peccatum Angeli esse in recusando subjici homini Christo, aut invidendo illi : quia peccatum invidiæ aut non-subjectionis pertinet ad actum fugæ, non prosecutionis; primum autem peccatum Angeli debuit incipere a prosecutione alicujus finis mali.

54. NIHILOMINUS res ista incerta est. Sed tamen cum certum sit Angelos in via habuisse notitiam hujus mysterii per fidem, ut ex Augustino * S. Thomas docet (II-II, q. 2, a. 7 ad 1), nulla apparet repugnantia quod inter objecta materialia circa quæ eorum superbia in primo peccato se explicuit, unum etiam fuerit unio hypostatica inordinate appetita ipsi naturæ angelicæ, id est, solum ratione

* v *de Gen. ad litt.*, c. 19, n. 38; PL 34, 334-5

(1) Male omnes : *si posset.*

excellentiæ propriæ, et quia se digniorem existimavit illo summo honore : hoc enim ad superbiam pertinet, sicut fuit illa superbia magna Aman quando in corde suo reputavit *quod nullum alium rex, nisi se, vellet honorare,* ut dicitur (Esther VI, 6). Sic diabolus, qui omnium superborum est caput, existimare potuit quod tantum honorem, qualis est hypostatica unio, non deberet Deus nisi sibi tribuere, non infimæ humanæ naturæ : et in hoc maxime superbire.

55. *Est enim considerandum* quod in superbia, licet formalis ratio et motivum sit propria excellentia, tamen materia in qua hoc exercetur multiplex est et varia : sicut quidam excellentiam quærunt in nobilitate generis, alii in scientia, alii in opibus, alii in gloria et virtute militari. Et non repugnat quod in his omnibus, vel pluribus, aliquis excellentiam quærat, et superbiat. Sic ergo verisimile est in Angelo contigisse, qui quærens in propria excellentia superbire, etiam cum primo peccavit, potuit ex parte materiæ non solum proprium decorem inordinate appetere, sed etiam unionem hypostaticam sub ratione cujusdam excellentiæ, qua nullum alium nisi se existimavit dignum, et humanæ naturæ sibi longe inferiori talem celsitudinem communicari indignissime tulit. Et licet in seipso et in decore proprio superbierit, tamquam in persona amata et in fine *cui :* tamen ex parte rerum, quas sibi ut fini et ut personæ maxime dilectæ voluit, unum potuit esse summa illa excellentia unionis hypostaticæ,
Esth. VI, 6 æstimans (sicut dicitur de Aman) *nullum alium, nisi se, debere sic honorari* a Deo. In hoc ergo nullam invenimus repugnantiam, sed omnino conforme fuisse hoc objectum immanissimæ illi superbiæ. Potuitque hoc objectum in primo ipso peccato Angeli inveniri, non per modum finis *cui* (hic enim fuit ipsemet Angelus), sed per modum rei sibi concupitæ, non adæquate, sed inadæquate inter plura objecta materialia quæ sibi potuit tunc appetere, et materiam excellentiæ propriæ facere.

56. An vero ita de facto contigerit? Res, ut
* supra, n. 54 dixi *, incerta est, nec quidquam temere pronuntiandum. — Certe (Isa. XIV, 13-14) inter multa quæ Lucifer pro suæ superbiæ materia desideravit, unum fuit sedere in monte testamenti : *Sedebo,* inquit, *in monte testamenti, adscendam super altitudinem nubium.* Nomine autem « montis testamenti » Christum intelligi, satis notum est. Et hoc ad ipsum primum peccatum pertinuisse constat : quia totum illud inquit propheta dixisse Luciferum *in corde suo,* quando *mane oriebatur* *, id est, in ipso peccandi * Isa. XIV, 12-13
initio. — Similiter (Eze. XXVIII, 2) de eodem primo Angelo dicitur : *Eo quod elevatum est cor tuum, et dixisti : Deus ego sum, et in cathedra Dei sedi in corde maris, et dedisti cor tuum quasi cor Dei.* Quæ verba sine ulla violentia sic intelligi possunt : *dixisti : Deus ego sum,* id est, dignus sum Deus esse personaliter seu hypostatice, et sedere *in cathedra Dei,* sicut Christo convenit sedere in sede Dei. — Unde hoc ipsum etiam insinuat Bernardus (serm. 69 * in Cantica) * n. 4; PL 188, 1114
ubi significat affectasse diabolum sedem Christi : « Sedes, inquit, illi (Christo) a dextris tuis, non sub pedibus. Quomodo audet quis pervadere locum unigeniti tui? Præcipitetur. Ponit sibi sedem in excelso. Subvertatur cathedra pestilentiæ. » Citatur etiam serm. 17 in Cantica; sed ibi id expresse non dicit, sed id quod infra * ex * n. 67
ipso referemus.

57. *Fundamenta opposita* ** *contra hoc nihil convincunt.* ** supra, n. 53
Fatemur incepisse Angelum peccare a fine ultimo non bono, sed deordinato; in quo fine includitur finis *cui,* id est, ipsemet Angelus, et finis *qui,* id est, res volita sibi tamquam materia propriæ excellentiæ. Et in hac materia unum ex rebus volitis fuit unio hypostatica, non in quantum adhæsio ad Deum (sic enim adhærere Deo, etiam in unitate personæ, bonum est), sed in quantum excellentia quædam, qua nullum præter se dignum æstimabat. Et sic licet unio hypostatica secundum se non sit finis ultimus, id est, beatitudo sive supernaturalis sive naturalis, potest tamen inordinate aliquis desiderare illam ut materiam finis ultimi inordinate, id est, ut materiam excellentiæ propriæ inordinate desideratam.

58. Ad secundum * dicimus, quod in proprio * supra, n. 53, *Similiter*
decore elevatum est cor Angeli tamquam in fine *cui,* amando se ut personam quam summe diligebat et quam omni honore dignam judicabat; et sic ex parte materiæ et rei volitæ pro excellentia potuit sibi, ita pulcro et decoro in æstimatione, velle unionem hypostaticam ut materiam magnæ excellentiæ, qua solum se æstimabat dignum. — De peccato invidiæ * * cf. supra, n. 53, *Nec etiam*
contra Christum hominem, dicimus illum (1) non posse esse primum peccatum Angeli, sed suppo-

(1) Ita omnes; cf. tomi I Præfationem, cap. III, art. 2, § 3, n. 5, a) || Forte legendum : *illud.*

nere affectum malum erga finem ultimum, qui præcedere debet in Angelo alia peccata et motum illum invidiæ, qui pertinet ad fugam seu abominationem.

59. Advertendum tamen est hunc appetitum excellentiæ circa unionem hypostaticam non eodem modo in omnibus exstitisse : quia non omnes desiderabant sibi personaliter unionem hypostaticam, sed desiderabant fortasse fieri in natura angelica potius quam in humana. Et supremus Angelus desiderabat sibi illam personaliter : quia *sedere* voluit *in monte testamenti* * *et in cathedra Dei* **.

* Isa. XIV, 13
** Ezc. XXVIII, 2

[*Beatitudo supernaturalis.*]

60. Circa tertium objectum, scilicet circa beatitudinem supernaturalem, an circa illam exercuerint Angeli peccatum superbiæ : **DICIMUS, etiam in primo peccato Angeli intervenire potuisse superbiam circa supernaturalem beatitudinem, recusando et despiciendo illam, taliter quod virtualiter et interpretative voluit non ex Dei gratia eam habere, sed ex propriis viribus, neque ut communem multis; formaliter autem solum voluit eam efficaciter recusare, et in sua naturali felicitate et pulcritudine quiescere.** Unde non debet separari in Angelo recusatio beatitudinis supernaturalis a delectatione quiescendi et manendi in sua naturali felicitate : sicut homo, peccans per appetitum rerum inferiorum et sensibilium, recusat simul spiritualia et superiora bona, licet vellet ea habere sine labore et non carendo fruitione rerum sensibilium. Sic se habuit in Angelo naturalis pulcritudo et felicitas unicuique propria et ex propriâ excellentiâ habita, et supernaturalis beatitudo ut communis multis et ex gratiâ Dei habita, quod istam recusat, quia communis omnibus et ex gratia : quæ sunt duæ condiciones valde oppositæ tumori superbo; et primam amplectitur in eaque requiescit, quia propria et ex propriis habita.

61. *Hanc sententiam puto esse mentem ipsissimam D. Thomæ,* et per eam optime explicari quomodo hîc intervenerit vera superbia, et non error speculativus : licet practicus non defuerit, quæ est inconsideratio et imprudentia omnibus peccatis communis.

62. *Propter quod pars ista* de supernaturali beatitudine *difficilis visa est aliquibus auctoribus;* et vel negant circa hoc objectum fuisse peccatum superbiæ angelicæ, vel divertunt a sententia D. Thomæ in explicando quod voluerit non ex gratia, sed virtute propriâ obtinere illam beatitudinem. — Nam P. Suarez (lib. VII de Angelis, c. 11 *) absolute docet esse impossibilem affectum illum in Angelo circa beatitudinem supernaturalem propriis viribus obtinendam, vel debitam sibi, etiamsi affectus sit simplex, nisi detur aliquis error speculativus in intellectu, quo falso putet possibile esse comparare sibi beatitudinem propriis viribus. Addit tamen ibi (n. 7 et 8), quod licet Angelus evidenter cognoscat se non posse physice obtinere beatitudinem illam viribus propriis, nec laborasse hæresi et errore contra fidem circa hoc, tamen non repugnare quod erraverit Angelus, putans, sicut Pelagius, habere ex se meritum de condigno ut Deus daret sibi beatitudinem. Cui assentit P. Alarcon (tract. VI de Angelis, disp. 9, c. 2, n. 9), licet existimet culpabilem hunc errorem non fuisse primum peccatum in Angelo. — Concedit tamen Suarez (ibidem, a n. 19 *) potuisse habere Angelum superbiam circa quamdam circumstantiam beatitudinis supernaturalis, desiderans illam citius sibi dari quam a Deo decretum fuerat, et indigne ferens non statim sibi concedi. Quod ego non credo : quia si Angelus cernebat se non posse habere gloriam nisi per meritum, non potuit brevius meritum desiderare quam per unicum instans continuatione factâ post creationem, quo posito statim ei daretur beatitudo.

* nn. 3, 5, 13-14, etc.

* n. 19-21

63. Alii, ut Vazquez (disp. 235 (1), c. 3 *), recurrunt ad affectum (2) simplicem et inefficacem circa beatitudinem, volendo et complacendo sibi de consecutione illius ex propria virtute et sine meritis : de quo affectu interpretatur S. Thomam (in hoc art. 3, q. 63), dum dicit « voluisse Angelum beatitudinem illam habere ex virtute sua, non ex divino auxilio ». — Et sententiam Suarez sequuntur Molina (ad art. 2 et 3 hujus quæst. 63, membr. 5 *), Becanus (lib. III de Angelis, c. 4, q. 7). — Sententiam autem Vazquez sequitur Arrubal (disp. 178, cap. 3 et 4), Alarcon ** (supra citatus) et alii.

* nn. 16-17, 20

* præsertim concl. 4-5; IP 1837-1840

** tract. VI, disp. 9, c. 2, n. 5-11

64. CETERUM, UT SENTENTIA D. THOMÆ, quæ verissima est quamque sequuntur communiter discipuli ejus, EXPLICETUR, NOTANDUM EST quod circa beatitudinem supernaturalem, quæ est

(1) Mendose omnes : *135*.

(2) Mendose omnes : *effectum*.

ultimus finis, dupliciter potuit inordinata superbia Angeli considerari. — Primo, volendo eam positive, sive apppetitu efficaci sive inefficaci, habere ex propriis meritis sine Dei auxilio. — Secundo, volendo eam efficaciter recusare cum illis condicionibus quibus a Deo proposita fuit : scilicet ut communis tam Angelis quam hominibus, et ut habenda ex gratia et beneficio speciali Dei atque auxilio ejus, non ex meritis propriis aut debito aliquo connaturali. Istæ enim duæ condiciones vehementer opponuntur singularitati et superbiæ, qua ille spiritus volebat singularitatem et appetebat excellentiam. Unde potuit beatitudinem supernaturalem ut propositam sub his condicionibus efficaciter recusare, et sic recusando superbire, tacite insinuando quod sine istis condicionibus eam libenter amplecteretur : quod est virtualiter velle habere beatitudinem propriis viribus, seu non ex gratia Dei : quatenus, recusans habere illam ex gratia et ut communem hominibus, tacite et virtualiter non recusaret illam sine prædictis condicionibus. Quod multoties constat contingere inter homines, qui renuunt acceptare aliquam dignitatem vel munus cum tali onere vel pensione, quam judicat [1] se indignam, quam tamen sine illo onere acceptarent; et interim ex propriæ excellentiæ æstimatione provenit recusare illud munus cum illo onere.

65. *Sic ergo dicimus* Angelum non peccasse peccato superbiæ intendendo prosecutionem beatitudinis supernaturalis positive, neque efficaciter : quia evidenter judicabat esse impossibile quod viribus naturalibus id deberetur, vel physice acquireretur. Nec in hoc habuit errorem Angelus, aut hæresim : quia non convenit naturæ illi, ita perfectæ, errorem speculativum incurrere; neque hæresim habuisse constat. Neque in isto errore potuit primum ejus peccatum poni : quia non convenit tam perfectæ naturæ incipere ab errore speculativo, quæ [2] magnum defectum supponit. — Nec inefficaci solum appetitu, complacendo et delectando de assecutione beatitudinis ex propriis viribus, peccavit
* n. 44-5 Angelus : quia, ut ostensum est supra* agendo de appetitu æqualitatis Dei, Angelus in primo peccato non potuit solum peccare ex inefficaci appetitu, sed ex aliquo fine efficaciter intento, et cujus gratiâ cetera appeterentur; et de facto peccavit appetendo aliquid quod assequi tentavit, non circa quod inefficaci tantum complacentiâ elanguit, ut ibi ostendimus. Et sic omnia, quæ diximus contra inefficacem appetitum æqualitatis divinæ, currunt hîc contra inefficacem appetitum beatitudinis. — Nec denique superbivit appetendo positive aliquam circumstantiam beatitudinis, ut quod citius daretur sibi beatitudo, aut aliquid simile, ut jam supra* ostendimus : satis enim cito data est beatitudo, supposito quod ex meritis dari debuit, cum data fuerit post primum instans meriti continuatum, ut sequenti disputatione* dicetur. Nec assignari poterit aliqua circumstantia in beatitudine supernaturali, quam ex propriis viribus posset desiderare Angelus, et non ex gratia, supposito quod ipsam beatitudinem ejusque assecutionem in singulari non poterat ex viribus propriis desiderare consequi.

* n. 62, *Quod ego*

* infra, disp. 44, art. 1

66. Ex alia autem parte recusatio beatitudinis supernaturalis ut sibi onerosæ, cum illis condicionibus quod habenda esset ex gratia Dei et cum communicatione ad homines, est objectum valde congruum superbiæ angelicæ. Quia, videntes dignitatem suam, appetierunt singularitatem, quæ maxime est propria superborum, præsertim refugiendo communicare cum inferioribus, quales erant homines; et similiter noluerunt aliquid sibi dari ex gratia et alieno beneficio, quasi nullâ alterius gratiâ indigendo : quod etiam videmus passim in hominibus superbis inveniri. Hoc ergo maxime fuit possibile et congruum superbiæ Angeli. Nec aliter voluerunt in sua naturali beatitudine sistere et eâ esse contenti, nisi quia per hoc recusarunt superiorem beatitudinem ut ex speciali gratia sibi dandam et ut communem cum hominibus : quorum neutrum habebant in fruitione propriæ et naturalis beatitudinis.

67. ET HOC ITA DE FACTO CONTIGISSE SUADET tum Patrum et D. Thomæ in hac parte explicatio, tum Scripturæ insinuatio. — *Nam ex Patribus* Bernardus hoc apprime attigit (serm. 17* in Cantica) : qui locus, licet citetur ad probandum quod Angelus appetiit unionem hypostaticam, revera tamen id non expressit, sed solum id quod a nobis circa supernaturalem beatitudinem dictum est, his verbis : « Potuit contingere (si tamen incredibile non putetur) plenum sapientiâ et perfectum decore homines præscire potuisse futuros, etiam et profecturos

* n. 5; PL 183, 857

(1) Ita omnes, male, ut videtur || Legendum est : *judicant.*

(2) Sic omnes || Forte corrigendum : *qui.*

in parem gloriam; sed si præscivit, in Dei verbo absque dubio vidit et in suo livore invidit, » (intellige in Verbo non clare viso, sed per aliquam revelationem specialem) « et molitus est habere subjectos, socios dedignatus. Infirmiores sunt, inquit, inferioresque naturâ; non decet esse concives, nec æquales in gloria. An forte prodit impiam hanc ejus machinationem illa præsumpta adscensio, sessioque significans magisterium? *Adscendam*, inquit, *super montem excelsum, et sedebo in lateribus aquilonis*, quo Altissimi quamdam proinde similitudinem obtineret, si quemadmodum ille super Cherubim sedens gubernat omnem angelicam creaturam, ita et ipse altus sederet, regeretque genus humanum. » Ecce expressam a Bernardo superbiæ illius diabolicæ magnitudinem circa beatitudinem supernaturalem, recusando illam habere sine singularitate propriâ, sed communem cum hominibus; ex quo consecutum est quod voluerit specialem super eos habere prælationem potius quam communicationem, ut etiam D. Thomas fatetur (in hac q. 63, a. 3, in calce).

68. Accedit ad hoc auctoritas S. Gregorii papæ (XXXIV Moral. c. 13 *, alias 17, vel 14) ubi inquit : « Angelos perdidisse participatam celsitudinem, quia privatam desideraverunt, » id est, recusarunt cælestem beatitudinem, quia participata et communis erat multis, et solum voluerunt privatam, scilicet quatenus privatam et propriam : quia, prout sic, habebat duas condiciones maxime opportunas superbiæ, scilicet singularitatem seu nihil commune habere cum inferioribus (quod ipsis vulgare videbatur, etiamsi esset gloria supernaturalis), et non habere illam ex speciali beneficio et gratiâ et quasi precario : hoc enim maxime recusant superbi, et maxime recusavit Angelus. — Et ad hoc pertinet parabola illa (Lucæ XVI, 16-24) de homine qui fecit cenam magnam et vocavit multos, et cum vocasset invitatos cœperunt se excusare : ideo enim fortassis recusaverunt ad illam cenam venire, quia magna erat et pro multis, dedignantes consortium habere cum tanto numero, potiusque elegerunt suas privatas commoditates, licet longe inferiores, utpote naturalis ordinis : iste quia villam emit, ille quia juga boum, alius quia uxorem duxerat, unusquisque propriam excusationem prætendens et privatum bonum, quia proprium, recusans vero cenam, quia magnam et multis communem. Iste est propriissime spiritus superbiæ. — Denique, Augustinus, relatus a Suarez (lib. VII de Angelis, c. 11 *), inquit (XII de Civitate, c. 1) quod « Angelus [1] ipse sibi ad vitam beatam sufficere voluit » ; et infra : « Mali ** Angeli suâ potestate delectati, velut bonum suum sibi ipsi essent, a superiori bono ad propria defluxerunt. » Et idem refert D. Thomas ex Augustino (lib. de Libero arbitrio [2]; et IV de Genesi ad litteram *) in quæstione 16 *de Malo* (art. 3).

* n. 20

** PL 41, 349

* n. 24; PL 34, 313

69. *Accedit ad hanc mentem S. Thomas*, qui perpetuo docet recusasse Angelum habere beatitudinem supernaturalem ex gratia, volendo sistere in sua naturali beatitudine; et ita, si appetiit beatitudinem supernaturalem, appetiit illam ex virtute propria. Videatur (in hac q. 63, a. 3) ubi inquit : « In hoc appetiit esse similis Deo, quia appetiit ut finem ultimum beatitudinis id ad quod virtute suæ naturæ poterat pervenire, avertens suum appetitum a beatitudine supernaturali quæ est ex gratia Dei; » (qui sermo est valde formalis in D. Thoma, scilicet avertens seu recusans beatitudinem supernaturalem, quia est ex gratia). « Vel si appetiit ut ultimum finem illam Dei similitudinem quæ datur ex gratia, voluit hoc habere per virtutem suæ naturæ, non ex divino auxilio secundum Dei dispositionem. Et hoc consonat dictis Anselmi *, qui dicit quod appetiit illud ad quod pervenisset si stetisset. Et hæc duo quodammodo in idem redeunt : quia secundum utrumque appetiit finalem beatitudinem per suam virtutem habere, quod est proprium Dei. » Ecce formalis ratio quam habuit superbia diabolica pro intento, scilicet habere beatitudinem non ex gratia, neque ex beneficio speciali. Ad quod non requiritur quod positive intenderit habere beatitudinem supernaturalem ex virtute propria, sed quod recusaverit illam habere si ex gratia habenda erat, virtualiter intendens quod, si non ex gratia haberetur, illam vellet. Videndus est etiam S. Doctor (in III *Contra Gent.* c. 110) ubi inquit quod « Angelus non appetiit aliquod bonum, nisi unum quod est sibi proprium; sed in hoc fuit peccatum, quia prætermisit superius bonum, in quod debuit ordinari. Sicut enim in nobis peccatum est ex hoc quod bona inferiora,

I P. q. 63, a. 3

* cf. supra, n. 45, circa finem

(1) Non hæc verba, sed eorum sensum, apud Augustinum invenies.

(2) Nihil tale eo in libro reperitur. Vide tamen cap. 10, n. 24; cap. 6, n. 13-15; P. L., t. XLI, col. 895; 889-90.

scilicet corporis, appetimus absque ordine rationis : ita in diabolo peccatum fuit in hoc quod proprium bonum non retulit in divinum bonum ». Juxta hunc sensum intelligitur quod dicit (in q. 16 *de Malo,* a. 2 ad 4), quod « diabolus non appetiit aliquod malum, sed quoddam bonum sibi conveniens; inordinate tamen et immoderate illud appetiit : quia scilicet non appetiit illud ut assequendum per divinam gratiam, sed per propriam virtutem : quod excedebat modum suæ condicionis ». Et (art. 3 sequenti) : « Fuit primum peccatum diaboli in hoc quod, ad consequendam supernaturalem beatitudinem quæ in plena Dei visione consistit, non se erexit in Deum, tamquam finalem perfectionem ex ejus gratia desiderans cum Angelis sanctis : sed eam consequi voluit per virtutem suæ naturæ; non tamen sine Deo in naturam operante, sed sine Deo gratiam conferente. »

70. Quæ testimonia, licet significare videantur fuisse in Angelo intentum consequendi positive gloriam sine gratia, quod sine errore speculativo stare non poterat, quem D. Thomas perpetuo negat in Angelis intervenisse, tamen revera non sunt intelligenda de intento positivæ consecutionis formaliter, sed solum virtualiter et indirecte, recusando illam habere ex gratia : quod est virtualiter velle, si non esset ex gratia. Quia alias esset contradictio in D. Thoma negante Angelo errorem speculativum ex una parte (ut patet in hac q. 63*, a. 1 ad 4; et III *Contra Gent.* c. 110, ad primam rationem; et supra, q. 58**, a. 5; et q. 16 *de Malo,* a. 6, et alibi sæpe), et ex alia parte concedente intentum formaliter et positive consequendi gloriam ex propriis meritis, cum id sit omnino impossibile. Et quia satis se explicat (loco citato ex c. 110, in III *Contra Gent.*; et in art. 3 hujus quæst. 63) ubi circa beatitudinem supernaturalem admittit Angelum se habuisse per modum aversionis seu recusationis, nolens illam ex gratia et beneficio Dei; unde virtualiter et tacite admitteret illam, si non esset ex beneficio gratuito, sed ex virtute propria. Et hanc tacitam seu virtualem volitionem beatitudinis ex propriis meritis solum ponit D. Thomas in Angelis hoc ipso quod admittit illos peccasse avertendo suum appetitum a supernaturali beatitudine, nec volendo illam ex gratia. Et quando addit quod, si appetierunt ut finem

* I P. q. 63, a. 1, ad 4

** I P. q. 58, a. 5

(1) Ita omnes || Fortasse legendum : *nedum*.

ultimum beatitudinem sic assequendam, ex virtute propria voluerunt illam, statim subdit* quod hoc in idem redit cum illo priori appetitu, quo voluerunt naturalem suam beatitudinem avertendo se aut recusando illam habere ex gratia : quia hæc recusatio beatitudinis, ut ex gratia habendæ, est virtualis volitio assequendi illam non ex gratia.

* I P. q. 63, a. 3

71. Unde in sententia D. Thomæ non debemus separare duos actus superbiæ, unum circa beatitudinem naturalem volendo in illa sistere, alium circa supernaturalem intendendo illam consequi ex propriis viribus : sed unus et idem actus fuit, eademque superbia, recusans habere ex gratia et beneficio Dei supernaturalem beatitudinem, et potius eligens in propria sistere quam illam supernaturalem ex gratia habere. Et hoc ideo quia appetitus efficax et positive intentivus gloriæ ex propriis viribus est plane impossibilis, etiam homini stulto, nec dum (1) Angelo intelligentissimo. Appetitus autem recusativus gloriæ, ut beneficii gratuiti, non potest sufficere ad statuendum primum peccatum Angeli sine altero appetitu, quo vellet sistere in sua naturali felicitate et excellentia : quia ille primus appetitus est recusationis et fugæ, ultimus autem finis debet appeti ut prosequendus; nec possumus pro primo peccato, qui (2) in Angelo incipit ex intentione finis, assignare solum illam fugam seu recusationem, non assignando prosecutionem. Ergo si Angelus deliquit circa finem supernaturalem recusando illum ut ex gratia, licet si ex virtute propriâ esset non recusaret illum, oportet quod in ipso delicto superbiæ assignetur etiam finis in quo requievit et quem prosecutus est : scilicet in propria excellentia naturali sistere, potius quam aliquid ex gratia habere.

72. *Ex hoc autem solvuntur omnes difficultates,* quæ contra hoc fieri possunt. Et fere tota instantia contra D. Thomam fit in hoc : quia non potuit appetere consecutionem beatitudinis supernaturalis ex propriis viribus, nisi vel judicando illam possibilem, et hic esset magnus error etiam in speculatione : vel judicando illam impossibilem, et hoc esset magna stultitia conari in talem consecutionem. Vel esset solum inefficax et simplex affectus illius beatitudinis sine merito, et talis affectus non servit pro ultimo fine appetendo : quia appetitus talis finis debet esse

(2) Ita omnes. Cf. supra, p. 747, notam (1).

efficax et positive intendens, cum sit id *cujus gratiâ*. Vel, si in eo aliquod peccatum fuit, potius fuit omissionis quam commissionis : quia omisit tunc agere et velle quod oportebat circa suam salutem, otiose occupatus circa illam simplicem delectationem et imaginariam beatitudinis habendæ sine meritis. Item, quia velle assequi beatitudinem sine auxilio Dei potius est peccatum præsumptionis contra spem aut magnanimitatem, quam superbiæ contra humilitatem : et sic frustra per illum actum explicamus superbiam Angeli. Aut saltem peccavit Angelus et laboravit hæresi Pelagii, putans sufficere ad beatitudinem supernaturalem naturales vires, ex quibus haberi posset meritum de condigno talis beatitudinis.

73. *Hæc omnia juxta nostram explicationem carent vi*, nec oportet in eis immorari. Nec enim nos dicimus peccatum superbiæ in Angelo processisse ex judicio intendente* consecutionem beatitudinis sine gratia, seu ex viribus propriis : hujusmodi enim consecutio non potuit esse intenta sine errore; sed orta fuit ex judicio recusandi quodlibet bonum, etiam gloriam, ex gratia et beneficio alieno et sine singularitate aliqua, sed communicando cum inferioribus : hoc enim maxime dedignantur superbi. Et quia dæmones superbissimi fuerunt, ideo omnem communicationem cum aliis inferioribus, etiam in gloria, et omnem modum habendi aliquid ex gratuito beneficio et non ut debitum, etiam gloriam ipsam, recusarunt : unde virtualiter voluerunt illam, si non esset ex gratia, sed ex propria virtute assequibilis. Et sic nullo modo ex relatis in argumento voluerunt positive et formaliter beatitudinem; sed efficaciter voluerunt illam recusare, quia erat ex gratia et communicabilis omnibus : virtualiter autem volebant illam, si sic non esset; efficaciter vero et positive adhærebant propriæ excellentiæ ut fini, quia ibi tales condiciones non inveniebant, sed erat propria, non communis, et non ex gratia speciali sed solum jure creationis conveniens.

* cf. supra, n. 72, *Et fere*

74. Nec in hoc fuit peccatum omissionis*, sed commissionis : quia voluerunt inordinate adhærere propriæ excellentiæ, recusando supernaturalem, ad quam ex gratia ordinabantur a Deo. Semper diabolus gratiam Dei abominatus est. — Nec in hoc habuit peccatum præsumptionis* contra spem, aut contra magnanimitatem, sed superbiæ contra humilitatem : quia ipsi noluerunt consequi beatitudinem sine meritis, sicut vult præsumptuosus, sed recusarunt illam si erat habenda per gratiam : quod faciunt superbi. — Nec oportet illi attribuere errorem Pelagii* de habendo merita condigna ex propriâ naturâ : quia ipsi non volebant consequi formaliter et de facto gloriam per sua naturalia, sed recusabant habere illam si per gratiam consequenda erat, ut vere erat. Unde non habuerunt errorem speculativum Pelagii; sed habuerunt maximam superbiam, unde erupit scintilla erroris Pelagii.

* cf. supra, n. 72, *Vel, si in eo*

* cf. supra, n. 72, *Item quia*

* cf. supra, n. 72, *Aut saltem*

[*Beatitudo naturalis*.]

75. Circa quartum objectum, scilicet beatitudinem naturalem, an fuerit materia superbiæ diaboli : Dicimus sine dubio fuisse, ut constat ex D. Thoma supra* relato.

* n. 69-70

76. *Sed dubitant aliqui auctores*, quomodo in hoc appetitu propriæ excellentiæ et naturalis felicitatis fuerit peccatum : aut, si fuit, quomodo fuerit superbiæ. Nam in appetitu propriæ et naturalis felicitatis secundum se peccatum non est; immo, ut supra diximus (art. 1*) non potuit Angelus peccare, si nude et præcise sisteret in suis naturalibus, quia ad illam (1) erat omnino necessitatus et determinatus : sed oportuit quod haberet respectum aliquem ad supernaturalia bona. Si autem consideretur ordo ad supernaturalem beatitudinem, non apparet quomodo intervenerit ibi peccatum superbiæ sine errore speculativo : quia ad peccatum superbiæ oportebat quod excellentiam suam ita extolleret, ut præ illa despiceret supernaturalem, vel judicando esse inferiorem, vel impossibilem, aut non necessariam, vel non futuram ex Deo : quod totum sine errore speculativo stare non potuit. — Si autem divertit a beatitudine supernaturali eamque recusavit non cum tali errore speculativo, sed solum cum practico, recusando illam ut difficilem sibi aut gravem, et propterea solum quiescendo in tali felicitate naturali quæ magis sibi est facilis, tunc non erit illud peccatum formaliter superbiæ, sed pusillanimitatis vel pigritiæ, volendo hoc bonum non quia proprium et excellens, sed quia facilius minusque molestum : sicut homines defluunt ad sensibilia bona, relictis spiritualibus, quia illa apprehenduntur ut faciliora minusque molesta : quod

* concl. 2, n. 24-55; supra, p. 697-708

(1) Sic omnes; subaudi : [*naturalem felicitatem*] ‖ Forte tamen corrigendum : *ad illa* [= *naturalia*].

non est peccatum superbiæ, sed pigritiæ seu acediæ.

77. *Et urgetur secundo :* quia velle propriam et naturalem felicitatem, relictâ superiori et supernaturali, potius est descendere, quam adscendere; nec oportet multum negotiari in tali felicitate quærenda, cum ex natura sua eam habeat. At peccatum Luciferi describitur per modum adscensûs et exaltationis (Isai. XIV, 13-14), non descensûs ad inferiora : et per modum negotiationis (Eze. XXVIII, 16-18), ut supra* ponderatum est. Non ergo in naturali felicitate quærenda fuit peccatum illud superbiæ. — Et si dicatur fuisse tendentiam in excellentiam naturalem per modum exaltationis, quatenus volebat eam non ordinare in supernaturalem beatitudinem : Contra hoc est, quia tunc formaliter solum esset peccatum omissionis referendi naturalem excellentiam in Deum, et non exercendi tunc actum caritatis : quod quidem erat contra præceptum affirmativum supernaturalis ordinis tunc obligans, non tamen constituens naturalis excellentiæ appetitum in ratione superbiæ : si quidem tota malitia illius appetitûs reducitur ad hoc, quod fuit causa illius omissionis et fractionis præcepti tendendi et ordinandi se ad supernaturalia.

* n. 45

78. **NIHILOMINUS, ex dictis* circa appetitum recusandi beatitudinem supernaturalem, manet explicatum qualiter iste appetitus sistendi in naturali excellentia fuerit peccatum, et propriissime peccatum superbiæ** : ut D. Thomas (in a. 3 hujus quæst. 63) affirmat; et sequuntur omnes ejus discipuli.

* maxime n. 64-74

79. Licet id neget Suarez (lib. VII de Angelis, c. 10) putans ad id necessarium fuisse errorem speculativum quo judicaretur beatitudo supernaturalis ut non necessaria, aut non possibilis vel futura. Et sequuntur ipsum Arrubal (hîc, disp. 178, c. 3), Becanus *, Molina **, Estius ***, et alii quos citant Salmanticenses Carmelitani (tract. de Angelis, disp. 10, dub. 5, n. 161). — Vazquez autem (hîc, disp. 235, c. 5), licet putet naturalem beatitudinem ut excellentem potuisse esse objectum superbiæ in Angelo, recurrit tamen ad illum simplicem affectum quo potuit sibi displicere supernaturalis beatitudo, ut per merita acquisibilis, tamquam sibi difficilis et morosa, atque ita quiescere ut in fine ultimo in sua naturali excellentia : quod etiam concedit Alarcon (ubi supra, disp. 9. c. 2, n. 6).

* tract. 3, c. 4, q. 7
** q. 63, a. 2 et 3, memb. 5; IP 1837-1840
*** II, D. 6, § 6

80. EGO AUTEM, JUXTA SUPERIUS* DICTA, AFFIRMO naturalem felicitatem placuisse Angelo, non solum ut commodiorem minusque molestam in acquirendo, sicut homines male blandas carnis delicias amant, ne spiritualium austeritate molestentur : hoc enim parum poterat Angelum irretire; sed placuisse Angelo ex affectu superbiæ. Non quia suam naturalem felicitatem simpliciter et absolute et quasi entitative excellentiorem putavit supernaturali, aut istam esse impossibilem, vel sibi non necessariam vel utilem : sed quia suam naturalem et propriam excellentiam judicabat non haberi ex speciali gratia et beneficio Dei, sed jure creationis, nec ut multis communem, sed sibi singularem, supernaturalem autem beatitudinem utrâque condicione istâ carere. Et ideo recusabat supernaturalem beatitudinem sub hac præcisa consideratione, ut ex gratia et ut communem multis; quiescebat vero in propria, ut habita jure creationis et non ex speciali gratia, neque communiter ad multos : licet alias excellentiorem judicaret supernaturalem beatitudinem, sed non ut sibi convenientem cum tali onere gratuiti beneficii. In quo nullus interveniebat speculativus error : quia totum hoc, quod judicabat, verissimum erat; sed interveniebat summa superbia. Quia ipse speculative judicabat beatitudinem supernaturalem dari ex beneficio gratuito, et communiter tam Angelo quam homini : et hoc verum erat. Judicabat quoque suam excellentiam naturalem, licet longe inferiorem, esse tamen sibi peculiarem, nec ex gratia speciali, sed jure creationis sibi dari. Errabat autem practice : quia singularitatis avidus, et impatiens dependentiæ ab aliena gratia, et nolens quidquam precario habere, anteposuit inferiorem excellentiam ut propriam, et non ex gratia speciali, excellentiæ superiori ut ex gratia dandæ. Et in hoc tantum erravit practice, quantum superbivit.

* nn. 60-61, 64-71, 73-74

81. *Unde ad rationes in contrarium manifeste patet solutio.* — Ad primam* dicitur : verum esse quod non peccavit Angelus in appetitu naturalis excellentiæ, nisi cum ordine ad supernaturalem, nolens hanc admittere cum tanta subordinatione ad gratiam. Nec erravit speculative circa ipsam, ut ostensum est* : quia judicavit vere, quod solum ex gratia sibi dabatur, sed noluit sic habere. — Erravit autem practice recusando illam, non ex pusillanimitate aut pigritia* quasi gravem aut

* supra, n. 76
* supra, n. 80
* cf. supra, n. 76. *Si autem divertit*


molestam sibi, sed ex superbia : quia videbat illam ut gratuito beneficio dandam, et communicandam aliis : quod in suâ naturali excellentiâ non dabatur; et ideo, licet inferior esset, magis illâ delectabatur.

* supra, n. 77 82. Ad secundam * dicitur quod, licet Angelus vere descendit relinquendo superiora bona, et, ut Augustinus (supra ** citatus) dicit, « defluxit ad propria, » tamen in sua apprehensione adscendebat; et magnâ negotiatione conabatur aliis ostendere, et satisfacere, se in hoc magis Dei similitudinem intendere, quia minus dependenter ab ejus gratia minusque precario, et magis singulariter et non communicando cum inferioribus, procedebat; et sic debere omnes hoc solum procurare, ut in sua naturali excellentia manerent recusando supernaturalem. — Unde in hoc non erat formaliter peccatum omissionis *, sed superbiæ; quia non solum frangebat præceptum affirmativum convertendi se supernaturaliter in Deum, sed positive appetebat nihil habere ex gratia speciali, nec commune cum aliis, etiamsi entitative esset melius : quod est peccatum commissionis superbiæ.

** n. 68

* cf. supra, n. 77. *Et si dicatur*






QUÆSTIO LXIV

DE PŒNA DÆMONUM

SUMMA LITTERÆ



QUATUOR PŒNAS DÆMONUM PER QUATUOR ARTICULOS EXPLICAT D. THOMAS. Prima est obtenebratio in intellectu. Secunda, obstinatio in voluntate. Tertia, dolor de malo pœnæ sibi inflictæ. Quarta, locus pœnalis in quo patiuntur.

Circa primum ostendit (in primo articulo) quod intellectus speculativus dæmonum non est obtenebratus : quia quantum ad naturalem cognitionem nihil in eis diminutum est; quantum vero ad supernaturalem, de mysteriis fidei, non est totaliter ablata ab eis speculativa cognitio, sed diminuta : accipiunt enim eam cognitionem de istis quæ oportet. At vero affectiva cognitio, quæ ad amorem ducit honestum, totaliter in eis exstincta est.

In secundo articulo ostendit voluntatem dæmonum esse obstinatam in malo, ita quod non possit reverti ad bonum : quod non est ex gravitate culpæ, sed ex condicione statûs : quia sunt extra statum viæ Angeli post casum, sicut homines post mortem. Conveniens autem fuit Angelos in suo casu terminare viam : quia ex sua natura immobiliter apprehendunt, quando perfecte se determinant, quia sine discursu agunt. Unde postquam perfecte se determinarunt circa objectum viæ, non est quod amplius durarent in ea.

In tertio articulo ostendit esse in dæmonibus dolorem, non secundum quod dolor est passio sensibilis, sed ut dicit renitentiam voluntatis ad ea quæ sibi sunt contraria, sicut quod recludantur in igne, et ab eo detineantur et impediantur, etc.

In quarto articulo ostendit quod locus pœnalis, qui debetur dæmonibus ratione suæ culpæ, est infernus, quo detrudentur omnes post diem judicii. Nunc autem propter exercitium hominum aliqui sunt in hoc mundo et aere caliginoso, alii in inferno ad torquendum damnatos.



DISPUTATIO XLIV

DE TERMINO VIÆ ANGELORUM ET DAMNATIONE DÆMONUM

ARTICULUS I

Quot instantibus via Angelorum fuerit terminata.

* supra. maxime disp. 40. a. 4. n. 35-6; a. 5. nn. 1. 40-41

1. SICUT a nobis sæpe dictum est *, instantia angelica non nostri temporis instantibus regulantur, aut eis solum correspondent, sed regulantur operationibus ipsis angelicis quæ indivisibiles sunt. Et ideo instantia vocantur, quia, licet earum duratio multo tempori nostro æquivalere possit, tamen in se actus ille successione et partibus caret, ideoque duratio est indivisibilis seu instantanea : hoc enim est proprium angelicæ operationis propter perfectionem suam, quod non per partes neque per successionem actus ejus continuantur aut variantur : sed simul et indivisibiliter actu suo attingit quidquid ad objectum talis actûs pertinet, vel cum eo connexionem habet : quia non discursu procedit, sed comprehensione. Unde quilibet actus cum in se successione careat et indivisibilitate gaudeat, ejus duratio successiva non est, sed instantanea.

2. *Est tamen advertendum,* quod operationes angelicæ non constituunt diversa instantia et durationes propter accidentalem et extrinsecam variationem, sed propter intrinsecam et substantialem. Tunc autem intrinsece et substantialiter variatur actus, quando essentiale objectum et formale variatur, ita quod non sit compossibilis attingentia unius et alterius objecti in eodem actu. Nam si plura objecta sub eadem ratione formali et motivo continentur, ad eamdem attingentiam pertinent : et per se, et quantum est ex vi actûs, petit Angelus eodem actu ea attingere; licet per accidens et ex defectu objecti possint aliquando de novo aliqua attingi eodem actu perseverante, vel sub diverso modo accidentali, v. g. sub diversa intensione vel extensione : ut si, in aliquo actu amoris perseverans Angelus, intensius effervescat, aut si considerante ipso aliquam speciem seu naturam, v. g. hominem et ejus individua, nascatur de novo aliquod individuum quod modo de novo videt : non est necesse propter illam novam extensionem mutare actum, quia est extrinseca et accidentalis mutatio.

3. QUARE AD DISTINGUENDUM ISTA INSTANTIA, quibus terminata est Angelorum via, OPORTET DISCERNERE TRIA. — Primum, quod attinet ad principium viæ, quod fuit in initio creationis : quantum duravit illud initium, in quo omnes in veritate steterunt. — Secundum, quoad progressum viæ : quinam actus in ea intervenerunt, et an uno actu consummata sit; et quomodo in illo a primo instanti creationis se discriminaverunt aliqui, aili vero continuaverunt. — Tertium, quantum ad terminum viæ : an in eodem instanti fuerit simul meritum et gloria, peccatum et pœna, via et terminus : eo quod videntur ista considerari ut connexionem habentia inter se, et ad eumdem finem et motivum pertinentia.

PRIMUM INITIUM VIÆ, SEU PRIMUM INSTANS, SOLUM DURAVIT PER DURATIONEM CORRESPONDENTEM NOSTRO INSTANTI.

4. *Non est in hac parte concors theologorum sententia,* sed multi tenent durasse malos Angelos in gratia per aliquale tempus seu morulam, ultra primum instans suæ creationis : licet diverso fundamento ducantur. Vazquez enim (in præsenti, disp. 229, c. 10 *) existimat generaliter nullam operationem Angeli posse correspondere unico instanti solum nostri temporis; immo nihil posse durare unico instanti nisi ipsum instans aut mutatum esse : quia hæc desinunt per ultimum sui esse, hoc ipso quod immediate post instans sequitur aliqua pars temporis vel motûs. Quæ autem desinunt per primum non-esse, si tantum unico instanti durarent, hoc ipso darentur duo instantia immediata : quod in nostro tempore est impossibile; ergo neque [1] quod instans Angeli seu operatio correspondeat solum unico instanti nostri temporis, et desinat, incipiatque immediate post alia operatio, quæ utique in instanti incipit, cum sit indivisibilis.

* n. 43 sqq.

5. At vero Suarez (lib. VII de Angelis, c. 21 *), Nazarius (hîc, q. 63, a. 6, controversia unica **) et alii moventur ex eo quod incredibile videtur solum unico instanti indivisibili, etiam quoad nos, tam multa gessisse Angelos : qui etiam ante lapsum *in deliciis paradisi Dei* fuerunt, et *perfecti* dicuntur *ambulasse* (Eze. XXVIII, 13, 14, 15). Nec videtur ita connaturale libero arbitrio, et directioni quæ fit per intellectum, ita operari ut unico indivisibili instanti duret in operatione sua. Neque id etiam cohærere videtur cum motione illâ divinâ quæ ita movit in primo instanti, ut duraverit etiam post primum illud instans creationis in bonis Angelis, qui continuaverunt meritum; ergo etiam in aliis duravit post illud primum instans. Si quidem in ea motione operabatur Deus ut proprius et specialis auctor angelicæ naturæ, et sic erat communis omnibus illa motio; et ultra hoc deserviebat ad constituendum Angelum in actu primo, ut procederet ad electionem omnino liberam et plene sui juris. Ergo cum Angelus peccans post primum instans elegerit ex plena libertate, utique tunc adhuc durabat illa motio Dei erga finem, per quam constituebatur in ratione actûs primi ad plene eligendum.

* n. 3-5
** (alias : contr. 69), pars 1, *Dico quinto*

6. **NIHILOMINUS, juxta principia S. Thomæ, probabilius judicamus hoc initium quod pertinuit generaliter ad omnes Angelos, et in quo omnes fuerunt in gratia, non durasse nisi unico indivisibili instanti ipsius creationis, quod unico instanti nostri temporis correspondet.** Et ita tenent Carmelitani Salmanticenses (tract. de Angelis, disp. 12, dub. 1 *).

7. *Principia autem S. Thomæ quæ id suadent sunt :* quia Doctor sanctus sentit Angelum in primo instanti suæ creationis habuisse actum liberi arbitrii, et fuisse creatum in gratia (ut constat ex q. 62, a. 3; et q. 63, a. 5 ad 3). — Sentit secundo, quod Angeli, statim atque habent electionem circa aliquid, sunt inflexibiles et in illo firmantur (ut patet in hac q. 63, a. 6 ad 3; et q. 64, a. 2). — Sentit tertio, quod in Angelis incipit electio immediate post instans creationis, ut deducitur ex his quæ tradit (dicta q. 63, a. 6) : nec enim post primum instans creationis, in quo movebantur ab auctore naturæ, aliquid eis deerat ut possent seipsos deliberate movere ex præcedenti voluntate et actu qui utique in instanti ipso creationis in Angelis fuit. Ergo jam habebant sufficiens principium ut, immediate post, ex illo priori actu se moverent sibique formarent dictamen. — Sentit quarto, quod post primum instans suæ creationis statim peccavit Angelus, ut expresse dicit (in art. 6 citato, quæst. 63). Nomine autem instantis creationis non potest intelligi operatio Angeli correspondens et æquivalens pluribus partibus temporis : quia creatio non est operatio Angeli, sed Dei, et solum Angelus se habet ut terminus talis operationis; creatio autem fit in instanti nostri temporis. Ergo si immediate post instans creationis Angelus peccavit, meritum ejus solum duravit pro instanti nostri temporis, quod est instans creationis.

8. Confirmatur : quia, immediate post instans creationis, est conservatio creaturæ, et non creatio. Nec potest dici quod creatur, nisi pro instanti nostri temporis quo fit de novo in esse : nam immediate post jam non fit de novo, sed continuatur quod ante erat. Ergo, immediate post instans nostri temporis, non est creationis instans, sed conservationis duratio. Ergo si, apud

(1) Supple : *neque [possibile est] quod...*

* I P. q. 63, a. 6 — D. Thomam *, statim post instans creationis peccaverunt, statim post instans correspondens instanti nostri temporis peccaverunt.

9. Ratio autem et fundamentum conclusionis ex eo deducitur : Quia, licet Angelus in primo indivisibili instanti suæ creationis non possit se movere per deliberationem ex aliquo priori actu præcedente (quia tunc est primus actus), tamen immediate post tale instans potest se movere deliberate : quia jam præcessit actus et cognitio immediate ante cum plena advertentia, quia cognitio ejus perfecta est et cum expedita libertate. Quia etiam in actu primi instantis liber fuit, utpote cum meruerit in sententia D. Thomæ supra * jam explicata. Ergo nihil prohibet Angelum, immediate post, totali et plenâ electione se movere et deliberare. — Similiter immediate post instans creationis potest peccare, discontinuando priorem actum bonum, vel potest continuare meritum si voluerit. Nam immediate post primum instans creationis potest formare dictamen pravum et defectibile, et seipsum movere aut ab alio incitari ad malum, aut continuare ex propria voluntate dictamen primum : eo quod immediate post instans creationis potest voluntas intellectum movere, ut desistat a priori dictamine, et aliud formet : quod non poterat in primo instanti, quia tunc primo movebatur voluntas a prima propositione intellectûs, non ipsa intellectum movere poterat ut suo modo cogitaret. Hac enim ratione dicitur Deus in illo primo instanti specialiter movere et rectificare dictamen Angeli : quia ita est dictamen illud a Deo pro illo instanti, quod non potest ex imperio voluntatis mutari et obliquari, ut (disp *. præcedenti) ponderatum est. Post primum autem instans creationis, quod correspondet instanti nostri temporis, hoc non currit : quia immediate post illud instans jam est integrum voluntati mutare dictamen intellectûs, et applicare illum quocumque voluerit : quia habet libertatem expeditam ad hoc, utpote jam potentem se movere ex actu præcedenti, in quo solum a Deo mota fuit. Ergo ab illa duratione, immediate post primum instans creationis, potuit peccare Angelus, et in solo primo instanti creationis non potuit.

* n. 7; et disp. 43, a. 2, nn. 10-13, 37-8, 43-54

* disp. 43, a. 2, n. 7-33

10. *Rursus ex hac propositione deducitur alia consequentia.* In illo instanti incepit Angelus habere firmam et plenam adhæsionem, seu deliberationem irrevocabilem et inflexibilem suæ voluntatis, in quo potuit peccare : quia plena deliberatio et electio Angeli non ex eo fuit post primum instans quia tunc perfectius cognoverit aut comprehenderit quam in primo instanti, cum Angelus statim ab initio suam perfectionem habeat, non paulatim acquirat. Sed ideo fuit, quia post primum instans ex imperio et motione voluntatis dirigebatur et se movebat, cum in primo instanti solum ex motione intellectûs et Dei fuerit directa voluntas; hoc autem ipso quod voluntas se movet et dirigit, postulat ita firmiter procedere circa suam resolutionem, sicut postea : quia perfectio quæ convenit Angelo, sive in intellectu sive in voluntate, statim ab initio nata est convenire hoc ipso quod capax est illius, non paulatim crescit. Ergo si, immediate post primum instans, voluntas Angeli ita est sui juris quod potest peccare et potest ex sua deliberatione procedere, cum ex plena comprehensione et cognitione et non ex discursu procedat, etiam in voluntate ex plena deliberatione et electione procedit. Ergo si tunc continuaret actum caritatis, et meritum firmaretur in illo, et non peccaret : et sic non minus perveniret ad terminum in actu meritorio, quam alii Angeli boni. Peccaverunt ergo mali Angeli quam primum peccare potuerunt, id est, cum primum ex proprio motu deliberare inceperunt, nec permiserunt se firmari in bono; firmarentur autem si, immediate post illud primum instans, non interposuissent impedimentum peccati. Quæ est ratio D. Thomæ (q. 63, a. 6 ad 3).

11. *Adstipulantur etiam huic veritati locutiones Scripturæ.* Nam (I Joa. III, 8) dicitur quod *ab initio diabolus peccat,* ubi ly *ab initio* non potest esse ab initio intrinseco primi instantis : ergo extrinseco; et sic immediate post initium, seu ab initio extrinseco peccavit : nam de ipso primo initio et instanti creationis constat de fide Angelum creatum fuisse sine peccato. Item (Isa. XIV, 12) ubi casus Luciferi describitur : *Quomodo,* inquit, *cecidisti de cœlo, Lucifer, qui mane oriebaris?* quasi in ipso adhuc exortu, seu immediate post, et dum adhuc oriebatur extrinsece, cecidisse dicatur : quia non in instanti intrinseco sui ortûs, sed in extrinseco, seu immediate post, cecidit. — Item si Angelus, qui cecidit, ultra primum instans duraret in gratia, aliquantulum permaneret et staret in veritate : quia non solum in suæ creationis instanti, sed etiam in conservatione et continuatione sui esse, quod jam pertinet ad permanere et ad stare in eo in quo fuit creatus. At Scriptura absolute

dicit ita peccasse Angelum ab initio, quod non stetit in veritate (Joa. VIII, 44) : *Ille homicida erat ab initio, et in veritate non stetit.* Non quod ab initio occiderit seu peccare fecerit homines, sed alios Angelos, juxta illud (Isa. XIV, 20) : *Tu enim terram tuam disperdidisti, tu populum tuum occidisti;* et hoc statim ab initio fecit diabolus, non intrinsece ab initio primi instantis suæ creationis, sed extrinsece, id est, immediate post.

* PL 41. 330

12. Et Augustinus (XI de Civitate, c. 15 *) dicit : « Hoc ita accipiendum esse, quod in veritate quidem fuerit, sed non permanserit. » Et S. Isidorus (lib. de Summo bono, c. 22 **, sent. 17) inquit quod « diabolus, mox ut factus est, in superbiam erupit, et statim ut factus est, cecidit ». Ac denique ipse D. Thomas (in q. 63, a. 6) aperte dicit quod « probabilior et sanctorum dictis magis consonans opinio est, quod statim post primum instans suæ creationis diabolus peccaverit ».

** rectius : lib. I, c. 10, n. 7; PL 83, 555

[Ad fundamenta opposita respondetur.]

* supra, n. 4

13. AD PRIMUM *, EX P. VAZQUEZ, dicimus : Nullum esse inconveniens quod aliquid duret eo modo quo ipsum instans, et desinat immediate post, præsertim spirituales actus liberi, qui non sunt subjecti motui et tempori corporeo. Et ideo potest Angelus immediate post instans interrumpere actum suum; et nos possumus, immediate post elicitum actum liberum, illum suspendere et cessare ab illo : quia si libere elicimus actum in aliquo instanti, et ille non posset desinere immediate post, ergo immediate post necessario duraret, et sic liber non esset : atque adeo omnis actus liber, qui incipit in instanti, immediate post redderetur necessarius, quia necessario exsisteret. Unde ulterius fit quod ille, qui in hoc instanti habet actum caritatis, non posset immediate post peccare aut damnari; nec peccans posset immediate post salvari et justificari, quia necessario durant illi actus : quod tamen est absurdum, cum immediate post exsistant per influxum liberum voluntatis : ergo non per necessarium. Si autem non possent desinere per ultimum sui esse, sicut instans, sed per primum non-esse, oportet quod immediate post non possint desinere; quod autem non potest desinere, necessario exsistit; ergo immediate post necessario exsistent illi actus : ergo non libere.

14. *Et cum instat Vazquez* *, quia non possunt esse duo instantia nostri temporis immediata; ergo neque potest aliquid durare solum per unum instans, et immediate post incipere alia operatio instantanea et indivisibilis, quæ etiam in instanti incipit : — *Respondeo* quod, quando aliquid desinit per ultimum esse et ad modum instantis, vel Deo suspendente concursum, vel voluntate non influente, talis desitio non correspondet instanti nostro, sed tempori : licet possit fieri in instanti angelico, vel aliâ indivisibili mensurâ superiori ad nostrum tempus et æquivalenti illi : de quo dicimus in Physica (q. 2[1], art. 1 *). Itaque si actus liber desinit per ultimum esse, hoc erit quia immediate post, id est, in parte temporis succedente, voluntas desinit influere in illum actum : ut si suspendat se ab actu (quod fortasse moraliter non est ita possibile, licet metaphysice possibile sit), licet non immediate post actum alium eliciat, quia non elicitur in tempore, sed in instanti nostro pro hac vita, et instans non potest esse immediatum instanti antecedenti; et sic desinet actus immediate post : sicut si Deus immediate post instans suspendat influxum suum, desinet res creata post primum instans immediate. At vero Angelus quia operatur supra omne tempus, et non sicut nos pro hac vita, potest immediate post operationem suam, quæ correspondit instanti nostro, inchoare aliam operationem suam, quæ etiam instantanea sit et indivisibilis respectu sui, æquivaleat tamen tempori nostro. Et tunc duo instantia angelica erunt immediata : quod non est inconveniens, ut supra (disp. 20 *) ostensum est : sed non duo instantia temporis nostri, quæ numquam immediate sequuntur. Tunc enim secundum instans angelicum correspondet tempori nostro.

* supra, n. 4. *Quæ autem*

* RE II. 433-7

* nunc disp. 40, a. 5, nn. 14-22, 37-41

15. *Sed instat Vazquez,* ad probandum debere actum illum et rem omnem desinere per primum non-esse : quia non-esse rei est totum simul, et absque ulla successione. Sed quidquid incipit totum simul, incipit in instanti. Ergo, si illa desitio incipit tota simul, incipit in instanti : ergo per primum non-esse, non per ultimum esse. — Confirmatur : quia nulla res potest in eodem instanti temporis esse, et non esse : ergo nec in eodem instanti habere primum esse, et ultimum esse. Si quidem ultimum esse est desinere esse, aut [1] destrui; ergo est non esse.

[1] Ita bene corrigit C || Mendose ML *esse, æui destrui* || Non male P *esse, vel destrui.*

16. *Respondetur*, quod non-esse rei est totum simul, *distinguo* : intrinsece vel extrinsece, *concedo;* intrinsece solum, *nego*. Quando enim instans desinit per ultimum esse, ejus desitio est tota simul intrinsece : quia hoc esse quod habet in hoc instanti est ultimum, ita quod immediate post non est. Et quia desitio ejus est immediate post hoc instans, ultimum autem esse ejus est in hoc instanti, ideo instans ultimationis (ut ita loquar), quod est extrinsecum desitioni ejus, dicitur esse totum simul quoad desitionem extrinsecam seu quoad ultimationem essendi : quia, immediate post, nihil de illo est. Quando autem aliquid desinit per primum non-esse, intrinsece desinit in illo : et tunc desitio ejus est tota simul intrinsece, non extrinsece.

* supra, n. 15, *Confirmatur*
17. Ad confirmationem * respondetur, quod simul esse et non-esse, in eodem instanti, nulla res potest : bene tamen in eodem instanti, esse et ultimo esse : quia ultimum esse non est non-esse, sed esse in ultimo, ita quod immediate post desinat. — Et cum dicitur * quod ultimum esse est desinere : Dico quod est desinere non intrinsece, quasi in eo instanti de facto non sit, sed quia immediate post non erit; et ita desinit extrinsece in illo instanti : quia non in illo, sed post illud immediate, desinit. Illud autem « immediate post » in nobis est tempus; in Angelis autem illud « immediate post » erit aliud instans, seu operatio angelica quæ æquivalet tempori nostro, eique correspondet.

* supra, n. 15, *Si quidem*

18. Ad fundamenta Suarez et Nazarii. — *Ad primum* * *dicimus*, quod omnes illæ actiones, quæ in illo loco Ezechielis attribuuntur primo Angelo ante lapsum, non sunt multæ operationes neque instantia : sed multa objecta inadæquata unius instantis et operationis, quæ nostro modo concipiendi per diversos illos actus explicantur, licet in Angelo diversi actus non fuerint nec diversa instantia, sed plura objecta materialia et inadæquata sub eodem instanti et eâdem operatione comprehensa. Unde S. Thomas (in q. 63, a. 6 ad 1) inquit, respondens ad illummet locum Ezechielis, quod « per motus corporales, qui per tempus mensurantur, quandoque in Scriptura intelliguntur metaphorice motus spirituales instantanei. Et sic per ambulationem intelligitur motus liberi arbitrii tendentis in bonum ». Quare omnia illa objecta, quibus Angelus tendebat in Deum quando creatus est, et nos per plures actus deberemus attingere et ambulare in eis, Angelus unicâ operatione et unico instanti comprehendit. Quod vero illud instans angelicum, seu operatio (1) qua omnia illa objecta comprehendit, prorogare voluerit post primum instans creationis quod instanti nostri temporis correspondebat, hoc plane dependebat ab ejus libertate, non a majori comprehensione vel attingentiâ objectorum, quæ antea non attingeret. Unde in hoc aliqui voluerunt prorogare illum actum merendo, alii discontinuare peccando. Et certum est, immediate post primum instans creationis potuisse peccare, quod non poterant in primo. Quid ergo prohibuit peccasse tunc primum Angelum, cui tanta superbiendi materia tunc apponebatur cum facultate se movendi, per proprium dictamen et propriam deliberationem, ad illam?

* supra, n. 5

19. Ad id quod objicitur * de connaturalitate liberi arbitrii, quod non est ei connaturale durare solo indivisibili instanti in operatione sua : — Respondetur id non esse ita connaturale nobis, qui dependenter a tempore formamus nostros actus, et intelligimus paulatim ea quæ agenda sunt; et ita non facile utimur solis instantaneis operationibus, nisi postquam sufficienter objectum est cognitum et propositum. Tunc enim voluntas sine difficultate movetur et, quando expedita est, in instanti operatur : in eliciendo enim actum circa objectum propositum nullam moram habet voluntas, minusque impedimenti sentit quam oculus in videndo, vel lux in illuminando, qui sunt actus instantanei. In Angelis ergo, in quibus plena comprehensio objectorum est statim ab initio, non est contra naturalem modum ejus in instanti operari, et tantum per instans durare in actu suo : quia id pertinet ad libertatem ejus, sive continuare velit, sive non. Tam promptus est enim ad formandum dictamen de prorogando actu, quam de eliciendo, vel discontinuando : et ita nec ex defectu dictaminis et actûs intellectûs, nec ex difficultate potentiæ volentis impeditur sive continuare sive discontinuare, quando nondum per ultimam deliberationem in suo proposito firmatus est : quia tunc est inflexibilis, ut sequenti articulo * dicetur.

* supra, n. 5, *Nec videtur*

* infra, art. 2

(1) Omnes : *illud instans..., seu operatio... prorogare voluerit* || Facilius legeretur : *operationem;* at consulenda de hoc dicendi genere Præfatio tomi I, cap. III, art. 2, § 3, n. 3, 4, 5.

** supra, n. 5, *Neque id*

20. Ad id quod dicitur** de speciali motione Dei ad bonum data in primo instanti ut a speciali auctore illius naturæ, et continuata in bonis Angelis, quod debuit etiam continuari in aliis : — Respondetur quod illa motio continuata fuit in bonis Angelis, qui non apposuerunt impedimentum, sed voluntate deliberante voluerunt eligere quod voluntate a Deo motâ in primo instanti fuerant amplexati : licet utrumque fuerit liberum ; sed in primo instanti fuit liberum arbitrium a solo Deo motum, in sequenti duratione fuit ex propria deliberatione consummatum. In Angelis autem malis non fuit continuata illa motio, quia posuerunt impedimentum immediate post, divertendo per inconsiderationem defectibilem in intellectu, et per apertam et formalem culpam in voluntate, ad aliud objectum.

* supra n. 5, *Si quidem*

21. *Et cum instatur* *, quod illa motio si continuabatur in bonis Angelis, adhuc erat a Deo ut auctore naturæ, et sic etiam debebat in aliis continuari : — *Respondetur* quod in bonis Angelis non fuit continuata illo speciali modo Dei, ut auctoris illius naturæ sic moventis in primo instanti; sed alio modo continuata fuit quam primo data, licet circa idem objectum et circa speciem ejusdem actûs : eo quod immediate post primum instans jam voluntas erat plene sui juris, quantum ad hoc quod erat posse ex proprio imperio formare dictamen et se movere deliberate. Et ideo motio divina, etiamsi continuaretur quantum ad substantiam actûs et identitatem objecti, tamen quoad modum debebat aliter procedere : scilicet dando locum voluntati, ut suo imperio dictamen formaretur, et procederet non solum ut libera quoad exercitium et libertatem contradictionis (ut in primo instanti), sed etiam per deliberationem et motum proprium libertate contrarietatis et quoad specificationem inter bonum et malum. Unde illa specialis ratio primæ motionis, qua voluntas Angeli ita movetur a Deo quod non potest moveri a se, non est ex aliquâ speciali manutenentiâ Dei, sicut in justis quos protegit ne cadant : sed est ex ipso statu voluntatis, quia est ille actus primus omnium, et sic non est possibile quod operetur illum ex dictamine formato a se et ex imperio sui, sed ex dictamine formato et immisso a Deo, et consequenter ex dictamine indefectibili. Transacto autem illo primo actu, seu posito ipso, jam potest Angelus ex voluntate sua et imperio formare dictamen, et se movere atque deficere. Unde ille concursus et motio Dei jam non est ad formandum dictamen et excitationem illam intellectûs a solo Deo, sed ut formetur ex imperio voluntatis. Unde quoad hoc incipit ille influxus et concursus esse generalis quantum ad hunc modum, id est, non juxta modum qui servatur in primo actu, ut sit a solo Deo, sed juxta modum qui servatur in tota vita et operationibus sequentibus : ut scilicet fiat secundum deliberationem et motionem voluntatis, et non ut præcise mota a Deo, licet in illa motione adhuc servetur libertas exercitii quoad contradictionem, sed non quoad contrarietatem. Quod si in illo actu, post primum instans, ex deliberatione voluntatis non defectuose procedat Angelus, sed continuet primi instantis meritum, tunc erit specialis Dei gratia et motio : non in eo modo quo in primo instanti movebat Angelum : sed quia, movendo ad hoc ut voluntas se moveat et deliberet, præservat illum ne deficiat, sed ut in bono deliberate continuet, qui ante sine deliberatione sed ex sola motione Dei libere procedebat. Unde in hoc speciale donum gratiæ Dei acceperunt sancti Angeli, scilicet donum perseverantiæ, ut in eodem perseverarent ex deliberatione propria, quo inceperunt ex motione Dei : quod aliis est negatum.

PROGRESSUS VIÆ ANGELORUM IN MALIS FUIT DUOBUS INSTANTIBUS ANTE TERMINUM, IN BONIS UNO.

22. Loquimur de Angelorum via, condistinguendo illam a termino, in quo mali fuerunt perpetuo damnati, boni perpetuo beati : nam de isto termino, et instanti illi correspondente, dicemus postea *. *Loquendo ergo sic de via Angelorum, certum est* in malis Angelis primum instans fuisse interruptum, nec durasse toto tempore viæ : sic enim numquam demeruissent, nec peccassent, quia in illo primo instanti boni fuerunt, ut fides docet : nec enim creati sunt in peccato, sed in gratia. Oportuit ergo viam malorum Angelorum ad minus constare duobus instantibus (omittendo pro nunc instans damnationis, an includatur in aliquo istorum, vel ab illis distinguatur) : altero quo bonus fuit, altero quo bonus esse desiit et de facto peccavit. Ubicumque autem duæ operationes ita se habent, quod una non ponitur nisi alterâ desinente, datur duplex instans : quia datur duplex duratio, si quidem

* infra, n. 43 sqq.

prima non continuatur cum secunda, sed desinit esse. Ergo si Angelus desiit esse bonus, illa duratio primæ operationis bonæ cessavit, et altera successit. Unde hoc generaliter S. Thomas [1] (in q. 63, a. 6 ad 4) ubi inquit, quod « prima operatio fuit omnibus communis, sed in secunda sunt distincti; et ideo in primo instanti omnes fuerunt boni, sed in secundo fuerunt boni a malis distincti ». Quod ad minus de ipsis malis Angelis intelligendum est, in quibus constat operationem bonam fuisse interruptam, et consequenter instantia divisa. De bonis autem Angelis, cum fuerit meritum continuatum perseverando in eo ad quod in primo instanti conversi sunt, potest major esse difficultas an diviserint instantia circa diversa objecta bona, vel circa diversum modum tendendi ad objectum bonum; de quo statim * dicemus.

* infra, n. 28 sqq.

[*Malorum Angelorum via.*]

23. Solum circa viam malorum Angelorum potest esse difficultas, an præcise fuerint duo instantia totum quod ad eorum viam pertinuit, an plura quam duo : nam ad minus debere esse duo monstratum est *. — QUOD VERO SINT PLURA, POTEST DUBITARI : tum ex parte ante, tum ex parte post. — EX PARTE ANTE : quia aliqui dixerunt in primo creationis instanti Angelos solum habuisse actum puræ naturæ. Unde ex hac parte tenentur addere tertium instans : primum videlicet pro creatione et actu pure naturali; secundum pro actu supernaturali, in quo sanctificati sunt omnes, et meruerunt; tertium pro peccato per quod illud meritum interruperunt. Et illud primum instans, scilicet pro actu puræ naturæ, positum fuit a quibusdam qui dixerunt Angelos non fuisse creatos in gratia, ut refert S. Thomas (q. 62, a, 3); et probabile reputat Scotus (in II, D. 5, q. 1 *).

* supra, n. 22

* n. 5-7

** I P. q. 62, a. 3

*** PL 41, 357

24. *In sententia vero quam* (citato loco **) *defendit D. Thomas hoc non habet locum :* quia omnes fuerunt creati in gratia, juxta illud Augustini (XII de Civitate, c. 9 ***) : « Angelos cum amore casto, quo illi adhærent, creavit, simul in eis condens naturam et largiens gratiam. » Certe non est putandum minus parce [2] Deum se gessisse cum Angelis quam cum hominibus : qui, si status innocentiæ duraret, nascerentur in originali justitia, et consequenter in gratia : cum potius Angelis connaturalis [3] sit ut, quidquid perfectionis juxta suum statum et mensuram datur, non paulatim et per acquisitionem sed a principio detur, ut quasi cognatam videantur habere gratiam, non adventitiam. Et hoc in eis etiam superbiendi occasio magna erat, quod omnis perfectio eis videbatur congenita; et sic qui inter ipsos humiliati sunt, magni meriti fuerunt. Quod si illis data est gratia in primo instanti, utique non otiosa fuit, sed cum fructu et operatione data est : præsertim quia Angeli non fuerunt justificati sicut parvuli, quia hoc imperfectionis est, sed sicut adulti et perfecti, et consequenter cum dispositione propriâ et actu tunc elicito. In illo ergo primo instanti habuerunt operationem supernaturalem, et non mere naturalem. Et sic ratione solius naturalis operationis non debet distingui illud primum instans.

25. AT VERO, LOQUENDO DE INSTANTIBUS A PARTE POST, *posset aliquis dicere* non debere solum durare Angelorum peccantium viam per duo instantia, unum meriti pro primo instanti, aliud peccati pro secundo : quia nulla ratio convincit quod unum tantum peccatum patraverint, sed plura, et consequenter quod plura instantia peccando consumpserint : quia plurimam negotiationem [4] tunc habuit Angelus, juxta illud quod dicitur de illo (Eze. XXVIII, 16) : *In multitudine negotiationis tuæ repleta sunt interiora tua iniquitate, et peccasti.* Unde ipse, deordinatus a fine ultimo, non servavit unitatem et uniformitatem in suis operationibus, sed maxime illas divisit et multiplicavit; sicque non fuit amplius mensura durationum angelicarum, ut ponderavimus (præcedenti tomo *, disp. 10). Ergo videtur quod plura instantia Angelus peccando habuerit, et sic non duobus tantum consumpserit viam.

26. *Ad hoc respondetur,* quod Angeli peccantes non indiguerunt pluribus operationibus ut inflexibiles redderentur in malo, sicut nec in bono : sed per immediatum actum, quem elicuerunt post instans creationis, qui est actus in quo per voluntatem suam se movent, et non a solo Deo sed ex imperio voluntatis formant dictamen

(1) Supple : *generaliter [docet] S. Thomas.*
(2) Sic omnes, male omnino || Aut legendum : *magis parce ;* aut : *minus large.*
(3) Supple : [*modus*] *connaturalis ;* aut corrige : *connaturale.* Vide tamen tomi I Præfationem, cap. III, art. 2, § 3, n. 5, a).
(4) Mendose omnes : *negationem.*

et eligunt quasi pleno jure, et seipsos plenâ electione movendo, hoc ipso redduntur inflexibiles. Et positâ inflexibilitate non est necessarium protelare viam : quia tamdiu necesse est durare viam, quamdiu est status ambulandi, et mutandi voluntatem; cessante autem statu isto ambulatorio, cessat via; et sic, si unico actu redduntur inflexibiles, non est necesse plures alios exspectare. — Quod autem illo primo actu pleno, in quo seipsam voluntas movet et ex se eligit, inflexibilis reddatur, manifeste docet S. Thomas (in q. 63, a. 6 ad 3) cum inquit quod « Angelus habet liberum arbitrium inflexibile post electionem. Et ideo nisi statim post primum instans, in quo naturalem motum habuit ad bonum, impedimentum beatitudinis præstitisset, fuisset firmatus in bono ». Et (in hac q. 64, a. 2) docet quod « voluntas Angeli adhæret fixe et immobiliter; et ideo, si consideretur ante adhæsionem, potest libere adhærere et huic et opposito, in his scilicet quæ non naturaliter vult; sed, postquam jam adhæsit, immobiliter adhæret ». Quare cum Angelus post primum instans creationis jam non naturaliter velit, sed deliberate et deliberatione plenâ, hoc ipso adhærendo eligit, et per talem electionem immobilitatur : ut latius (sequenti art*.) dicemus agendo de obstinatione Angeli. Igitur de necessitate ad terminandam viam sufficit instans, seu operatio Angeli plene facta post primum instans creationis : et, statim post primum instans, plena operatio Angeli incipit; et sic illa operatio sufficit terminare viam.

* infra, art. 2, n. 18 sqq.

27. An vero, licet non de necessitate, tamen ex abundantia, plures operationes Angelus fecerit et diviserit ante condemnationem suam, incertum est. Nam licet plura fecerit, et plura peccata seu malitias habuerit, non tamen constat quod plures operationes fecerit : quia omnia illa potuit unicâ operatione perficere, eo quod ordinabantur omnia sub uno motivo, et fine proximo et ultimo : quatenus tunc primo averti volebat a supernaturali beneficio, et magnificari in propria cordis elevatione, et vel persuadere id multis, vel defendere contra alios : quia et pugna* fuit cum bonis Angelis, et persuasio quæ *traxit caudâ suâ tertiam partem stellarum***. Sed omnia ista objecta et effectus potuerunt cadere sub uno adæquato objecto et motivo, et ita sub eadem operatione et instanti comprehendi, licet in se materialiter plura fuerint. De quo amplius statim* redibit sermo, respondendo ad objectiones circa viam bonorum Angelorum.

* Apo. XII, 7

** Apo. XII, 4

* infra, n. 39-40

[*Bonorum Angelorum via.*]

28. Major ergo difficultas est circa viam bonorum Angelorum, an duraverit uno tantum instanti, an pluribus. — *Nam quod fuerit unicum,* licet prolongatum et æquivalens pluribus illis quibus mali Angeli divisi sunt, *ex eo suadetur :* Quia Angeli sancti in eo discreti sunt a malis, quia boni continuarunt et perseveraverunt in amore casto in quo creati sunt : et illud objectum, ad quod sunt conversi a Deo in primo instanti, etiam tenuerunt et amaverunt post primum instans quando ex electione sua poterant peccare. Ergo non diviserunt operationem primam in qua creati sunt, sed illam continuarunt : quia circa idem objectum versati sunt. Ergo idem instans continuaverunt : quia instans in Angelis duratio operationis est. — Nec dici potest quod, licet continuaverint meritum, non tamen est necesse quod operationem eamdem continuaverint : quia diversis actibus mereri poterant, et circa diversa objecta occupari. — Quia Angeli in primo instanti creationis illuminati sunt a Deo perfecte circa objecta eis debita, et quæ manifestari oportebat ad suam salutem : quia modus, quo petit natura angelica perfici et illuminari, est non paulatim et successive, sicut nos, sed statim a principio accipiendo cognitionem de his quæ tunc sibi sunt debita pro illo statu; et sic totum, quod nos per fidem paulatim proficiendo acquirimus, ipsi simul habuerunt, id est, totum quod necessarium ipsis erat ad justificationem et salutem, et perfectioni eorum conveniens. Unde cum pro statu viæ fidem habituri essent, eamque explicitam, eamdem habuerunt in primo instanti creationis : nec novam explicationem acceperunt in duratione sequenti; sub fide autem continentur omnia objecta circa cujus amorem Angeli mereri poterant. Et ipsa voluntas eorum, volendo finem, vult in fine media, sicut in principiis attingit conclusiones. Unde sicut illuminabatur plene per fidem in primo instanti, ita movebatur perfecte voluntas circa finem per caritatem, et circa media ad talem finem per virtutes. Unde non fuit necesse novas operationes seu actus elicere, aut circa nova objecta occupari ad merendum, sed solum circa eadem perseverare. Et totus hic discursus est S. Thomæ (supra, q. 62, a. 5) ubi probat Angelum per unum actum caritatis ita meruisse beatitudinem,

quod post primum actum statim beatus fuit. Quæ doctrina non potest stare nisi Angeli boni continuaverint primum instans : quia eadem operatio mansit, cum ex propria deliberatione post primum instans perseveraverunt in eo in quo cœperant; sic enim verificatur quod post unum actum meriti beatificati sunt, quia ille actus primus, quo meruerunt, continuatus fuit in eis; et sic solum fuit unus : cum tamen malus Angelus primum actum, in quo etiam bonus fuit, interruperit volendo peccatum.

29. *Quod vero* in bonis Angelis *meritum non sic fuerit continuatum,* quod idemmet actus quo inceperunt continuatus fuerit, sed diversus, licet circa idem objectum, alio tamen modo propositum, *ex eo probatur :* Quia post instans creationis in quo operatur Angelus ut motus a Deo, et non ex propria deliberatione, post istud inquam instans, quod est creationis, incipit Angelus deliberate se movere, et tamquam sui juris plene esse, formando dictamen ex propriæ voluntatis imperio; ergo oportet quod objectum illud aliter proponatur nunc atque antea, et actus similiter voluntatis diversus sit. — Patet consequentia : quia ante non erat ille actus cum indifferentiâ ad bonum et malum, sicut postea est, nec cum deliberatione et motione propriæ voluntatis, sicut postea; unde etiam in primo instanti est judicium illud mutabile et flexibile, postea non. Quæ omnia non possunt eidem actui convenire : quia non sunt denominationes extrinsecæ, sed intrinsecæ; et ita, nisi actus mutetur et alius eliciatur, non potest hæc variatio dari. Ergo debet esse alia operatio et aliud instans; et sic duobus etiam instantibus constabit via bonorum Angelorum. — Et favet etiam D. Thomas (in q. 63, a. 6 ad 4) ubi inquit quod « prima operatio fuit omnibus communis, sed in secunda sunt distincti. Et ideo in primo instanti omnes fuerunt boni, sed in secundo fuerunt boni a malis distincti ». Ex quo sic deducitur : Angeli boni sunt distincti et discreti a malis ante condemnationem et glorificationem, dum adhuc erant in via : quia adhuc ut viatores habuerunt pugnam inter se boni et mali Angeli; et dum illi merebantur, isti peccabant. Sed non fuerunt discreti inter se in primo instanti, in quo omnes communiter boni fuerunt, ut inquit D. Thomas, sed in secundo. Ergo, adhuc in via, fuit secundum instans in bonis [1] Angelis. Ergo non unico instanti terminata est.

30. NIHILOMINUS DICENDUM EST **quod, licet utraque hæc sententia sit probabilis, videtur tamen probabilior, et sensui D. Thomæ conformior, quod boni Angeli viam suam uno instanti perfecerunt, continuato a primo instanti creationis usque ad glorificationem exclusive : licet aliquas accidentales variationes habuerit, quæ non sufficiunt distinguere instantia, sed in eodem compatiuntur.**

31. *Quod utraque hæc sententia sit probabilis, constat :* tum ex rationibus pro utraque adductis*, et auctoritatibus D. Thomæ : tum quia utraque habet pro se graves auctores, qui [2] illam probabilem reputant. — Nam quod fuerint duo instantia in merito Angelorum, et duplex operatio, tenent Capreolus (in II, D. 4, q. 1, ad argumenta contra 5^am conclusionem*), Zumel (super q. 63, a. 6, q. 1, concl. 7**), Suarez (lib. VI de Angelis, c. 3), Molina (ad hunc art. 6, q. 63***); et probabilem reputat Nazarius (super eumdem art. controversia unica, concl. 8), Carmelitanum collegium (ibidem, disp. 12, dub. 3, concl. 2). — Quod fuerit autem tantum unum instans et una operatio meriti, qua Angeli consummati sunt, tenet M. Bañez (super eumdem art. 6†, dub. 3, concl. 1), Nazarius (citata conclusione 9††), et Carmelitani Salmanticenses (ubi supra, concl. 1), Vazquez (hîc, disp. 229, c. 10†††) et alii.

* supra, n. 28-29
* ad argum. Scoti
** concl. 1, 2 et 7
*** IP 1851-1853
† I P. q. 63, a. 6
†† q. 63, a. 6 contr. unica, concl. 9
††† n. 42

32. EGO autem IN HANC SECUNDAM SENTENTIAM UT PROBABILIOREM INCLINO : tum propter auctoritatem S. Thomæ expressiorem : tum propter rationem urgentiorem. — *Auctoritas D. Thomæ,* præter supra* relatam arguendo pro ista sententia, constat ex consequentia quadam quam facit D. Thomas (dicta quæst. 63, a. 6 ad 3) ubi in corpore articuli inquit quod, « si diabolus in primo instanti in gratia creatus meruit, statim post primum instans beatitudinem accepisset, nisi statim impedimentum peccando præstitisset. » Ergo si diabolus post primum instans, si non peccasset, beatitudinem accepisset, Angeli sancti qui non peccaverunt post primum instans beatitudinem acceperunt; ergo duravit illud primum instans, quousque receperunt beatitudinem. Rursus, antequam beatitu-

* n. 28

[1] Corrupte omnes : *in nobis Angelis.*

[2] Mendose omnes : *quæ.*

dinem reciperent, dæmones peccaverunt : quia pugna inter malos et bonos Angelos fuit ante eorum condemnationem, et consequenter ante glorificationem bonorum, si quidem ex illa pugna Angeli mali de cælo dejecti sunt (Apo. XII, 7-9), quod est condemnari. Ergo durabat primum instans bonorum Angelorum, dum Angeli mali peccabant, et jam diviserant operationem suam et instans; et sic instans bonorum Angelorum continuatur, et unicum exsistens usque ad glorificationem æquivaluit pluribus instantibus malorum Angelorum.

33. *Ratio vero urgentior ea est :* quia actus primi instantis, et continuationis post illud instans, substantialiter fuit idem, licet accidentalem variationem habuerit; ergo non constituit duplex instans, sed idem continuavit. — Consequentia patet : quia instantia non distinguuntur in Angelis nisi quando actus substantialiter distinguuntur, ita ut unus cesset et alius succedat, nec continuari possint. Hoc autem solum potest contingere dupliciter : aut ex necessitate et propriâ ratione ipsius operis, quia non habet continuabilitatem cum altero : aut ex voluntate operantis, quia vult dividere actus, et uti inadæquatis rationibus aliquorum objectorum vel alicujus objecti, cum possit unicâ adæquatâ ratione uti, quantum est ex natura actûs. Hoc secundo modo est minus decens et perfectus modus in Angelo, licet absolute possibilis : quia de se magis reducuntur et colliguntur ad unitatem, idque magis conducit ad angelicam majestatem, ut non pro libito, sed pro necessitate et ratione, actus multiplicent; et oppositum magis est dæmonum qui levitate suâ ducti magis propendent ad divisionem, sicut boni Angeli ad unitatem, et magis colliguntur quam disperguntur; et quanto paucioribus actibus res absolvitur, si plures necessarii non sint, tanto magis sacratior et augustior apparet. Quare licet in dæmonibus non sit inconveniens quod actus multiplicentur pro libito suo, et pro levitate et mutabilitate cordis, tamen in Angelis sanctis, qui unitati adhæserunt, non convenit poni multiplicationem actuum et instantium ob solam voluntatem, sed ob necessitatem et rationem, quæ nobis non innotescit nisi ex adæquatione actuum.

34. Antecedens autem probatur : quia in illo actu, in quo creati sunt Angeli, conversi sunt ad Deum, non solum ex naturali dilectione et cognitione, sed etiam ex supernaturali, si quidem ibi justificati sunt; ergo actum veræ caritatis elicuerunt, et fidei et spei reliquarumque virtutum quæ ad justificationis gratiam, eamque ita perfectam sicut in Angelis fuit, per se conducunt. Sed in sequenti duratione, post primum illud creationis instans, non cessaverunt ab actu caritatis meritorio et fidei, sed continuaverunt illud : quia meritum eorum semper fuit perfectum, et sic a caritate ortum et formatum : non solum per virtualem attentionem, sed per actualem, quia ista est perfectior et magis decet angelicam sublimitatem. Ergo eadem caritas, quæ in primo instanti actum habuit, consequenter continuata est. Sed omnis caritas viæ, et omnis cognitio fidei quæ est in via, est ejusdem speciei, nec variatur ex propria ratione; ergo, attendendo ad naturam et rationem actûs meritorii, non habuit ille actus unde variaretur. — Quod autem continuatus fuerit ex deliberatione propria, cum in primo instanti inceperit ex sola motione divina, non petit diversum actum, nec variat illum intrinsece et essentialiter : quia in Angelo ad deliberandum et se movendum libertate quoad contrarietatem, et non solum quoad exercitium contradictionis, non requiritur major advertentia aut cognitio quam in primo instanti : quia ipse non fuit melioratus aut auctus in cognitione post primum instans creationis, quam in ipso primo instanti, cum acceperit a primo instanti plenam et perfectam cognitionem circa ea objecta quæ per fidem sibi proponebantur. Non ergo, ad deliberandum, novo actu seu dictamine ex parte cognitionis indiguit; sed solum indigebat duratione, seu operatione aliqua, quæ præcederet, ut ex illa se posset movere, et quasi pleni juris per propriam deliberationem effici. In qua deliberatione, si volebat continuare actum primum, non erat necesse novum actum facere, sed in eodem persistere, cum posset oppositum; et hoc addebatur de novo, scilicet posse oppositum facere, et dictamen primum mutare : quod non addit novum actum, sed novam potestatem seu expeditionem ad illum mutandum : quod in primo instanti non poterat, quia ille erat actus omnium primus : in quo voluntas erat mota sub exercitio libertatis, non imperans et movens intellectum ut dictamen formaret, aut continuaret ex imperio voluntatis.

35. *Dices :* Ipsa nova approbatio voluntatis, et imperium ad continuandum quod antea inceperat, novus actus est, qui ante non erat; ergo

novum instans. — *Item, deliberatio* in actibus distinguit illos a non deliberatis, non solum extrinsece et per extrinsecam denominationem, sed per intrinsecam : nec enim actum esse liberum et indeliberatum aliqua denominatio extrinseca est; ergo variationem actuum importat quoad entitatem et substantiam : nec enim idem actus potest esse liber et non liber, deliberatus et non deliberatus; ergo diversum instans est.

36. *Respondetur :* non esse novam approbationem aut imperium voluntatis substantialiter et essentialiter, si quidem versatur circa idem objectum; sed solum accidentaliter, quia habet potestatem et jus expeditum se movendi : quod antea, ex defectu actûs præcedentis quo se moveret, non poterat. Quare in illo imperio et approbatione ad continuandum sunt duo. Unum est complacentia et voluntas circa illum actum in quo incepit; et hæc cum sit circa idem objectum et actum qui jam cœperat, quia ad hoc est ut actus idem continuetur, non requirit novum et distinctum actum, sed continuationem ejusdem. Alterum est novus modus movendi et dirigendi illum actum, scilicet quia ad continuationem illam procedit se movendo ex alio præcedenti actu et priori, cum tamen inceperit illum actum non ex motione propria, sed ex speciali et propria motione Dei; et hoc non variat intrinsece actum et substantialiter : quia solum pertinet ad rationem seu modum causæ efficientis et moventis, quod formaliter non petit discontinuationem actûs in sua substantia : eo quod ab eodem principio elicitur, et diversitas tota est in illo modo operandi ex motione propria, et se movendo, vel ex motione Dei, ut jam dicemus.

* supra, n. 35, *Item*

37. *Ad secundum* respondetur,* quod actum esse liberum vel necessarium sunt modi intrinseci variantes intrinsece ipsum actum, etsi non semper specie diversificent ipsum : non autem esse actum deliberatum aut indeliberatum præcise, nisi alias actus indeliberatus necessarius sit, et deliberatus sit liber; sed ex eo præcise quod unus sit deliberatus, id est, ex propria motione procedens, aut indeliberatus, id est, ex motione Dei, ex hoc præcise non variatur intrinsece actus. — Ratio hujus est : quia actus non est necessarius aut liber, nisi variato judicio de indifferenti in determinatum omnino ad unum. Ubi autem variatur judicium et advertentia, variatur influxus in actum; et sic actus ipse est alius, quia diverso modo objectum proponitur, et consequenter diversa tendentia datur in illum. Nec tamen semper variatur specie actus, quia potest manere idem objectum specie : sicut patet in actu caritatis erga Deum, qui est liber in via et necessarius in patria, et tamen est ejusdem speciei, quia *caritas non excidit**. Existimo tamen non posse esse eumdem actum numero : quia variatur omnino judicium et cognitio, ex qua regulatur et originatur talis actus in via et in patria, et valde dissimili modo objectum proponitur; et sic diversa tendentia resultat ex parte voluntatis, ut latius dicemus (I-II circa quæst. 6*). Et in præsenti actus ille liber est, et semper liber fuit quoad exercitium, etiam in primo instanti, etiam ut versatur circa finem et circa media : licet quoad unum non habeat libertatem contrarietatis, quoad aliud sic : quod non est actum esse simpliciter necessarium et liberum, etiam pro diversis instantibus vel objectis. At vero actum esse deliberatum, et ex propria motione ortum, vel non esse deliberatum, ex hac præcisa ratione non petit novum judicium et advertentiam : quia, ut actus sit deliberatus, præter advertentiam et cognitionem sufficientem et plenam et cum indifferentiâ ac libertate, requirit etiam aliquem priorem actum et præcedentem, per quem se reducat ad alium : quod est[1] movere se. Et sic potest esse quod actus non sit deliberatus, non ex defectu pleni judicii, indifferentiæ et advertentiæ, sed ex defectu prioris actûs quo moveat se; et sic est in Angelis primus actus, qui indeliberatus dicitur non ex defectu cognitionis et advertentiæ, quia in illo primo instanti fuit *plenus* sapientiâ,* sed ex defectu prioris actûs quo moveat se. In nobis autem est, e converso, indeliberatus actus ex defectu cognitionis seu advertentiæ; et ideo tales actus indeliberati sunt imperfecti et non liberi.

* I Cor. XIII, 8

* infra, tomo V, disp. 3, a. 2, n. 25-29

* Ezec. XXVIII, 12

38. Sic ergo deliberatum et indeliberatum, ex imperfectione et inadvertentiâ proveniens, distinguitur intrinsece a deliberato : quia est intrinsece imperfectius, et ex parte principii influentis et regulantis, scilicet ex parte judicii et objecti, diversitatem inducit : quæ est diversitas intrinseca. Unde etiam talis diversitas reducitur ad diversitatem liberi, et non-liberi, quæ est variatio secundum principia intrinseca.

(1) Ita corrigendum cum LC || Mendose MP *quod est est movere se.*

At vero deliberatum, et indeliberatum quod oritur ex solo et præciso defectu prioris et antecedentis actûs, sine quo potentia non se movet de uno actu ad alium, licet ex se et vitaliter eliciat, non variat intrinsece et substantialiter actum : quia supponitur procedere secundum eamdem perfectionem et plenitudinem judicii et advertentiæ : sicut in Angelis tam perfecta et comprehensiva fuit cognitio in primo instanti, sicut requirebat ipsa perfectio actûs in se. Unde per hoc quod ei deesset prior actus, ex quo se moveret, solum extrinsece actus variabatur : quia hoc non pertinet neque ad principium objectivum a quo sumitur specificatio intrinseca, neque ad principium elicitivum a quo substantialiter actus procedit, sed ad modum extrinsecum applicandi et movendi, scilicet quod se moveat et reducat in talem actum, vel solum moveatur ab alio.

39. *Quod si instes :* Si deliberatus actus est per hoc quod voluntas ex uno actu se moveat ad alium, ergo aliquem actum habet nunc, quem prius non habebat, scilicet illum ad quem se movet; ergo non solum continuatur præcedens actus, sed alius de novo habetur; atque adeo novum instans est, quia instantia variantur sicut et actus : — *Respondetur* quod, etiam dato quod essent diversi actus, non tamen diversa instantia constituerent. Quia unus se habet ex consequenti ad alium, illique connexus est; et ita licet actus sint diversi, tamen quia connexi, et eâdem connexione deducti, ad idem instans pertinent. Quia instans non sumitur nisi ex adæquato actu, vel pluribus inadæquatis qui sub eodem motivo et formali ratione et connexione conveniunt, licet materialiter diversi sint : sicut ad idem instans pertinent plures actus meritorii secundum diversas virtutes; et plura etiam peccata potest Angelus committere quæ pertinent ad idem instans, licet unum sequatur ad aliud, et ex motione illius sit, et post illum ordinetur; et potest, intelligendo hominem vel equum, intelligere individuum quod de novo producitur, non mutando actum, quia illud individuum pertinet ad eamdem speciem et motivum intelligendi. Sic ergo etiam aliquis actus, ad quem se movet, potest sequi ad priorem actum, et erit actus materialiter et entitative diversus; et tamen pertinet ad idem instans, quia sub eodem motivo et ratione formali fiunt, et sub illo mensurantur omnes qui sic connectuntur et consequuntur.

40. Vel secundo dicitur, quod Angelus, sicut non se movet distinctis actibus a principiis ad conclusiones, etiamsi conclusiones plures sint, similiter procedit a fine ad media, etiamsi media sint plura, eodem actu : quia omnia illa sub eodem fine comprehenduntur, et eo actu quo attingit principia, vel finem, attingit conclusiones et media. Similiter ergo in primo actu Angelus etiam attigit media ad quæ ex amore finis se poterat movere, sed totum illud attigit ex motione Dei, et non ex aliquo priori actu quo se moveret. Quando ergo, post primum instans creationis, Angelus bonus continuat eumdem actum meritorium et bonum in quo creatus est, non dicitur de novo moveri formaliter, quasi ex uno actu alium novum adæquate diversum producat; sed dicitur movere se virtualiter, quia ita continuat illum actum, quod posset ad oppositum se movere, et contrarium dictamen formare, et ad id habet jam potestatem expeditam. Et quia, videns se posse ad alium divertere, non vult nisi continuare, ideo dicitur in illo bono actu se movere virtualiter et potestative, non formaliter diversos actus exercendo.

41. AD RATIONES autem QUÆ CONTRA HANC NOSTRAM SENTENTIAM SUPRA * FACTÆ SUNT, sententias ipsas referendo, CONSTAT EX DICTIS. Nam satis superque explicavimus ** quomodo in Angelis deliberatum, et non-deliberatum, non distinguitur penes perfectum et imperfectum in judicio et advertentiâ et cognitione, sed penes habere, vel non habere antecedentem et priorem actum quo moveantur. Unde post primum instans semper deliberate procedunt, licet Angeli mali aliquando præcipitanter et temerarie. — Et quod dicitur *, non posse in primo instanti moveri ad bonum et ad malum contrarie : Respondetur id non esse ex defectu cognitionis et repræsentationis circa bonum et malum speculative, sed defectu moventis motione defectuosâ et dictamine defectuoso, sicut requiritur ad peccatum : quia in illo primo actu et instanti ipsi sibi non possunt formare dictamen et judicium, ut sæpe dictum est *, sed formari debet a Deo; et sic non potest proponi malum cum inconsideratione et defectu practico, ut sequatur illud. Post primum autem instans potest Angelus, si velit, sic inconsiderate et defectuose proponere illud objectum pravum. Si vero velit continuare illud dictamen bonum et sine defectu prosequi, non considerabit malum

* n. 29

** supra, n. 37-40

* supra, n. 29, *Patet consequentia*

* supra, disp. 43, a. 2, nn. 10-12, 16-33, etc; disp. 44, a. 1, nn. 9-10, 20-21, 33-40

practice; sed tamen dicetur considerare bonum, quod continuat novo modo : id est, approbando et volendo ex se continuare illud primum dictamen, quod ex sola applicatione Dei in primo instanti habebat, cum posset discontinuare et ad aliud divertere. Quod non exigit novam formationem dictaminis ex novo imperio, sed velle continuare primum, seu aliud distinctum non velle.

* supra, n. 29, *Quæ omnia*

42. Et cum dicitur*, quod hoc non est denominatio extrinseca in illo actu : Dico denominationem extrinsecam esse : quia solum importat positionem actûs, quo potest ad alium se movere si velit, de facto tamen non vult nisi continuare præcedentem actum. Unde ab actu illo quem potest habere, et non vult habere, non recipit denominationem intrinsecam iste actus quem continuat. Ex positione autem sui et continuatione, in rerum natura non additur sibi aliquid, quod ante non haberet : de se enim vim habet ut illo posito possit se movere, vel ad alium divertendo, vel eumdem continuando. Quod si continuat, nihil additur sibi per hoc quod possit cessare ab illo, et ad alium defectuosum divertere. — Ad locum D. Thomæ* (ex quæst. præcedenti 63, a. 6 ad 4) respondetur : sensum D. Thomæ probatum esse, quod in primo instanti Angeli non fuerunt discreti, sed omnes fuerunt boni; in secundo autem fuerunt discreti mali a bonis, id est, in instanti quod fuit secundum pro malis, sed continuatum pro bonis, et consequenter non diversum : æquivaluit tamen duobus malorum Angelorum. Et sic in secundo instanti, quod fuit in malis Angelis secundum formaliter et in re, in bonis autem æquivalenter, sed formaliter idem et continuatum, fuerunt discreti mali a bonis.

* cf. supra, n. 29, *Et favet*

TERMINATIO VIÆ FUIT, IN BONIS ANGELIS ET IN MALIS, IN DISTINCTO INSTANTI A MERITO.

43. Suppositâ divisione et discretione Angelorum in via inter bonos et malos, quam supra* posuimus, videlicet quod in Angelis bonis instans primum non fuit divisum, sed continuatum et confirmatum, in malis autem divisum fuit et distinctum avertendo se in secundo instanti ab eo quod in primo amaverunt, scilicet a fine recto et bono, vix restabat difficultas quod perveniendo ad terminum, qui in bonis fuit præmium et glorificatio, in malis damnatio et supplicium, vix inquam poterat restare dubium, quod ista glorificatio in bonis Angelis fuit secundum instans distinctum ab instanti merendi, in malis fuit tertium distinctum ab instanti demerendi in quo peccaverunt, et instanti rectitudinis in quo creati sunt. — *Ceterum orta est in præsenti difficultas* ex quadam Cajetani sententia (in q. 63, a. 6) ubi ad salvandam doctrinam S. Thomæ, quod Angeli tantum habuerunt unum actum meritorium per quem ad beatitudinem pervenerunt, et tamen quod aliqui posuerunt impedimentum merito per peccatum, alii vero non, distinxit ipse duplicis generis meritum : alterum est meritum puræ viæ, alterum est meritum termini viæ. Meritum puræ viæ procedit a gratia imperfecta, et præcedit duratione ipsum præmium seu glorificationem. Meritum termini est simul cum præmio. Nec sequitur quod simul sit gratia imperfecta et perfecta, sed quod simul sit terminus gratiæ imperfectæ, et gratia perfecta. Unde ex ratione meriti recte infertur, quod prius duratione sit meritum quam præmium; non tamen sequitur quod nullum instans meriti sit etiam instans præmii. Nam cum meritum sit in via et in termino viæ, meritum quidem prout in via præcedit duratione præmium, prout autem in termino non præcedit præmium, sed est simul cum illo. Eamdem Cajetani sententiam sequitur Nazarius (super eamdem q. 63*, a. 6).

* n. 22-34

* I P. q. 63, a. 6, controv. unica (seu 69), tertia pars, et concl. 10-11

44. Itaque in hac sententia datur aliquod meritum quod solum præcedit præmium antecedentià naturæ, aliquod quod præcedit etiam tempore : et hoc vocatur meritum puræ viæ, illud meritum in termino viæ. Ex quo componitur dictum S. Thomæ, quod per unum actum meritorium pervenerunt Angeli ad beatitudinem, et huic merito positum fuit impedimentum ab Angelis peccantibus : quia, loquendo de merito puræ viæ, illud fuit in primo instanti, communeque fuit omnibus tam bonis quam malis, et impeditum fuit per peccatum malorum. Loquendo vero de merito termini, fuit illud meritum simul cum præmio : ita quod in instanti, in quo Angeli mali peccabant, boni Angeli merebantur, sed simul præmiabantur, eratque illud meritum terminus viæ. Idem censetur de demerito malorum : quod simul peccabant et accipiebant damnationem, non diversis instantibus durationis, sed eodem, licet demeritum naturâ præcederet. Illud enim meritum erat confir-

matum, et hoc demeritum inflexibile; unde utrumque habebat annexam suam retributionem.

45. Ex HAC AUTEM CAJETANI SENTENTIA EXCITATUR PROFUNDIOR DIFFICULTAS : undenam repugnet præmium et meritum simul esse in eodem instanti absolute loquendo : an ex aliquo essentiali et intrinseco prædicato, an ex aliquo extrinseco, licet connaturali, an ex sola Dei voluntate sic disponentis et ordinantis. — Nam quod non repugnet simul esse ex essentiali ratione præmii et meriti, videtur deduci ex communi illa doctrina, quod potest dari præmium anticipatâ solutione : ut si detur equus militi in stipendium futuri laboris. Et licet non possit dari in præmium id quod est principium meriti et radix valoris ejus (ratione cujus gratia non potest dari in præmium boni operis ab ipsa eliciendi), tamen, si principium meriti sit distinctum a præmio, non apparet cur sit incompossibile cum præmio. Sicut si a gratia procedit valor meritorum gloriæ, non apparet cur non possit elici meritorium opus a gratia, exsistente jam gloriâ in homine; et in eodem instanti quo humanitati uniretur persona Verbi [1], quod procedat opus meritorium de congruo talis unionis, non accipiendo valorem et influxum a persona, sed ab humanitate et gratiâ, prout in eodem instanti prius intelligitur humanitas quam persona.

46. *Quod si dicatur* repugnare specialiter gloriam esse in eodem instanti, quo meritum, eo quod meritum regulatur per fidem, cui repugnat visio gloriæ in eodem instanti : — *Contra hoc est :* quia, licet ita connaturali modo fiat, tamen bene potest regulari meritum per cognitionem evidentem supernaturalem : sicut Christus, in quantum viator, non habebat fidem, sed regulabatur illud meritum per scientiam infusam, quæ compatibilis erat cum visione beata. Ergo similiter posset reperiri in Angelo, quod meritum in termino non regulatur per fidem, sed solum meritum puræ viæ, quod præcedit duratione glorificationem. — Quod si solum ex voluntate et ordinatione Dei meritum et præmium non compatiuntur simul, oportebit ostendere unde constet hanc Dei ordinationem ita dari, et indispensabilem esse, si alias non postulatur ex ipsa natura rei; et sic non apparet cur non detur meritum termini simul cum ipsa gloria in eodem instanti durationis, licet præcedat meritum ordine naturæ.

47. NIHILOMINUS DICENDUM EST : **de facto non fuisse in Angelis meritum in eodem instanti et in eadem duratione qua præmium seu gloria; et ita nullum dari meritum quod sit meritum termini et non viæ, sed totum meritum terminatur cum via,** instans autem terminativum est extrinsecum merito et viæ, sicut instans terminativum motûs jam nihil habet de motu, sed cessationem motûs. Et sic verificatur quod meritum duravit tantum per unum instans seu per unum actum in Angelis bonis, scilicet per unum actum continuatum qui æquivaluit duobus instantibus malorum : eo quod, dum illi discontinuarunt actus peccando, boni Angeli continuarunt et in eodem permanserunt.

48. *Hæc resolutio clare deducitur ex D. Thoma* (supra, q. 62, a. 4) : « Actus, inquit, non potest esse meritorius secundum quod est ex libero arbitrio, nisi in quantum est gratiâ informatus. Non autem simul potest informari gratiâ imperfectâ, quæ est principium merendi, et gratiâ perfectâ, quæ est principium fruendi. Unde non videtur possibile, quod simul fruatur et suam fruitionem mereatur. » Et (art. 5 * sequenti, ad 2) : « Instantia, inquit, in his quæ ad Angelos pertinent non accipiuntur nisi secundum successionem in ipsorum actibus. Non autem potuit simul in eis esse actus meritorius beatitudinis, et actus beatitudinis qui est fruitio : cum unus sit gratiæ imperfectæ, et alius gratiæ consummatæ. Unde relinquitur quod oportet diversa instantia accipi, in quorum uno meruerit beatitudinem, et in alio fuerit beatus. » Ita D. Thomas.

* I P. q. 62, a. 5, ad 2

49. ET CUM TOTUM FUNDAMENTUM EJUS SUMATUR per hoc quod non potest dari duplex actus simul in eodem subjecto, unus informatus gratiâ imperfectâ, alius gratiâ consummatâ, oportet videre quæ sit illa gratia imperfecta quæ requiritur ad meritum, et quæ sit illa gratia consummata quæ invenitur in gloria seu præmio. — ET DICIMUS quod gratia imperfecta, quæ de facto fuit data Angelo pro statu viæ, fuit gratia ut regulata lumine fidei. Eam enim habuisse Angelum docet S. Thomas (II-II, q. 5, a. 1) et concors theologorum sententia : quia auctori-

[1] Supple : [*non apparet impossibile*] *quod procedat...*

tates Scripturæ, quibus dicitur fidem esse necessariam ad salutem, ita generaliter et præcise loquuntur ut sine dubio non solum homines sed etiam Angelos comprehendant; sicut cum dicitur (Heb. XI, 6) : *Sine fide impossibile est placere Deo : credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, et inquirentibus se remunerator sit;* (Rom. I, 11; et Gal. III, 17) : *Justus autem ex fide vivit.* Ergo cuicumque convenit justum esse, et ad Deum accedere et Deo placere, fidem habere debet. Angeli autem justificati sunt per gratiam, et accesserunt ad Deum per merita, et placuerunt Deo; ergo habuerunt fidem. Et præsertim, quia in his supernaturalibus æqualiter apud Deum censentur homines et Angeli : est enim in civitate illa cælesti *mensura hominis etiam mensura Angeli,* ut dicitur (Apo. XXI, 17). Et in ipsa gloria promittitur hominibus æqualitas cum Angelis (Mat. XXII, 30; et Mar. XII, 25) : ergo et in merito seu gratia; atque adeo, si homines in merito regulantur per fidem, etiam et Angeli. Si ergo gratia imperfecta, qua Angeli meruerunt, fuit gratia regulata per fidem, fides autem incompossibilis est cum visione gloriæ : ergo repugnat quod in eodem instanti sit actus fidei et visio gloriæ.

50. *Nec Cajetanus dubitat* de incompossibilitate fidei cum visione, cum pugnent penes evidentiam et inevidentiam circa idem, et expresse id doceatur a D. Thoma (I-II, q. 67, a. 3). *Sed fortasse dicet* meritum puræ viæ regulari per fidem, meritum vero in termino non. — *Hoc tamen est inconveniens :* quia meritum termini vel regulatur per ipsam visionem gloriæ, vel per scientiam infusam claram, vel per fidem : nec enim est alius modus cognoscendi Deum supernaturaliter. — Per fidem non potest esse stante visione gloriæ in eodem instanti. — Per scientiam infusam claram non constat regulari illud meritum in illo instanti : nec enim constat, aut fundamentum est ut dicamus, talem scientiam infusam loco fidei succedere in illo secundo instanti antecedenter ad gloriam : nec enim ex Scriptura aut Patribus aliquid tale habetur; sed fidei solum succedit visio gloriæ. Et ita cum constet non minus Angelos habuisse fidem in via ad merendum quam homines, nec aliunde constet eis scientiam claram infundi de mysteriis fidei ante gloriam, sine ullo fundamento ponetur tale meritum in termino non regulatum a fide, sed a scientia infusa, quam nullâ ratione adstruere possumus in Angelo ante visionem beatificam. — Ut omittam, quod scientia infusa, quæ versatur circa res fidei et circa ejus mysteria, non potest clare illa cognoscere, nisi suppositâ clarâ visione principiorum in quibus tales veritates continentur : quia nulla scientia potest clare cognoscere conclusiones, si principia sint cognita obscure. Et si obscure sunt cognita, hoc ipso cognoscuntur per fidem; nam etiam scientia subalternata, dum non continuatur subalternanti, fide utitur credens subalternanti. Et cum mysteria fidei non contineantur in alio principio quam in essentia divina, si hæc obscure cognoscitur, per fidem attingitur. Quare : vel illa scientia infusa cognoscit mysteria seu res fidei evidenter in suo principio, quod est essentia divina clare et evidenter cognita : vel obscure. Si obscure : ergo per fidem; et sic currit argumentum factum, quod non potest simul stare meritum regulatum per fidem in eodem instanti cum visione gloriæ. Si autem cognoscuntur mysteria fidei per scientiam infusam supponentem cognitionem claram suorum principiorum, scilicet essentiæ divinæ, ergo talis scientia infusa oritur ex visione beatifica, et supponit illam; ergo si per talem scientiam regulatur meritum illud quod vocatur meritum in termino, a fortiori regulabitur per visionem beatam, quæ est principium et origo talis scientiæ eamque præcedit sicut cognitio principiorum cognitionem conclusionum.

51. Non potest autem visio beata regulare meritum, sive puræ viæ sive termini : quia sic visio beata esset principium meriti, utpote in illud influens, ipsumque regulans; ergo caderet sub meritum principium meriti : quod repugnat. — Et præterea, quia visio beata essentialiter est præmium; ergo repugnat quod præcedat meritum, ipsumque regulet, ita quod prius habeat præmium, et postea per actus ab eo procedentes mereatur illud : cum potius meritum sit id, ratione cujus datur tantum vel tantum præmium. Et licet in diverso genere causæ possit meritum præcedere præmium, et e contra, tamen hoc non potest intelligi taliter quod præmium præcedat meritum per modum regulantis et dirigentis, seu tamquam cognitio præsupposita ex qua oriatur meritum directive : quia sic influeret in meritum; sed semper debet supponi meritum regulari ab alio, quam a suo præmio. Et sic in alio genere causæ poterunt se ab invicem causare, videlicet in ratione causæ

finalis et dispositivæ (meritum enim disponit ad præmium, et præmium est terminus seu finis illius) : in hoc enim poterunt ad invicem se causare. Ratio est : quia si visio beata, quæ est præmium, regularet meritum, prius haberetur præmium, et esset assecutum, quam poneretur meritum. Meritum autem essentialiter tendit ad hoc ut detur et habeatur præmium; ergo repugnat quod procedat meritum a præmio ut habito et influente in se. Ergo repugnat quod ab eo reguletur et oriatur, cum essentialiter tendat ad illud ut assequendum.

52. Ex his ergo manet exclusum illud meritum non viæ, sed termini, quod ponit Cajetanus et quod dicit non esse incompatibile cum visione gloriæ in eodem instanti. Constat enim ex ratione D. Thomæ meritum procedere ex gratia imperfecta, scilicet ex fide, quæ compati non potest cum consummata, quæ est clara visio gloriæ. De facto enim non est data alia gratia, quæ regulet et mensuret actus meritorios, nisi fides; a visione autem gloriæ meritum mensurari et oriri non potest.

53. QUID VERO DICENDUM SIT ad quæstionem insinuatam* DE POSSIBILI : an scilicet possit aliquis, de potentia absoluta, mereri per aliud principium quod non sit fides, sed compatibile sit cum ipsa visione gloriæ : et ita possit in eodem instanti, in quo est meritum, esse et præmium seu glorificatio ipsa : non taliter quod procedat ille actus a visione gloriæ, nec per illam reguletur, sed quod procedat ab alio principio, et cum eo concomitetur in eodem instanti durationis visio beata? — Id operosius alibi disquirendum est, scilicet agendo de merito Christi, an potuerit gloriam animæ mereri, et tamen non habere habitum fidei qui imperfectionem importat.

* supra, n. 45-6

54. NUNC BREVITER DUO ADVERTO PRO ALIQUALI LUCE HUJUS DIFFICULTATIS. — *Alterum est :* non videri possibile quod meritum procedat et reguletur per cognitionem supernaturalem quæ non sit visio beata, et non sit fides : ut ex dictis* constat. Quia cognitio supernaturalis, quæ regulat meritum, est cognitio mysteriorum fidei, scilicet cognitio Dei et eorum quæ ad Deum spectant : debet enim ad meritum concurrere caritas, et hæc versatur circa Deum; et sic oportet quod reguletur per cognitionem illius et eorum quæ ad Deum pertinent. Cognitio autem supernaturalis de Deo, aut est per visionem beatam, aut per scientiam infusam evidentem, aut per fidem. Visio beata non potest regulare meritum : sic enim non concomitanter se haberet in eodem instanti, sed influxive et causative. Scientia infusa cognoscit mysteria gratiæ ut deducta et contenta in suis principiis, quæ non sunt aliud quam essentia divina. Et hæc, si cognoscitur clare, supponit visionem beatam, et ex ejus influxu cognoscit et derivatur scientia infusa; et ita, si hæc regulat meritum, a fortiori visio beata. Si autem non cognoscitur clare essentia divina, ergo cognoscitur obscure, et consequenter per fidem : et sic inciditur in tertium genus cognitionis, quod est fidei. Hæc autem nullo modo potest stare in eodem instanti cum visione beata. Unde non videtur possibile quod meritum et præmium sint simul in eodem instanti, quando meritum postulat ad sui regulationem principium incompossibile cum visione beata.

* supra, n. 50-52

55. *Alterum, quod advertimus,* est quod quando id, quod datur in præmium, talis naturæ est quod de se habet universalem influxum in omnes actus operantis, tale præmium non potest simul esse cum merito, sed post ipsum : eo quod, si est cum merito, debet influere in ipsum atque adeo esse principium ejus. Repugnat autem principium meriti cadere sub merito, ut est concors theologorum axioma. Sic autem se habent unio hypostatica et visio beata. Nam unio hypostatica cum ponat in humanitate personam, reddatque naturam subsistentem, est principium *quod* omnium operationum : quia actiones suppositorum sunt et subsistentium, ut alibi* satis probavimus. Similiter visio beata influit in omnes actiones liberas tamquam supremum dictamen, et regula comprehendens omnes actiones liberas operantis. Nam ideo beatitudo reddit impeccabiles ipsos beatos, quia videns Deum non potest aliquod dictamen formare defectuosum et aversivum a Deo; et sic omnes actiones illi subjiciuntur; in omnes ergo influit directive et moraliter, quia est cognitio finis ultimi et universalissimi, finis autem ultimus simpliciter omnes actiones comprehendit et in omnes influit. Non ergo illa potest solum concomitanter esse cum merito, et non influxive : quia illud meritum et illa operatio est ex illo fine, et ex vi conjunctionis cum visione beata non potest esse peccatum.

* in Physica, q. 7, a. 2; RE II, 123-5

56. EX DICTIS SOLVUNTUR FUNDAMENTA OPPOSITA. — Nam quod attinet ad doctrinam D. Thomæ, occasione cujus Cajetanus distinxit

* cf. supra, n. 43. *Ceterum* illud duplex meritum *, constat optime salvari sine tali distinctione, sed solum ponendo meritum unius rationis, scilicet puræ viæ; et tamen salvatur quod tantum habuerit Angelus unum actum meritorium, quia est unus per continuationem, dum alii discontinuarunt illum peccando. Et ipse Angelus, qui continuavit meritum, poterat discontinuare peccando; et sic poterat facere quod non esset illud meritum continuatione unum. Omnes tamen habuerunt actum meritorium in primo creationis instanti; et, immediate post instans creationis, quidam voluerunt continuare, quidam peccare et dividere, impedimentum peccati præstando. Unde illi, qui continuare voluerunt, non immediate post instans creationis glorificati sunt, sed adhuc in via perseverarunt et in merito primi instantis; et tamen adhuc verificatur quod post unum actum meritorium glorificati sunt, quia adhuc post instans creationis ille actus meritorius idem manebat, quia continuabatur : et sic non erat diversus, neque duplex actus, sed unus et idem actus meritorius : non pure indivisibiliter unus, sed continuatione unus, æquivalens pluribus malorum Angelorum : quia, dum isti peccabant et discontinuabant actus seu instantia, illi
* cf. supra, n. 32-38 perseverabant in unitate actûs sui *. Quâ perseverantiâ positâ confirmati sunt in bono, eodem actu meritorio exsistente, et in alio instanti seu operatione incepit glorificatio, cessante omni merito.

* supra, n. 45 57. *Ad ea vero quæ adducuntur* * ad inquirendum unde repugnet meritum et præmium esse simul in eodem instanti, *Respondetur* ex
** n. 48 verbis supra ** allatis ex D. Thoma, quod repugnant ex condicionibus essentialiter incompossibilibus : scilicet quia meritum est gratia imperfecta, et gloria est gratia consummata. Quæ imperfectio ex parte meriti ad gloriam est, quia debet supponere carentiam visionis, et obscure seu per fidem cognoscere Deum. Perfectio autem gratiæ consummatæ est, tum in eo quod est cognitio clara Dei; tum in eo quod visio illa est influens universaliter in omnes actus operantis, non solum concomitanter se habens : sicut etiam persona, in unione hypostatica, est universale principium actionum ipsius subjecti; unde per nullam actionem, quæ sit cum tali præmio, potest cadere sub meritum : alias principium influens in meritum caderet sub merito. Et Christus Dominus merebatur ut viator, non obstante quod erat beatus; non tamen merebatur ipsam gloriam animæ, sed gloriam corporis et alia extrinseca. Unde in aliis præmiis, quæ non sunt gloria et unio hypostatica, an possint in eodem instanti simul esse præmium et meritum, non disputo, nec contendo, saltem de possibili; licet, connaturaliter loquendo, non convenienter ponantur in eodem instanti meritum et præmium, si simpliciter meritum sit et non etiam dispositio quæ perseverat et compatitur cum ipso præmio. Immo ex hoc judicari et discerni debet quando meritum compatitur cum præmio, vel non : scilicet quando procedit meritum ex principio compatibili cum præmio, potestque perseverare stante præmio, nec præmium influit valorem in meritum : ut quando se habet operatio meritoria per modum dispositionis, et præmium per modum formæ : forma enim compatitur cum dispositione ex se secuta.

58. Unde solvitur instantia quæ adduci solet pro sententia Cajetani : Quia non repugnat in eodem instanti, quo infunditur gratia sanctificans, esse actum contritionis, qui est actus meritorius, saltem de congruo, respectu ipsius gratiæ; ergo bene stat meritum in termino simul cum ipso termino. Et idem est de augmento gratiæ per actum ferventiorem quo quis se disponit ad illud : simul enim infunditur hoc augmentum, et exsistit actus ille meritorius. Cum enim meritum sit via ad præmium, et non repugnet dari actionem instantaneam quæ simul sit fieri et factum esse, similiter non repugnabit quod simul sit actus meritorius et ejus terminus, seu præmium.

59. *Et confirmatur amplius* in sententia probabili, quod in instanti separationis animæ potest dari actus meritorius, vel dispositivus ad præmium, et mensurativus ejus; ergo non est negandum quod simul sit meritum et præmium in eodem instanti. — Antecedens variis exemplis probatur. Nam, in primis, in sententia plurium Thomistarum probabile est, quod actus minus intensi qui meruerunt augmentum caritatis, et de facto non præbuerunt illud in hac vita, quia non proruperunt in actum ferventiorem, in illo instanti separationis prorumpunt in ferventiorem actum, et disponunt ad augmentum caritatis et gloriæ; et tamen illud instans potest esse instans glorificationis, si anima nihil purgandum tunc habeat. Item martyrium non consummatur nisi in ipsa morte, quia ante mortem nullus dicitur martyr; martyrium

autem est actus meritorius; ergo datur meritum in termino post hanc vitam. Et idem est si quis cum attritione confiteatur, et in ipso instanti ultimo prolationis formæ separetur anima, vel sensum prorsus amittat, et sic moriatur; recipit gratiam; ergo potest in termino vitæ justificari et beatificari : ergo et mereri.

* cf. supra, n. 58

60. Respondetur : illas instantias * nihil juvare oppositam sententiam. Quia meritum illud, sive contritionis ad primam justificationem, sive ferventioris actûs ad augmentum, non sunt merita provenientia ex aliquo principio incompossibili cum ipso præmio, sed sunt dispositiones ad talem formam requisitæ, immo ab ipsa derivatæ et formatæ, et sic cum ipsa compossibiles. Unde non negamus [1] meritum et præmium repugnare simul solum ex ratione communi et genericâ actionis meritoriæ, cum hæc instantanea esse possit et simul cum termino, sed ex ratione speciali talis meriti et talis præmii, quatenus a principiis incompossibilibus procedunt, ut dictum est *.

* supra, n. 48-52
** supra, n. 59

61. *Ad confirmationem* ** *etiam patet ex dictis.* — Nam ille ferventior actus, qui tunc prorumpit in instanti separationis, jam non est meritorius : quia est extra statum viæ; sed est dispositivus ad illud augmentum, sine novo merito. Talis autem dispositio non est incompatibilis cum illa forma, quæ est gloria, sed ejusdem rationis cum illa, et cum ea perseverans. — De martyrio * dicimus non consummari ejus meritum in ipsa morte in facto esse, sed in ipsa morte in fieri, id est, immediate ante separationem animæ, aut quando ex vi passionis redditur inevitabilis ipsa mors, seu cum « aliquis voluntarie patitur inflictionem [2] mortis », ut docet S. Thomas (II-II, q. 124, a. 4 ad 4). — De illo qui in momento separationis accipit absolutionem *, quia ibi terminatur prolatio verborum, si non habet nisi attritionem, certius est non justificari : quia in instanti intrinseco separationis sacramenta non operantur, quæ sunt signa sensibilia recepta in homine; tunc autem jam non est homo. Secus est si tunc incidat in amentiam : quia in illo instanti adhuc est homo, licet non exerceat functiones humanas. Non requiritur autem, ad hoc ut recipiatur sacramentum, quod subjectum actu exerceat liberas actiones; sufficit quod exsistat vere homo, et ante exercuerit illas actiones, nec retractaverit. Potest tamen in instanti separationis sibi remitti peccatum veniale; sed tunc in illo instanti non habebit gloriam, quia restabit pœna illius luenda in purgatorio (de quo D. Thomas in IV, D. 21, q. 1, a. 3 *). Vel si in eodem instanti tota pœna illi irrogetur a Deo, adhuc non merebitur simul cum gloria, quia est extra statum viæ, sed satisfaciet.

* cf. supra, n. 59, *Item*
* cf. supra, n. 59, *Et idem*
* præsertim qla 1

[*Corollarium.*]

62. Ex dictis colligitur, non repugnare quod peccatum Angeli et pœna illius simul in eodem instanti detur; de facto tamen incepit pœna dæmonum quando et gloria Angelorum, fuitque instans tertium in dæmonibus quo terminata est illorum via, secundum autem in Angelis. — Prima pars deducitur ex dictis * : quia demeritum est culpa, quæ non est incompossibilis cum damnatione, nec a principio aliquo ei incompossibili procedit; immo cum ipso statu damnationis vehementius crescunt peccata. Non ergo cessant peccata adveniente supplicio; ergo possunt simul esse in eodem instanti peccatum Angeli cum obstinatione, et simul cum supplicio. — De facto tamen præcessit in Angelis instans peccati, et fuit ante instans damnationis, non propter incompossibilitatem, sed propter diversitatem actionum : quia aliquæ actiones fuerunt in Angelis peccantibus, quæ cessaverunt in damnatione et supplicio eorum. Ergo fuerunt diversa instantia : quia instantia in Angelis distinguuntur penes diversos actus, quorum unus cessat, alio adveniente. Antecedens patet : quia Angeli peccantes non fuerunt puniti quamdiu erant in cælo, sed cum ex illo projecti sunt. At quando erant in cælo, fuit pugna inter Angelos bonos et malos (Apo. xii, 7) : *Factum est prælium magnum in cælo, Michael et Angeli ejus præliabantur cum dracone, etc.;* cum ergo exercebatur pugna, jam Angelus peccator erat, quia draco erat, et tamen adhuc non damnatus, quia adhuc in cælo erat; et illa pugna cessavit, cum projectus est de cælo et punitus in inferno; ergo aliquod instans cessavit in damnatione, quod durabat in culpa, quia instans operatio est.

* præsertim nn. 51, 57, 60

63. *Nec obstat,* quod post unum instans immediate est tempus; et sic in illo tempore

[1] Ita omnes ‖ Intelligito : *non dicimus... repugnare*. De qua negantiarum abundantia consulas tomi I Præfationem, cap. iii, art. 2, § 3, n. 2.

[2] Mendose omnes : *inflexionem*.

immediate post neque essent in termino, quia nondum inceperat damnatio, neque in via, quia cessaverat instans peccati. *Contra enim est* : quia instantia in Angelis non se habent sicut instantia nostris temporibus, quæ ex partibus motûs procedunt, et inter illas colligantur : sed sunt indivisibiles durationes perfectæ, ab omni motu divisibili independentes; et sic immediate se habet unum instans ad aliud*, transitque Angelus ab una duratione indivisibili unius operationis ad aliam sine mediâ divisibilitate motûs. Quare Angeli in alio instanti puniti sunt, in aliquo (1) peccaverunt. Peccaverunt pugnando, et negotiando multa; cessavit pugna, et negotiatio seu suasio aliorum, in ipsa damnatione. Incepit in damnatione passio et pœna acerbissima ignis, multaque peccata in Deum ut blasphemiæ, odium, aliaque similia, quæ in damnatione perseverant. — Quando autem aliqui Patres dicunt « initium* damnationis in ipsa aversione Angelum invenisse, ut non sit aliud incipere jam puniri, quam illius beatifici boni dilectione destitui, » intelliguntur de initio damnationis extrinseco : quia cum fuerunt obstinati in malo, hoc ipso in tali aversione incepit damnatio. Et eodem modo dicitur « hoc fuisse Angelis lapsum, quod hominibus mors* », scilicet quoad obstinationem et inflexibilitatem ad resipiscendum : non quoad intrinsecam inceptionem supplicii, quasi cum ipso lapsu inceperit in dæmonibus.

* cf. supra, 13·19

* Fulgentius, *De fide ad Petr.*, c. 3, n. 35; PL 40, 763

* Damascenus II, *De fide orth.*, c. 4; PG 94, 877 C

ARTICULUS II

Quæ sit causa obstinationis in dæmonibus.

1. OBSTINATIO in malo est firma et immobilis adhæsio voluntatis ad finem pravum sine ullo remedio retrocedendi, et convertendi se ad bonum : et hæc datur in damnatis, quia *in inferno* nulla est redemptio,* nec ibi *aliquis ordo, sed sempiternus horror inhabitat***. E contra vero confirmatio in bono est immobilis adhæsio erga rectum finem sine ulla potestate aut periculo recedendi ab illo, sicut datur in statu gloriæ.

* responsor. *Peccantem me*, in breviario cf. PL 54, 252 C

** Job. x, 22

2. DUO autem TAMQUAM CERTA SUPPONENDA SUNT. — PRIMUM EST, in damnatis dari hanc obstinationem, ita ut reverti non possint ad bonum, neque a malitia sua converti. — Constat hoc in Scriptura : tum ex ipsa continuatione culpæ : tum ex perpetuitate pœnæ, quæ non posset esse perpetua si a culpa posset damnatus resipiscere : pænitenti enim conceditur remissio, et peccato remisso cessat pœna, aut temporalis redditur. Quod ergo in damnatis semper continuetur, constat in primis ex illo (Psal. LXXIII, 23) : *Superbia eorum, qui te oderunt, adscendit semper;* si ergo semper adscendit, numquam cessat : quod est obstinatum in peccato habere cor. Item numquam damnatos de peccato pænitere deducitur ex illo (Psal. VI, 6) : *In inferno autem quis confitebitur tibi?* Item (Eccle. IX, 10) : *Nec opus, nec ratio, nec scientia erunt apud inferos;* si autem a peccato possent resipiscere, rationem haberent et opus bonum. Ad quod etiam pertinet illud Christi Domini (Joa. IX, 4) : *Venit nox* (id est, damnatio post mortem) *quando nemo potest operari;* et (Gal. VI, 10) : *Dum tempus habemus, operemur bonum;* ergo post hoc tempus, scilicet post spatium hujus vitæ, non est operatio bona. — Similiter constat pœnam seu supplicium damnatorum in perpetuum duraturum, juxta illud (Mat. XXV, 41) : *Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo et Angelis ejus;* et infra* : *Et ibunt hi in supplicium æternum.* Ubi autem pœna est æterna, culpa non remittitur; ergo semper manet; ergo voluntas illi semper adhæret et afficitur : quod est esse obstinatam voluntatem in malo; si enim voluntas illi non adhæreret, ab illa resipisceret.

* Mat. XXV, 46

3. Unde S. Gregorius (lib. XXXIV Moralium*) exponens illa verba (Job, XLI, 23) : *Æstimabit abyssum quasi senescentem,* id explicat de persuasione diaboli, qua aliquibus persuadet abyssi seu inferni pœnas quandoque finiendas : qui fuit error Origenistarum, quem etiam refutat S. Thomas (in hac q. 64*, a. 2); et inde deducit** voluntatem dæmonum esse obstinatam

* c. 19, n. 34; PL 76, 737

* I P. q. 64, a. 2

** D. Thomas, ibidem

(1) Sic omnes || Legendum censemus : *in alio.*

in malo, quia numquam mutabitur ejus voluntas in bonum, ut pœna ejus finiatur. Et rationem solvens S. Gregorius (citato loco), cur videlicet sancti non orent pro damnatis, cum scriptum (1) sit : *Orate* * *pro inimicis vestris*, respondet : « Orant ** sancti pro inimicis suis eo tempore, quo possunt ad fructuosam pænitentiam eorum corda convertere, atque ipsa conversione salvare. Et quomodo pro illis tunc orabitur, quando jam nullatenus possunt ad justitiæ opera ab iniquitate commutari? Eadem itaque causa est, cur non oretur tunc pro hominibus æterno igne damnatis, quæ nunc etiam causa est ut non oretur pro diabolo Angelisque ejus æterno supplicio deputatis. » Igitur certissimum est, et contrarium est error manifestus, ut D. Thomas (citato loco *) dicit, quod dæmones et damnati non possunt converti ad pænitentiam : quod est esse obstinatos in malo.

* Mat. v, 44
** xxxiv *Moral.*, c. 19. n. 38; PL 76. 739

* I P. q. 64. a. 2

4. Secundo, tamquam certum supponendum est hujus tam duræ obstinationis et tenebrosæ obcæcationis causam solum posse esse duplicem, scilicet extrinsecam et intrinsecam. Cum enim miserabilis ille status creaturæ damnatæ comparetur nocti (Joa. ix, 4) : *Venit nox, quando nemo potest operari,* sicut materialis nox habet causam intrinsecam et extrinsecam, ita et nox spiritualis. Causatur enim nox ex absentia solis tamquam ex causa extrinseca, et ex interpositione terræ inter nos et solem, quæ est obstaculum impediens illuminationem solis. Sic ergo horrenda illa nox, quæ cadit in spiritum in peccato mortali finientem statum viæ, solum oritur ex duplici causa : scilicet ex subtractione divinæ gratiæ tam actualis quam habitualis, et hæc est causa extrinseca, scilicet absentia Dei illuminantis; et secundo ex adhæsione immutabili ad peccatum. Si enim *peccata nostra diviserunt inter Deum et nos,* ut dicitur (Isa. lix, 2), ubi voluntas adhæsionem perpetuam habet ad peccatum, immobilem obstinationem habet, et excludit omne Dei auxilium et gratiam a se. — Utramque hanc causam in obstinatione diaboli assignavit S. Thomas. Primam quidem, scilicet extrinsecam, (in q. 24 *de Verit.* a. 10; et q. 16 *de Malo,* a. 5) dicens quod causa obstinationis dæmonum est denegatio divini auxilii. Secundam vero causam, scilicet intrinsecam, dicit esse inflexibilitatem Angeli, qua post plenam deliberationem et electionem circa unam partem illi adhæret tantâ immobilitate, quantâ ipsi fini in communi : quia eodem actu et impetu fertur in finem (2), [et] intendit in media quæ ex deliberatione et motione finis vult eligendo determinate (quam causam tradit in hac q. 64, a. 2; et IV Contra Gent. c. 95).

5. Licet autem quæcumque causa obstinationis ad unam ex prædictis reduci debeat, utraque tamen singillatim sumpta suas patitur difficultates; et graviores se offerunt circa secundam, quam circa primam. Singulas tamen examinabimus in præsenti.

SUBTRACTIO OMNIS AUXILII AD BONUM EST CAUSA OBSTINATIONIS DÆMONUM.

6. Quod subtractio divini auxilii sit causa obstinationis in malo, difficultate caret. Sicut enim, positâ permissione divinâ, infallibile est hominem cadere in peccatum, ita continuatâ permissione certum est continuari peccatum; et sic denegatâ omni gratiâ ad bonum voluntas manet affecta ad malum, et adhæsio ista continuata obstinatio est. Nihil autem aliud est permissio cadendi in peccatum, quam denegatio gratiæ et subtractio auxilii : dicitur enim Deus *obdurare* * *corda,* non impertiendo malitiam, sed non largiendo gratiam, ut Augustinus ** docet. Quod autem dæmonibus denegetur omnis gratia, omneque auxilium ad bonum, deducitur ex ratione communi hominibus et Angelis damnatis : scilicet ratione statûs illius, qui est status summæ miseriæ, status termini ultimi, status retributionis peccati secundum rigorem divinæ justitiæ. Et, præter rationem communem Angelis et hominibus, etiam attenditur specialis aliqua ratio in Angelis, propter quam Deus illis subtrahit omne auxilium gratiæ.

7. *Igitur ille status damnationis,* in quantum communis est Angelis et hominibus, *exigit subtractionem omnis auxilii divini :* primo quia est status summæ miseriæ et infelicitatis, sicut status beatitudinis est summæ felicitatis. Quæ summa miseria explicatur illis verbis (Job x, 22) : *Ubi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat;* et illis supra • citatis (Eccle. ix, 10) : *Nec opus, nec ratio, nec scientia erunt apud inferos.* Status ergo tantæ miseriæ quod caret omni

(1) Ita bene corrigit C ‖ Mendose ML *scriptutum* ‖ Male P *scripturum*.

(2) Male omittunt omnes conjunctionem *et* ‖ Posset tamen etiam legi : *eodem actu et impetu,* [*quo*] *fertur in finem, intendit in media...*

ordine, omni scientiâ, omni ratione, et vestitur omni horrore, etiam petit carere omni auxilio ordinante ad bonum et ad rationem. — Secundo, ille est status termini ultimi, per quem aliquis ponitur extra viam. In via autem tenditur ad patriam et ad beatitudinem. Ergo qui ita deviat, quod amplius non potest poni in via sed est in termino ultimo et totaliter extra viam, manifestum est quod ex vi talis termini carere debet omni auxilio ordinante et dirigente ad patriam; omne autem auxilium ad bonum opus est de se directivum ad ultimum finem, qui est Deus et beatitudo. Unde dicit D. Thomas (q. 16 *de Malo*, a. 5 *) quod « immutabiles sunt Angeli post primam electionem, vel in bono vel in malo : quia tunc finitur in eis status viatoris. Unde non pertinet ad rationem divinæ sapientiæ, ut ulterius dæmonibus gratia infundatur, per quam revocentur a malo primæ aversionis, in qua immobiliter perseverant ». — Denique, quia ille status est status retributionis secundum rigorem justitiæ, convenit ut tunc denegetur omnis gratia : quia per peccatum homo incurrit debitum carendi illâ. Unde hoc ipso, quod ponitur extra statum viæ in peccato per quod abjecit a se gratiam, nec amplius voluit illam ut se ordinaret ad debitum finem, justum est ut divina justitia id exsequatur, illumque omni gratiâ et benedictione seu auxilio suo privet, juxta illud (Psal. CVIII, 18) : *Et dilexit maledictionem, et veniet ei; et noluit benedictionem, et elongabitur ab eo*. Et ita hoc reducit D. Thomas ad divinam justitiam (in q. 24 *de Verit*. a. 10) : « Hoc, inquit, justitia ejus deposcit : justum est enim, ut qui bene velle, dum possent, noluerunt, ad hanc miseriam deducantur, et bene velle omnino non possint; » quod utique est denegatio omnis auxilii sufficientis, si quidem auxilium sufficiens dat posse.

* in fine corporis

8. Subdit tamen S. Doctor (in calce corporis *) specialem rationem habere in Angelis divinam justitiam, ut eos privet omni auxilio gratiæ : quod, « quia per alium non [1] ceciderunt, nec per alium resurgere debent. » — Est vero alia peculiaris causa in Angelis pro sua abstractione : quia congruit modo connaturali operandi eorum, ut quia immobiliter adhærent suæ sententiæ et electioni, in qua semel firmantur, ideo, semel positâ electione et adhæsione eorum ad malum, non amplius eis detur unde convertantur. Sed hoc ad causam intrinsecam obstinationis pertinet, de qua statim * agemus.

* *de Ver.*, q. 24, a. 10

* infra, n. 18 sqq.

9. INSURGIT NIHILOMINUS contra hanc obstinationis causam NON DISSIMULANDA DIFFICULTAS. Etenim damnati retinent libertatem ad peccandum, et de facto peccant in illo statu; ergo non debent carere auxilio sufficienti ad bonum. — Patet consequentia : quia, si non haberent auxilium sufficiens, non haberent potentiam ad bonum, quia auxilium sufficiens dat posse : in hoc enim consistit sufficientia. Si autem non habent potentiam ad bonum, non peccant in non-faciendo bonum : quia ad peccandum requiritur quod aliquis possit facere, et non faciat, id quod lege præceptum est; si ergo non possunt facere bonum, ergo non peccant in non-faciendo illud, sed sunt necessitati ad malum. Ad libertatem autem peccati requiritur potentia ad utrumlibet, tam ad bonum quam ad malum, quæ est libertas contrarietatis. Sine auxilio autem sufficienti non datur potentia ad bonum. — Quod si retinent potentiam ad bonum, ac per hoc habent auxilium sufficiens : ergo non carent omni gratiâ et omni auxilio Dei. Et ulterius obstinatio dæmonum solum erit carentia auxilii efficacis ad operandum de facto, non auxilii sufficientis quo operari possint si velint : quod negat D. Thomas (ubi * supra). Et sic non erit major obstinatio dæmonum et hominum damnatorum, quam obduratio aliquorum peccatorum in hac vita, quibus denegatur auxilium efficax totaliter, quia nullum opus bonum faciunt : præsertim aliqui insignes peccatores, qui circa mortem nullum bonum opus faciunt, nec facturi prævidentur, et sic moriuntur; ergo talibus denegatur omne auxilium efficax; nec tamen eorum obduratio tanta est, quanta obstinatio dæmonum. Quare difficile est componere libertatem damnatorum, et imputationem peccati, cum carentiâ omnis auxilii sufficientis, etiam ad bonum honestum ordinis naturalis : per quod auxilium datur ipsum posse.

* *de Ver.*, q. 24, a. 10

10. VARIE CONANTUR AUCTORES HANC DIFFICULTATEM DISSOLVERE. — *Quidam, ut P. Vazquez* (hîc, disp. 241 [2], c. 4), dicunt damnatum carere omni cogitatione congruâ seu efficaci, quæ habitura sit aliquem effectum : hanc enim censet esse gratiam, seu gratuitum donum et indebitum, etiamsi sit ordinis naturalis; unde

[1] Mendose omittunt omnes negantem particulam *non*, quam ex D. Thomæ editionibus restituimus.

[2] Mendose omnes : *141*.

optime potuit Deus hujusmodi gratiam denegare damnatis; et sic manent privati omni operatione bonâ, etiam ordinis naturæ. — Hæc tamen solutio solum denegat dæmonibus auxilium efficax, non sufficiens : quod est contra D. Thomam supra* citatum (q. 24 *de Veritate*). Et, ut bene contra ipsum Vazquez urget Suarez (lib. VIII de Angelis, c. 9**), negatio cogitationis congruæ potius in sententia Vazquez debet poni pro effectu obstinationis, quam pro causa (1). Quia juxta dictam solutionem non negatur Angelis auxilium sufficiens, sed efficax : quia sufficiens requiritur ut imputetur peccatum : sine ipso enim non datur posse ad bonum. Auxilium autem ipsum sufficiens in sententia Vazquez redditur congruum vel incongruum non ex se, sed ex futuro consensu vel dissensu voluntatis : qui dissensus resistentia est et obduratio voluntatis. Ergo potius obstinatio seu resistentia voluntatis est causa incongruitatis auxilii, quam incongruum auxilium sit causa obdurationis et obstinationis in dæmone.

* n. 7. in fine

** maxime n. 8 sqq.

11. *Alii existimant* Deum denegare concursum generalem et simultaneum ipsi damnato, ne eliciat aliquem actum bonum; et sic dici obstinatum in malo. Non potest autem creatura elicere aliquam operationem denegato concursu generali. — Sed isti vel fatentur denegari etiam auxilium sufficiens denegato simultaneo, vel concedunt manere. Si denegatur sufficiens, quare recurrunt ad negationem simultanei? cum simultaneus non det ipsum posse, sed supponat. Et tunc restat illis integra difficultas, quomodo cum denegatione sufficientis auxilii stet libertas ad utrumlibet, imputeturque peccatum, si deest potentia ad bonum. Si vero non denegatur sufficiens auxilium, currunt difficultates allatæ*; nec assignatur obstinatio quæ tollat posse facere bonum, sed solum quæ deneget efficax seu actuale auxilium. Certe, positâ potentiâ et auxilio sufficienti ad bonum, dicere quod Deus negat concursum generalem in perpetuum, videtur violentiam quamdam inducere (sicut si igni denegetur concursus ad calefaciendum), et ad miraculum perpetuo continuatum obstinationem illam reducere, non ad connaturalitatem illius statûs. Inconveniens autem est ponere potentiam cui perpetuo Deus deneget concursum generalem, qui omnibus creaturis communis est.

* supra, n. 9, *Quod si retinent*

12. *P. Suarez* (lib. VIII de Angelis, c. 11*) *dicit* « obstinationem dæmonum oriri ex misero statu quem habent, adjunctâ naturali condicione et fragilitate voluntatis creatæ, suis tantum viribus relictæ, sine ullo gratuito vel morali dono », cum solo physico concursu generali. Miseriam autem illius statûs exaggerat* per condiciones ad illum concurrentes : sicut continua consideratio malorum quæ patiuntur, bonorum quæ amiserunt, peccati quod commiserunt; continuum odium Dei, quem vix apprehendunt ut beneficum, sed ut punientem, ita ut ipsum esse quod eis dat non reputent beneficium : potius enim vellent non esse, quam sic esse. Ex quibus infert hanc impossibilitatem operandi bonum, in quo obstinatio consistit, non esse physicam, sed moralem : tantam tamen, ut oppositum infallibiliter numquam eveniat, sicut homini lapso impossibile est omnia venialia collective vitare. Quod si majorem impossibilitatem velimus illi obstinationi tribuere, necesse est denegationem auxilii generalis ad omne bonum eis tribuere. — Certe in hoc modo dicendi illud desideratur, ut explicetur tandem, an denegetur eis et subtrahatur omne auxilium sufficiens inter tot miserias illius statûs : quia, si denegatur, restat explicare punctum difficultatis, quomodo eis imputetur peccatum. Si non denegatur, est contra D. Thomam; et non est illa obstinatio carentia omnis auxilii, sed tantum efficacis : quod etiam datur in hac vita.

* n. 2

* n. 5 sqq.

13. **QUARE DICENDUM EST quod, auxilium sufficiens cum constet ex multis concurrentibus ut potentia constituatur proxime potens et expedita ad agendum, aliquid pertinens ad auxilium sufficiens datur damnatis, et aliquid denegatur.** — Concurrit autem ad rationem auxilii sufficientis aliquid ex parte cognitionis quasi speculativæ, qua cognoscitur ipsum bonum, etiam supernaturale, et judicatur de ejus convenientiâ aut excellentiâ secundum se et quasi in abstracto : quæ est cognitio arida, et non affectiva, nec inclinativa affectûs, sufficiens tamen ad formandum dictamen indifferens. Hoc enim non semper formatur ex objectis quibus afficimur, sed etiam ex his quibus dissentimus, ita quod unum extremum repræsentatur contrarie ad alterum, unum ut abominandum, aliud ut amandum. — Concurrit

(1) Mendose omnes : *pro casu* ‖ Nostra lectio, tum ex fine hujusce n. 10, tum ex Suarezii loco, certissima evadit.

secundo ex parte auxilii sufficientis cognitio affectiva, seu excitativa voluntatis, licet inefficaciter, respectu consensûs; inspiratio etiam in ipsam voluntatem, non qua de facto consentiat, sed qua paulatim disponitur voluntas ad consentiendum. Sæpe enim sentimus aliquas in voluntate dispositiones et excitationes ad bonum, quas tamen repellimus et ad effectum non perducimus; et tales non perveniunt ad vim gratiæ efficacis, sed manent in vi sufficientis auxilii; sed tamen plus habent quam sola et arida cognitio boni secundum se, et quasi in abstracto. Denique serviunt ad auxilium sufficiens etiam habitus infusi, sicut fidei et spei, piæ affectionis, et si qui alii qui etiam in peccatore possunt reperiri; serviunt externæ suasiones, bona exempla, Sacramenta, etc. **His sufficientibus auxiliis, quæ uno verbo vocamus « auxilium sufficiens affectivum », omnino privatur diabolus et spiritus damnatus.**

14. *Sic enim docet S. Thomas* (in hac q. 64, a. 1), quod cognitio affectiva totaliter est ablata a dæmonibus, non illa quæ in speculatione consistit, etiamsi supernaturalis sit. Et hoc congruit illi miserrimo statui in quo *nullus ordo** utique, nec ordinatio ad bonum, *sed sempiternus horror inhabitat*. — Quod autem hæc affectiva cognitio pertineat ad auxilium sufficiens, et non ad efficax, patet : quia non habet infallibiliter annexum ipsum effectum, sed sistit in puro affectu, seu dispositione inclinante affectum; et consequenter se habet in actu primo, respectu consensûs : quod est pertinere ad auxilium sufficiens.

* Job. x. 22

15. QUOD vero AD SALVANDAM LIBERTATEM SUFFICIAT COGNITIO INDIFFERENS pro utroque extremo, licet non sit inclinativa nec affectiva ad utrumque, sed ad unum tantum, CONSTAT EX DICTIS* : Quia aliquando proponuntur duo contrarie opposita, unum ut fugiendum et abominandum, aliud ut prosequendum, quia opposita sunt; ergo non requiritur cognitio affectiva erga utrumque, sed sufficit affectiva erga unum, et cognoscitiva tantum erga alterum, licet in abstracto et quasi speculative. Quia ad libertatem sufficit potentia indifferens remota, ita quod non se habeat coacte ad aliquod extremum, licet desit illi potentia proxima ad sequendum alterum ex parte inclinationis et affectus circa tale objectum. Licet autem potentia voluntatis sit vis elicitiva utriusque actûs, sive boni sive mali, et hæc maneat in dæmonibus quantumcumque obstinentur; et similiter licet objectum hujus potentiæ sit bonum cognitum et propositum, et hoc etiam maneat in dæmonibus, qui cognoscunt objectum bonum a quo aversi sunt (si quidem illud odio habent) : tamen ultra hoc requirunt (1) vires in voluntate quibus proxime reddatur potens, id est, proportionata et coaptata erga hoc objectum ut ponderet et inclinetur in illud. Inclinatur autem et vires sumit voluntas per affectum : quia vires istæ sunt ad ponderandum et inclinandum in aliquod objectum, et pondus seu vis illa ponderativa non est aliud quam affectus, juxta illud Augustini* : « Pondus meum amor meus. » Et sicut intellectus accipit ex cognitione et illustratione principiorum vires per modum luminis ad penetrandas et inferendas conclusiones, ita voluntas ex affectu finis redditur ponderans et vires habens ad ea quæ ex fine deducenda sunt. Unde ipsa inspiratio qua Deus voluntati dat affectum et suavitatem, et coaptat voluntatem erga aliquod objectum, sunt vires gratiæ, quibus homo potest operari : sicut illustratio principiorum dat vires intellectui ad inferendum conclusiones. Et e contra privatio istius affectûs et suavitatis, seu proportionis voluntatis erga bonum, est absentia gratiæ, qua induratur voluntas et manet sine viribus, quasi intellectus sine principiis et visus sine luce, erga objecta appetenda.

* supra, n. 13. *Concurrit autem*

* XIII *Confess.*, c. 9; PL 32, 849

16. *Ex quibus manifeste explicatur* quomodo obstinata voluntas maneat libera ad peccandum, sibique imputetur peccatum, et tamen careat omni auxilio sufficienti et potentiâ proximâ, seu viribus gratiæ ad volendum quodcumque bonum honestum. Nam voluntas obstinata manet potens et indifferens ad utrumque objectum, bonum et malum, in ratione potentiæ volitivæ physice, et manet cum cognitione utriusque objecti; et ex hac parte retinet totam suam libertatem ad utriusque volitionem, plenamque indifferentiam, sive ulla coactione. Sed tamen caret omni incitativo et affectivo ad bonum honestum, etiam naturalis ordinis, ideoque privatur omni gratiâ et auxilio disponente et inclinante seu afficiente ad bonum. Et sic manet privata, etiam in actu primo et in præparatione, omnibus viribus et auxilio sufficienti affectivo ad bonum, omnique inspiratione ad bonum. Et hoc sufficit ut dicatur

(1) Sic omnes, non insulse || Forte tamen legendum erat : *requiruntur*.

simpliciter non posse converti diabolum ad bonum : non solum quia difficile, sed quia simpliciter non potest : sicut Augustinus * et Patres ** et Concilia *** dicunt contra Pelagium, quod sine gratia non solum difficile, sed simpliciter, non potest homo converti et operari bonum. Et nomine gratiæ intelligebant, contra ipsum Pelagium, non solum ipsam voluntatem seu potentiam liberam, quæ physice est indifferens ad velle et non velle, nec solam legem aut etiam prædicationem externam vel internam, qua homo accipit cognitionem objecti boni, sed etiam subministrationem spiritûs, qua affective homo tangitur et proponuntur sibi res modo affectivo †; et sine tali auxilio afficiente et inclinante homo non habet vires, et non solum difficile non [1] potest, sed simpliciter non potest converti.

* cf. supra, disp. 23, a. 2, n. 4-7 (tomo III, p. 10-12)
** PL 50, 535 A
*** Mansi III, 814 C; IV, 328 B; 505 B
† cf. supra, disp. 23, a. 2, n. 22-50 (tomo III, p. 17-29)

17. Si ergo damnati carent omni cognitione affectivâ et inspiratione voluntatis ad bonum, tam formaliter quam in præparatione Dei oblatâ, non solum difficile sed simpliciter non possunt operari bonum, carentes omnibus viribus ad bonum. Et quidquid sit, an ista inspiratio et affectiva cognitio, qua carent, sit aliquid morale vel physicum, tamen illud tale est quod sine ipso simpliciter non possunt, et non solum difficile. Unde cavenda est æquivocatio illius termini *moraliter* quando dicitur quod moraliter non possunt operari bonum, bene tamen physice. Si enim intelligatur per ly *moraliter,* quod non possunt morali, id est, ordinario et facili modo, possunt tamen aliqualiter, licet difficile, negandum est quod solum moraliter non possint, prout ly *moraliter* opponitur huic quod est *simpliciter,* quidquid sit de morali ut opponitur physico; sed dicendum est quod simpliciter non possint : sicut dicitur contra Pelagium, quod simpliciter sine gratia non possumus facere bonum, quidquid si an illa gratia morali modo moveat vel physico.

INFLEXIBILITAS ANGELI, IN MALO VEL BONO, POST PLENAM ELECTIONEM ET JUDICIUM.

18. Veniamus ad causam intrinsecam obstinationis, seu ex parte Angeli se tenentem, quæ difficilius a plerisque intelligitur. NAM D. THOMAS (in hac q. 64, a. 2) ASSIGNAT PRO CAUSA OBSTINATIONIS ANGELI ejus inflexibilitatem seu immobilitatem, tum in cognoscendo tum in appetendo. Dicitur enim Angelus immobiliter apprehendere, quia sine discursu, quippe cum in ipsis principiis immediate videat conclusiones; et ideo illis ita perfecte adhæret, sicut primis principiis, quia per comprehensionem principiorum illas videt. Voluntas similiter, quia regulatur per intellectum, immobiliter vult quod immobiliter repræsentatur bonum, sicut est bonum in communi; bona autem particularia mutabiliter vult, si mutabiliter etiam repræsententur. Sed si eodem actu et comprehensione, qua repræsentatur bonum in communi, accipiatur bonum particulare, et voluntas eodem actu et impetu quo fertur in finem in communi feratur in bonum particulare, tam inflexibilis erit circa particulare cui semel adhæret, quam circa bonum in communi cui naturaliter afficitur; nec potest mutari circa conclusiones, nisi mutetur circa principia : nec circa bona particularia, nisi circa bonum in communi.

19. *Hæc doctrina multis difficilis visa est,* si in eo rigore sumatur quod Angelus ab eo, quod semel perfecte judicat aut vult, simpliciter non possit reverti secundum naturam suam. Solumque istam doctrinam D. Thomæ admittunt quoad hoc quod Angelus difficile possit reduci, et retractare id quod semel intellexit et voluit : quia, cum perfectæ cognitionis sit, non facile mutat sententiam. Omnis enim mutabilitas in sententia et in affectu ad quemdam defectum spectat, et turpe reputatur etiam apud homines : quia id videtur ex quadam ignorantia seu inadvertentia oriri, quia non satis attenditur in principio ad id quod sentiendum vel volendum est. Certe Angelus advertenter vidit se ita amare propriam excellentiam, quod ex certa scientia recusabat ex gratuito beneficio habere gloriam supernaturalem. Si ergo tota supernaturalis gloria eum non potuit movere a sententia sua de sequenda propria excellentia, quid reliquum erit quo ab ea possit divelli? Ceterum, quod ex ipsa natura et naturali modo agendi in Angelo sit simpliciter ei impossibilis ista retractatio et reductio, multi nolunt tenere, nec in eo sensu accipiunt doctrinam hanc D. Thomæ, sed solum quod sit valde difficile. Ita Suarez (lib. VIII de Angelis, c. 11 *), Vazquez (hîc,

* maxime n. 17-23

[1] Sic omnes, non satis clare ‖ Aut sublatâ negatione intelligendum : *non solum difficile potest;* aut aliquid supplendum erit : *non solum [nisi] difficile non potest, sed...*

disp. 239, c. 3 et 4), Valentia (hîc, quæst. 15, puncto 2), Arrubal (disp. 180, c. 2), Curiel (lib. II *Controvers.*, controv. 5); et ex antiquis Scotus (in II, D. 7 *), et alii (ibidem).

* q. unica, nn. 17-18, 22-24

20. *Oppositum autem,* scilicet D. Thomæ doctrinam in toto rigore esse explicandam, scilicet quod Angelus non solum difficile[1], sed simpliciter non possit reduci, neque retractare id quod semel judicavit et cui ex plena electione adhæsit, *tenent communiter discipuli S. Thomæ:* Cajetanus (ad art. 2 * hujus quæst. 64), et ibi Nazarius (controv. 1 **), Bañez (dub. 1), Ferrariensis (IV *Contra Gent.* c. 95), Capreolus (in II, D. 7, q. 1), Carmelitani Salmanticenses (tr. VII de Angelis, disp. 13, dub. 1), Navarrete (tomo III, controv. 84).

* I P. q. 64, a. 2
** (seu contr. 70) pars I, et concl. 2-3

21. **DICIMUS ERGO quod Angelus post electionem, seu resolutionem positam circa aliquod objectum, non potest juxta connaturalem suum modum operandi retractare seu mutare judicium, seu affectum et adhæsionem ad tale objectum : quod est ex modo suo connaturali manere inflexibilem, et simpliciter non posse converti.** Ad quem modum sic connaturaliter procedentem consequitur quod juxta illum non debetur Angelo sic peccanti, et inflexibiliter adhærenti, aliqua gratia ut convertatur : quod est manere obstinatum in malo, et juxta suam pessimam dispositionem omni gratiâ privari. **Antequam vero Angelus resolutive eligat, seu adhæreat alicui parti, se movendo et ordinando ad illam, potest mutare judicium et voluntatem.**

22. ASSERTIO HÆC DOCETUR CLARE quoad utramque partem A D. THOMA (in hac quæst. 64, a. 2; et q. 16 *de Malo,* a. 5; et q. 24 *de Verit.* a. 10; et IV *Contra Gent.* c. 95; et videri etiam potest in II *ad Annibald.* dist. 7, q. 1, a. 2, et in aliis Sententiariis, ibidem); in quibus omnibus locis reducit hanc immobilitatem D. Thomas ad unum principium : scilicet quia naturalis modus procedendi in Angelo est modus ita perfectus et comprehensivus, quod eodem actu et tendentiâ, qua fertur in principia, fertur in conclusiones, et qua fertur in fines, fertur in media. Unde si resolutive adhæret conclusionibus et mediis, tantâ immobilitate fertur in unum sicut in alterum[2], quia indivisibili et unicâ tendentiâ; ergo tam impossibilis est in Angelo, resolutorie et determinate procedente, reversio et retractatio conclusionum, sicut principiorum, mediorum quam finium. Ergo sicut nos immobiliter nos habemus in actu syndæresis circa principia practica universalia, et in voluntate circa finem in communi, sic se habet Angelus respectu omnium eorum quæ sub fine in communi continentur, quando vult determinate seu resolutive et per electionem se habere erga illud.

23. *Et pro hujus explicatione adverte,* quod immobilitas ista et inflexibilitas Angeli non consistit in immobilitate actûs quoad exercitium, sed quoad specificationem. Nec enim Angelus, quando aliquid determinate eligit, ita necessitatur quoad exercitium, quod non possit umquam cessare ab illo actu, sicut beatus in actu amoris Dei. Non hoc dicimus, neque hoc est necessarium ad rationem inflexibilitatis et irreducibilitatis. Sed solum dicimus quod illud motivum, quod determinate elegit, non potest mutari in Angelo in contrarium; sed manet quoad illud ita immobilitatus, sicut circa ipsum finem et bonum in communi : quia eo tamquam motivo indivisibili utitur, et extenditur ad determinandum et resolvendum se circa id quod eligit. — *Secundo adverte,* quod hæc inflexibilitas in Angelo non dicitur ex naturâ ipsâ sic convenire quod nec de potentiâ absolutâ tolli possit a Deo, et converti voluntas Angeli ad oppositum ejus quod semel voluit : hoc enim nullo modo dici potest in sententia D. Thomæ, qui expresse fatetur posse Deum mutare voluntatem Angeli peccantis in bonum. Dicit enim sic (in q. 16 *de Malo,* a. 5 ad 13) quod « movere voluntatem solus Deus potest, qui etiam secundum absolutam potentiam posset mutare voluntatem dæmonis in bonum; sed tamen hoc non congruit naturæ ipsius, ut dictum est ». Quare inflexibilitas ista in Angelo solum intelligitur secundum modum naturalem operandi ejus : quia ita indivisibili modo tendit in finem, et in ea quæ ex fine eligit et determinate vult, quod non aliâ nec minori immobilitate adhæret fini quam mediis, seu rationi formali tendendi ad finem et rei illi quam accipit pro fine. Et generaliter loquendo omnis determinatio et adhæsio Angeli, sive in intellectu sive in voluntate, ex

(1) Intelligito : *non solum difficile [possit reduci], sed simpliciter non possit...*

(2) Intelligito : *in unum [= in conclusiones et media] sicut in alterum [= in principia et fines].*

ipso naturali modo operandi immobilis est : quia modo immobili fit, id est, eâdem indivisibili tendentiâ et comprehensione, qua fertur in principia vel in finem.

24. *Denique advertendum est*, quod Angelus, in his quæ judicat aut vult, aliquando procedit cum plena determinatione et comprehensione, aliquando non, sed ductus conjecturâ aliquâ, et in re non plene a se cognitâ. — Tunc autem dicitur procedere cum plena determinatione et resolutione, quando circa aliquid procedit ex aliquibus principiis sibi evidenter aut certo cognitis, ratione quorum convenit sibi comprehensive procedere, et attendendo ad omnia quæ possunt convenientiam rei proponere, aut ab ea retrahere. Principia autem evidenter Angelo cognita sunt principia naturalia, quantum ad lumen naturale; et principia certo cognita, sed non evidenter, sunt principia supernaturalia fide divinâ cognita, quibus adhæret Angelus ex gratia supernaturali, si vult uti tali lumine. Sed si non vult illo uti, sed ex adhæsione ad naturalia principia quæ evidenter cognoscit et comprehensive, et vult recusare supernaturale lumen et ab illo se subducere, non quidem dissentiendo aut reputando falsas res fidei (sic enim esset hæreticus) sed non regulando per fidem suas actiones, talis adhæsio cum recusatione rei superioris est plene determinata, et recusatio illa plene volita : quia consequitur ex adhæsione facta ad rem naturalem comprehensive in suis principiis cognitam. — Tunc autem judicium Angeli non est plene determinatum, neque ex adhæsione, et consequenter revertibile, quando non ex principiis quæ cognoscit evidenter et comprehensive, sed ex quibusdam conjecturis aut aliis effectibus non plene manifestantibus causas, judicat aliquid aut sentit; et sic etiam vult, sicut sentit. Hoc enim judicium sic formatum ex talibus principiis non est firmum; et sic non facit adhæsionem, nec inflexibilitatem inducit.

25. Et hoc ita ponendum esse in Angelis patet ex doctrina D. Thomæ, qua docet inter Angelos etiam bonos posse esse pugnam et discordiam, non voluntatum, sed opinionum : quatenus secundum contraria merita vel demerita judicant diversimode aliquid convenire, non cognoscendo super hoc plene divinam voluntatem, quam tamen consulunt, et juxta ejus instructionem concordantur (ut docet infra, q. 113*, a. 8; et in II, D. 11, q. 2, a. 5). Et sic necesse est alterum eorum, vel utrumque, mutare judicium, si ante erant discordes; et post consultam Dei voluntatem concordantur. Nec tamen aliquis eorum fallitur, etiam si discordes sint, inquit D. Thomas (citato loco ex D. 11*, solutione ad 4) : quia « ei, quod nesciunt, per judicium non adhærent, ideo falli non possunt; sed secundum contrarietatem rerum, quæ in judicium divinum veniunt, contrarietates inter eos memorantur ». Ecce quomodo ex rebus quas non comprehendunt, sed nesciunt quoad latentiores causas, licet cognoscant exteriores illos effectus seu actus qui sunt merita vel demerita, non formatur adhæsio judicii : immo neque judicia contraria proprie; sed solum contrarietates inter eos memorantur, quasi narrando et proponendo, magis quam plene judicando. Et sic tale judicium non est adhæsivum, sed mutabile.

*I P. q. 113, a. 8

* II, D. 11, q. 2, a. 5, ad 4

26. His suppositis, RATIO ET FUNDAMENTUM S. THOMÆ EXPLICATUR SIC : Quia Angelus utens ad aliquam determinationem seu resolutionem principiis sibi naturaliter et evidenter notis, ad omnia, quæ per talia principia attingit, fertur unicâ et indivisibili tendentiâ, et tantâ perfectione seu firmitate et immobilitate attingit contenta sub talibus principiis, atque attingit ipsa principia : ita quod non potest ex talibus principiis novas rationes elicere, nec alia habet quibus juvetur ad immutandum illud dictamen, quia comprehensive procedit ex vi talium principiorum; et sic nihil eum latet, sed totum considerat quod ad talia principia ullo modo pertinere potest. Angelus autem in deliberando de fine usus est principiis naturaliter notis et a se comprehensis, non solum pro appetenda excellentia propria, sed etiam pro recusanda et excludenda directione luminis supernaturalis, a qua posset dirigi ad rectum finem. Ergo ex vi naturalis modi procedendi mansit irreducibilis Angelus et inflexibilis, non solum circa bonum quod appetiit, scilicet circa propriam excellentiam, sed etiam circa regulam quam recusavit, et inconsiderationem seu neglectum rei supernaturalis quem voluit habere. — Hoc enim maxime observandum est in doctrina ista D. Thomæ, quod ipsamet inconsideratio Angeli et recusatio regulæ superioris fuit volita et prævisa, et a se judicata conveniens, claudens voluntarie oculos suos, seu recusans lumen cæleste et supernaturale, juxta illud (Job XXIV, 13) : *Ipsi fuerunt rebelles lumini, nescierunt vias ejus, nec reversi sunt per semitas ejus;*

quasi ex rebellione ad ipsum lumen, et voluntariâ exclusione viarum ejus, non sint reversi. Unde dicit S. Thomas (supra, q. 58*, a. 5, in calce) quod « protervitas dæmonum est secundum quod non subduntur divinæ sapientiæ »; in hoc quippe maxime protervi sunt et firmati, quod excludunt regulam divinæ sapientiæ, noluntque illam considerare. Et amplius (super Dionysium, *De divinis nomin.*, c. 4, lect. 19, circa finem), exponens verbum Dionysii, quod « in Angelis naturalia dona sunt integra* et splendidissima, quamvis ipsi non vident, claudentes ipsorum boni inspectivas virtutes », subjicit D. Thomas : « Quod ipsi non videant, » (non considerant) « provenit ex hoc, quod ipsi per liberum arbitrium clauserunt suas virtutes inspectivas boni, id est, averterunt voluntarie suum intellectum, non a consideratione veri, sed ab inspectione boni, in quantum est bonum, quia scilicet nolunt illud sequi. »

* I P. q. 58, a. 5, in fine corp.

* c. 4, n. 23; PG 3, 725 C

27. *In hoc ergo discursu,* quo fundamentum D. Thomæ elaboramus, mentemque ruimus[1], *major* * *certa est :* quia Angelus utens principiis sibi naturaliter notis procedit lumine perfecto, comprehensivo, non discurrente; unico ergo actu et ictu totum, quod illis principiis subjicitur, amplectitur; et consequenter eodem motivo eâdemque firmitate ipsa principia, et quæ sub eis contenta sunt, attingit. — *Minor* * *probatur :* quia Angelus, in resolvendo seu determinando de fine, solum potest attendere aut bonum proprium, aut divinum. Divinum cognovit lumine supernaturali : naturaliter enim solum cognoscit Deum ex effectibus (præsertim ex sua essentia, quæ est bonum proprium), ad quem per gratiam conversus est in primo instanti. Proprium bonum cognovit per propriam naturam, quam non conjecturaliter, nec obscure, sed evidenter et comprehensive cognoscit. Ergo in deliberando de fine, quando immediate post instans creationis tractavit de eo, processit ex principiis vel certo notis per fidem, etsi obscure, vel comprehensis per lumen naturale circa propriam naturam et bonum. Non ergo processit conjecturali judicio et non-pleno, sed comprehensivo et plene determinato. Rursus, in hoc negotio et deliberatione de fine tractatum est non solum de uno fine sequendo, sed de altero recusando et excludendo; ergo motiva quæ possent movere ad utrumque visa sunt et tractata, et cum cognitione utriusque

* supra, n. 26, *Quia Angelus utens ad...*

* supra, n. 26, *Angelus autem*

unum est relictum, aliud assumptum : et id quod est relictum dicitur « inconsideratum* », non quia non satis cognitum speculative, sed quia non ut debuit tractatum est. Ergo sicut proprium bonum ex comprehensivo judicio, orto et formato circa propriam naturam, est acceptum pro fine, ita recusatum est bonum divinum ex eodem judicio, et exclusum est[2] uti lumine supernaturali ad ejus directionem. Quidquid autem ex vi principiorum comprehensive cognitorum attingitur, vel recusatur, inflexibiliter attingitur : quia eâdem indivisibili tendentiâ et actu attingitur, vel deseritur, quo ipsa principia. Ergo ille finis malus determinate accipitur, et finis divinus recusatur; ipsaque exclusio luminis superioris et inconsideratio irrevocabiliter est volita, quia per motiva seu principia comprehensive proposita tangitur.

* I P. q. 63, a. 1, ad 4; III C. G., c. 110

28. Et licet per lumen superius, seu supernaturale, posset corrigi ista inconsideratio et fieri conversio in oppositum, tamen cum determinatus et firmatus fuerit Angelus in non admittendo illo lumine, sed in recusando illud, et ad hanc recusationem processerit ex principiis et motivis a se comprehensive cognitis circa suam naturam et bonum proprium, ideo manet circa hoc ipsum inflexibilis : quia omne remedium immobiliter exclusit, eo quod recusatio ipsa remedii volita est ex motivo comprehensive et plenâ deliberatione cognito. Unde, ut Deus convertat Angelum, necesse est vel infundere illi lumen clarum supernaturale, vincens totam comprehensionem naturalium principiorum : vel, destruendo modum connaturalem ejus in cognoscendo naturaliter, reducere illum in modo cognoscendi ad illum statum quo fuit in primo instanti in quo creatus est, ut inde iterum incipiat de novo eligere et deliberare de fine.

29. *Quod si dicas :* Quomodo, si Angelus habebat in illo instanti cognitionem certam per fidem de ipso Deo et de convenientiâ rei supernaturalis, potuit per comprehensivam cognitionem proprii boni, et excellentiæ propriæ, ita inflexibiliter excludere cognitionem et considerationem illius superioris regulæ et luminis supernaturalis? — *Respondetur,* quod illud lumen supernaturale, licet esset superius, erat tamen obscure cognitum Angelo et imperfecte, utpote per fidem, et voluntati Angeli subjectum, quia fides pendet ex pia affectione voluntatis.

(1) Id est, *eruimus.*

(2) Id est, *noluit Angelus uti lumine...*

Unde liberum est Angelo tali lumine uti, vel non uti; potestque ex cognitione et comprehensione suorum principiorum naturalium moveri ad recusandum refutandumque tale lumen quoad ejus usum. Et quia illa recusatio est volita ex motivo immobiliter et comprehensive cognito, et ex penetratione talium principiorum quibus subjicit hoc quod est velle vel non velle tali lumine uti, ideo eâdem immobilitate, quâ principia illa comprehendit, recusationem illam attingit : quia ut subjectam talibus motivis et principiis vult.

30. Ex QUIBUS MANENT CONCISÆ OMNES SOLUTIONES, quæ huic rationi possunt adhiberi. — *Prima :* non tam immobiliter ferri Angelum in illa principia et fines, quam in conclusiones et media; nec omnino certum esse Angelum non discurrere, saltem circa supernaturalia. Nec eodem actu ferri necessario in finem, et libere in media : quia liberum et necessarium distinguunt ipsos actus.

31. *Secunda :* posse uti illâ cognitione principiorum non adæquate et comprehensive, sed inadæquate, et modo secundum istud objectum, modo secundum illud : nec enim semper utitur adæquate quâlibet specie, et attingendo omnia quæ tali specie repræsentari possunt, ut etiam D. Thomas * concedit. Ergo potest uti aliquâ specie seu principio ad cognoscendam unam veritatem quantum ad aliquid, et postea quantum ad aliud; et sic non omnia motiva modo considerare, et postea considerare illa; et sicut variari aut crescere potest cognitio in motivis, ita et possunt variari affectus. Unde etiam cogitationes Angeli volubiles sunt, et habet discursum successivum, esto non habeat causalem; sufficit autem successivus discursus, seu mutatio cognitionum, ut possit mutare voluntatem : quia hæc non tam dependet ex discursu formali et causali, quam ex successivo, quo diversa objecta vel motiva manifestantur; ex diversa autem manifestatione mutatur voluntas; et sic potest novo modo objecta considerare, et ab eo quod voluit semel reduci et reverti.

* *de Verit.*, q. 8, a. 13, ad 2, 4, 8; I P. q. 57, a. 4, ad 2; cf. supra, disp. 42, a. 4, nn. 21, 24

32. *Tertia :* quod Angelus peccavit ex inconsideratione alicujus quod considerari debebat, ut docet S. Thomas (supra, q. 63, a. 1 ad 4) : cum peccatum necessario contingat ex defectu dictaminis seu considerationis. Si autem peccavit Angelus non considerando, ergo, si iterum consideret, potest oppositum velle : si enim voluit peccatum ex considerationis defectu, sublato tali defectu poterit cessare a peccato et oppositum velle. Posse autem Angelum de novo considerare id quod considerare desiit quando peccavit, certum est : quia facultatem habet ex parte intellectûs, lumenque sufficiens, et speciem ex parte objecti : cum nihil horum amiserit per peccatum. Et sic nullum principium ei deest ad considerandum id quod considerare omisit : præsertim quia, suo jam malo edoctus, bene potest considerare quantum erravit in peccando et recedendo a Deo.

33. CETERUM SOLUTIONES ISTÆ NIHIL ELEVANT FUNDAMENTUM D. THOMÆ. — *Non prima* * : quia Angelum non discurrere, sed comprehensive procedere, et simplici actu attingere principia et res contentas sub principiis, supponendum hîc est, non probandum : ut D. Thomas etiam supponit, reliquitque probatum (supra, q. 58 *). Et quidquid sit de discursu quem aliqui attribuunt circa supernaturalia, tamen constat in his quæ naturaliter cognoscit comprehensive procedere et sine discursu : alias non esset elevatior et perfectior intellectus Angeli quam hominis, si discursu utitur, quo homo intelligit. Quod si in modo naturali intelligendi, et circa naturalia principia procedendo, sine discursu cognoscit, etiam in supernaturalibus sic procedet : quia lumen supernaturale accommodatur modo naturali intellectûs cui infunditur, nec deprimit modum intelligendi et inferiorem facit, sed elevat. — Quod vero dicitur *, non tantâ immobilitate adhærere, et tangere conclusiones ipsas, sicut principia, media sicut fines : Respondetur quod eâdem prorsus immobilitate et firmitate fertur in utrumque, quia eodem actu et tendentiâ; sed non æque immediate, sed ordine quodam : eo quod conclusiones se habent ex parte objecti ut dependentes a veritate principiorum, et appetibilitas eorum quæ sunt ad finem ex appetibilitate finis. Sed tamen ex parte actûs, et efficaciæ motivi attingentis, in utrumque eâdem immobilitate fertur : quia eâdem tendentiâ comprehensivâ utriusque, non tendentias dividendo. — Quod vero dicitur * de libero et necessario : Respondetur quod actus ille erga finem est necessarius quoad specificationem, non quoad exercitium; et ita potest comprehendere media circa quæ versatur libere, etiam quoad specificationem : sufficit enim quod sit liber quoad exercitium, ut non sit necessarius simpliciter. Et sic identificabit sibi liberum exercitium circa media, nec ab illo distinguetur ratione necessi-

* supra, n. 30

I P. q. 58; cf. supra, disp. 42, art. 1 et 4

* supra, n. 30, *Nec eodem*

* supra, n. 30, *quia liberum*

tatis. In visione autem Dei, actus erga finem clare visum est necessarius quoad exercitium, et respectu objecti creati est liber; sed hoc est propter eminentiam illius actûs identificantis illas duas rationes respectu diversorum.

* supra, n. 31 34. *Nec secunda* * *solutio quidquam obstat.* Fatemur posse Angelum uti inadæquate principiis respectu aliquarum conclusionum, aut speciebus respectu objectorum quæ repræsentant; fatemur etiam dari in Angelo discursum successivum, et intelligere unum post aliud. Negamus tamen hoc posse quidquam conducere ad retractationem et flexibilitatem liberi arbitrii semel determinati, et ex plena determinatione eligentis : quia ad retractationem non confert quidquam successio et diversitas cognitionum, aut inadæquate attingere diversa objecta : quia totum hoc est respectu diversorum, quorum unum cognoscitur post aliud. Sed ad retractationem solum conducit nova et diversa cognitio circa idem objectum : quia scilicet melius aut diverso modo apparet nunc, quam ante : quod solum potest contingere quando novo lumine illustratur, aut aliquid novum, quod de illo ante latebat, nunc apparet. Si enim tale objectum novo modo non consideratur, sed id quod per cognitionem succedentem cognoscitur est diversum, nihil omnino conducit ad mutandum dictamen circa prius objectum. Non potest autem Angelo manifestari de novo objectum illud circa quod semel resolutorie et determinate deliberavit, aut saltem connaturali modo ad naturam Angeli id non potest fieri. Tum ex generali ratione : quia Angelus quando plene deliberat, præsertim in re tam magni momenti, totâ attentione considerat, et comprehensione suâ utitur : multo enim perfectius procedit Angelus in deliberatione gravi, quantum est ex natura sua, quam quilibet cordatissimus et sapientissimus homo, cum sit altior et perfectior ejus naturâ modoque procedendi; homo autem sapiens non procedit ad resolutionem rei magnæ, nisi attentis omnibus quæ facultati ejus possibilia sunt; multo ergo minus Angelus, qui per naturam habet superiorem sapientiam et lumen, quam quilibet homo per industriam possit acquirere. Tum in speciali, circa hoc negotium deliberandi de suo fine ultimo, processit Angelus cum plena cognitione totius causæ, quantum est ex parte veritatis cognitæ (ut dicemus * contra tertiam resolutionem), licet defectuose se habuerit in affectiva cognitione; et ita circa illud objectum, ad quod se determinavit, nihil ei restat cognoscendum, nec reliquit viam qua possit illuminari de alio motivo retrahente; sed ipsi « claudunt virtutem inspectivam ab omni consideratione boni », ut ex D. Dionysio (4° cap. *De divinis nominibus*) et D. Thoma (ibi, lect. 19) supra * dicimus (quod etiam repetit in II, D. 7, q. 1, a. 2 ad 3).

* infra, n. 36-7

* n. 26, in fine

35. Itaque Angelus cum deliberavit in peccando circa finem, eodem indivisibili et simplici actu consideravit bonum et excellentiam propriam comprehensivâ et plenâ cognitione ex suis naturalibus principiis, et recusavit seu exclusit a se supernaturale lumen, claudens inspectivam virtutem a bono, et nolens per illud dirigi, sed in sua propria excellentia et naturali cognitione remanere. Unde ipsa exclusio luminis superioris fuit una ex conclusionibus sub principiis ejus contenta, et ad quam ex fine ipso volito se determinavit; et sic ex consequenti præclusit viam omni remedio et omni motivo conversionis ad Deum, ad modum eorum qui peccant in Spiritum Sanctum : qui ex ipso genere et objecto peccati se opponunt gratiæ, qua Spiritus Sanctus eos movet ad conversionem et remissionem peccati; ideoque si tales aliquando sanantur [1], quasi miraculose sanantur, ut docet S. Thomas (II-II, q. 14, a. 3). Hoc ergo, quod ex suo objecto habet peccatum in Spiritum Sanctum, habet ex parte subjecti peccatum superbiæ in Angelo : quia ita fertur in proprium bonum et excellentiam tamquam in finem, quod sine aliquo discursu sed comprehensivo modo fertur in finem in communi et in talem determinatum finem, et ex eodem motivo et immobili ac firmâ tendentiâ accipit tamquam conclusionem (seu quid consecutum) non-subjici fini bono et recusare beatitudinem, seu supernaturale lumen quo sibi oppositum manifestaretur. Unde cum ista recusatio et exclusio, qua suam inspectivam virtutem claudit a lumine cælesti, sit acceptata ab Angelo eâdem tendentiâ et actu quo ipsa principia videntur, eodemque motivo quo ipse finis in communi, ideo nec ex proprio modo operandi ex principiis suæ naturæ, neque ex amissione [2] luminis supernaturalis, quod eâdem

[1] Corrupte omnes : *sonantur, quasi miraculose sonantur.*

[2] Sic omnes || Intellige : *nec ex proprio modo operandi..., neque propter amissum lumen supernaturale..., est reducibilis* || Aut corrige : *ex admissione.*

immobilitate excludit, est naturali modo reducibilis : sed solum de potentia absoluta Dei, per magnum miraculum vincens naturalem illum modum operandi.

* supra. n. 32 36. *Denique, tertia* * *solutio nihil obstat.* Quia inconsideratio illa Angeli non fuit involuntaria, et ex aliquâ ignorantiâ veritatis et motivorum orta : sed fuit volita et prævisa, et cum cognitione causæ et totius veritatis affectata; et hæc est pejor inconsideratio in genere practico et prudentiali. Tunc enim pejus errat practica vis in genere prudentiali, quando magis sciens peccat et cum majori notitiâ, et sciens ac volens claudit oculos a superiori lumine : quia tunc excusationem ullam non habet. Itaque speculativa consideratio et notitia, quando quis eâ abutitur, magis conducit ad inconsiderationem practicam et errorem prudentialem; et abundantia speculationis magis irremediabilem facit inconsiderationem practicam. Tunc enim pejus erratur quando quis sciens errat, et avertit se a via; et tunc inconsideratio illa est irreducibilis, quia est ex contemptu ipsius veritatis et motivorum per quæ posset reverti. Dicitur autem inconsideratio, non ex parte veri, sed ex parte boni : quia est minus affectiva ad bonum; et quanto plus cognoscit de objecto, magis vult avertere adspectum ab eo quod in ratione boni movere et conducere potest. Si autem quis, cognoscendo rem ipsam, ex affectu tamen ad proprium bonum firmatur in excludendo a se cognitionem ut affectivam ad aliud bonum, fit irreducibilis : sicut in peccatis contra Spiritum Sanctum. Et si hoc excludat ex ipso connaturali modo procedendi, quia indivisibili et simplici modo procedit in determinando se, et comprehensivo modo erga finem et media, principia et conclusiones, naturaliter est inflexibilis : et solum de potentiâ Dei absolutâ, immutante naturam in suo naturali modo procedendi, potest reverti.

37. Angelus autem non peccavit ex infirmitate aut ignorantia, sed ex certa scientia et summa malitia; nec in recusando, et excludendo a se obœdientiam ad supernaturalem ordinationem et finem, se habuit ignoranter, sed cum cognitione causæ voluit illam recusare, et totaliter illi non subjici. Nam circa hoc fuit tota pugna inter bonos et malos Angelos, dum erant in via; et ipse diabolus bene videt alios Angelos sequi oppositum, et velle subjectionem in supernaturalibus ipsi Deo, et consequi ex ejus beneficio gloriam : quod tamen ipsi recusabant. In hoc ergo non peccaverunt ex inconsideratione ignorantiæ, sed ex inconsideratione malitiæ et voluntariâ, ut S. Thomas docet loco supra * citato (lect. 19 in cap. 4 Dionysii). Et talis inconsideratio non est reducibilis, quando oritur ex modo operandi subjecti : quia non est ex defectu considerationis objecti, ut veritas est, sed ex defectu considerationis, ut boni, seu ut afficientis (ut [ait] S. Thomas citato * loco). Et quia hoc ipsum, quod est excludere hanc considerationem boni ut bonum, et recusare lumen supernaturale per quod oppositum sibi poterat sic manifestari ut afficeret voluntatem, accipit Angelus tamquam pertinens ad ipsum finem et ad propriam excellentiam quam appetit, volens illam sine subjectione ad gratiam et beneficium speciale Dei, ideo circa talem determinationem remanet naturaliter irreducibilis : quia eâdem immobilitate, quâ finem vult, claudit omnem viam considerandi et admittendi supernaturale lumen, quo posset reduci, quatenus illi subjici non vult : et hoc non velle subjici, est pars finis ab eo immobiliter voliti. Unde hæc est summa ejus inconsideratio in re practica, et in ratione boni ut affectivi, quæ non potest tolli per aliquid de novo consideratum in ordine naturali, quia totum vidit : nec in ordine supernaturali, quia claudit ab eo lumine oculos cæcitate ortâ ex comprehensivo et indivisibili modo tendendi in propriam excellentiam.

* n. 26, in fine

* supra, n. 26, in fine

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

38. Primo arguitur : Inconsideratio, ex qua Angelus peccavit, non fuit talis quod omnem viam et aditum claudit (quantum est ex se, et remoto statu condemnationis) lumini divino; nec ex tantâ comprehensione et evidentiâ principiorum peccat, quod de necessitate immobiliter judicat de his quæ sub fine continentur. Ergo ex natura sua et ex intrinseca causa non immobilitatur. — *Consequentia patet :* quia tota ratio D. Thomæ pro immobilitate Angeli est ipsa immobilitas judicii : conformatur enim voluntas in appetendo ipsi intellectui in judicando; nec est magis intrinseca et propria causa adhæsionis voluntatis, quam firmitas et immutabilitas judicii. — *Antecedens probatur :* nam peccatum præcludens viam gratiæ moventi ad pænitentiam, eamque recusans, est peccatum in Spiritum Sanctum; ideoque irremissibilitatem

secum affert, quia ipsa remedia, quibus tolli poterat peccatum, contemnit eisque aditum præcludit : ut docet S. Thomas (II-II, q. 14 *). Angelus autem in primo peccato non peccavit in Spiritum Sanctum, ut expresse docet S. Thomas (in II, D. 43, q. 1, a. 6), sed peccavit ex nescientia, quia « non consideravit ea quæ consideranda erant ad evitationem peccati »; ideoque magis dicitur peccatum ejus in Filium, quam in Spiritum Sanctum, ut ibidem dicit S. Thomas. Ergo illud peccatum non fuit ex genere suo irremissibile : ergo neque inflexibile.

* a. 3

39. Deinde, probatur idem antecedens : quia tunc Angelus in suo judicio procedit comprehensive et irrevocabiliter, quando in principiis attingit ea quæ per necessariam consequentiam seu connexionem cum talibus principiis connectuntur; quæ autem contingenter seu libere connectuntur, non evidenter nec per se attinguntur in talibus principiis : ergo nec comprehensive, nec immobiliter; sed ad talem attingentiam rei contingentis intervenire debet aliqua ratio vel motivum mutabile et non fixum. Quod autem Angelus, viso et comprehenso fine in communi, velit determinate hoc vel illud pro fine determinato, est omnino contingens, et non per se connexum cum ratione finis in communi, ut patet : quia, ante adhæsionem et deliberationem plenam, liberum erat ei adhærere vel non adhærere illi parti; ergo non erat illa pars per se et necessario connexa cum tali principio. Ergo ex vi comprehensionis illius, et immobilis adhæsionis ad principium, non sequitur immobilis adhæsio ad talem partem contingentem.

40. *Confirmatur :* quia si ex vi penetrationis comprehensivæ principiorum et conclusionum non potest Angelus mobilitari, sed inflexibilis permanet in re quam judicat, ergo in ipso primo instanti creationis ex sua natura mansit immobilitatus; et cum in illo instanti non potuit peccare, sequitur quod nec in sequenti, nec umquam potuit peccare. — Consequentia patet : quia, etiam in primo instanti, comprehensive et perfecte attingit principia et conclusiones,
Eze. XXVIII, 12 finem et media : quia fuit in illo instanti *plenus sapientiâ;* ergo, si ex vi judicii comprehensivi immobilitatur, tunc jam immobilis factus est; aut si tunc non operatur immobilitatem comprehensio, cur postea eam operatur?

41. RESPONDETUR NEGANDO ANTECEDENS *. — *Ad primam ** probationem dicitur,* quod peccatum Angeli præcludit viam gratiæ convertenti, non ex ipsa ratione objecti sui, sed ex statu ipsius subjecti operantis, ut citato loco dicit S. Thomas (solut. ad 5 †). Unde primum ejus peccatum non fuit peccatum in Spiritum Sanctum ex objecto : quia ex objecto fuit excellentia propria, quæ est objectum superbiæ, non peccati in Spiritum Sanctum : quia peccatum in Spiritum Sanctum est quando ex objecto ipso, quod intenditur, specialem renitentiam facit ad gratiam Dei, ut propositum non pænitendi, desperatio, præsumptio, et similia, ratione quorum retrahitur homo a peccatorum adhæsione (1). Tale objectum non habuit peccatum primi Angeli, sed in suam excellentiam nimis effusus est. Attamen ex ipso modo peccandi et operandi, simul cum tali objecto propriæ excellentiæ, recusavit omnem gratiam specialem Dei, voluitque sistere intra limites propriæ et naturalis excellentiæ; ideoque ex consequenti præclusit viam omni gratiæ Dei moventi, habuitque eosdem effectus quoad irremissibilitatem, ac si esset peccatum in Spiritum Sanctum ex suo genere et objecto : immo id multo fortius, quia non ex sola objecti ratione, sed ex modo operandi subjecti immobilitatus fuit in sua determinatione. Nec renuit S. Thomas ex consequenti tribuere Angelo peccatum in Spiritum Sanctum, licet primum peccatum fuerit superbia, ut docet (solut. ad 6 *, loco citato ex II° Sententiarum).

* supra, n. 38, Inconsideratio
** supra, n. 38, Antecedens probatur
† II, D. 43, q. 1, a. 6, ad 5

42. *Ad secundam ** probationem dicitur,* quod comprehensiva vis Angeli non solum extenditur ad ea quæ necessario connectuntur essentiæ seu principiis, sed ad ea etiam quæ contingenter : cum constet Angelum visâ substantiâ aliquâ videre ejus accidentia, non solum quæ sunt propriæ passiones, sed etiam accidentia communia. Potestque sine compositione et divisione formare de eis judicium, ut S. Thomas (supra, q. 58 *) tenet : licet verum sit non æqualiter judicare Angelum de prædicatis necessariis, et de contingentibus, sed illa tamquam necessario connexa, hæc tamquam contingenter, attingere. Fatemur ergo quod judicium regulativum voluntatis fertur in hoc objectum, illudque proponit tamquam indifferens et contingens; alias non esset eligibile. Sed tamen dicimus quod, sicut intellectus proponit hoc judicium attingendo illud objectum

* II, D. 43, q. 1, a. 6, ad 6
** supra, n. 39
* I P. q. 58, a. 4; cf. supra, disp. 42, a. 4, n. 42-53

(1) Ita omnes, male || Aliquid censemus supplendum, in hunc modum : *ratione quorum [removetur id quo] retrahitur homo...*

contingens in suis principiis, ita voluntas fertur in hoc indifferens et contingens, seu liberum, eodem impetu eâdemque tendentiâ quâ [in] [1] ipsum finem. Quare immobilitas et adhæsio voluntatis Angeli, ad id quod semel eligit, non est sumenda ex ipsa vi et ratione objecti, quasi necessitante et immobilitante voluntatem (cum revera contingens et liberum objectum sit), sed ex condicione et modo operandi ipsius subjecti : quia unico et eodem actu fertur in finem et in ea quæ ad finem pertinent, in principia et conclusiones. Unde quantumcumque sit res contingens, si tamen determinate et resolutorie vult, non per consequentiam se determinat, nec per resolutionem a conclusionibus in principia, quæ potest diversis rationibus impediri et ad opposita viam præbere : sed in ipsismet principiis naturaliter visis et comprehensis, et in ipso fine immobiliter et determinate volito (licet libere quoad exercitium, propter indifferentiam judicii), determinationem suam accipit, etiam circa objectum contingens. Nec defectum habet Angelus in hoc quod omittit considerare aliquid ex his quæ sub talibus principiis continentur, etiamsi contingentia sint : omnia enim comprehendit; et ex hac parte non potest reverti, novas rationes considerando ex his quæ ad naturalem ordinem pertinent, cum comprehensive procedat. Sed si quem defectum habet, est in nolendo, aut non judicando conveniens considerare ea quæ super naturam suam sunt : sed claudit considerationem suam ab hoc lumine, recusans a tali objecto affici. Sed quia hanc ipsam recusationem judicat et vult eodem actu quo principia attingit et finem vult, ideo etiam in recusando et excludendo supernaturale lumen, quatenus illo affici posset ad superiorem finem, immobilis est ex vi modi procedendi.

43. Negamus ergo quod circa contingentia objecta non possit Angelus immobiliter procedere : non ex meritis objecti, quod de se libere et contingenter movet, nec ab illo provenit immobilitatio et necessitas in voluntate : sed ex modo operandi ipsius Angeli, qui etiam circa contingentia et libera accipit determinationem et resolutionem eodem actu et tendentiâ indivisibili quâ fertur in finem ipsum, seu in prima principia. Non potest autem idem actus esse immobilis circa principia, et non circa conclusiones, si non seorsum eas attingit sed in ipsis principiis : nec enim habet unde moveatur in eas, nisi ex ipsâ principiorum attingentiâ, quæ immobilis est. Argumentum autem procedit quantum est ex parte et meritis objecti contingentis : quod cum non habeat connexionem per se cum principiis et fine, quia contingens est, ex vi sua non movet immobiliter voluntatem, sicut movetur voluntas ab objecto necessitante, ut ab essentia divina clare visa. Non tamen probat quod, ex parte modi operandi ipsius subjecti, Angelus attingens et procedens comprehensive non attingat in ipsis principiis contingentia objecta, quæ eis subordinantur et sub habitudine ad illa debent attingi : et sic ex vi modi operandi immobiliter procedat, quia eodem actu indivisibili procedit.

44. *Quod si instes :* Si Angelus ex principiis immobilibus, et ex adhæsione ad finem in communi, procedit ad istas conclusiones contingentes et ad ista media vel res contingenter illi fini subordinatas, videns non esse inter ea necessariam habitudinem, cur non poterit iterum uti illo eodem fine ad oppositum volendum, postquam semel usus fuit illo ad volendum id quod contingenter videbat illi annexum? Et si non consideravit aliquas rationes, quibus poterat affici ad oppositum bonum, cur non poterit illas de novo considerare, et sic affici ad oppositum bonum : non quidem utendo discursu, sed ipsâ comprehensione finis seu principiorum : si quidem illis potest comprehensive procedere ad unum et ad oppositum, quia contingentia sunt? Et sicut, antequam determinate eligeret, poterat ipsâ comprehensione principiorum utendo oppositum eligere, cur non etiam postea poterit? non quidem per discursum, sed alio actu tendendo in finem comprehensive et penetrative, cum habitudine ad oppositum bonum, quia contingens est. Hoc enim non pendet a discursu; sed etiam discursu cessante potest, sub eisdem principiis, modo unum attingere, modo aliud : quia contingentem connexionem et habitudinem habent cum talibus principiis.

45. *Respondetur :* non posse Angelum circa illas res contingentes, earumque connexionem cum principiis, mutare judicium procedendo suo connaturali modo : quia secundum naturalia principia non potest accipere novam [2] cogni-

[1] Omnes omittunt præpositionem [*in*].

[2] Omnes : *novam cognitionem... quam illam* || Intelligendum : *aliam cognitionem... ac illam* || Cf. tomi I Præfationem, cap. III, art. 2, § 3, n. 7, a).

tionem immutativam sui affectûs, quam illam quam habuit a principio. Licet enim, circa res quæ de novo fiunt in universo, possit accipere diversam notitiam et judicium in individuo, et consequenter diversum affectum, tamen circa illud individuum quod semel eligit deliberate, et præsertim circa finem determinatum quem semel elegit, non potest amplius variare notitiam et accipere seu considerare aliquid quod tunc non consideravit. Quia Angelus non accipit notitias incipiendo a particularibus et a rebus ipsis, sicut nos accipimus per sensus; et sic variatur nostrum judicium, quia in ipsis principiis immobilibus non apprehendimus quidquid sub illis continetur et ad illa pertinet : sed dependemus a sensibus, unde tota variatio est, et per discursum deducimus ex principiis; et ideo patet nobis via ad variandum judicium, et « procedendum ad utrumque oppositorum », ut dicit D. Thomas (in hac q. 64, a. 2). Angelus autem non accipit notitiam aliquam ex rebus aut sensibus, neque discurrit ex principiis, sed in ipsis videt totum quod ad illa pertinet, si comprehensive et plene procedit : et eodem actu, quo immobiliter tangit principia, descendit ad ea quæ sub illis continentur. Et sic, quantumcumque velit verti et reverti super talem finem et objecta sub eo contenta, semper ex vi talium principiorum eadem sibi et eodem modo repræsentantur : quia comprehensive circa illa se habet. Non variatâ autem notitiâ voluntas non mutatur : quia tota pendet a judicio et cognitione intellectûs. Nec pro suo libito potest, eisdem rationibus et motivis stantibus, mutare voluntatem sine aliquâ novâ notitiâ affectivâ ad oppositum : præsertim in naturâ intellectuali perfectâ, cui mutabilitas imperfectionem affert. Nulla autem major mutabilitas, quam stantibus eisdem rationibus et motivis, nec aliâ de novo apparente ratione, modo velle, modo nolle.

46. Quod vero dicitur* de inconsideratione, quare non poterit de novo Angelus considerare? — Dicimus inconsiderationem illam non esse circa naturalia, quæ comprehendit et semper videt eodem modo, præsertim seipsum quem vult ut finem, et propriam excellentiam ut primum bonum. Sed inconsideratio est circa bonum supernaturale, cujus considerationem in ratione boni gratuiti, et ex speciali beneficio habendi, omnino refutavit et exclusit; et exclusio illa fit volita sicut et ipse finis cui adhæsit, quia adhæsit ei cum exclusione alienæ gratiæ; et sic ipsa exclusio fuit eâdem immobilitate volita, quâ finis. Remoto autem discursu, non potest ipso simplici et indivisibili actu quo vult finem, et ea quæ ad finem pertinent, hîc et nunc mutari, et velle oppositum : quia non habet unde sumat notitiam, qua de novo afficiatur ad oppositum objectum : cum in ipsis principiis immobiliter omnia cognoverit, quibus ad id affici poterat, hoc ipso quod comprehensive processit, nec aliunde possit accipere notitiam qua de novo afficiatur. Ex supernaturali autem lumine non accipit, quia ab illo se excludit.

* supra, n. 44, *Et si non*

47. *Et cum instatur**, quod potuit ante deliberationem et adhæsionem ad istam partem libere determinare se ad oppositam, quia contingens erat; et tamen etiam tunc per comprehensionem procedebat : — *Respondetur* quod, ante deliberationem, procedebat quidem per comprehensionem ex parte cognitionis, sed nondum omni modo quo poterat, scilicet se movendo et ex se formando dictamen, sed secundum dictamen formatum a Deo; nec adhuc excludendo a se lumen supernaturale, ut affectivum, et claudendo illi oculos : sed adhuc utendo illo, et proponendo indifferenter, an esset bonum illi subjici vel illud recusare. Et sic illa comprehensio, pro tunc ante deliberationem, licet esset perfecta in attingendo per cognitionem objecta, nondum tamen erat in omni statu perfecta, scilicet in applicatione et determinatione eligendi unum et recusandi aliud, sicut postea. Et ideo comprehensio in statu perfecto, id est, sic applicata quod se movet voluntas ad determinandum unum et recusandum aliud, immobilitat[1] tam in determinatione ad proprium, quam in recusatione boni supernaturalis : quia utrumque eodem actu accipit quo tendit in finem. Et sicut naturali lumine non potest majorem notitiam accipere circa naturalia, quia comprehensive et plene ea videt, sic præcludit viam eâdem determinatione et immobilitate, ne acceptet supernaturale lumen, a quo poterat vinci illa naturalis comprehensio et adhæsio; et sic non relinquit « viam procedendi ad utrumque oppositorum », ut dicit S. Thomas (in hac q. 64, a. 2) : quia scilicet excludit inspectionem omnis boni supernaturalis, ut boni, id est, ut affectivi. Quod tandem expressit S. Thomas, et ex D. Dionysio

* supra, n. 44, *Et sicut*

(1) Prave omnes : *immobilitas*.

* n. 23: PG 3. 725 C
** n. 26, in fine

hausit (super cap. 4* *De divinis nominibus*, lect. 19, circa finem), exponens illa verba Dionysii, ut supra** diximus, quod dæmones « habent splendidissima dona naturalia, quamvis ipsi non vident, claudentes ipsorum boni inspectivas virtutes ». Quod S. Thomas sic glossat : « Sed quod ipsi non vident, hoc provenit ex hoc, quod ipsi per liberum arbitrium clauserunt suas virtutes inspectivas boni, id est, averterunt voluntarie suum intellectum, non a consideratione veri, sed ab inspectione boni, in quantum bonum, quia scilicet nolunt illud sequi. »

48. Et ex hoc apparet, quomodo intrinseca causa naturalis obstinationis conformetur et conjungatur causæ extrinsecæ Dei denegantis gratiam. Nam ex eo quod naturalia « splendidissima sunt » in Angelo, procedit in sua determinatione et electione comprehensive; et in ipsa immobili et indivisibili inspectione principiorum videt omnia, etiam contingentia et libera, quibus moveri potest; et sic, factâ determinatione, non restat ei locus neque via unde novas rationes accipiat, quibus se moveat : quia a rebus non accipit cognitionem, sicut nos, nec per novam penetrationem et illationem ex principiis. Ex eadem autem immobilitate, qua in illis principiis se determinat erga propriam excellentiam, recusat et excludit a se finem supernaturalem et omnem manifestationem ejus, ut affectivam et inclinantem voluntatem, licet in ratione veri rem supernaturalem cognoscat; et sic ex ipso modo connaturali operandi manet Angelus obstinatus et inflexibilis in malo quod elegit, non quia ab objecto determinetur aut necessitetur, sed propter modum operandi per comprehensionem immobilem rei in suis principiis, et exclusionem omnis alterius luminis supernaturalis ad afficiendum : sic enim « claudit
* P. LVII, 5
virtutes inspectivas boni » in modum *aspidis** *surdæ obturantis aures suas*. Unde fit quod gratia Dei ordinario modo operans, et juxta connaturalem modum subjecti in operando se attemperans, non convertit talem voluntatem, nisi miraculose et de potentia absoluta, aut removendo modum illum connaturalem operandi, aut dando lumen supernaturale quod vincat totam comprehensionem et modum comprehensivum naturalem (non quod ei se accommodet), et faciendo quod illud acceptet, ut si evidens lumen sit. Sed quia hoc est miraculosum in genere gratiæ, dicitur simpliciter, ex modo naturali procedendi, esse Angelum inflexibilem factâ electione : quod tamen ante illam non erat, quia nondum elegerat, nec determinate usus fuerat illis principiis habentibus se ad oppositum antecedenter, sed immobili modo consequenter : licet libere, quia circa objectum indifferens procedit, et judicium indifferens, juxta modum tamen naturæ Angeli comprehensive procedentis in sua determinatione : quia determinatio illa in ipsa immobili principiorum apprehensione facta est, ut statim* magis explicabitur. * infra, n. 49-52

49. *Ad confirmationem*, supra** positam in argumento, *respondetur* quod, ut jam diximus***, in primo instanti, licet Angelus comprehensive attingat principia et quæ in principiis continentur, non tamen in illa comprehensione se movet neque se determinat, sed movetur et determinatur a Deo. Et sic non manet immobilitatus et inflexibilis in illo primo instanti, quia nondum tunc operatur omni modo quo natus est operari. Sed quando operatur se determinando, et est quasi sui juris in eligendo et determinando, tunc illa est ultima resolutio et determinatio secundum quam potest operari; ideoque exinde incipit esse inflexibilis : quia est comprehensio in statu perfecto, et perfecte applicata, nec amplius restat aut alius modus movendi se, aut alia repræsentatio major habenda : cum ex comprehensione plenâ procedat quoad naturalia, lumen autem supernaturale ut affectivum recuset.

** n. 40
***supra, n. 47, cf. disp. 43, a. 2, n. 19-67

50. Quod si urgeas : Quomodo, factâ electione et determinatione a se, redditur sic immobilitatus, cum ante se habuerit ad opposita, etiam ex vi comprehensionis principiorum? Poterat enim comprehensione illâ utendo inclinari ad unam partem, vel ad oppositam. Poterat etiam non uti totâ comprehensione principiorum, sed inadæquate, non attendendo ad omnes circumstantias, et sic procedere ad deliberandum. Unde restabat locus ad retractandum, vel propter contingentiam et indifferentiam ad opposita, vel propter inadæquatam principiorum considerationem. — Respondetur, quod Angelus semper est sic dispositus, ut post determinationem, seu consequenter ad ipsam, immobilitetur, non antecedenter; et sic consequitur immobilitatio ad electionem, non ante.

51. *Sed quia de hoc ipso reddenda est ratio :* quare sic se habeat post electionem et non ante, supposito quod comprehensive intelligit etiam ante electionem, sed, quia comprehendit cum indifferentiâ et contingentiâ ad opposita, potest

libere eligere, cur ergo non poterit idem post electionem factam, cum sit eadem cognitio cum indifferentiâ et idem objectum liberum? — *Ideo addimus* quod advertenter posuit S. Thomas (in hoc art. 2*) illa verba : « Si consideretur ante adhæsionem, potest libere adhærere et huic et opposito, in his scilicet quæ non naturaliter vult; sed postquam jam adhæsit, immobiliter adhæret. » Ea ergo, quæ non naturaliter vult Angelus, sunt contingentia et indifferentia sibi, et præsertim ea quæ supernaturalia sunt : quia, ad ea quæ naturalibus principiis attinguntur, ex ipsa naturali manifestatione determinatur Angelus. Ante adhæsionem ergo sic proponuntur talia objecta determinate eligibilia, quod proponuntur cum indifferentiâ et contingentiâ ex se, et ex meritis objecti; et sic libere potest adhærere et huic et opposito. Sed tamen, quando se determinat ad unum præ alio, ipsa ratio determinationis et accipiendi hoc, et relinquendi illud, non proponitur Angelo mutabili modo, sed immobili : quia in ipsismet principiis et cum eâdem tendentiâ et attingentiâ, quâ attinguntur principia, ipsa etiam ratio determinationis accipitur. Et sic principia quatenus deserviunt isti determinationi, seu rationi determinandi acceptionem unius præ alio, immobilitant mentem Angeli, non solum quoad principia secundum se, sed quoad principia ut sunt ratio determinandi hîc et nunc : eo quod in Angelo, qui non potest cognitionem accipere ex rebus in seipsis, sed natus est accipere cognitionem in principiis respectu quorumcumque quæ sub eis continentur, etiamsi contingentia sint, oportet quod ipsa principia accipi possint ut ratio determinandi ad unum præ alio. Et quia hoc faciunt non per discursum, sed eâdem attingentiâ indivisibili quâ ipsa principia in se attinguntur, ideo, etiam ut sic extensa, immobiliter se habent : quod tamen ante electionem et determinationem non poterat dici, quia nondum extensio ista dabatur : quia nondum se movebat, nec se applicabat ad determinationem hujus et recusationem alterius, ut supra* diximus; et sic immobilitas extensiva ad hanc determinationem formaliter adhuc non erat, licet radicaliter ibi erat.

* I P. q. 64, a. 2

* nn. 47, 49

52. Certe nos, in consiliando et judicando practice, tunc firmiter procedimus quando accipimus consilium et sententiam per reductionem ad aliquod certum et firmum principium; licet, quia hoc facimus per consequentiam et illationem, semper detur locus retractationi, quia diversis notitiis et modis potest considerari illud principium et deduci illatio. Si ergo Angelus non per illationem ex principiis se determinat, sed ipsâ et eâdem indivisibili attingentiâ, qua comprehendit principia, determinationem accipit in re contingenti : ergo extenditur ad talia objecta sub eadem immobilitate, qua attingit principia : sicut nos firmiter procedimus, quando sub illatione deducimus necessario ex principiis. Sed nos revocabiliter, Angelus irrevocabiliter : quia nos per illationem et minorem penetrationem principiorum, Angelus sine illatione, in ipsâ principiorum attingentiâ extendente se ad objecta sub eis contenta. Et quia non potest sumere alias notitias ex rebus ipsis, sed semper a principiis debet incipere, ideo semper eâdem immobilitate procedit, et eodem modo cognoscit ea quæ semel in comprehensione principiorum cognoscit naturali lumine. — Quod autem posset ex supernaturali lumine reverti, non habet locum connaturaliter loquendo : quia eâdem immobilitate quâ eligit propriam excellentiam, excludit lumen supernaturale sibi manifestans convenientiam boni gratuiti, et claudit suam inspectionem ab eo. Unde, nisi miraculose detur lumen supernaturale vincens propriam et naturalem comprehensionem, non est revertibilis. — Quod autem dicitur* posse Angelum ex inadæquata comprehensione principiorum se determinare : Respondetur quod non determinaret se tunc plene et perfecte, sicut loquimur in præsenti, et sicut debuit facere in re summi momenti, sicut est determinare sibi finem unde omnes ejus actiones pendebant : et quia fuit circa propriam excellentiam et circa seipsum. Se autem plene comprehendit. Unde si inadæquate cognosceret res illas, posset retractari et non curreret casus præsens.

53. Secundo arguitur contra nostram resolutionem : Quia Angelus, factâ electione circa aliquod objectum, manet liber et non necessitatus ad malum; ergo non manet immobilis et inflexibilis. — *Consequentia patet :* quia non stat ista inflexibilitas et immutabilitas sine aliqua necessitate voluntatis : si enim necessitatus non manet, nihil prohibet resilire. — *Antecedens patet :* Tum quia eodem modo se habet voluntas Angeli post electionem et determinationem atque antea, tam ex parte objecti voluntatis, quam ex parte subjecti seu potentiæ; nihil enim immutatum est et ablatum; ergo

manet eadem libertas. Tum quia circa eadem objecta peccat sicut ante, teneturque converti ad Deum sicut ante electionem; ergo manet liber. Tum quia, ut late prosequitur Suarez (ubi * supra), non est unde proveniat ista immutabilitas et inflexibilitas post deliberatam determinationem : nec enim provenit ex actu præterito, aut ex aliqua naturali proprietate, aut ex habitu superveniente : nihil horum immobilitat, quia libertatem non tollit, sed libero modo operatur. — Et urget hîc ratio : quia ideo possunt Angeli eligere indifferenter et libere a principio, quia habent perfectionem cognoscendi objecta cum indifferentiâ; hæc autem perfectio eodem modo manet ante et post electionem; ergo æque libere potest, ante et post, operari circa talia objecta.

* *de Angel.*, lib. VIII, c. 8, n. 1-3; et c. 10

54. *Confirmatur :* quia totum fundamentum D. Thomæ stat in hoc quod Angelus immobiliter et sine discursu procedit in his quæ intelligit; et sic æque immobilitatur circa principia et circa conclusionem, finem et media. At hoc solum est verum circa naturalia : nam supernaturalia non comprehendit Angelus, et sic non procedit immobiliter circa illa, sed discursive. Peccatum autem Angeli fuit circa supernaturalem finem, recusando illum. Nec potuit circa legem naturalem, pure et secundum se, primo peccare, ut supra * dictum est. Ergo ruit totum fundamentum D. Thomæ.

* disp. 43, a. 1, nn. 4, 24-55

55. *Confirmatur secundo :* quia Angeli ante finitam viam semper poterant mutari : alias ante terminum viæ essent plene obstinati, cum tamen hæc sit pœna damnationis. Sed ante viam finitam plura peccata commiserunt. Ergo immediate post primum peccatum nondum sunt redditi inflexibiles, et tamen primum peccatum ex plena deliberatione commiserunt.

56. Respondetur : Illud argumentum de libertate solvi debere, etiamsi non ponamus inflexibilitatem intrinsecam et ex connaturali modo operandi, sed extrinsecam et solum ratione statûs, sicut fatemur in omnibus damnatis : damnati enim modo peccant, et tenentur operari bonum et converti ad Deum; et tamen sunt inflexibiles in malo, licet ratione statûs. Per accidens autem est ad libertatem, si illa tollitur, quod ex causa intrinseca vel extrinseca tollatur. Ergo, quantum ad illud punctum libertatis, idem, quod de omnibus damnatis dicitur ratione statûs, nos dicimus de Angelis ratione etiam connaturalis modi operandi. Fatemur * ergo dæmones, post electionem determinatam, manere in sua libertate, sed non in libertate ad retractandum, sed ad remanendum in eo quod semel voluerunt : manent enim inflexibiles ad continuandum id quod semel libere voluerunt, non ad necessario volendum. Unde illa continuatio inflexibilis est continuatio liberæ volitionis, et illa inflexibilitas per voluntariam et liberam adhæsionem causata est; et sic manet libertas prima in tota continuatione. Unde dixit D. Thomas (hîc, a. 2 *, in solut. ad 1) quod « habent liberum arbitrium Angeli, sed secundum condicionem naturæ suæ », id est, non retractabile, sed permanentis et continuatæ volitionis : quæ, hoc ipso quod continuatur ex prima libera volitione, semper manet libera, quia ex libertate originata est : et solum secundum quid manet necessaria, scilicet, ex suppositione quod libere voluit, non manet retractabilis propter perfectionem talis naturæ; manet tamen continuata ex priori libertate. Sufficit autem ad libertatem, quod pro illo instanti, quo actus fit, libere fiat, possetque non fieri; non autem requiritur quod pro omni statu et tempore possit retractari. Non est autem de essentia libertatis quod sit mutabilis postquam perfecte quis deliberavit, sed id pertinet ad imperfectionem defectumque naturæ : nam in Deo per naturam datur summa immutabilitas, et in beatis per gratiam, et in illis non aufertur libertas. — Et sic diabolus et damnati peccant modo *, quia continuant primam volitionem malam, quæ virtute manet in reliquis actibus. Et licet non possint reverti ad bonum, hoc nihil eis diminuit de culpa : tum quia non ex meritis objecti et necessitate ejus ad hoc determinantur, sed ex modo operandi Angeli comprehensivo et totali; tum quia voluntarie in talem statum se projecerunt, sicut peccat ebrius de præsenti, quia voluntarie se posuit in tali statu : quæ est solutio D. Thomæ (q. 16 *de Malo*, a. 5 ad 11).

* cf. supra, n. 53, *Quia Angelus*

* I P. q. 64, a. 2, ad 1

* cf. supra, n. 53, *Tum quia circa*

57. Et quando instatur *, quia nihil amisit liberum arbitrium positâ electione quod ante habuit; nec aliquid acquisivit de novo quod ante non haberet; et petitur ** ut explicemus quid sit illud quod de novo additur voluntati, ut sit inflexibilis et immutabilis : — Respondetur hoc ipsum inquiri et proponi a D. Thoma (in q. 24 *de Verit.*, a. 10, in argum. 14) : « Quia si peccatum, inquit, causat obstinationem, vel hoc facit subtrahendo, vel superaddendo. Non subtrahendo : quia naturalia in dæmonibus

* supra, n. 53, *Tum quia eodem*

** supra, n. 53, *Tum quia, ut late*

manent integra. Non superaddendo : quia illud quod superadditur, cum sit accidens, oportet quod insit per modum recipientis; et sic, cum liberum arbitrium sit flexibile ad utrumque, non redditur per hoc immobiliter inhærens in malo. » Ecce quod tam late inquirirat Suarez*, quid addatur libertati Angeli ut reddatur inflexibilis, brevi hoc argumento complectitur D. Thomas. Respondet autem sic (ad 14) : « Dicendum quod peccatum, libero arbitrio adveniens, non adimit aliquid essentialium : quia sic species liberi arbitrii non remaneret; sed per peccatum aliquid additur, scilicet unitio quædam liberi arbitrii cum fine perverso, quæ ei quodammodo naturalis efficitur. Et ex hoc necessitatem habet, sicut et alia quæ sunt libero arbitrio naturalia. » Ita D. Thomas. Quare respondemus breviter : remanere inflexibilem voluntatem ex ipso connaturali modo operandi : quia sicut per sua naturalia principia immobiliter adhæret fini, ita, si in ipsis principiis eâdem indivisibili attingentiâ extenditur ad determinandum se circa media, illa nova extensio seu unitio ad illud objectum facta sic, id est, in ipsismet principiis, eâdem immobilitate tangit principia et extenditur ad media; et hæc nova extensio sic facta reddit immobilitatum Angelum, sicut supra* explicatum est.

* *de Angel.*, lib. VIII, c. 9-10-11

* n. 51-52

58. Et ad rationem quæ urgetur**, quod objectum eâdem perfectione intelligitur, et cum eâdem indifferentiâ, ante electionem et post, *distinguo :* cum eadem indifferentia et perfectione in eodem statu et dispositione sicut ante, *nego;* cum diverso statu, *concedo*. Sicut etiam in omnibus damnatis tenemur dicere, quod ratione statûs damnationis objecta apprehenduntur quidem ut indifferentia, quia circa illa peccatur, sed sub diversa dispositione et statu. Diversa autem dispositio stat in hoc, quod illud objectum de se indifferens, et contingens ex meritis suis, accipitur ut indutum quadam ratione formali immobili, quatenus accipitur ut convenientia et congruentia [1] dispositioni hujus subjecti : juxta convenientiam enim ad subjectum diversimode sumitur convenientia vel disconvenientia rei appetibilis, quæ ex dispositione subjecti habet variari. Ex eodem autem respectu sumit immobilitatem et determinationem : quia illa dispositio subjecti per ordinem ad quam induit convenientiam, est dispositio determinans et afficiens voluntatem, non ex rationibus particulariter aut per discursum acceptis, sed in ipsa immobili comprehensione principiorum. Et sic objecta de se indifferentia, quatenus sic movent ex vi principiorum se extendentium ad manifestandam illam determinationem, libertatem servant : quia indifferentia sunt, oriunturque ex libera determinatione voluntatis; et inflexibilitatem habent, quia sub tali determinatione movent. Illa autem determinatio, quia in sui initio libera fuit, non tollit libertatem : sed continuatio ejus continuat illam, quia actus liber est qui continuatur, solum autem ex suppositione et secundum quid necessitatur : sicut, ex suppositione intentionis efficacis, electio unici medii simpliciter libera est, licet ex suppositione sit necessaria; sic ex suppositione primæ determinationis liberæ, tali comprehensione factæ, omnia secuta determinata et necessaria manent, sed non simpliciter, sed ex suppositione.

** supra, n. 53, *Et urget*

59. *Ad primam* confirmationem respondetur,* quod Angelus peccavit circa finem supernaturalem, recusando illum ex libera adhæsione ad finem naturalem et propriam excellentiam quam comprehensive cognoscebat. Unde per eamdem comprehensionem, qua finem naturalem attigit, motus est ad recusandum supernaturalia, et claudendum oculos suos ne videret illa modo affectivo, quatenus ex gratiâ danda erant; et sic modo immobili circa recusationem supernaturalium processit, scilicet ex naturalibus principiis, quæ utique comprehensive attingebat, et circa quæ immobiliter procedebat. Unde in recusando supernaturalia immobiliter se habuit, quidquid sit, an in attingendo res supernaturales comprehensive procedat. — Quod vero non potuerit* peccare immediate contra legem naturalem, verum est : quia non potest immediate recusare et abjicere illam; potuit tamen recusare supernaturalem, et mediate naturalem, ut supra* diximus. Secundo, addo quod in cognoscendis rebus supernaturalibus licet Angelus non procedat comprehensive ex parte rerum cognitarum, quia nec evidenter sed obscure per fidem cognovit in via res supernaturales, tamen ex modo attingendi sine discursu ea cognoscit : et eodem actu et attingentiâ fertur in totum quod sibi conceditur de illis attingere. Eo quod gratia, superveniens alicui naturæ, non deprimit neque

* supra, n. 54

* cf. supra, n. 54, *Nec potuit*

* disp. 43, a. 1, nn. 4, 24-55

(1) Ita omnes, non satis clare ‖ Sententia hujusmodi videtur : *quatenus [objectum] accipitur ut aliquid conveniens et congruens dispositioni...*

destruit modum ejus connaturalem et perfectum, sed potius elevat et perficit : inconveniens est enim quod natura Angeli, quæ ex sua perfectione et modo connaturali petit non discurrere, ex modo supernaturali quo elevatur reddatur deterioris condicionis, quia deprimitur ad modum cognoscendi discursive, qui est valde imperfectus. Quare circa supernaturalia Angelus non discurrit; et sic eâdem attingentiâ et immobilitate attingit finem et media, principia et conclusiones; sicque ex ipso modo operandi petit etiam immobilitari post electionem determinatam in bono.

60. Quod si instes : Ergo confirmatio in bono et perseverantia in Angelo non est ex gratia Dei, sed ex connaturali modo operandi; aut saltem non est distincta gratia a prima operatione et electione : cum tamen perseverantia in bono sit specialissimum donum Dei præter gratiam primam : — Respondetur fuisse in Angelo specialissimam gratiam, et distinctam a prima in qua creati sunt. Etenim post primam operationem ex gratia Dei in primo creationis instanti, cum cœperunt Angeli se determinare et movere, et quidam in suâ naturali excellentiâ sistentes clauserint oculos, et recusaverint finem supernaturalem ex gratia habere, manifestum est quod fuit ex luce et viribus gratiæ quod alii sic fuerint confortati, ut elegerint subjici fini supernaturali et ex gratia Dei obtinere regnum cælorum. Quæ gratia tanta fuit, ut quadam connaturalitate ad se traxerit naturam eorum, eamque firmaverit, inflexibili et quasi connaturali modo operans in illis : non connaturali modo, id est, debito : sed connaturali, id est, firmo et immobili, eo quod accommodavit se modo operandi illius naturæ in immobilitate. Et hoc totum fuit ex vi ipsius gratiæ distinctæ a prima, seu distincto beneficio habita,[1] licet continuatio fuerit primæ usque ad perseverantiam finalem : perseverantia enim continuationem hanc importat, sed distincto beneficio : quia poterat Deus permittere interruptionem, ut in dæmonibus. Sed dedit gratiam efficacem, ut continuarent, et continuando perseverarent et confirmarentur; licet, etiam in hoc, juxta modum illum naturæ in operando accommodaverit se.

* supra, n. 55 61. *Ad secundam* * *confirmationem respondetur,* quod Angelus ante terminatam viam non fuit adæquate redditus inflexibilis, et in facto esse : quia non fuit plene et adæquate terminatus actus quo deliberabat in peccato, et concludebat illud instans. In quo licet plura fuerint peccata, omnia tamen subordinabantur uni fini et rationi formali, sub qua fiebant; et integrabant totum illud instans. Unde in quolibet illorum erat illud instans, et ille integer actus inadæquate; et sic erat inflexibilitas quasi inadæquate, et nondum plene consummata : quia actus ille peccandi sic eligebat determinatum finem, quod non sistebat in eo, sed concomitanter[2] omnes alios actus et peccata quæ illi subordinabantur ex vi talis electionis. Unde totum illud instans, cum omnibus illis peccatis, debet reputari ut una integra causa inflexibilitatis. Modo autem peccata, quæ ab eis committuntur, jam supponunt inflexibilitatem consummatam in toto illo instanti, non illam constituunt.

62. Ultimo arguitur : Quia judicium Angeli non est inflexibile et immobile, etiam post deliberationem; ergo neque voluntas. — Consequentia patet : quia voluntas sequitur modum intellectûs; et propter hoc ponit D. Thomas inflexibilitatem in Angelo, quia intellectus immobiliter apprehendit; ergo si non apprehendit immobiliter, consequentia non valet. — *Antecedens vero probatur :* tum quia Angeli, qui peccaverunt, mutaverunt judicium in secundo instanti ab eo quod habuerunt in primo, cum tamen in primo instanti comprehenderint omnia objecta, quæ in secundo : Angelus enim creatus est *plenus sapientiâ* *; et tamen, cum peccavit, utique dictamen mutavit. Dicere autem, quod post electionem non potest mutare dictamen, quia non potest considerare aliter practice, licet possit speculative, est mera petitio principii : cur enim consideravit omnia practice, et non omnia speculative? Vel, si potest aliter considerare speculative, cur non poterit practice? * Eze. xxviii, 12

63. Tum etiam quia Angelus mutavit judicium circa mortem Christi, prius instigans ad illam Judam et Judæos, deinde per uxorem Pilati procurans ne damnaretur. Et similiter quando est pugna inter Angelos, et concordantur a Deo, alter eorum saltem sententiam mutat; formant ergo judicium mutabile. Dicere autem quod mutant judicium imperfectum, non vero perfectum et deliberatum, videtur omnino volun-

(1) Sic omnes, corrupte, ut videtur || Omnino censemus legendum : *habitæ*.

(2) Supple : *concomitanter [eligebat] omnes...*

tarium. Unde enim constat Angelum non plene judicare, licet cum defectu : sicut format dictamen cum defectu, et tamen dicitur plene judicare, quia non mutat illud? Certe in primo instanti habuit Angelus tam plenam cognitionem, sicut in secundo; ergo fuit plenum illud judicium, quia ortum est ex plena scientia; et tamen mutavit illud; ergo et nunc potest mutare. — Tum denique, quia modo dæmon videt per experientiam ipsam pœnam sui peccati, videt sibi esse impossibile consequi illam altitudinem, quam prius consequi desiderabat, habet etiam vermem conscientiæ remurmurantis contra ipsum; ergo habet ex parte sui sufficientia principia, ut retractet oppositum, seu cognoscat se errasse : licet ex defectu gratiæ pænitere non possit ut oportet.

64. *Confirmatur* ex quibusdam auctoritatibus, quæ huic mutabilitati favere videntur. Nam Angeli dicuntur ex natura sua mutabiles, et Angeli sancti solum ex gratia immutabiles in bono : ut docet Damascenus (lib. II de Fide, c. 3 *); Isidorus (de Summo bono, c. 12**); Augustinus (lib. de Correptione et gratia, c. 10 et 11 ***); ergo non sunt ex natura sua inflexibiles : alias gratiâ non egerent, sed solum quod naturali modo operarentur. — Et specialiter Damascenus dicit : « Angelum † esse semper mobilem, et voluntatis ac sententiæ ratione mutabilem. » — Item Fulgentius (lib. de fide ad Petrum, c. 3 ††) dicit, quod initium resumendi bonam voluntatem est ex gratia, et non ex natura : nam si homines possent per naturam illud initium habere, posset etiam Angelus. Ergo supponit Angelum esse mutabilem sicut hominem, alias illa consequentia non valeret : posset enim dici quod etsi homo posset per naturam resumere voluntatem, sed non Angelus, quia inflexibilis est.

* PG 94, 865 B; 868 A
** c. 1, n. 1; c. 10, n. 2; PL 83, 539 A; 554
*** n. 27-32; PL 44, 932-6
† PG 94, 868 A
†† n. 34; PL 40, 764

65. Respondetur negando antecedens. — Ad primam * probationem dicitur, quod dictamen, quod habent Angeli in primo creationis instanti, possunt mutare : quia licet in illo plene cognoscant, sicut in secundo, non tamen se movent et applicant, neque formant suum dictamen, sed a Deo formatum accipiunt, a quo immediate tunc moventur *. Non immobilitatur autem Angelus in aliquo fine, nisi se determinet et moveat. Si enim præcise moveatur ab alio, solum operabitur bonum, prout subest illi motioni; si autem relinquatur sibi ipsi ut se moveat et determinet, oportet quod ex modo illo se movendi, et juxta naturam ejus, reguletur mobilitas vel immobilitas in electione facta. Quare cum operatio in primo instanti facta sit solum ex motione speciali Dei, et nondum ibi appareat quid faciat Angelus ex propria motione, nondum ibi potest immobilitari, quantumcumque perfecte et comprehensive cognoscat : quia restat adhuc alius modus, quo seipsum debet movere, et ex seipso formare dictamen. Et ideo ex comprehensione non quomodocumque, sed sic applicata ut se moveat et ex se deliberet, sumitur quod immobiliter procedat. Et sic a primo instanti in secundum potest mutare judicium et dictamen, quia potest mutare modum operandi; sed post hoc secundum non restat alius modus operandi; et sic exinde sumitur immobilitatio.

* supra, n. 62, *Antecedens*
* cf. supra, n. 49

66. Ad secundam * probationem dicitur, quod illud judicium diaboli non fuit perfectum, et deliberate omnino determinatum, sicut neque est inter Angelos quando est pugna inter eos. Et dicimus non fuisse omnino plenum, non quia non sit cum sufficienti advertentiâ ad peccandum mortaliter : sed quia non est cum judicio firmo intellectûs circa tale objectum, et comprehensione plene et perfecte applicatâ. — Et cum inquiritur *, unde constat non fuisse judicium plenum, et determinationem? Respondetur constare, quia illa cognitio versatur circa res naturaliter ignotas Angelo, et in quibus procedit conjecturaliter ex effectibus quos videt (licet sine discursu, quia immediate in effectibus sine alio lumine deducto vel actu conjectat de causis, imperfecte tamen), non autem procedit ex principiis comprehensive cognitis. Et ideo plenum judicium formare non potest, nec certi aliquid statuere, nisi præcipitanter et temerario : quod, ex hoc ipso, non est fixum neque immobile.

* supra, n. 63
* supra, n. 63, *Unde enim*

67. Ad tertiam * probationem dicitur : Angelum judicare modo esse impossibilem consecutionem rei quam appetiit, scilicet ut singulariter dominaretur omnibus, vel relinqueretur in sua pura natura potius quam ex beneficio Dei habere gloriam, aut communicando cum hominibus quos valde despiciebat. Ceterum, licet quoad assecutionem istarum rerum amiserit spem, quia nihil horum intentabat efficaciter consequi, nisi sub condicione « Si ad id pateret via », et dependenter ab aliis extrinsecis quæ non erant in sua potestate, ideoque circa illam consecutionem non habebat immobile judicium :

* supra, n. 63, *Tum denique*

tamen circa propriam excellentiam et rationem formalem appetendi illam cum tanta singularitate, et circa refutationem gloriæ et supernaturalium bonorum, ut ex gratia et speciali beneficio habendorum, efficaciter se habet, et in hoc non mutat judicium ex pœna quam sentit, sed obstinatior manet, eligens potius illam pœnam quam ex gratia Dei habere gloriam. Et ita, ut dicit D. Thomas (in hoc art. 2 * ad 3), « manet in diabolo peccatum quantum ad appetitum, licet non quantum ad hoc quod credat se posse obtinere. » Immo, quando ipse peccavit et refutavit ex superbia gratiam Dei, bene vidit se peccare et damnationem incurrere. Quomodo enim ignorare hoc potuit, quod etiam homines sciunt? Nec ipse credidit se absolute posse obtinere res illas, quas desiderabat, sive affectatæ dominationis, sive superbissimæ singularitatis : licet vellet illa sic, si posset esse locus obtinendi. Quod autem efficaciter voluit, scilicet manere in sua singularitate et excellentiâ sine dependentiâ a beneficio speciali gratiæ Dei, hoc semper efficaciter voluit, et modo vult, etsi cum tanto damno suo : quod etiam tunc non recusavit, quia non ignoravit.

* I P. q. 64, a. 2, ad 3

68. *Ad confirmationem * respondetur :* illas auctoritates non convincere. — Ad primam dicitur : Angelum recte appellari a Damasceno semper mobilem, et omne arbitrium creatum esse mutabile; sed non dicit esse mobilem sic, id est, per retractationem, et postquam semel aliquid voluit. Hoc non dicit Damascenus *. Verificatur autem semper esse mobilem, vel circa diversa objecta quæ de novo accidunt, et circa quæ Angeli habent novos affectus, licet semper sub eodem fine quem prius elegerunt. Et circa ipsum finem fuerunt mutabiles antequam determinate eligerent, inter primum et secundum instans, non postea; nec contra hoc dicit Damascenus. — Similiter cum dicant sancti solum ex gratia Dei esse immutabiles in bono, verissimum est : licet enim Angelus ex proprio modo operandi petat inflexibilitatem post electionem, tamen quod ista sit in bono, et non in malo, ex magna Dei gratia est : quam si suspenderet, in malo obstinarentur. Per gloriam autem redduntur immutabiles, etiam quoad supernaturalia : quod ex natura sua non habent. — Ad auctoritatem Fulgentii * respondetur : illam condicionalem esse verissimam, sed non supponere Angelum esse mutabilem postquam semel elegit; sed loquitur de conversione ad bonum ex parte gratiæ et virtutis ad eam requisitæ. Et dicit quod, si gratia et initium resumendi bonam voluntatem esset homini naturale, etiam Angelo, quantum est ex parte virtutis seu virium quæ ad id requiruntur : ista enim virtus supernaturalis est; quæ quidem supernaturalitas et virtus, si esset naturalis homini, etiam Angelo; et sic procedit illa condicionalis Fulgentii. Sed quantum ad exercitium hujus virtutis modumque operandi, ut scilicet, si homo potest ex natura sua esse reducibilis postquam voluit aliquid, etiam Angelus reducibilis sit, quantum ad hoc Fulgentii condicionalis non procedit, nec ab ipso ponitur : sed solum quod, si ex parte supernaturalitatis et excellentiæ esset homini connaturalis illa gratia, etiam Angelo.

* supra, n. 64

* cf. PG 94, 868 B

ARTICULUS III

Quomodo spiritus torqueantur ab igne.

1. INTER pœnas sensûs quæ in damnatis sunt, et pertinent omnes ad afflictionem et dolorem seu tristitiam quam voluntas concipit de objectis sibi dissonis et contrariis, præcipua et difficilior ad explicandum est tortura quam spiritus patiuntur ab igne : cum iste sit corporeus, illi extra omnem corporeæ actionis sphæram. Ideo aliis omissis, quæ commodius in Iª-IIæ circa * peccatorum pœnas explicabuntur, de hac solum pœna in præsenti agemus.

* I-II, q. 85-87

DUO PRÆSUPPOSITA.

2. *Primo, supponendum est* duplicem dolorem vel tristitiam distingui, scilicet formalem, et objectivam. Formalis dolor est actus voluntatis seu appetitûs refugientis malum sibi conjunctum, a quo patitur vel gravatur. Unde res carentes appetitu sentiente, vel intellectivo, pœnæ et doloris capaces non sunt. Dolor objectivus est illud objectum disconveniens, quod refugit voluntas, v. g. vulneratio, verberatio, adustio, etc. —

In dæmonibus ergo certum est non esse dolorem, qui est passio seu actus appetitûs sensitivi : quia carent potentiis corporalibus et sensitivis. Dari autem dolorem qui sit actus voluntatis refugientis, et tristantis de cruciatu illato, certissimum est : quia de fide est dari in dæmonibus cruciatum, non solum qui pertinet ad pœnam damni, propter bonum gloriæ amissum, sed etiam qui pertinet ad pœnam sensûs, et mediante igne infertur. Dicitur enim (II Pet. II, 4) : *Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed in tartarum tradidit cruciandos;* (Apo. XX, 10) : *Missus est diabolus in stagnum ignis et sulphuris, ubi bestia et pseudopropheta cruciabuntur die ac nocte.* De quo etiam igne dicitur (Mat. XXV, 41) : *Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo et Angelis ejus.* Non paratur autem ignis ille, nisi ad cruciatum et supplicium, de quo ibi subditur : *Ibunt* hi in supplicium æternum.* Et de eodem dicitur (Isa. XXXIII, 14) : *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante; quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?* Quare cruciatum in inferno futurum, et non solum pœnam damni, indubitata fides est. Quod etiam constat ex Innocentio III (in cap. *Majores**, de Baptismo, § *Sed ad hæc*[1]) ubi definit actualis peccati pœnam esse perpetuum cruciatum.

* Mat. XXV, 46

* c. 3, Extrav. de Baptismo, III, 42; (Friedberg II, 646)

3. *Secundo supponendum est,* tamquam certum : ignem illum, quo cruciantur spiritus in inferno, esse corporeum. — Quod aliqui negaverunt, existimantes illum ignem, qui cruciaturus est spiritus, esse ipsam conscientiam peccatorum, quæ metaphorice dicitur ignis et vermis; de quo dicitur (Judith, XVI, 21) : *Dabit ignem et vermes in carnes eorum, ut urantur et sentiant in sempiternum;* et (Isa. LXVI, 24) : *Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non exstinguetur.* Sed constat quod vermis intelligitur metaphorice : quia in inferno non erunt vera et propria animalia præter humana corpora; ergo etiam ignis metaphorice intelligendus est. Et quidem S. Hieronymus (in cap. LXVI* Isaiæ; et epist. 59**, c. 2) inter Origenis errores refert, quod ignem inferni non ponit in suppliciis, sed in conscientia peccatorum. Quæ sententia arrisit Calvino***, aliisque novatoribus, qui negant ignem inferni et purgatorii, solumque pœnas damnatorum dicunt esse terrores et anxietates quibus anima Deum sibi iratum et infestum

* ℣. 24; PL 24, 676 C D
** nunc ep. 124, c. 2, n. 7; PL 22, 1065
*** cf. *Institut.*, lib. II, c. 16, n. 10-12; III, c. 25, n. 12; IV, c. 5, n. 9-10

cogitat, ut refert Bellarminus (tomo I, lib. IV de Christo, c. 8). Catharino etiam attribuitur, quod (lib. De præmio bonorum, et supplicio malorum†) dixerit ignem inferni non esse sensibilem, sed pœnam spiritualem illo igne designari.

† opusculo X, p. 145-9

4. CETERUM INDUBITATE TENENDUM EST ignem illum esse materialem et corporeum; et oppositum pro errore deputandum est. — Quia Scriptura frequentissime nominat ignem pro futura pœna damnatorum, non solum pro animabus separatis et dæmonibus, sed etiam pro corporibus damnatorum post resurrectionem et diem judicii. De illis enim jam resuscitatis dicitur (Mat. XXV, 41) quod ibunt *in ignem æternum, qui paratus est diabolo et Angelis ejus;* corpora autem non cremabuntur igne spirituali et metaphorico, sed vero; cum ergo idem ignis ponatur pro diabolo, et pro corporibus damnatorum, manifestum est quod ille ignis corporeus est.

5. *Et ita est communis Patrum traditio et expositio :* ut patet ex S. Hieronymo (locis citatis*), ex S. Gregorio (IV Dialog. c. 29**) : interrogans, an ignis ille corporeus sit, respondet : « Corporeum esse non ambigo. » Augustinus (XXI de Civit. c. 10***) : « Adhærebunt, inquit, spiritus incorporei corporeis ignibus cruciandi; non ut ignes eorum juncturâ inspirentur, et animalia fiant : sed, ut dixi, miris et ineffabilibus modis adhærendo, accipientes ex ignibus pœnam, non dantes ignibus vitam. » Videndus est etiam idem S. Augustinus (XX de Civit. c. 22†). S. Cyprianus (lib. De laudibus martyrii, c. 12††) luculenter infernum describens : « Sæviens locus, inquit, cui nomen gehenna est, magno plangentium murmure et gemitu, et eructantibus flammis per horrendam spissæ caliginis noctem, sæva semper incendia camini fumantis exspirat. Globus ignium arctatus obstruitur, et in varios pœnæ exitus relaxatur. Tunc sæviendi plurima genera, cum in se ipse convolvit quidquid ardoris emissi eadem flamma cruciaret. » S. Julianus archiepiscopus Toletanus, qui citatur a Magistro (in Dist. 44, in IV° Sententiarum) : « Si viventis* hominis spiritus tenetur in corpore, cur non post mortem etiam corporeo igne tenetur? » — Denique, sequuntur hoc omnes scholastici doctores cum Magistro (ibidem); et D. Thomas (opusc. II**, c. 179) concludit quod « pœna ista ignis corporalis est; et omnia, quæ in Scriptura de hoc igne inferni

* supra, n. 3
** PL 77, 368 C
*** n. 1; PL 41, 725

† PL 41, 694
†† c. 20; PL 4, 798

* Prognost., lib. II, c. 17; PL 96, 482

** *Compendium theologiæ*

[1] Sic omnes || Innocentii textus habet : *Sed adhuc.*

dicuntur, ad litteram et non per metaphoram esse intelligenda. » — Videatur de his latissime Suarez (lib. VIII de Angelis, c. 12).

6. *Nec obstat comparatio illa* vermis et ignis, supra * facta. Vermis enim non potest convenienter intelligi, nisi per metaphoram, scilicet pro ipso conscientiæ remorsu : eo quod post diem judicii non manebunt animalia aliqua, quæ corpora depascant damnatorum : quia cessabit omnis generatio et corruptio, et omnia hæc finienda erunt, quæ ad res mixtas et viventia pertinent præter hominem. Quod de igne non currit, qui est elementum, et semper permanebit. — Unde Augustinus inter ista duo ponens differentiam (in lib. XX de Civit. c. 22 *) : « In pœnis, inquit, malorum erit inexstinguibilis ignis, et vivacissimus vermis. Ab aliis autem aliter atque aliter exponitur. Alii utrumque ad corpus, alii utrumque ad animam retulerunt; alii proprie ad corpus ignem, tropice ad animam vermem : quod esse credibilius videtur. » Idem affirmat S. Thomas (in IV, D. 50, q. 2, a. 3 *). — Quod vero aliqui sancti aliquando insinuent illum ignem non esse corporeum, ut S. Ambrosius (lib. VII ** in Lucam, titulo de parata cœna) ubi inquit : « Neque ignis perpetuus est flammarum corporalium, neque vermis est corporalis; » et S. Augustinus (XII de Genesi ad litt. c. 32 ***) idem negare videtur : hæc et similia explicari debent vel de proximo contristante, quod est apprehensio spiritualis, non de remoto, quod est ignis corporalis : vel de virtute spirituali, qua a Deo agitur ille ignis ut instrumentum ejus, non ut virtute propriâ corporeâ urens. Videatur D. Thomas (in *Additionibus*, q. 70, a. 3 ad 1).

* n. 3
* PL, 41, 694
* a. 3, qla 2, c. et ad 2
** n. 205; PL 15, 1754
*** n. 61 : PL 34, 480-1

7. *His ergo suppositis, difficultas currit :* Quomodo ignis ille corporeus torqueat spiritus : an physice aliquid spirituale illis imprimendo, et quid hoc sit, quomodove ab igne corporeo imprimatur : an vero solum moraliter, quatenus objectum tristitiæ est, et quomodo cognitionem moveat et voluntatem excitet ad dolorem, si nihil physicum, quod contrarium et disconveniens sit, in spiritu imprimat realiter et physice. Quæ disputatio suâ etiam difficultate non parum auctorum ingenia torquet.

VARIÆ SENTENTIÆ.

8. *Duo sunt, in quibus variæ auctorum sententiæ dividuntur.* — *Alterum :* quid causet ignis in spiritibus, quo eos cruciet et torqueat. — *Alterum :* quo modo id causet ignis. Nam id, quod cruciat illos, non videtur esse corporeum : cum nulla qualitas modusve corporeus ipsis spiritibus sit contrarius. Si vero spirituale aliquid est, non apparet quomodo ignis corporeus id producat seu efficiat : physice, an moraliter : ut propria et principalis causa, an ut instrumentalis. Quid etiam sit illud spirituale quod sic cruciat, cum non videatur repugnans. — Igitur ut possimus in ordinem redigere tantam diversitatem sententiarum, dico duas esse classes et quasi præcipua capita sententiarum circa id quod ignis causat : duas etiam circa modum quo causat cruciatum illum.

9. CIRCA ID QUOD CAUSAT IGNIS in spiritibus, quos torquet, *prima sententia docet* ignem causare in spiritibus quos torquet aliquid morale : scilicet aliquid pertinens ad cognitionem seu apprehensionem, vel aliquam speciem qua eliciatur cognitio apprehendens illum ignem ut nocivum, vel aliquo alio modo tristitiam inferens : quod tamen diversis modis explicant auctores qui hanc viam sequuntur. — Nam quidam affirmant per talem apprehensionem solum formari judicium alicujus mali seu nocumenti, non veri sed apparentis, ad eum modum quo nos aliquando ex phantasiâ delusâ vel somniante prægravamur; itaque, in istorum auctorum sententia, tormenta illa solum sunt somniata [1]. — Alii vero putant causari per ignem apprehensionem boni amissi, id est, beatitudinis : a qua sententia non multum abhorret Arrubal (in præsenti, disp. 171 *, c. 1) qui dolorem illum, illatum ab igne, censet non esse distinctum a dolore quem sentiunt spiritus ex amissione beatitudinis; solumque dicuntur pati ab igne corporeo, quatenus virtute divinâ fit ut actus ille vitalis, quo apprehenditur et sentitur illa pœna seu amissio tanti boni, dependeat ab igne, non ut a causa principali, quia vitalis non est, sed tamquam a causa instrumentali. — Alii denique in hac parte existimant ignem producere divinâ virtute speciem quamdam intentionalem impressam, vel expressam, qua spiritus vehementissime applicatur ad cogitandum de illo igne, vel de alio simili objecto nocivo; et ista coactio violentiam quamdam et tristitiam infert voluntati. De quibus sententiis, quæ solum aliquid intentionale vel morale provenire dicunt

* rectius : disp. 181, c. 3, maxime n. 21-24

[1] Mendose MP *sonniata* || LC correxerunt : *somniata*.

ab igne, videri potest D. Thomas (in IV, D. 44, q. 3, a. 3*), Suarez (lib. VIII de Angelis, c. 13) et Vazquez (hîc, disp. 243, tribus primis capitulis).

* q. 3, a. 3, qla 3

10. *Alia sententia seu classis auctorum* tenet ignem illum non solum torquere objective, tamquam causans (2) apprehensionem vel speciem contristantem, sed etiam effective, quatenus aliquid physicum ponitur in spiritu, quod sit illi malum et disconveniens : eo quod, ut S. Gregorius dicit (IV Dialog. c. 42*), « incendium anima non solum videndo, sed etiam experiendo patitur. » Ubi distinguit experientiam passionis ab apprehensione. Quid autem sit hoc malum causatum in spiritu, varie explicant auctores hujus sententiæ. — Quidam dicunt produci ab igne qualitatem quamdam spiritualem dissonam Angelo, sicut producitur qualitas dolorifera in corpore : quam sententiam sequitur Suarez (ubi supra, c. 15*; et tomo IV in III^am Partem, disp. 46, sect. 2**). — Alii dicunt solum produci *ubi*, seu detentionem in loco, ne egrediatur quo velit. Quæ sententia Cajetano***, et Thomistis communiter tribuitur (ad hanc q. 64†, a. 4); et eamdem sententiam ex parte sequitur Vazquez (ubi†† supra, c. 6), licet aliis etiam occultis modis, nobis ignotis, affirmet Angelos torqueri. — Alii existimant eamdem læsionem seu dolorem, quem ignis infert corpori animato, imprimi in anima seu spiritu separato, perinde ac si corpora ipsa animarent; sicque in dæmonibus causatur ille dolor, quem ignis causat modo in nostra anima mediante carne. Quæ sententia attribuitur Soto (in IV, D. 50, q. unica, a. 2*); et multis discipulis D. Thomæ placuisse docet Bañez (super hanc q. 64**, a. 4, dubio 3).

* verius: c. 29; PL 77, 368 A

* verius: c. 14, 4ª responsio, n. 41 sqq.
** assert. 2 et 3
*** tomo III opuscul., tract. 1, orat. 5
† I P. q. 64, a. 4
†† disp. 243, c. 6

* concl. 2
** I P. q. 64, a. 4, dub. 3, 5ª sententia
*** n. 8

11. CIRCA SECUNDUM quod supra*** proposuimus, nempe quomodo ignis, cum sit corporeus, causet rem illam quæ tantum dolorem imprimit spiritibus, præsertim si est res physica et spiritualis, duplex etiam sententia est. — *Prima affirmat* rem illam produci ab igne tamquam ab instrumento physico Dei. Huic sententiæ subscribunt omnes, qui affirmant dari instrumenta physica ad producendam gratiam et effectus supernaturales : eadem enim ratio est de illâ qualitate spirituali cruciativâ. Communiter autem id tenent Thomistæ (ad III P. q. 13, et q. 62), ubi etiam videri potest Suarez* id latissime propugnans, licet ponat potentiam obœdientialem activam (quam communiter rejiciunt Thomistæ) ut instrumenta ista physica dari possint.

* de Incarn., tomo I, disp. 31; de Sacram., tomo I, disp. 9

(2) Intelligito : *tamquam [aliquid] causans.*

12. *Alia sententia,* quæ istam physicam efficientiam instrumentalem non admittit, solum concedit ignem inferni moralem causalitatem habere in rem illam quæ producitur a Deo ad torquendos spiritus. Quæ sententia, denegans causalitatem istam physicam, est Scoti*; cui subscribit Vazquez**, et alii recentiores hujus temporis, ut (citatis locis III^æ† Partis) dicit solet.

* IV, D. 1, q. 5. n. 12-18; D. 44, q. 2, n. 7-12
** III P., disp. 57, c. 5; disp. 132
† III P. q. 13; q. 62

RESOLUTIO.

13. Non est disputatio ista occupanda, in præsenti, longâ illâ et prolixâ difficultate de causatione physica instrumentali rei corporeæ respectu effectûs spiritualis : hæc enim difficultas suum specialem locum habet in tractatu de sacramentis (ad q. 62 in IIIª Parte) vel etiam (quæst. 13*) agendo de potentia animæ Christi. — *Et ut ab isto puncto nos expediamus, dico* quod, *juxta communem D. Thomæ* et Thomistarum *sententiam,* nulla invenitur implicatio quod res corporea assumatur a Deo tamquam instrumentum physicum ad producendam gratiam seu effectum aliquem spiritualem, recipiendo ad hoc virtutem elevativam Dei, qua actio ejus physica præter suum proprium effectum operetur et producat spiritualem effectum : sive actio illa propria instrumenti operetur aliquid in ipsomet subjecto in quo fit effectus spiritualis : sive non, sed tantum operetur circa aliud subjectum : de quo videri possunt quæ diximus in Physica (q. 26, a. 2*), et supra, in hoc tomo (disp. 18**), agentes de instrumento creationis. Cum ergo non repugnet quod corpus aliquod assumatur ut instrumentum physicum spiritualis effectûs, non est cur denegemus igni corporeo talem causalitatem, si vere cruciatus ille est per aliquid spirituale physicum in anima seu spiritu impressum. Sic enim cum omni proprietate intelligitur ignem torquere et affligere spiritus, si physice producit id quo torquentur : sicut sacramenta dicuntur in omni proprietate sanctificare nos, si gratiam physice producunt in anima per modum instrumenti. Sed quia causalitas ista instrumentalis rei corporeæ in spiritum valde occulta et mirabilis est, solumque ab infinita potentia Dei expediri potest, ideo optime dixit

* III P. q. 13

* RE II, 523-5
** nunc disp. 38, a. 4, n. 40 sqq., maxime n. 56

* n. 5 Augustinus (ubi supra *, xxi de Civitate, c. 10) « miris et ineffabilibus modis » ignem illum spiritus cruciare.

14. *Alia vero sententia,* quæ talem causalitatem physicam non admittit, solum fatetur moralem causalitatem ignis in torturam spirituum : non quia solum aliquid morale torqueat dæmones, sed aliquid verum et physicum, non tamen physice procedens ab igne, sed a solo Deo ad præsentiam ignis : sicut ad præsentiam signi, seu virgæ judicis, tortor cruciat reum. Et sic solus Deus est qui physice et formaliter torquet dæmones in hac sententia; ignis vero solum se habet ut signum talis torturæ : et sic dicitur moraliter torquere. — Relictâ ergo istâ controversiâ de causalitate physica instrumentali, de qua tamen possunt videri quæ diximus citatis * locis, in præsenti solum est videndum illud primum quod præsentis loci proprium est : scilicet quid sit illud quo torquentur spiritus ab igne, sive moraliter sive physice rem illam operetur.

* supra, n. 13

15. **DICO ERGO PRIMO : Non potest explicari cruciatus ignis in spiritibus per hoc solum quod ignis sit causa apprehensionis cruciantis, non autem ipsimet** [1] **cruciatûs effective.** — *Sumitur hæc conclusio ex D. Thoma* (loco citato ex IV, D. 44 *); et sequuntur communiter auctores, qui videri possunt apud Suarez, Vazquez et Bañez locis citatis **.

* IV, D. 44, q. 3, a. 3, qla 3
** supra, n. 10

16. Ratio istius conclusionis supponit unum principium valde certum : quod pœna illa, quæ ex igne infligitur spiritibus, non est phantastica, neque falsa, sed vere et in re affligens; nec, ad hoc ut torqueat, indiget falsâ et deceptoriâ apprehensione Angeli : alioquin, si non deciperetur spiritus, non torqueretur. « Non est autem probabile (ut inquit D. Thomas loco citato), quod animæ separatæ vel dæmones, qui magnâ subtilitate ingenii pollent, putarent ignem corporeum sibi nocere posse, si ab eo nullatenus gravarentur ». Et non minus inconveniens est, quod non possit Deus torquere spiritum per ignem, nisi decipiendo vel permittendo deceptionem in eo : si vero veritatem manifestaret, vel relinqueret ipsum apprehendere id quod est in re, hoc ipso cessaret omnis cruciatus. — Hoc ergo principio supposito, vel ignis crucians facit apprehendere aliquid quod vere et in re affligit Angelum, vel non, sed solum illa apprehensio est phantastica, et in re nihil est contrarium et nocivum ipsi spiritui condistinctum ab illa apprehensione et quasi objectum ejus. Si hoc secundum dicatur, incidimus in inconveniens propositum : quod illa pœna non est vera et propria, sed solum quædam illusio pœnarum. Si dicatur primum : ergo restat isti sententiæ explicare, quid sit illud quod vere et in re affligit Angelum, condistinctum ab ipsa apprehensione; non enim potest affligere, nisi sit nocivum et repugnans seu disconveniens, quia quod est conveniens non affligit sed delectat. Ergo hæc sententia non se expedit a difficultate, sed magis illa aggravatur; vel potius a puncto difficultatis deflectit, explicans apprehensionem cruciantem, sed non rem ipsam, seu objectum istius apprehensionis quo fit cruciatus : et utrum fiat a Deo immediate vel ab igne : aut, si ab igne non fit, quomodo ab eo dicatur spiritus cruciari.

IV, D. 44, q. 3, a. 3, qla 3

17. *Quare omnes istæ sententiæ* quæ ad intentionalem seu moralem afflictionem recurrunt, quæ in apprehensione ipsâ consistit, *diminutæ sunt,* non explicantes quid sit illud objectivum afflictivum, quod in re tali apprehensioni correspondet. Quod enim imprimatur aliqua species * intentionalis ab igne ad affligendum spiritum, hoc nihil est : quia species non affligit ratione sui, cum sit perfectio ipsius intellectûs, sed ratione objecti quod repræsentat, quia scilicet repræsentat aliquid nocivum ipsi cognoscenti : et hoc inquirimus quidnam sit præter ipsam speciem repræsentantem. — Nec aliquid ad pœnam conducit quod dicatur illa species imprimi mediante corpore, quod est aliquid ignobilius Angelo, et subjici [2] illi, quod aliquid indecorum et afflictivum est. Sed hæc parvi nominis est afflictio : nec enim ignis imprimeret illam speciem virtute propriâ, sed divinâ : et hæc semper superior est ad Angelum. Alias probaretur affligi animam ex receptione gratiæ per sacramenta : quia rem ita spiritualem et supernaturalem recipiunt mediante causalitate corporis, seu corporei sacramenti. — Nec denique ista aggravatio ignis explicatur sufficienter per hoc quod virtute divinâ facit vehementem applicationem ad apprehendendum aliquid nocivum. Nam apprehensio quantumcumque vehemens, nisi sit circa aliquod objectum

* cf. supra, n. 9, *Alii denique*

(1) Sic omnes, male || Censemus legendum : *ipsiusmet.*

(2) Supple : *et subjici [Angelum] illi...*

disconveniens, non affligit : constat enim quod circa aliquid delectabile vehemens applicatio afflictiva non est. Si autem illa vehemens applicatio est circa aliquid nocivum distinctum ab ipsa apprehensione, hoc inquirimus quid sit; et sic hæremus in eadem salebra. Itaque vehemens cognitio in Angelo, nisi aliud ponatur, neque contristat neque impedit alias functiones. Nam ipse vehementissime apprehendit seipsum, utpote sibi maxime conjunctum et conveniens et amabile; et beati summo conatu et vehementiâ Deum apprehendunt : nec tamen ista vehementia impedit alias functiones, aut contristat. Quare nisi assignetur objectum realiter contristans et repugnans Angelo, super quod cadat apprehensio illa et applicatio vehemens, nihil explicat ista sententia de dolore illato Angelis ab igne.

18. *Dices :* Ignis in corporibus damnatis non habebit post diem judicii actionem alterativam et realem, sed solum intentionalem : quia illa corpora non corrumpentur ab igne, nec dissolvetur temperamentum tactûs : cessabit enim tunc omnis corruptio, et consequenter omnis alteratio realis quæ corruptiva est. Sed solum immittet species intentionales in sensus : et hoc sufficit ut dicatur affligere illa corpora. Ergo similiter per actionem intentionalem, qua ignis ille virtute divinâ immitat speciem non sensibilem sed spiritualem in Angelum, dicetur illum affligere.

19. *Respondetur :* ignem illum immittere speciem sensibilem in corpora damnatorum, repræsentativam caloris vehementissimi illis corporibus conjuncti : qui, licet non corrumpat illa corpora corruptione physicâ, est tamen qualitas valde disconveniens ipsi temperamento sensibili corporis, et de se valde impedit omnes functiones facultatum sensibilium connaturali modo et convenienti fieri. Et ita jam assignamus respectu corporum aliquid reale afflictivum præter apprehensionem et speciem repræsentantem, scilicet conjunctionem caloris excessivi et comburentis, non quantum ad corruptionem, sed quantum ad disconvenientiam temperamenti, quam acriter imprimit illis corporibus.

20. *Ex quo etiam manet refutata* sententia P. Arrubalis (supra * relata), qui nihil explicat in pœna sensûs illata ab igne præter dependentiam doloris formalis, seu tristitiæ de beatitudine amissa, ab ipso igne, ut ab instrumento divino concurrente ad talem actum. Quæ amissio beatitudinis pertinet ad pœnam damni. Quod autem apprehensio et tristitia de isto damno et amissione beatitudinis dependeat ab igne instrumentaliter, non superaddit novam pœnam ex parte objecti afflictivi, nec novam repugnantiam seu disconvenientiam aut damnum affert ipsi spiritui. Ergo non erit distincta pœna, seu cruciatus, pœna ignis et pœna damni. Quod enim actus vitalis, quem ego elicio, dependeat vel non dependeat ab aliquo instrumento extrinseco in sui elicientiâ, non affert specialem pœnam et afflictionem elicienti : supposito enim quod totum damnum, de quo tristandum est, jam est factum, dependentia in elicientiâ actûs tristitiæ novum damnum aut jacturam non affert; sicut e contra, posito objecto delectationis et gaudii, quod actus eliciatur dependenter ab instrumento extrinseco, vel non, neque auget neque minuit delectationem. Ergo similiter, in hac sententia, posito damno beatitudinis nihil augetur de pœna per hoc quod spiritus tradantur igni : quia solum additur quod actus ille doloris, qui circa tale objectum eliciendus erat a sola voluntate, dependeat instrumentaliter ab igne : quod certe nihil pœnalitatis addit. Nec enim propterea magis defatigatur aut laborat voluntas in eliciendo illo actu : si enim laboraret et defatigaretur, jam aliquid pœnale de novo poneretur in voluntate, et explicari deberet quidnam sit illud impedimentum. Ponere autem quod non magis torquentur spiritus per alligationem ad ignem, quam sine illa, suppositâ pœnâ damni et [1] amissione beatitudinis de qua tristandum sibi est, et solum superadditur dependentia illius tristitiæ ab instrumento ignis, quod nova pœna non est, valde periculose diceretur : quis enim dubitet ex adhæsione et conjunctione ad ignem crescere pœnam in damnatis præter amissionem beatitudinis? Et iterum variæ sunt pœnæ et cruciatus ab igne illo provenientes, acerbioraque tormenta sunt in quibusdam quam in aliis. Si autem cruciatus in hoc solum consistit quod dependeat actus vitalis tristitiæ ab igne, ut ab instrumento, non apparet quomodo ex tali dependentiâ major acerbitas cruciatûs ignei sit in uno quam in alio.

* n. 9, *Alii vero*

[1] Mendose omnes : *et missione*, litterula *a* excidente, cujus tamen locus in editione principe vacuus observatur.

21. DICO SECUNDO : Ignis torquet dæmones per alligationem, non solum extrinsecam quoad locum et determinationem in illo, sed multo magis per alligationem intrinsecam, qua ipsæ potentiæ impediuntur et alligantur plus vel minus in ordine ad suas operationes, præsertim externas in movendo se et movendo alia.

22. *In prima parte hujus conclusionis* nobiscum conveniunt Vazquez et Suarez (supra * citati), quos etiam sequitur P. Alarcon (tract. VI de Angelis, disp. 9, c. 10). Sed differunt, quia censent non solum per alligationem, quæ est detentio in loco, sed etiam per alios modos cruciari dæmones : Vazquez quidem per alios modos nobis occultos : Suarez vero per qualitatem doloriferam : alii vero per detentionem in loco factam ab igne per causalitatem instrumentalem moralem, ad modum quo sacramenta causant gratiam, ut sentit Alarcon * citatus. Ex quo sequitur quod ignis etiam habeat objectivam causalitatem respectu apprehensionis Angeli, quatenus concipitur ut objectum contristans et affligens ob detentionem prædictam. Addit P. Alarcon ** in animabus separatis causari ab igne tristitiam ejusdem rationis, quam habebunt quando post resurrectionem corpora illis unita cremabuntur ab igne, apprehensione quâdam fictâ, sed dolore vero : in quo dicit se sequi Sotum †, Vazquez ††, Valentiam ††† et alios; licet Sotus et Valentia etiam ad dæmones hoc extendant.

* n. 10

* disp. 9, c. 10, maxime n. 9-14

** ibidem. n. 19

† IV, D. 50, q. 1, a. 2, concl. 2

†† disp. 243, c. 6, n. 26

††† I P., disp. 4. q. 15, puncto 3

23. NIHILOMINUS QUOD ATTINET AD PRIMAM PARTEM conclusionis, loquendo in genere quod illa pœna ab igne illata sit pœna alligationis, sive solum sit alligatio quoad locum per modum carceris, sive sit alligatio potentiarum quoad liberam exsecutionem suarum functionum, MANIFESTE DEDUCITUR : Quia Scriptura fere semper explicat illam pœnam ignis per modum alligationis et detentionis; quod est magnum argumentum solum eo modo fieri, aut saltem de alio modo non posse aliquid certo a nobis affirmari. — Antecedens probatur : nam (in canonica Judæ, I, 6) dicitur : *Angelos vero, qui non servaverunt suum principatum, vinculis æternis sub caligine reservavit;* et (II Pet. II, 4) : *Angelis peccantibus Deus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos;* (Apo. XX, 2-3) : *Et apprehendit Angelus draconem, qui est diabolus et Satanas, et ligavit eum per annos mille, et misit in abyssum.* Ubi cruciatus dæmonum in inferno explicantur per vincula, rudentes et alligationem. Unde etiam dicitur (Isa. XXIV, 22) : *Et congregabuntur in congregatione unius fascis in lacum, et claudentur ibi in carcere.* Item (Thren. III, 6-7) : *In tenebrosis collocavit me sicut mortuos sempiternos; circumædificavit adversum me, ut non egrediar, aggravavit* (1) *compedem meum.* Quo loco duplex insinuatur detentio, seu alligatio : una quantum ad locum, cum dicitur, *Ut non egrediar :* egressus enim a loco est; altera quoad impedimentum ipsarum potentiarum, cum dicitur, *Aggravavit compedem meum :* compedibus enim aggravatur et impeditur potentia motiva, quæ per pedes designatur, ut non libere operetur et moveat.

24. EX HOC autem ACCIPIMUS EXPLICATIONEM nostræ conclusionis, ETIAM QUOAD SECUNDAM PARTEM, distinguendo duplicem alligationem. — Una quæ solum est in ordine ad locum, detinendo aliquem ne recedat a tali vel tali loco : et hoc pertinet ad pœnam carceris, qui tanto est gravior, quanto strictior et limitatior. Et de hac pœna non est dubium quod detur in dæmonibus : quia qui sunt in ipso inferno, non permittuntur ab illo loco egredi. Qui autem sunt in isto aere, seu extra infernum, solum permittuntur discurrere et operari quantum Deus permittit, non quantum ipsi volunt : sicut feræ funibus alligatæ, licet permittantur aliquantulum moveri, non tamen pro libito, sed juxta laxationem vel constrictionem funis; sic ille ignis gehennalis ligat dæmones, etiam dum extra infernum permittuntur exire, ne pro suo libito operentur. — Alia alligatio est in ordine ad ipsas potentias seu facultates operativas, quæ, quando impediuntur operari modo suo connaturali, dicuntur constringi et alligari : sicut si alicujus membra constringantur funibus vel ferro, aut si aliquo humore prædominante membra intrinsecus præpediantur : tunc enim dolor tanto est vehementior, quanto fortius est impedimentum ne facultates illæ suas connaturales operationes possint elicere Immo si recte perpendatur omnis dolor, quem in nostro corpore sentimus, fere ad hoc reducitur quod facultates et membra non permittuntur suo connaturali modo operari, propter distemperamentum qualitatis contrariæ, vel divisionem, compressionem,

(1) Mendose omnes : *aggregavit;* at paulo inferius rectum textum, *aggravavit*, exhibent omnes (C excepto).

vel aggravationem membrorum : quod totum quædam alligatio seu impedimentum potentiarum est.

25. *Dicimus ergo* quod ignis inferni hoc secundo modo, et non solum primo (licet etiam illo affligat), alligat spiritus, impediendo ne potentiæ operentur, præsertim operationes ad extra, modo connaturali pro libito, sed cum limitatione et coarctatione : ex quo sequitur vehemens apprehensio in intellectu, et afflictio in voluntate, de tali impedimento et alligatione cruciante : sicut si potentia nostra motiva non solum alligaretur exterius, sed etiam interius impediretur in nervis et musculis, aliisque organis potentiæ motivæ, per aliquem humorem vel distemperamentum, aut aliquo alio aggravativo magis vel minus forti, ne connaturali modo operetur. Et sic explicat hanc pœnam D. Thomas (dist. 44 * illa citata), dum inquit quod « hoc superadditur igni corporeo, in quantum est instrumentum divinæ justitiæ vindicantis, quod sic detinet spiritum; et ita efficitur ei pœnalis, retardans eum ab exsecutione propriæ voluntatis, ne scilicet possit operari ubi vult et secundum quod vult ». Et hoc ipsum probat ibi ex Augustino *, Gregorio ** et Juliano ***; idemque affirmat (q. 2 † *de Anima*, a. 21; et q. 26 *de Verit*. a. 1), ut statim †† amplius referemus. — Et explicatur etiam exemplo animæ, quæ quidem naturaliter unitur corpori ut forma vivificans, et tamen aggravatur a corpore corruptibili in suis operationibus, ne exerceat illas sicut vult : *Corpus enim quod corrumpitur aggravat animam*. Sic ergo unit Deus corpus igneum spiritui, non quantum ad informationem, sed quantum ad aggravationem. Quod illis verbis acute explicavit Augustinus (XXI de Civitate, c. 10 *) : « Adhærebunt spiritus corporalibus ignibus, accipientes ex ignibus pœnam, non dantes ignibus vitam. » Quasi ex duobus officiis quæ in nostro corpore videmus erga animam : alterum vivificari ab illa, et hoc est naturale et delectabile : alterum aggravari animam a corpore ne prompte semper et libere operetur, et hoc est aggravativum : ex his inquam duobus officiis, alterum non est in igne respectu spirituum, scilicet vivificari ab illis; alterum habet ignis virtute divinâ, scilicet aggravare spiritum ne ad suum libitum operetur, magis vel minus secundum quod major vel minor fuerit pœna. Hic autem dolor vehementissimus est : quia quanto aliqua forma est perfectior et activior, tanto naturalius et vehementius inclinatur ad agendum et operandum juxta modum activitatis suæ. Unde detentio et alligatio, ne operetur sic, est illi violentior et magis repugnans; ex majori autem violentiâ et repugnantiâ nascitur major acerbitas doloris. Unde cum spiritus sit forma activissima, et tanto magis quanto subtilior et perfectior est, non potest excogitari vehementior afflictio, quam impedimentum et alligatio illius ne operetur sicut vult.

* IV, D. 44, q. 3, a. 3, qla 3
* PL 41, 725
** PL 77, 368 AB
*** PL 96, 482 BC
† verius : *q. unica*
†† infra, n. 30
Sap. IX, 15
* n. 1; PL 41, 725

26. Restat autem explicare quomodo fiat hoc impedimentum in spiritibus. Nam alligatio impeditiva potentiarum in nobis non intelligitur, nisi per aliquam qualitatem contrariam impedientem vires proprias : sicut in corpore non dissolvitur temperamentum, nec impediuntur vires, nisi positâ aliquâ contrariâ qualitate, v. g. excessivo calore per adustionem ignis, vel febrem, aut per rigorem frigoris quo contrahuntur nervi, aut aliquo alio simili. Non apparet autem in Angelo quid ponatur per illum ignem, quod sit contrarium vel substantiæ ejus vel potentiis : quia non potest aliquid ab illis tolli, cum indivisibiles sint; contrarium autem quod non tollit, nec etiam impedit : relinquit enim subjectum sicut antea, si nihil ab illo tollit. Ad hoc ergo explicandum :

27. DICO ULTIMO : Hoc impedimentum seu alligatio potentiarum spiritualium fit per aliquam qualitatem, vel impressionem alicujus modi, seu cujuslibet alterius entitatis, quæ impedit potentias in exsecutione suarum operationum, nihil ab eis tollendo, sed solum impediendo exsecutionem. Ex hoc autem nascitur detentio passiva in loco, seu ubicatio passiva, quæ in Angelis non potest intelligi antecedenter ad aliquid in ipso Angelo factum seu receptum. Itaque detentio in loco non potest bene intelligi in Angelo sine detentione et alligatione potentiarum : nec est prior incarceratio quoad locum, quam potentiarum impedimentum, sed e converso.

28. *In hac conclusione quantum ad primam partem* de productione qualitatis contrariæ convenit nobiscum Suarez (ubi supra, c. 13 *, n. 40 et seqq.), quatenus ponit in dæmonibus immitti qualitatem aliquam doloriferam. Ceterum dicit illam subjectari in substantia ** Angeli, esseque illi disconvenientem, non quia aliquid tollat de ipsa substantia, sed quia deformat et

* verius : lib. VIII, c. 14, n. 41 sqq.
** ibidem n. 46

*** ibidem, n. 47-48 deturpat illam***, sicut gratia reddit pulcherrimam : et ex illa deformitate spiritus redditur tristis et afflictus.

29. *Sed hoc inconvenienter dicitur et superflue :* quia vel loquimur de pulcritudine Angeli naturali, vel de supernaturali per gratiam. — Prima nullatenus est ablata in dæmonibus : quia quidquid ad naturam pertinet, in eis manet; si enim aliquid tolleretur, totum tolleretur, quia indivisibilis entitas est. Et ideo dicit S. Dionysius (4° cap.* De divinis nomin.) quod « naturalia dona manserunt in Angelis integra et splendidissima ». Non ergo deturpantur per qualitatem. — Si vero loquamur de pulcritudine supernaturali, quæ est per gratiam, illa nullo modo tollitur per qualitatem, sed per culpam et maculam ex ea relictam. Nulla enim qualitas naturalis potest gratiam destruere, quia superioris ordinis est; per qualitatem autem supernaturalem multo minus destruitur, quia omnis qualitas supernaturalis ad gratiam pertinet, et gratiæ subordinatur. Quare omnis tristitia de carentia et destructione gratiæ pertinet ad pœnam damni : quia damnum, seu amissio gloriæ et gratiæ, pari jure censentur; ergo ista deformitas non conducit ad pœnam sensûs ut distinctam a pœna damni.

* § 23 : PG 3, 725 C

30. EXCLUSÂ ergo QUALITATE DEFORMATIVÂ, et pertinente ad substantiam Angeli, OPORTET REDIRE AD QUALITATEM AFFLICTIVAM QUÆ PERTINEAT AD POTENTIAS, eas aggravando et impediendo. Constat enim quod in spiritibus non potest dari qualitas contraria quæ aliquid corrumpat, sive de substantia sive de potentia, quia totum ibi est indivisibile; et sic non potest intelligi quod aliquid tollatur et aliquid maneat : unde non potest afflictio causari per corruptionem potentiæ vel entitatis; ergo solum restat quod per impedimentum ipsius potentiæ ne exsequatur. Et sic distinguit D. Thomas (q. 2* *de Anima,* art. 21) duplex impedimentum : « Impeditur, inquit, aliquid uno modo a suo contrario, quantum ad esse suum quod habet, ex aliqua forma inhærente; et sic patitur aliquid a suo contrario per alterationem et corruptionem, sicut lignum ab igne comburitur. Aliquid autem impeditur ab aliquo obstante vel contrariante quantum ad suam inclinationem, sicut naturalis inclinatio lapidis est ut feratur deorsum, impeditur autem ab aliquo obstante, et vim inferente ut per violentiam quiescat, vel per violentiam moveatur. Et hoc secundo modo, non primo, patitur anima ab igne. » Et licet ibi explicet impedimentum hoc per ordinem ad locum, tamen (in q. 26 *de Verit.* art. 1) dicit quod « patitur anima ab igne corporeo, prout dicimus pati omne quod impeditur a propria actione, vel ab alio sibi competenti ». Et in loco supra* citato (ex dist. 44) dicit quod « ignis efficitur pœnalis spiritui retardans eum ab exsecutione propriæ voluntatis, ne scilicet possit operari ubi vult et secundum quod vult ». Manifestum est ergo in sententia S. Thomæ, quod istud impedimentum non solum est quoad detentionem in loco, sed etiam quoad exsecutionem operationum in potentiis.

* verius : *q. unica*

* n. 25

31. *Fit autem valde verisimilis* iste modus dicendi : Tum quia est conformior modo loquendi Scripturæ, ut locis supra* citatis ponderatum est. Tum quia est aptior spiritualibus potentiis affligendis : quia nihil corrumpendo impedit ipsas operari ad libitum suum, sive in se movendo, sive alia mutando; et sic per talem retardationem aggravantur illæ potentiæ, et quasi enervantur et evacuantur viribus; et hoc redditur illis valde pœnale, quia est valde repugnans naturali inclinationi spirituum : qui cum valde activi sint, quælibet retardatio et impedimentum est illis valde repugnans; pœna autem et afflictio sumitur ex aliquo repugnante conjuncto. Tum denique est hoc etiam conforme naturis rerum : quia videmus aliqua impediri a suis connaturalibus operationibus per qualitatem impedientem, et non destruentem : sicut impeditur descensus lapidis sine destructione gravitatis, et remora impedit cursum navis sine destructione virtutis deferentis : et torpedo injicit stuporem manui piscatoris sine destructione virtutis motivæ, solum impediendo operationes ne exeant. Quid ergo mirum est quod possit Deus injicere qualitatem aliquam in potentias Angeli mediante igne, per quam nihil destruatur de virtute, et tamen impediatur exire in suas operationes juxta libitum suum, plus vel minus secundum majorem vel minorem aggravationem?

* n. 23

32. *Quod si inquiras,* ubi subjectetur immediate ista qualitas : an in potentia intellectûs vel voluntatis : an in potentia motiva et exsecutiva : et quem effectum ibi faciat : — *Respondetur* qualitatem hanc debere poni, et effectus suos facere, in omnibus potentiis requisitis et concurrentibus ad operationes externas, eo modo quo ad id concurrunt et influunt.

Exinde autem etiam in intellectu vehementem apprehensionem potest inducere de tali impedimento afflictivo, et in voluntate tristitiam seu fugam, et dolorem de illo. Itaque si in Angelis potentia motiva distinguitur ab intellectu et voluntate, ibi præcipue qualitas ista residebit : ut, quantumcumque intellectus ordinet et voluntas velit quod potentia motiva aliquid exsequatur, illa qualitas reddat impeditam potentiam, ne prorumpat in suam operationem : quia sicut ipsa virtus seu potentia motiva est qualitas de se potens prorumpere in operationem, ita illa qualitas sit oppositæ condicionis et formalitatis, obstans ne illa virtus prorumpat in actionem. Nec possumus aliquid amplius de ista qualitate speculari, quia neque in rebus corporeis qualitates explicamus nisi per suos effectus : sicut qualitatem magnetis, quod sit attractiva ferri, et non auri; remora, quod detineat navim, et non piscem; torpedo, quod stupefaciat manum : et multas alias similes qualitates solum explicamus per effectus, quos sentimus.

33. Si vero potentia motiva et exsecutiva Angeli non distinguitur ab ipso intellectu practico, ut videtur sentire D. Thomas, tunc dicendum est quod illa qualitas residet in intellectu : non quidem tamquam species aliqua vel lumen, quia totum hoc non est repugnans intellectui, sed perficiens : sed est qualitas quædam potius opposita lumini et speciei, aut ipsi virtuti elicitivæ intellectûs ne utatur virtute et speciebus eo modo et efficaciâ quæ requiritur ut moveat se, vel alia, ad libitum : et sic solum possit elicere conceptus inefficaces, nisi prout permittitur ab illo igne : quod ipsi valde afflictivum est. Constat autem diverso modo elici conceptus efficaces ab intellectu, atque inefficaces : cum efficaces operentur in vi voluntatis, ut expeditæ et potentis ad operandum circa se, vel circa alia, si in illa potestatem habeat; et sic elicit intellectus conceptum practicum imperii potentis super se, vel super alia juxta subjectionem ad voluntatem suam : hoc enim modo, per talem conceptionem practicam, Angelos movere cælos docet S. Thomas (opusc. XI *, art. 3). Illa ergo qualitas, ab igne immissa, divinâ virtute, impedit elicientiam talis efficacis conceptûs, pro ea parte qua efficax est in alia, non prout simplex apprehensio est et inefficax. Dicit autem D. Thomas (citato loco) quod « ipsa conceptio intellectûs, secundum quod habet efficaciam aliquid transmutandi, imperium nominatur ». Impedit ergo qualitas illa elicere conceptionem, quatenus efficaciam transmutandi habet : sicut Adam perditâ innocentiâ non potuit elicere conceptum cum efficacia et vigore, ut sibi membra omnia et appetitus sensitivus et animalia obœdirent, sicut ante poterat elicere. Quod ergo non potuit Adam ex carentia doni justitiæ originalis, non possunt dæmones ad movendum se et alia pro libito. Sed hoc fit in dæmonibus per qualitatem contrariam impedientem, non in Adam : eo quod in Adam potestas illa non erat naturalis ei, sed superaddita; unde, eâ sublatâ, non poterat cum illo vigore et efficaciâ imperium elicere. In Angelis autem talis potestas movendi est connaturalis, nec tolli potest ab eis, nisi destructâ naturâ; et sic oportet quod inefficacia illa proveniat ab aliquo impediente extrinseco, quod contrariam qualitatem infert.

* *Responsio ad lect. Venetum*

34. *Dices :* Sufficiebat Deum suspendere concursum suum, ne Angelus se vel alia moveret, sine qualitatis illius adjectione. Nec enim apparet quomodo qualitas illa id præstet, formaliter, an effective : et quem concursum habeat ad impediendum intellectum. — *Respondetur,* non sufficere suspensionem divini concursûs : quia talis suspensio etsi sufficere posset ad negationem actionis, non tamen ad violentiam naturæ et repugnantiam; sine repugnantiâ autem et violentiâ non sequitur dolor et afflictio. Unde in nobis si manus non moveatur vel moveat, ex suspensione divini concursûs, nihil doloris sentiet; si ex qualitate contrariâ distemperante, cruciabitur : quia cruciatus seu afflictio nascitur ex contrario repugnante, et insistente, seu faciente vim : cui cum natura ipsa repugnet, causat dolorem : dolor enim est de aliquo repugnante propriæ inclinationi. Deo autem suspendente concursum, natura nihil resistit, sed omnino succumbit; et sic sine repugnantiâ et oppositione in contrarium manet, atque adeo sine dolore.

35. De modo * autem quo qualitas illa talem affectum inducit, dicimus quod qualitas illa effective fit a Deo, et ab igne instrumento ejus; sed ipsa, posita in subjecto, formaliter illud afficit, non effective illud impedit. Tum quia nulla qualitas effective operatur in suum subjectum, sed in partem conjunctam, aut rem contiguam : eo quod qualitas inhærens non

* cf. supra, n. 34, *Nec enim apparet*

operatur, sed subjectum per talem qualitatem; et sic effective operaretur in se. Tum quia, si effective operaretur, faceret aliquem effectum; et de illo inquiram : quomodo impedit, formaliter an effective? Non effective, quia faceret alium effectum, et esset processus in infinitum. Si vero formaliter, idem dicemus de illa qualitate ab igne producta. — Et dicimus effectum ejus formalem esse reddere potentias quasi languidas et enerves, seu impeditas ne eliciant suas operationes. Hunc enim effectum videmus etiam in corporibus fieri per qualitates corporeas, quibus virtutes languescunt et impediuntur, etsi non destruantur : sic enim in genere qualitatis se habent potentia et impotentia, quod potentia dicit vim robustam et potentem, impotentia infirmam et enervatam; et sic illa qualitas reddit potentiam infirmam per impedimentum, non per ablationem virtutis. Multo autem magis potest id Deus facere in potentiis spiritualibus : nec enim talis qualitas et effectus ejus impossibilis est.

36. Ex his manet explicata ultima pars * conclusionis de detentione Angeli quoad locum, et ubicatione ejus passiva. Dicimus enim hanc non poni immediate in Angelo, nisi supponendo prius passivam detentionem et impedimentum in potentiis operativis ut factam ab aliquo corpore, cujus loco manet Angelus alligatus. — *Ratio est quia,* ut supra (disp. 20 *) late tradidimus, substantia Angeli non habet immediatam coaptationem in sua substantia ad locum corporalem, nec ad ejus distantiam, sicut quantitas in nostris corporibus : quia non habet proportionem spiritus indivisibilis cum loco divisibili immediate et per se, et per modum alicujus commensurationis. Sed oportet intervenire aliquem contactum virtutis, quatenus ipsa potentia operativa Angeli potest agere in rem corpoream et in locum ejus : quia non continetur a corpore sed continet illud, et ipsa ordinatio, seu applicatio Angeli ad agendum in tali corpore, locatio [1] ejus est. Ordinatur autem ad agendum per suas potentias; et ita locatio activa quæ connaturalis est ipsi Angelo, utpote formæ activæ, mediante potentiâ activâ convenit Angelo. Quando ergo Angelus præternaturaliter seu violenter ponitur in loco, non active sed passive, oportet etiam quod talis passiva ubicatio non intelligatur per immediatam commensurationem substantiæ Angeli ad locum, quasi prius ibi sit detenta substantia et alligata, et postea impediantur potentiæ; sed prius potentiæ impediuntur a corpore aggravante ipsas, et consequenter detinetur in loco ipsius corporis : ita quod in ipsis potentiis, a quibus debebat activa ubicatio provenire, ponatur opposita ubicatio passiva ex detentione passivâ virtutis proveniens. Quod si ignis impediens potentiam Angeli non detineat ipsum in illo loco ignis, sed permittat exire, sicut aliquando dæmones exeunt de inferno, tunc Angelus erit in loco distincto vel per operationem suam, si ibi permittatur aliquid agere, vel per alligationem passivam potentiæ ad illum locum distinctum ab igne : quæ tamen detentio, etiam quoad illum locum, fiet instrumentaliter ab igne distante et detinente alibi, ut statim * amplius dicemus.

* supra, n. 27, *Ex hoc autem*

* nunc disp. 40, art. 1-2 (supra, p. 490-507)

* infra, n. 45-46

37. *Quod attinet ad animam separatam,* nullo modo debemus recurrere ad illam fictam apprehensionem, quam ponit P. Alarcon *; ita ut anima apprehendat in seipsa separata illam ustionem quam sentiret si esset conjuncta carni : hoc enim est recurrere ad illud inconveniens supra ** rejectum, quod æque currit in Angelis et animabus, quod per falsam et illusam apprehensionem crucientur. Hoc enim non minus in animabus quam in Angelis reprehendit D. Thomas loco citato (ex IV° *Sent.* *), ubi inquit quod « non est probabile quod animæ separatæ vel dæmones, qui subtilitate ingenii pollent, putarent ignem corporeum sibi nocere posse, si ab eo nullatenus gravarentur »; et sic imaginatio istius auctoris nullo modo est probabilis secundum D. Thomam. Neque salvat dictum S. Gregorii (IV Dialog. c. 29 *) ubi inquit quod « incendium non solum anima videndo, sed etiam experiendo patitur ». Ergo non solum ab apprehensione ustionis patitur, quod est pati videndo seu apprehendendo, sed ab ipsa experientia doloris patitur anima. Non potest autem tunc experiri illam ustionem et dolorem quem in carne sibi conjunctâ anima haberet ab igne, cum sit separata a carne; ergo hanc non experiendo patitur. Et licet ex falsa imaginatione possit provenire vera tristitia, ut dicit Augustinus (XII super Genesim ad litt. c. 10 et 32 *), tamen, ut D. Thomas citatus notat, tunc « non patitur aliquis ab ipsa re, sed a similitudine

* cf. supra, n. 22, *Addit P. Alarcon*

** n. 16

* D. 44, q. 3, a. 3, qla 3

* PL 77, 368 A

* n. 61; PL 34, 480

[1] Ita bene corrigit P || Mendose MLC *locutio.*

rei ». Nos autem debemus verificare, juxta Scripturam et Patres **, quod anima et diabolus patitur ab igne.

** cf. supra, n. 4-6

38. Major difficultas est ex alia parte : quia multi sentiunt animam separatam non habere potentiam motivam, qua se moveat vel alia corpora. In qua sententia non videtur posse assignari quid impediat ignis in anima separata, ut illam affligat. Nec enim impedit ipsum intelligere aut velle : quia anima eodem modo intelligit in illis pœnis quoad naturalia, sicut etiam intelligit Angelus; unde dives ille in inferno (Luc. XVI, 23-31) cognoscebat Abraham, et loquebatur cum illo, et recordabatur fratrum quos habebat in hac vita; ergo intelligendo non impediebatur; immo potius acumen sciendi conducit ad vivaciorem dolorem. Si ergo in potentia intellectiva non impeditur anima, et potentiam motivam non habet in sententia istorum auctorum, nulla restat alligatio potentiarum quæ fiat in anima. Detentio autem in loco præcise parum pœnalis videtur esse animæ in hac sententia : Tum quia secundum illam anima non movetur de loco ad locum per seipsam, sed solum portatur; unde per hoc quod relinquatur in loco, et non portetur, manet ibi detenta; et sic non habet ignis quod faciat in anima ad detinendum illam in loco, sed sufficit quod non portetur ab aliquo Angelo. Tum quia animæ in limbo detinentur quoad locum, et tamen nihil pœnæ sensûs inde patiuntur. Quare hæc sententia, quæ negat potentiam motivam in anima separata, et consequenter omnem actionem transeuntem ad aliquid extra se, rejicienda est, ut rejecimus (in lib. *de Anima,* q. 12, art. ultimo *). Certe D. Thomas, locis supra ** citatis (et præsertim in IV° *Sent.* ***) in specie loquens de anima separata, dicit torqueri ab igne « quatenus retardat eam ab exsecutione propriæ voluntatis, ne scilicet possit operari ubi vult et secundum quod vult ». Et sic dicendum est quod anima si habet aliquam actionem, qua possit se vel alia movere, in illa patitur impedimentum ab illo igne, et ex consequenti habet detentionem in loco pœnalem. Si vero anima nullius actionis est capax circa se et circa alia, sed solum habet intelligere et velle, in exsecutione istarum actionum patietur impedimentum solum intelligendo id quod sibi disconveniens et pœnale est, non aliquid quod delectare possit.

* art. 7 (RE III, 422-425)
** nn. 25 et 30
*** D. 44, q. 3, a. 3, qla 3

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

39. PRIMO ARGUITUR : Qualitas, quam dicimus producere ignem instrumentaliter, non est qualitas corporea, sed spiritualis; sed hæc non potest esse repugnans, neque constristativa Angeli; ergo fictitia est talis qualitas. — Major est certa : quia illa qualitas subjectatur permanenter, et in facto esse, in subjecto spirituali; ergo non potest esse corporea. — Minor probatur : quia illa qualitas, hoc ipso quod spiritualis est, perficit subjectum, et multo magis si sit supernaturalis. Et nihil expellit ab Angelo, corrumpendo et destruendo : quia, ut diximus *, dona naturalia in Angelis sunt integra, utpote incorruptibilia et indivisibilia; supernaturalia autem dona solum excluduntur per culpam voluntariam, non per qualitatem violentam; ergo illa qualitas nihil invenit in Angelo quod expellat, et cui contrarietur.

* supra, n. 29

40. Nec etiam contristat illa qualitas per hoc quod impedit aliquas operationes in Angelo : quia non apparet quis sit effectus formalis et primarius talis qualitatis impedientis, et non destruentis. Si enim virtus ipsa habet omnia requisita ad operandum, non est impedita, et solum potest cessare ab operatione per suspensionem concursûs : quod non pertinet ad talem qualitatem, sed ad Deum qui subtrahit concursum. Si autem illa qualitas facit quod non habeat omnia requisita ad operandum, ergo in tantum impedit in quantum aliquid tollit; nec videtur intelligibile quod aliquid impediat agens, nihil tollendo ab illo ex requisitis ad agendum. — Nec potest recurri ad aliquam contrarietatem quam faciat illa qualitas in intellectu, imprimendo aliquam speciem intentionalem, aut applicationem vehementem ad aliquod objectum contristans : quia totum hoc pertinet ad immutationem intentionalem, quæ in se pœnalis non est, neque afflictiva intellectûs, sed potius perfectio illius, nisi ratione objecti quod per talem speciem seu apprehensionem repræsentatur : et tunc restat explicare quid sit illud objectum contristans, quod sic apprehenditur, et quid contrarietatis et repugnantiæ ponat in Angelo.

41. *Confirmatur :* quia si illa qualitas ponitur ad alligandum Angelum in loco, vel ad alligandum potentias ne se moveant vel operentur circa alias res, ergo hoc ipso quod Angelus solvitur ab illo loco aut permittitur moveri, vel

operari circa alia, cessabit pœna et cruciatus. — Consequens est falsum; ergo non potest in illa alligatione constitui pœna Angeli illata ab igne. — Sequela manifesta est : quia si tota ratio pœnæ et cruciatûs consistit in detentione, sive quoad locum sive quoad operandum, si permittitur operari, vel mutare locum, cessat detentio : ergo et pœna. — Minor autem probatur : quia diabolus sæpe permittitur moveri, et exire ex loco inferni. Nam quod moveatur, et non sit semper alligatus, constat ex illo (Job, I, 6-7) ubi dicitur quod *inter filios Dei affuit etiam Satan, cui dixit Dominus : Unde venis? Qui respondens ait : Circuivi terram, et perambulavi eam.* Et de alio spiritu nequam dicitur (III Reg. XXII, 21-22) : *Egressus spiritus stetit coram Domino, etc.;* et infra : *Egrediar, et ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum ejus. Et dixit Dominus : Decipies et prævalebis; egredere, et fac ita.* Et de ipso diabolo dicitur (Apo. XX, 2-3) quod *ligatus est ab Angelo per annos mille, et missus in abyssum; et post hæc oportet illum solvi modico tempore.* Ergo aliquando solvitur diabolus, et egreditur de inferno et operatur et movetur; ergo tunc non est detentus. Et tamen non amittit aliquid de pœna : quia pœna illa ad quam est damnatus est æterna, et refrigerium non habet. Ergo non potest illa pœna consistere in solâ alligatione et detentione, etiam factâ per qualitatem.

42. RESPONDETUR AD PRINCIPALE ARGUMENTUM concedendo illam qualitatem contristantem non esse corpoream : hæc enim non potest magis nocere Angelo quam ipse calor ignis, vel quæcumque alia qualitas corporea. — Quando autem dicitur* quod spiritualis qualitas est perfectio, *distinguo* : est perfectio in se et absolute, *transeat;* comparative, et relate ad hoc subjectum, *nego;* sicut etiam frigus perfectio quædam est, sed non igni, quem potius corrumpit. Sic illa qualitas perfectio est in se, sed impeditiva connaturalis perfectionis Angeli; et sic illi non est perfectio. — Nec sentio illam qualitatem esse supernaturalem quoad entitatem, quia sic pertineret ad ordinem gratiæ; gratia autem non destruit naturam, sed perficit et elevat; licet verum sit quod extrinsece sit supernaturalis quoad modum efficiendi, qui est a Deo operante super naturam, ut ignis agat in spiritum; et ad finem supernaturalem ordinatur, ut vindicetur peccatum pœnâ æternâ propter oppositionem cum gloria et gratia, et contra ipsum Deum etiam ut supernaturalis auctor est.

* supra, n. 39, *Minor probatur*

43. Ad id autem in quo argumentum* facit vim, quod illa qualitas nihil tollit aut corrumpit de virtute et substantia Angeli; nec potest intelligi quod impediat potentiam operativam** nisi aliquid tollat de requisitis ad agendum, quæ utique destructio seu corruptio sine alicujus rei influentiâ intelligi non potest : — Respondetur quod, ut supra* diximus ex D. Thoma, ignis ille ponit aliquid contrarium in spiritu, non quod corrumpat, sed quod impediat inclinationem et operationem naturalem. Unde (in *Additionibus,* q. 70, a. 3 ad 4) inquit quod « ignis ille agit in animam non per modum influentis, sed per modum detinentis ». Ubi non est sensus quod ignis ille nihil efficiat in anima, cum dicat D. Thomas quod agit; sed quia id quod producit solum est ad detinendum, non ad alterandum vel corrumpendum, ideo dicitur non esse per modum influentis, sed per modum detinentis. Datur ergo impedimentum per modum detentionis condistinctum ab impedimento per modum corruptionis, ut etiam supra* exemplis monstravimus : et patet in eo qui detinet lapidem, ne descendat, nec tamen aliquid corrumpit de ejus substantia, vel qualitate quæ est gravitas.

* supra, n. 39, *Et nihil*

** supra, n. 40

* n. 30-35

* n. 31-32

44. Cum ergo insistitur* inquirendo quomodo illa qualitas tollat aliquid de requisitis ad operandum, vel non tollat : — Respondeo quod qualitas detentiva, et non corruptiva, non tollit aliquid de requisitis ex parte virtutis, sed ex parte applicationis aut dispositionis seu motionis, qua ipsa potentia se applicat ad operandum. Itaque etiamsi tota virtus sit in subjecto, potest tamen per aliquod extrinsecum impedimentum impediri ipse exitus actionis, et non tolli aliquid de virtute : quia cum ipsa virtus applicetur vel habilitetur aut moveatur ad operandum, potest aliqua qualitas impedire istam applicationem seu motionem potentiæ, aut quamcumque aliam dispositionem ejus ad operandum, non ablatâ neque destructâ ejus virtute : sicut per impulsum detinetur applicatio lapidis ad descendendum, non ejus gravitas corrumpitur aut læditur. Et ita hoc argumentum etiam solvendum est in illis qualitatibus corporeis, per quas videmus detineri et impediri potentias, non destructâ neque ablatâ virtute : ut quando detinetur lapis ne descendat, aut remora detinet navem ne

* supra, n. 40, *Si enim*

[* n. 31-2] procedat, et aliis similibus exemplis supra* adductis. Quod in spiritualibus multo melius a Deo posse fieri, et nihil id implicare, nullus sanæ mentis dubitare potest. — Quod autem [* supra, n. 40, *Nec potest*] dicitur* de vehementi applicatione intellectûs, vel immissione speciei intentionalis : Jam diximus** [** supra, nn. 17, 21, 25 sqq.] non in hoc consistere cruciatum ab igne instrumentaliter illatum, sed in alligatione potentiarum : quâ positâ vehemens illa apprehensio consequitur circa ignem illum, tamquam circa instrumentum illius cruciatûs.

[† supra, n. 41] [†† D. 44, q. 3, a. 3, qla 3] 45. *Ad confirmationem*† *respondetur,* quod, ut D. Thomas sæpe citatus (in illa D. 44††; et in q. 70 *Additionum*) dicit, ille ignis non est pœnalis nisi in quantum « retardat spiritum ab exsecutione propriæ voluntatis, ne scilicet possit operari ubi vult et secundum quod vult ». Quare licet diabolus exeat ab illo loco materialiter sumpto, v. g. a loco inferni, et permittatur moveri aut operari circa aliquid, tamen quia non facit ibi quod vult et secundum quod vult, sed secundum quod permittitur ex obligatione ad ignem, ideo non minuitur ei pœna, sed mutatur; aut si in aliquo minuitur, est in aliquo valde accidentali : et aliunde sic aggravatur et recompensatur illa parva diminutio, quod in majorem solet cedere cruciatum et miseriam. Itaque si aliqui dæmones sunt qui numquam descenderunt ad infernum, sed manserunt in isto aere, et manent usque ad diem judicii, ut satis insinuat S. Thomas (in [I P. q. 64, a. 4] art. 4 hujus quæst. 64), tales non minuunt pœnam ex eo quod actualiter non alligentur loco ignis in inferno, sed habent istum aerem [* verius : III *de Gen. ad litt.*, c. 10, n. 15; PL 34, 285] pro carcere : ut dicit Augustinus (I* de Genesi ad litt.) et ibi citatur a D. Thoma. Affliguntur tamen ex igne inferni, licet actu in eo non sint, tamquam ex loco sibi debito. — Quamquam non improbabiliter dici potest quod ignis ille, etsi distans, virtute divinâ agit in spiritus in isto aere exsistentes, non alligando eos loco gehennali, sed eorum potentias hîc impediendo ne operentur ubi volunt et quod volunt, sed juxta quod permittuntur plus vel minus; totum tamen operantur non ex libito, sed ex permisso ignis, qui etiam eos alligat ne exeant ab isto aere, ut a loco carceris sui : et totus iste aer carcer eorum est : sicut concavitates terræ, ubi est infernus, est locus eorum qui ibi sunt.

46. Si vero spiritus qui de facto detrusi sunt in infernum, et loco illi alligati, aliquando permittantur exire ad tempus ex divina dispensatione, mutant quidem pœnam quasi materialiter, quatenus aliqualiter, et ad aliquem effectum, eorum impedimentum laxatur; sed incurrunt aliam, vel æqualem vel majorem, quatenus solvuntur et permittuntur operari aliquid non juxta eorum voluntatem, sed ut crescat eorum dolor et pœna ex hominibus quos exercent. Quia vel vincunt illos et secum trahunt ad damnationem, et sic crescit eorum pœna accidentalis; vel vincuntur ab hominibus qui electi sunt, et sic crescit eorum confusio, quia vincitur. Itaque mutari potest accidentalis pœna dæmonum, et in aliquid crescere accidentaliter vel minui, usque ad diem judicii : ut expresse docet S. Thomas (in IV, D. 22, q. 1, a. 1 ad 5; et D. 50, q. 2, a. 1, qla 6). Et sic non est inconveniens quod egressione ab inferno, in quo detinebatur diabolus, mutet pœnam, et aliqualiter diminuatur in aliquo accidentali relaxando ei detentionem pœnalem, et aggravationem pœnarum quoad illum locum. Non tamen necesse est hoc dicere, aut aliquod refrigerium illis tribuere : quia etsi mutent illam quoad istum vel illum locum, aut detentionem materialiter sumptam, sicut etiam transeunt a calore ad frigus, tamen ex alia parte augetur illa pœna et recompensatur illa mutatio : quia licet moveantur, et operentur in aliquo loco, forsitan operantur quod minus vellent, et unde majorem confusionem aut pœnam postea reportabunt; et quoad alia quæ ipsi vellent facere, vel se movere, arctius aggravantur et impediuntur.

47. Secundo arguitur : Nam si pœna illa ignis explicetur solum per alligationem et detentionem factam a qualitate impediente, sequitur quod non sit diversitas pœnarum in damnatis per hoc quod modo torqueantur a calore ignis, modo a frigore nivis : cum tamen ex hoc multiplicetur pœna damnatorum, quod a tam diversis creaturis et tormentorum generibus crucientur. — Consequens autem est falsum; ergo, etc. — Sequela probatur : quia tota vis illius cruciatûs consistit in hoc, quod potentiæ Angeli accipiant virtute illius ignis qualitatem quamdam impeditivam suarum operationum; quod vero illam accipiant ab igne, vel ab aqua, omnino per accidens est, nec pœna augetur ex hoc quod instrumentum producens illam qualitatem sit aqua, vel ignis, si qualitas eadem est; sicut quod gratia producatur mediâ aquâ in baptismo, vel chrismate in confirmatione, non auget gratiam si dispo-

sitio eadem sit. — Minor vero probatur : quia in pœnis damnatorum datur varietas : transeunt enim *ad calorem nimium ab aquis nivium* ut dicitur (Job, XXIV, 19); et (in Psal. X*) diversæ pœnæ narrantur : *Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, pars calicis eorum*. In istis autem diversis tormentis transitur de una pœna ad aliam, non eadem continuatur, alias diversa non esset; esse autem diversam docet S. Thomas (in IV, D. 50, q. 2, a. 3, qla 2*); si autem solum detinendo affligeret, eadem pœna continuaretur, licet instrumenta variarentur.

* Ps. x, 7; CXLVIII, 8

* et magis qla 1, ad 3

48. *Confirmatur primo :* quia ignis non nocet Angelo, nec potest agere in ipsum, nisi mediâ apprehensione, et tamquam objectum ejus ei repræsentatum et propositum : ergo non ut instrumentum divinæ virtutis. — Patet consequentia : quia objectum non comparatur ad potentiam ut instrumentum efficiens, sed ut motivum, vel terminativum specificans; ergo si nocet ut objectum, non ut instrumentum. — Antecedens vero probatur : quia intellectus non movetur neque inducit tristitiam nisi ratione alicujus apprehensi : quantumcumque enim in re sit aliquod malum, nisi apprehendatur, non contristat; ergo propria ratio nocendi et affligendi est in quantum ignis se habet ut objectum movens apprehensionem, non ut instrumentum divinæ efficientiæ.

49. *Confirmatur secundo :* quia nullum instrumentum elevatur physice ad efficiendum, nisi supponatur habere actionem aliquam propriam, qua dispositive operetur in ordine ad effectum principalis agentis, ut docet S. Thomas (supra, q. 45, a. 5); sed ille ignis nullam talem actionem habet circa dæmones; ergo non elevatur physice ad eos torquendos. — Minor probatur : quia ignis corporeus non habet aliquam actionem seu effectum in ipso spiritu disponentem ad effectum principalis agentis : cum propriâ virtute, et antecedenter ad elevationem divinam, nihil possit agere in spiritum. Quod autem habet circa alia subjecta corporalia, parum interest : quia id, quod agit circa aliud subjectum, non disponit ad effectum principalis agentis in subjecto distincto, sed perinde se habet ac si nihil operaretur in ordine ad tale subjectum. Unde in aliis instrumentis supernaturalibus, ut in sacramentis, prius supponitur actio propria ipsius sacramenti, v. g. baptismi circa hominem, quam quod in ipsomet infundatur gratia. — Inconveniens etiam videtur quod Deus assumat instrumentum corporeum ad supplicium spiritûs, et ad præmium conferendum, v. g. ad dandum lumen gloriæ, nullo utatur instrumento.

I P. q. 45, a. 5

50. Respondetur : Pœnam sensûs in spiritibus esse inæqualem et diversam, quatenus magis vel minus constringitur et alligatur potentia ne operetur secundum quod vult : sicut, in infirmitate corporali, tanto aliquis dolor et cruciatus est vehementior, quanto magis ipsæ facultates naturales a propriis operationibus impediuntur. Unde aliqui spiritus ita alligantur ab illo igne, quod tamen aliquid permittuntur agere, vel circa ipsum locum inferni, vel etiam extra illum aliquando exeundo ex dispensatione divina. Et in hac permissione et alligatione potest esse magis et minus, secundum majus et minus impedimentum in operando. Quod si aliquis spiritus ita fortiter alligetur, quod nihil omnino permittatur agere, vel se movere, erit illa pœna vehementissima. Quare fatemur diversa esse genera tormentorum, non solum in diversis subjectis propter inæqualitatem peccatorum, sed etiam in eodem, transeundo de uno tormento ad aliud : ut in argumento* ponderatum est. Et tunc non continuatur eadem prorsus detentio et alligatio, sed transitur de una ad aliam, ita quod fortius seu strictius alligatur nunc in uno tormento quam antea, vel e contra. Aut etiam potest alligari modo circa talem operationem vel locum, et postea circa aliam, in qua antea permittebatur agere, vel e contra; et sic « miris et occultis modis » possunt illa tormenta infligi, ut inquit Augustinus*, nobis quidem in singulari occultis, sed in genere notis. Deus autem perfecte novit, qui *reddit* unicuique secundum opera ejus*.

* supra, n. 47 *Minor vero*

* PL 41, 725

* Mat. XVI, 27

51. *Ad primam** confirmationem respondetur,* quod ignis ille utroque modo affligit. Primo quidem ut instrumentum divinæ virtutis, retardando seu detinendo naturales operationes Angeli. Deinde, hanc ipsam detentionem per modum objecti repræsentando, mediante specie Angeli infusâ, qua cognoscitur illud tormentum. Quæ species etiam invenitur in sanctis Angelis : quia cognoscunt illa tormenta, licet non ut sibi irrogata et convenientia, sicut dæmones, eo modo quo addictus supplicio cognoscit gladium quo feriendus est, et lignum unde suspendendus est, per speciem visibilem, qua alii adstantes idem vident : sed isti ut spectatores, ille ut

** supra, n. 48

patiens. Et sic species qua repræsentatur objectum afflictivum non ab igne imprimitur, sed a Deo infunditur tam bonis quam malis Angelis. Sed tamen ut ignis ille apprehendatur tamquam nocivus, oportet quod in re noceat : non quidem corrumpendo aliquid in spiritu, sed impediendo et detinendo; et tunc illa detentio apprehenditur ut objectum nocivum : sicut prius est hominem aduri aut verberari, quam apprehendere talem actionem ut nocivam. Et sic dicitur a D. Thoma (q. 70 *Additionum,* a. 3 ad 1) quod « ignis corporeus est affligens remotum, sed ignis apprehensus est affligens proximum ».

* supra, n. 49
** nunc disp. 38, a. 4, maxime n. 56-59
*** RE II, 523-529

52. *Ad secundam* confirmationem respondetur,* ex his quæ diximus supra (disp. 18**) agendo de instrumento creationis (et in Physica, q. 26, a. 2***), quod non repugnat assumi a Deo pro instrumento aliquid distans ab alio, nec in illo habens effectum propriæ virtutis : sicut admittit D. Thomas (II-II, q. 178, a. 1 ad 1) quod potest Deus assumere actum immanentem pro instrumento ad producendum aliquid extra : ubi constat actum immanentem non habere operationem propriam. Et quando dicit D. Thomas quod instrumentum debet dispositive operari ad effectum principalis agentis, non est idem quod operari dispositionem aliquam ad talem effectum, ut dispositio subjectetur in eodem subjecto in quo effectus principalis agentis : hoc enim in instrumentis divinis nec requiritur, nec semper invenitur. Sed sufficit quod instrumentum aliquo modo operetur circa quodcumque subjectum, ut possit illa actio elevari a Deo ad producendum effectum, sive in eodem sive in alio subjecto : hoc enim est dispositive se habere ut a Deo elevetur, id est, dispositive obœdientialiter respectu divinæ potentiæ, licet non sit dispositive connaturaliter in ordine ad effectum faciendum. Ignis autem corporeus aliquam actionem habet propriam circa alia corpora, in quibus operari potest calorem vel lucem; et similiter de se potest uniri spiritui, ut mobile ab ipso; ex hoc autem ulterius elevatur, ut instrumentum divinæ virtutis, ad detinendum et alligandum spiritum, ejus operationes impediendo.

53. Ad id vero quod dicitur*, Deum non uti instrumento ad dandum præmium, sicut ad irrogandum supplicium : — Respondetur esse disparem rationem : quia in supplicio subjicitur spiritus ignobiliori creaturæ, quia ipse noluit se subjicere Deo; et ideo conveniens fuit uti re corporeâ tamquam instrumento ad alligandum et subjiciendum illum. At vero in præmio beatitudinis elevatur spiritus super omnem creaturam : *Super omnia bona sua constituet eum,* dicitur (Mat. XXIV, 47). Unde conveniens fuit non a creatura, sed immediate a Deo, sic exaltari et glorificari. Et tamen homines etiam mediante humanitate Christi, ut instrumento, et justificantur et glorificantur.





QUÆSTIO CVI ET CVII

DE ILLUMINATIONE ET LOCUTIONE ANGELORUM

SUMMA LITTERÆ



UÆ FUERIT RATIO, ut D. Thomas hoc loco de locutione et illuminatione Angelorum agat, post quadraginta et amplius quæstiones a [1] tractatu de Angelis exactas, DIXIMUS PRÆCEDENTI TOMO *, in explicationem ordinis et connexionis partium D. Thomæ. Nempe, quia illuminatio et locutio, hierarchiarum ordinatio, custodia et impugnatio Angelorum et dæmonum ad gubernationem pertinent creaturæ, sive spiritualis sive corporalis, quam Deus per Angelos administret. Et cum tractatus de gubernatione divina inceperit (a quæst. 103) post tractatum processionis seu emanationis creaturarum a Deo, ideo in quæstione 106 et sequentibus proprius locus fuit agendi de illuminatione et locutione Angelorum, ceterisque actionibus ad gubernationem eorum spectantibus. Nos istas duas quæstiones tantum, quæ de illuminatione et locutione tractant, libabimus, quia difficiliorem continent disputationem.

* supra, tomo I, p. 160-162

Agit ergo Sanctus Doctor de illuminatione Angelorum (in quæst. 106) per quatuor articulos, in quibus ostendit unum Angelum illuminare intellectum alterius, manifestando ei occultam veritatem, quam non attingit, adaptando eam captui alterius : quod est plane ipsum docere. Movet etiam voluntatem alterius proponendo ei objectum quod

[1] Mendose omnes : *in tractatu* || Tractatus vero de Angelis quindecim tantum quæstionibus constat (I P., qq. 50-64); posteaque, quæstionibus aliis quadraginta et unâ exactis, ad Angelorum illuminationem redit Divus Thomas (q. 106, sqq.).

diligat, et per modum persuadentis, non ipsam voluntatem intus immutando. Docet tertio, Angelum inferiorem numquam illuminare superiorem : quia ex naturâ suâ habet lumen imperfectius; ex virtute autem divinâ non apparet ratio prætermittendi ordinem a Deo sancitum in spiritualibus, ut inferiora per superiora regantur, non e contra. Docet quarto, superiores Angelos illuminare inferiores : quia sunt in plenissimâ participatione divinæ bonitatis, cujus proprium est diffundi et communicari.

De locutione autem Angelorum agit (sequenti quæst. 107) ostendens unum Angelum loqui alteri, manifestando ei suum conceptum, per hoc quod voluntate suâ ordinet conceptum ad eum, cui vult esse manifestum. Ex quo principio colligit quatuor per quatuor sequentes articulos. Primum est, quod Angelus inferior potest loqui superiori, etiamsi non illuminet : quia locutio non semper fit ad illuminandum, sed etiam ad manifestandum quod quis desiderat in corde, quod alteri ignotum est. Secundo, quod etiam Deo potest Angelus loqui : non quidem manifestando ei aliquod secretum quod non sciat, sed ordinando seu erigendo se ad ipsum, ut ab eo accipiat. Tertio, non impediri locutionem Angeli locali distantiâ : quia fit operatione intellectuali et ordinatione voluntatis ad alterum, quod a distantiâ loci non dependet. Quarto, locutionem unius non cognosci ab omnibus : quia potest ordinare conceptum suum ad unum et non ad alios, et sic respectu illorum manebit occultus.





DISPUTATIO XLV

DE LOCUTIONE
ET ILLUMINATIONE ANGELORUM

ARTICULUS I

Quomodo spiritualiter loquantur Angeli inter se.

1. TAM certum est loqui Angelos inter se, quam difficile et obscurum assignare quo medio, instrumento, signove loquantur. — ILLUD PRIMUM, ET FIDES DOCET, ET RATIO PERSUADET. — Fides quidem : quia passim in Scriptura invenitur locutio Angelorum, non solum cum hominibus loquentium (quæ locutio modo corporali fieri debet), sed etiam inter se, vel cum Deo : quæ locutio spiritualis esse debet. Sic dicitur (Isa. VI, 3) : *Seraphim clamabant alter ad alterum;* et (Dan. VIII, 16) : *Audivi vocem viri inter Ulai* (1), *et clamavit; et ait : Gabriel, fac intelligere istam visionem;* (Zach. I, 12) : *Et respondit Angelus Domini, et dixit : Domine exercituum, usquequo tu non misereberis Jerusalem?* Similiter
* ℣. 9 (in canonica Judæ*) dicitur : *Cum Michael archangelus cum diabolo disputans altercaretur de Moysis corpore;* et Paulus (I Cor. XIII, 1) : *Si linguis hominum loquar et Angelorum.*

2. *Id etiam ratio persuadet :* quia Angeli, cum sint intellectuales, modo etiam intellectuali debent gubernari, et politicam rempublicam formare; sine locutione autem non potest esse communicatio et gubernatio in aliqua communitate. Quæ ratio non solum persuadet intra Angelos locutionem inveniri, sed etiam id evincit in animabus separatis : quia etiam intellectuales sunt, et inter se sociabiles, non minus quam dum sunt in corpore. Ergo habent communicationem et locutionem inter se, qua suos explicent conceptus et voluntates : nemo enim sibi solus sufficit, etiam Angelus. Et in hujus signum introducitur (Luc. XVI, 24-31) collocutio inter animam divitis damnati, et animam Abrahæ longe positam in sinu patrum.

PUNCTUS DIFFICULTATIS ET DIVERSITAS SENTENTIARUM.

3. Tam plana, indubitata et certa veritas, mirum est quam occultos recessus et sinus, quæ prærupta non difficilia tantum, sed humano ingenio insuperabilia, habeat. *Et consurgit difficultas ex quatuor condicionibus* ad veram et essentialem locutionem requisitis, quas in nostrâ locutione quotidie experimur, in angelicâ quando spiritualis est penitus ignoramus. Et dico in spirituali locutione : quia quando Angeli loquuntur in corporibus assumptis, accommodant se locutioni corporali, quæ fit per voces et signa sensibilia ad placitum significantia. — Prima condicio est, quod detur aliquod manifestativum conceptûs interioris, seu secreti cordis. — Secunda, quod detur excitatio audientis ad percipiendum loquentem. — Tertia, quod possit servari secretum; alias, si obligaretur aliquis manifestare omnibus id quod loquitur uni, everteretur totus convictus et regimen politicum. — Quarta, quod possit aliquis in locutione decipere et mentiri.

(1) Mendose omnes : *Usai.*

4. Has quatuor condiciones componere in locutione spirituali Angelorum, valde difficile est. Nam Angeli non indigent signis aut nutibus corporalibus, ut se explicent et communicent : esset enim valde deficiens et diminuta societas et communitas spiritualium substantiarum, si habendo vitam omnino separatam a corporibus, et independentem ab illis, indigerent ad sui communicationem sensibilibus signis. Et iterum esset valde difficile, posito illo signo sensibili, ita deferri et communicari uni Angelo quod ab aliis non posset intelligi : sicut apud nos vox submisse prolata percipitur a propinquo audiente, non a distante : quia per sensus, in quibus distantia potest obstare, percipi debet. Angelus autem qui sine sensu cognoscit quæcumque intelligibilia, difficile occultaretur ejus intellectui quodcumque sensibile, in quo alius committeret suum secretum. Quare remotis signis sensibilibus, quæ ad nihil conducunt pro spirituali locutione (de qua solum agimus in præsenti), restat ut ad spiritualia signa confugiamus, seu ad aliquid spirituale et intelligibile quo manifestetur secretum cordis. Hoc autem spirituale, quidquid illud sit, solum potest inveniri vel in ipso loquente, cujus secretum manifestatur alteri, vel in ipso audiente, cui manifestatio fit. Et invenire aliquid spirituale, in quo omnes
* n. 3 illæ condiciones supra * positæ concurrant, difficile est.

5. Ex his inceperunt auctores dividi in varias sententias circa locutionem spiritualem, assignando medium per quod talis locutio fiat. Et generaliter reducuntur ad duas classes. — Primi assignant pro medio locutionis aliquid manens in ipso loquente, ab ipso factum seu productum. — Alii ponunt aliquid in ipso audiente de novo factum seu productum : quia omnes in hoc conveniunt quod locutio debet esse aliquid proveniens a loquente. Si enim aliquis cognoscat meum secretum, vel Deo revelante, vel ipso conjectante, vel altero prodente, non dicor ego loqui illi qui secretum cognoscit : sed necesse est ad locutionem, quod fiat per aliquid procedens a loquente.

[*Prima classis.*]

6. In prima classe sententiarum ponitur duplex principalis sententia; et in secunda classe alia duplex. — Prima sententia, ex his qui dicunt locutionem Angeli fieri per aliquid in ipso loquente positum et repertum; et affirmat locutionem Angeli fieri per hoc solum quod Angelus loquens ordinet et referat conceptum suum ad illum, cui vult loqui, et reddat talem conceptum quasi rem pertinentem ad illum, cui vult loqui. Nam hoc ipso redditur illi manifestus, quia incipit esse aliquid illius, et ad ipsum pertinere; ratione cujus antea non poterat cognosci ab alio secretum cordis, quia non pertinebat ad ipsum, sed tantum ad elicientem jure moralitatis et indifferentiæ. Et ideo, quam primum incipit pertinere ad alterum factâ ordinatione ad illum, incipit illi manifestari. Quem modum dicendi tradit D. Thomas (in hac q. 107, a. 1; et ubicumque tractat de hac re); sequunturque communiter ejus discipuli, ut postea * expendemus. — Hæc sententia facile explicat quomodo locutio procedat a loquente : * infra, n. 22
quia ordinat conceptum ad alium. Et similiter salvat secretum : quia potest ordinare conceptum ad unum vel plures, et non ad alios, qui hoc ipso non intelligent illum, quia non pertinet ad se. Salvat etiam deceptionem et mendacium : quia potest formare Angelus duos conceptus, et ordinare unum erga alterum [1] repræsentando se aliud non velle, vel non habere, reservando sibi alterum. — *Sed patitur difficultatem* in explicandis aliis duabus condicionibus locutionis : scilicet quomodo ista ordinatio sit manifestativa secreti cordis, cum ipsamet ordinatio quoddam secretum cordis sit, utpote libera quædam cogitatio : quomodo ergo manifestat alteri, cum ipsa in se sit occulta? Et secundo patitur difficultatem in explicandâ excitatione, quod maxime pertinet ad locutionem : ex eo enim quod ego in corde meo ordinem cogitationem ad S. Raphaelem vel Gabrielem, quomodo ista ordinatio hîc exsistens applicat et excitat intellectum illius Angeli ad attendendum ad me?

7. Propter hoc alia sententia conatur evincere istam difficultatem manifestationis et excitationis, ponendo præter ordinationem conceptûs aliquam qualitatem productam in ipsomet Angelo loquente, quæ manifestet illi [2] conceptum ipsius tamquam objectum ipsi naturaliter cognitum, et sic excitans mentem Angeli, sicut quodlibet objectum naturale positum seu productum de novo in rerum natura. Quæ sententia salvat quidem rationem manifestativi

[1] Intellige : *erga alterum* [*Angelum*].

[2] Intellige : *illi* [*,cui vult loqui,*].

et excitativi (et rationem etiam mendacii, si Angelus producat qualitatem repræsentantem unum conceptum, cum ipse penes se retineat alterum), sed difficillime salvat secretum. Quia vel illa qualitas est actus moralis et liber, vel qualitas naturalis. Si primum, incidit in sententiam præcedentem, et in majorem difficultatem : quomodo illa qualitas, libera et moralis exsistens, sit de se manifesta alteri Angelo, et possit manifestare secretum cordis. Si est qualitas naturalis, naturaliter etiam repræsentat, et cognoscitur ab omnibus Angelis; unde, positâ tali qualitate in intellectu loquentis, non minus [1] manifestatur illi cui loquitur, quam omnibus aliis, quibus non potest occultari.

8. *Propter hoc aliqui recurrunt* ad significationem ad placitum, dicuntque qualitates illas significare secretum cordis ad placitum et ex impositione : sicut nostræ voces significant ad placitum et per illas manifestamus secreta cordis, et servatur etiam secretum non exhibendo ista signa coram omnibus, sed coram quibus volumus significare; sic Angeli per spirituales qualitates, ad placitum significantes, suos conceptus manifestant quibus volunt, aut aliis occultant. Quam sententiam aliquibus antiquis attribuit P. Suarez (lib. II [2] de Angelis, c. 26, n. 12* et 18). — *Ceterum difficultas semper manet* integra circa secretum : quia non minus est nota omnibus Angelis illa impositio, quam illa qualitas : si quidem impositio illa debet esse publica et externa, utpote in communi usu recepta, et per conventionem publicam facta. Id autem quod publice et externe fit, licet libere fiat, a quolibet Angelo potest intelligi : sicut ipsi intelligunt omnia idiomata et linguas hominum, quia cognoscunt impositionem auctoritate publicâ factam, et ipso usu publico continuatam. Et iterum illa impositio in qualitatibus illis spiritualibus ad hoc ordinatur, ut ipsi Angeli inter se communicent et loquantur; ergo ad omnes pertinet ejus notitia. Positâ ergo et productâ qualitate, significante ex impositione aliquid quod Angelus loquens cogitat, non est in manu ejus occultare illam ab omnibus : quia omnibus nota est, tam quoad se, quam quoad sui impositionem, cum non sit ipsamet cogitatio cordis, sed signum ejus. — Nec potest occultari per hoc quod ponatur in

* alias : n. 13 et 19

præsentiâ unius Angeli et non alterius, sicut apud nos voces significant præsenti et audienti, sed non absenti. Sed hoc non habet locum in Angelis, in quibus distantia localis, quantumcumque magna, non impedit quominus possint cognoscere quidquid cognoscibile ab ipsis est, et ad suam sphæram pertinet : eo quod non dependet intellectio illa a speciebus sensibilibus per medium corporeum delatis, sicut apud nos cognitio sensuum. Unde Angelus de cælo cognoscit id quod agitur apud nos, ut nobis succurrat; et anima divitis damnati *vidit Abraham a longe, et Lazarum in sinu ejus,* et sic distanti loquebatur (Luc. XVI, 23-31). Ergo, positâ illâ qualitate repræsentante ad placitum, a quocumque Angelo cognoscetur, si velit attendere; et sic non potest salvari secretum.

9. *Pressi hac difficultate* auctores hujus sententiæ distinguunt duo genera signorum, quæ sunt imposita apud Angelos : quædam publica pro omnibus, tamquam linguam communem; aliam [3] pro quolibet privato, ut possint loqui secreta. Quod Marsilio* tribuit Suarez supra citatus (n. 18**), et aliqui recentiores sequuntur. — Sed nondum istâ multiplicatione linguarum possunt hoc secretum tegere, sed multiplicant in infinitum ista signa sine fundamento. Nam demus quod aliquis Angelus velit loqui duobus vel tribus simul, et non reliquis, quânam linguâ utetur? Si privatâ, non intelligetur nisi ab uno, nempe illo cui soli est nota : quia pro illo solum est imposita. Si communi, non poterit occultari aliis, quibus etiam nota est illa impositio. Unde oportebit aliam linguam instituere, non communem omnibus, nec privatam pro uno, sed communem pro aliquibus et non pro aliis. Cum autem combinationes istæ possint in infinitum multiplicari (quia aliquando potest velle loqui duobus, modo quatuor, aut decem, aut viginti, aut pluribus vel paucioribus; et illis, quibus modo loquitur, potest postea velle occultare, aut alicui vel aliquibus eorum; et sic in infinitum possunt istæ combinationes variari aut multiplicari; et hoc per totam æternitatem), oportet quod a principio acceperint Angeli infinitas species seu repræsentationes infinitarum linguarum. — Similiter, quantum ad privatam locutionem unius Angeli cum altero tantum, oportet quod

* in II, q. 7, a. 2, maxime ad 4m dubium et ad 4m rationem

** alias : n. 19

(1) Ita omnes, male, ut videtur || Censemus legendum : *non magis manifestatur...*

(2) Mendose omnes : *lib. III.*

(3) Id est : *aliam [linguam] pro...* || Aut corrigendum : *alia [signa] pro...*

de singulis conceptibus quos potest Angelus formare, et actibus voluntatis quos potest habere, habeat repræsentationes pro quolibet Angelo; et cum conceptus in infinitum sint multiplicandi per totam æternitatem, oportebit quemlibet Angelum habere infinitas impositiones seu linguas ad loquendum cum Angelo, quem voluerit, seorsim et secrete ab alio. Quare hæc sententia obruitur ipsâ infinitate linguarum, quas tenetur ponere si secretum vult servari : quod maximam confusionem parit.

10. Ut omittam alias difficultates, quas non potest ista sententia explicare, nisi divinando : v. g. an impositio tot privatarum linguarum facta sit ab initio, quando Angeli producti sunt, an modo quotidie de novo fiant. — Et, si [1] est facta ab ipsis Angelis sic inter se convenientibus (sicut apud nos fit impositio vocum), an a solo Deo sit facta, et earum notitia Angelis indita. — Si ex conventione Angelorum facta est, vel modo fit, hoc ipso tollitur secretum : quia illa conventio fuit publica, et consequenter omnibus manifesta, etiamsi ab uno solo imponeretur : quia impositio illa esset actus externus, et non cogitatio cordis. — Si a Deo solum fit : Vel [2] a principio infudit Deus omnibus Angelis notitias istarum linguarum quoad omnes conceptus qui possunt per totam æternitatem manifestari privatim aut publice, quoad paucos vel quoad multos; et sic, ut ponderavimus*, debuit infundere infinitas species seu idiomata cuilibet Angelo : quia in infinitum ista multiplicari possunt.

11. Si autem Deus modo infundit species et imponit significationem idiomatum (præterquam quod est contra perfectionem Angeli, quod sibi a principio non infundantur omnes species), restat semper difficultas : an Deus imponat ista signa illaque notificet Angelis antequam loquantur, vel dum loquuntur. Si ante, sequitur idem inconveniens, ac si a principio infunderetur : cognosceret enim Angelus locutionem futuram a tali Angelo faciendam, per hoc quod sentit sibi infundi illud idioma respectu talis Angeli. Si vero imponat illa signa dum loquuntur, quomodo possunt ipsi incipere loqui et velle loqui, si prius non habent notitiam linguæ, qua locuturi sunt?

12. Denique, quæ sit ista qualitas difficillime explicatur : an sit conceptus ipse, vel species, vel aliqua tertia qualitas ignota; an subjectetur in intellectu Angeli, vel in ejus substantia; an producatur per actionem transeuntem, vel permanentem; an sit qualitas vitalis, vel non. Quæ omnia expediri non possunt nisi divinando.

[*Secunda classis.*]

13. IN SECUNDA SERIE VEL CLASSE sententiarum, quæ locutionem Angeli explicat non per id quod ponitur in loquente, sed in audiente, OCCURRIT DUPLEX SENTENTIA. — PRIMA Scoti (in II, D. 9, q. 2, § *Ad quæstionem istam**), qui docet Angelum loquentem producere in intellectu audientis intellectionem quamdam seu cognitionem, qua repræsentetur objectum quod vult notificare alteri : hoc enim est loqui, manifestare conceptum suum alteri, seu facere ut intelligat illum. Cum ergo Angelus non faciat hoc per signa sensibilia, faciet hoc imprimendo ipsam intellectionem in Angelo.

* n. 15; et n. 20

14. *Ceterum hæc sententia nullatenus admittenda est,* utpote contra totam philosophiam, quæ docet cognitionem seu intellectionem esse actum vitalem et immanentem : et consequenter de sua essentiali ratione petit quod non ab extrinseco imprimatur, sed ab ipso principio intrinseco oriatur. Vitalis enim actus necessario est a principio vitæ conjuncto. Ergo vel id quod imprimitur non est vera et propria cognitio (quæ essentialiter actus vitalis est), vel non imprimitur ab extrinseco agente, sed a principio vitali oritur; principium autem vitale est, quod se movet et ex se elicit, non autem quod præcise movetur et patitur ab alio.

15. Deinde : vel Angelus loquens, ut imprimat istam cognitionem in audiente, debet esse intra ejus intellectum intimeque illi præsens : vel potest etiam ab extra, et habendo distantiam ab Angelo audiente, illam imprimere. — Primum, præterquam quod est contra commune proloquium theologorum*, quod Angelus non illabitur menti sed solus Deus** : præter hoc, inquam, non salvat quomodo unus Angelus possit simul loqui pluribus Angelis (cum non possit simul intra plures poni), vel etiam quomodo possit loqui ad Angelum distantem. Posse autem unum Angelum loqui pluribus simul, constat ex illo (Apo. VII, 2) : *Vidi alterum Angelum adscendentem ab ortu solis, habentem*

* post Gennadium, *De ecclesiast. dogm.*, c. 50, (Pl. 42, 1221); cf. supra, disp. 41, a. 3, n. 44-8
** cf. I P. q. 56, a. 2; III P. q. 8, a. 8, ad 1; III *Contra G.*, c. 98; *de Ver.*, q. 8, a. 7, etc.

[1] Ita omnes || Intelligito : *Et, utrum sit facta ab ipsis..., an a solo Deo.*

[2] Alteram disjunctionis partem habes infra, n. 11.

signum Dei vivi; et clamavit voce magna quatuor Angelis, etc. Similiter quod possit loqui ad Angelum distantem, constat : quia potest loqui ad hominem distantem : ergo et ad Angelum : (Gen. XXII, 11) *Angelus Domini de cælo clamavit dicens : Abraham, etc.* Item, quia animæ separatæ possunt loqui a longe, sicut (Luc. XVI, 23-24) anima divitis *vidit Abraham a longe, et ipse clamans dixit : Pater Abraham miserere*[1] *mei;* ergo a fortiori possunt Angeli distantes loqui. — Si autem dicatur secundum, repugnat quod actus ipse cognitionis producatur ab Angelo distanti in alio, nisi transeat per medium, quando ita est distans quod virtus Angeli loquentis et substantia ejus non tangit alterum : sicut anima divitis se habebat ad Abraham. Conceptus autem seu cognitio non potest transire per medium, cum sit accidens spirituale et vitale, quod non potest per media corpora produci, illisque inhærere. Nec posset conceptus sic transiens latere alios Angelos, qui ad illud medium attenderent.

16. SECUNDA SENTENTIA in hac serie est aliorum qui, volentes vitare hoc inconveniens Scoti, dicunt quod non producit Angelus loquens in audiente conceptum seu cognitionem, sed producit speciem repræsentativam secreti cordis loquentis, vel aliquid simile quo manifestetur illud secretum. Ita docuerunt aliqui antiqui, ut Alensis *, Bonaventura **, Aureolus *** et alii : quos refert Suarez (lib. II de Angelis, c. 27, n. 30) et tandem sequitur (n. 35 et 37), et latissime explicat (in toto cap. 28).

* II P., q. 24, m. 2; q. 27, m. 2 et 5 (ed. Quaracch., tomo II, nn. 130, 146, 148)
** II, D. 10, a. 3, q. 1
*** II, D. 9, q. 1, a. 1 et 4

17. *Ceterum hæc sententia incidit in non minora inconvenientia,* quam omnes præcedentes. — Primo quidem : quia impressio specierum in mentibus Angelorum physica non potest fieri nisi a Deo, qui solus intra mentem Angeli operari potest *; reliqua, quæ extra Angelum sunt, solum possunt objective se habere ad istas species, non effective immutando intus intellectum Angeli. Si autem Deus solus producit in mente audientis illam speciem, ipse erit qui loquitur seu revelat Angelo cogitationem alterius, non ipse Angelus loquens : quia manifestativum locutionis, quæ est species, solus Deus producit, non Angelus loquens. Quod si Angelus ipse loquens producit speciem in altero Angelo (ad modum, quo sensus exterior immittit speciem in interiorem, vel intellectus agens in intellectum possibilem), tunc talis Angelus habebit vim immutandi intellectum alterius et operandi intra illum : quod communiter theologi negant, etiam respectu mentis humanæ. — Secundo, currit hîc difficultas attacta * contra sententiam præcedentem : quomodo possit Angelus distans loqui Angelo distanti; quam locutionem non possumus negare salvâ fide, urgente exemplo animæ divitis, quæ loquebatur cum anima Abrahæ a longe *. Tunc enim currit difficultas : quomodo possit anima vel Angelus immittere illam speciem seu qualitatem spiritualem, quæ transeat per medium corporeum. Vel, si duo Angeli ponantur extra mundum, vel in vacuo, non poterunt loqui : quia non datur medium per quod transeat illa species, quæ (cum sit accidens) necessario exigit subjectum in quo sit.

* cf. supra, n. 15, *Primum*
* supra, n. 15, *Si autem*
* Luc. XVI, 23-24

18. *Nec satisfacit responsio Suarez* (c. 28, n. 13) : nam ex una parte sentit, non esse improbabile quod ad locutionem requiritur indistantia inter loquentem et audientem; oppositum tamen reputat probabilius, sed dicit posse fieri hanc efficientiam independenter a situ et loco, et non per medium. — *Ceterum hæc responsio,* quoad primam sui partem, non solum est omnino improbabilis, sed non apparet quomodo salvâ fide sustineri possit quod ad locutionem Angeli requiratur indistantia : quod absolute reputavit probabile Suarez (in Metaph. disp. 18, sect. 8, n. 45 et 46); quod tamen, meliora sapiens, reformavit (dicto cap. 28, n. 13). Sed non ad plenum : quia non debet probabilius solum hoc reputari, sed certissimum : quia locus Scripturæ est valde expressus, cum dicat : *Elevans * autem oculos suos, cum esset in tormentis, vidit Abraham a longe, et Lazarum in sinu ejus; et ipse clamans dixit, etc;* et infra * : *In his omnibus inter nos et vos chaos magnum firmatum est : ut hi, qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neque inde huc transmeare.* Ergo illa locutio fiebat inter loca valde distantia. Certe nullus auderet affirmare quod anima illius divitis esset in eodem loco in quo anima Abrahæ, et indistans ab illo, ut ei loqueretur; alias in ipso sinu Abrahæ esset anima damnata, et cruciata tormentis æternis et inter flammas : quod totum non erat in sinu Abrahæ. Ergo non solum ut probabilius, sed ut certissimum, tenendum est

* Luc. XVI, 23-24
* Luc. XVI, 26

[1] Ita CP ‖ Corrupte ML *misereri.*

inter spiritus distantes posse intervenire locutionem.

19. Quoad secundam vero partem solutionis contradicit Suarez universæ philosophiæ, et veritati, et sibimet ipsi (in loco citato Metaphys.*) ubi illud principium philosophicum explicat, quod nihil possit agere in distans, quin agat in propinquum. Nec est aliquo modo intelligibile quod ab aliqua virtute egrediatur operatio et effectus, ubi talis virtus non est; ergo quando primo et per se operatur effectus, exit ab illa virtute in illa parte et loco ubi est, non autem ubi non est nec per suam substantiam nec per suam virtutem. Unde etiam immensitatem Dei ex eo probamus, et probavit S. Paulus (Act. XVII, 24-25, 28), quia operatur in omni re. Si autem posset operari ubi non est, careremus fundamento ad ponendum Deum ubique, quia operatur ubique : cum posset operari ubi non esset, nec per se nec per suam virtutem. Si vero Angelus distans immittit speciem, et illa debet transire per medium, currunt difficultates attactæ : quomodo qualitas spiritualis per medium transeat; quæ ponderatæ sunt*. — Nec caret suo pondere, quod, si ipse Suarez renuit concedere quod Angelus motu discreto transeat sine medio ad locum distantem, quomodo concedit quod sine medio producit aliquid in loco distanti? Et tamen in hoc quod moveatur Angelus de uno lôco ad alium sine medio, ponimus nos quod, hoc ipso quod operatur Angelus in loco distanti, ibi ponitur, et desinit esse in loco ubi erat; dicendo autem quod operatur speciem in Angelo distanti, dicitur quod, ipso remanente ubi erat distans, operatur speciem in loco distanti ubi non est : quod non potest intelligi.

* Disp. metaph. 18, sect. 8, n. 10 sqq.

* supra, n. 15, *Si autem*

20. *Denique, adhuc in ista sententia* non salvatur sufficienter ratio secreti : quia illa species, vel lumen, aut quodcumque sit quod Angelus producit in mente alterius, est aliquid ordinis naturalis : cum producatur virtute naturali Angeli; et præsertim quando locutio non est de rebus supernaturalibus. Et non est ipsa libera cogitatio cordis, sed effectus illius ad extra (utpote receptus in alio subjecto), qui necessario recipitur in intellectu Angeli. Nec est futurum contingens : quia de facto producitur in rerum natura. Ergo non occultatur aliis Angelis : quia nec est futurum, nec actus liber, nec aliquid supernaturale. Continetur ergo intra objecta naturaliter cognoscibilia a quocumque Angelo; nec est magis occulta ab aliorum mentibus, quia imprimitur et subjectatur in intellectu audientis, quam si esset qualitas producta et remanens in intellectu loquentis, sicut ponunt aliæ sententiæ : quas tamen Suarez* non admittit, sed impugnat eos qui ponunt fieri locutionem per signa exsistentia in ipso Angelo loquente. — Et præterea : quia unus Angelus naturaliter cognoscit species a Deo infusas et innatas in altero Angelo; cur ergo non cognoscet illam quæ ab alio Angelo producitur? Unde D. Thomas (q. 8 *de Verit.* a. 13) fatetur species, quæ sunt in intellectu unius Angeli, omnibus aliis esse notas, non tamen usum et exercitium earum liberum.

* lib. II, *De Angel.*, c. 26-27

21. Respondet Suarez (ubi* supra, n. 26), alios Angelos non cognoscere species quæ fiunt a loquente in audiente, quia ipsi non habent a principio species innatas actuum liberorum, et consequenter neque illarum specierum. — Ceterum, præterquam quod oppositum expresse tenet D. Thomas (q. 9 *de Verit.* a. 4 ad 11), ut postea* ponderabimus : tamen, hoc dato quod de actibus ipsis liberis Angeli non habeant species innatas, quia morales et liberi actus sunt, tamen de ipsis speciebus, quas Angelus loquens imprimit audienti, quare non habebunt alii Angeli species innatas? cum tales species neque sint aliquid supernaturale, neque futurum contingens, neque actus liber formaliter, sed effectus productus ad extra : qui non minus debet esse manifestus quam motus Angeli, vel corpus ab eo assumptum, vel aliquis alius effectus ad extra productus. — Et quod semper facit vim in hac parte, est id quod ponderatum est* : quomodo qualitas significativa proprii conceptûs posita in ipso loquente non salvaret secretum (quia omnibus nota est, sive naturaliter significet, sive ex impositione); et impressa seu translata ad ipsum audientem, sive sit species sive alia qualitas repræsentans, hoc ipso est occulta aliis, cum nec sit supernaturalis nec futurum contingens neque actus liber? Fateor me non intelligere.

* lib. II, *De Angel.*, c. 28, n. 26

* n. 23

* supra nn. 7-8, 20

RESOLUTIO EX MENTE DIVI THOMÆ.

22. Visis tot difficultatibus, quibus aliæ sententiæ scatent, nec ab illis se possunt expedire, **ELIGIMUS UT PROBABILIOREM in re tam obscura sententiam D. Thomæ** (locis statim* citandis), Cajetani**, et aliorum discipulorum ejus, quam etiam sequitur Vazquez

* infra, n. 23 ** in I P., q. 107, a. 1

*** c. 8 et 11 (hîc, disp. 211, c. 11 ***) et Arrubal (disp. 171, c. 3) : videlicet Angelos manifestare secreta cordis sui per ipsos conceptus, quos formant ut ordinatos ad illum vel ad illos, quibus loqui volunt : quia hoc ipso manet ille conceptus et secretum objectum proportionatum speciei, quam habet Angelus audiens, de natura talium actuum et conceptuum. Connaturaliter enim quicumque Angelus habet speciem innatam de natura et quidditate ipsorum conceptuum et actuum liberorum : sed tamen exercitium et productio actualis talium actuum latet alios Angelos propter moralitatem et indifferentiam, qua procedunt a libero arbitrio; sicut latent futura contingentia, quia sunt in indifferentiâ causarum. Unde si ipse cogitans tollat hanc moralitatem et indifferentiam, determinando seu ordinando istum conceptum ad alium, quasi ad ipsum pertinentem, hoc ipso redditur pertinens ad cognoscibilitatem eorum quæ sunt propria alterius, et intra sphæram objecti sui exsistit; hoc ipso potest illud cognoscere.

23. *Mens ergo D. Thomæ manifestissima est,* quod Angelus, per ordinationem sui conceptûs ad alium, manifestet ipsum (quæ manifestatio est locutio), non autem per aliquid quod infundat seu ponat in Angelo audiente. — Constat manifeste ex his quæ docet (q. 9 *de Verit.* a. 4) ubi (solut. ad 9) inquit quod « ipsa ordinatio cogitationis ad alterum exterior locutio in Angelis dicitur ». Et (ad 11) inquit quod « Angelus cogitationem alterius cognoscit per speciem innatam, per quam alium Angelum cognoscit : quia per eamdem cognoscit omne quod cognoscit in alio Angelo. Unde, quam cito Angelus se ordinat ad alium Angelum, secundum actum alicujus formæ, ille Angelus cognoscit cogitationem ejus ». Et idem prorsus docet in hac q. 107, a. 1; et art. 2 : « Sicut dictum est, inquit, Angelum loqui Angelo nihil est aliud quam conceptum suum ordinare, ad hoc ut ei innotescat, per propriam voluntatem. » Videndus est etiam in II, D. 11 (in secunda parte textûs, q. 1, a. 3 ad 4) : « Quam cito, inquit, unus Angelus ordinat locutionem suam ad alterum, efficitur locutio ejus de pertinentibus ad illum, et ita ab eo cognoscitur. » Et (solut. ad 3)[1] : « Non exigitur, inquit, aliquod medium per quod deferatur locutio unius ad alterum, sed sufficit ad hoc solus ordo intentionis unius ad manifestandum alteri. » Et denique, quod in Angelo audiente nihil ponatur a loquente, expresse dicit (quæst. citata *de Verit.* * a. 5 ad 2) : « Angelus, inquit, loquens nihil facit in Angelo cui loquitur; sed fit aliquid in Angelo ipso loquente, et ex hoc ab alio cognoscitur modo prius dicto. Unde non oportet etiam quod loquens aliquid infundat ei cui loquitur; » (et idem docet solut. ad 5). * q. 9, a. 5

24. Cum ex prædictis locis tam manifesta sit mens D. Thomæ, *laborat nihilominus P. Suarez* *, et conatur nobis persuadere esse expressam sententiam D. Thomæ eam, quam ipse docet de locutione unius Angeli ad alterum per impressionem alicujus speciei vel similis qualitatis in mente audientis : eo quod (in hac q. 107, a. 1 ad 3) inquit quod « sicut sensus movetur a sensibili, ita intellectus movetur ab intelligibili. Sicut ergo per signum sensibile excitatur sensus, ita per aliquam virtutem intelligibilem potest excitari mens Angeli ad attendendum. » Constat autem quod signum sensibile immittit speciem in sensum audientis. Ergo etiam signum intelligibile excitat mentem audientis tamquam objectum motivum; objectum autem movet immittendo speciem, nec alio modo excitare potest. — Illa autem ordinatio, qua voluntas Angeli ordinat istum conceptum erga alterum, nihil ponit in prædicto conceptu nisi extrinsecam denominationem : quæ utique non potest excitare mentem alterius Angeli, nec ad id habet virtutem intelligibilem. * lib. II *De Angel.*, c. 27, n. 35-6

25. Fortius posset aliquis divertere mentem D. Thomæ ad aliam sententiam supra * relatam de locutione Angeli, non solum per ordinationem conceptuum, sed per exhibitionem signi naturaliter cogniti ab altero Angelo. Dicit enim sic (loco citato ex II° *Sentent.* *) : « In Angelis interior conceptus mentis, libero arbitrio subjacens, ab alio videri non potest. Quando ergo speciem conceptam ordinat ut manifestandam alteri, dicitur verbum cordis. Quando vero coordinat eam [2] alicui eorum, quæ unus Angelus in alio naturaliter videre potest, illud naturaliter cognoscibile fit signum expressivum interioris conceptûs : et talis expressio vocatur locutio, non quidem vocalis, sed intellectualibus * n. 7-8 * D. 11, 2ª parte, q. 1, a. 3

(1) Mendose omnes : *ad 2.*

(2) Ita legendum cum edd. Divi Thomæ || Male omnes : *coordinatam alicui.*

signis expressa. » Et (in II *ad Annibald.* dist. 10, quæst. unica, a. 4) inquit quod, « sicut ad enuntiandum ea, quæ in nobis ab alio videri non possunt, utimur his quæ in nobis ab alio possunt cognosci, sicut vocibus vel quibuslibet sensibilibus signis : ita Angeli, per ea quæ unus de alio cognoscere potest naturaliter, suos invicem sibi nuntiant conceptus. » Et denique (I ad Cor. XIII, lect. 1) exponens illud Apostoli, *Si linguis hominum loquar, et Angelorum,* inquit quod « in quolibet Angelo est aliquid quod naturaliter ab altero Angelo cognoscitur; dum ergo id quod est naturaliter notum proponitur ut signum ejus quod est ignotum, manifestatur occultum : et talis manifestatio dicitur locutio, ad similitudinem hominum qui occulta cordium manifestant aliis per voces sensibiles, aut per quodcumque aliud corporale exterius apparens ». Quæ loca satis urgentia videntur ad sustinendum secundum D. Thomam illam sententiam de locutione per signa : si quidem condistinguit ordinationem conceptuum ab istis signis per quæ exprimuntur.

26. NIHILOMINUS SENTENTIA D. THOMÆ MANIFESTA EST ex auctoritatibus supra* adductis. — *Et ad instantiam Patris Suarez*** *respondetur,* quod virtus illa intelligibilis, per quam dicitur excitari mens Angeli ad attendendum, non est impressio speciei in mente Angeli : cum in sententia D. Thomæ (supra, q. 55, a. 2*), ex Augustino** et Dionysio***, Angeli non acquirant species a rebus, sed infusas habeant a Deo a principio suæ creationis. Unde quandocumque fit aliquod objectum de novo, non dicitur excitari Angelum a tali objecto per immissionem alicujus speciei, sed per hoc solum quod objectum, sic positum in rerum naturâ, manet proportionatum et habile ut intelligatur ab Angelo, utpote ad se pertinens et intra sphæram suæ cognoscibilitatis contentum. Et comparatio illa facta a D. Thoma, de signo sensibili movente, non est quantum ad modum movendi et excitandi, quasi utrobique fiat eodem modo, scilicet per immissionem specierum, sed quantum ad effectum ipsum excitandi : quia utrobique excitatio ab objecto proposito, non tamen utrobique specierum emissio. Nec alia excitatio ponenda est : sicut nec ponitur alia in objectis, quæ quotidie de novo producuntur, et antea non intelligebantur ab Angelo quia futura erant, modo autem intelliguntur quia de facto sunt; et ipsum *de facto produci* reddit objectum habile et proportionatum ut cognoscatur ab Angelo : et per hoc ipsum excitatur ab objecto noviter producto, non autem per impressionem speciei ab objecto ipso immutatur*. Similiter ergo ordinatio ipsa conceptûs ad alterum est virtus intelligibilis, qua redditur illi proportionatus et coaptatus, perinde ac si tunc de novo produceretur in ordine ad istum Angelum ad quem nunc ordinatur; et hoc ipsum excitat Angelum ad attendendum.

* n. 23
** supra, n. 24
* I P. q. 55. a. 2; cf. supra, disp. 41, a. 3, n. 22-73
** PL 34, 269
*** PG 3, 868 B
* cf. supra, disp. 42, a. 2, n. 8-32

27. Sic enim explicavit D. Thomas hanc excitativam virtutem (in hac q. 107, a. 1 ad 2) dicens quod « Angelus ordinat per voluntatem conceptum suum ad alterius manifestationem; et sic lingua Angelorum metaphorice dicitur ipsa virtus Angeli, qua conceptum suum manifestat ». Hæc est ergo virtus intelligibilis excitativa, scilicet illa qua manifestat suum conceptum ordinando ad alterum, et proportionando illi. Quod tantem expressit D. Thomas (loco citado *ad Annibald.** art. 4 ad 3) ubi inquit quod, « quando aliquis Angelus ad alium convertitur ut eum alloquatur, ipsa conversio ab alio Angelo cognoscitur tamquam ad se pertinens; nec est ibi aliqua excitatio necessaria. » Non ergo datur excitatio per impressionem speciei, sed per ipsam conversionem et ordinationem ad alterum, quæ reddit objectum illi coaptatum et ad ipsum pertinens : quod est ei manifestari. — Quod vero dicitur*, hoc solum ponere extrinsecam denominationem in conceptu : infra** in solutionibus argumentorum ostendemus quid realitatis hoc habeat, vel quid sufficiat ut conceptus manifestabilis et proportionatus reddatur audienti.

I P. q. 107, a. 1, ad 2
* II, D. 10, q. 1, a. 4, ad 3
* supra, n. 24 *Illa autem*
** nn. 41-46; 50; 54-58

28. *Ad ea vero quæ ex D. Thoma afferuntur** pro stabiliendis illis signis superadditis pro locutione Angelorum, *Dicimus* non poni a D. Thoma talia signa, quæ sint qualitates de novo productæ; sed dicitur « coordinatio conceptûs ad aliquid quod Angelus naturaliter cognoscere potest in alio », in quantum ille conceptus positâ tali ordinatione redditur ita cognoscibilis et manifestus sicut ipsa substantia et potentia Angeli, quæ naturaliter sunt cognita alteri. Et per eamdem speciem, qua cognoscit Angelus audiens ipsam substantiam et potentias Angeli loquentis, per eamdem cognoscit omne quod in altero Angelo cognoscibile est naturaliter, et redditur pertinens ad hoc universum, vel ad Angelum cui loquitur. Cum autem cogitatio cordis ratione suæ moralitatis sit

* supra, n. 25

occulta alteri Angelo, per hoc solum quod ordinatur ad alterum Angelum, moralitas illa non obstat : quia illa cogitatio, hoc ipso quod ordinatur ad alterum, redditur de pertinentibus ad eum; atque adeo proportionatur illi, ut pertinens ad ejus sphæram et ordinem. Et sic redditur illa cogitatio eodem modo cognoscibilis ab eo ad quem dirigitur, et in eadem linea ac si moralis non esset : sed sicut cognoscitur ipsa substantia, et potentiæ et species seu habitus, ita cognoscitur illa cogitatio : quia, per hoc quod ordinatur ad alterum, pertinet ad eum, et fit respectu ejus sicut unum ex istis. Et sic dicitur coordinari his, quæ naturaliter sunt cognita, quasi ejusdem proportionis cum illis ut intelligatur ab Angelo; eo quod per eamdem speciem, qua cognoscit naturam et potentias Angeli loquentis, cognoscit illas cogitationes, quando sic coordinantur a loquente, quod pertinent ad ipsum audientem : manent enim coordinatæ his quæ Angelus naturaliter cognoscit. — Quæ est expressa solutio D. Thomæ (quæst. 9 *de Verit.* citata, a. 4 ad 11) ubi inquit quod « unus Angelus cogitationem alterius cognoscit per speciem innatam, per quam alium Angelum cognoscit : quia per eamdem cognoscit omne quod cognoscit in alio Angelo. Unde, quam cito Angelus se ordinat ad alium Angelum secundum actum alicujus formæ, ille Angelus cognoscit ejus cogitationem; et hoc dependet ex voluntate Angeli ». Cui addit
* D. II, 2a parte, q. 1, a. 3, ad 4 D. Thomas in illis ipsis locis (ex IIo *Sentent.* *) quod « quam cito unus Angelus ordinat locutionem suam ad alterum, efficitur locutio ejus de pertinentibus ad illum, et ita ab eo
* infra, n. 32 cognoscitur ». Quæ loca statim * iterum ponderabimus.

29. Quare, cum apud D. Thomam non detur particularis species de cogitationibus cordis, distincta ab ea qua cognoscuntur res naturales Angeli (ut substantia, potentiæ, habitus, seu species), et cogitatio cordis impediatur repræsentari alii Angelo per speciem istorum naturalium, quousque sit illa cogitatio ordinata ad talem Angelum et reddatur quasi unum de pertinentibus ad se : ideo talis cogitatio, positâ hac ordinatione, coordinatur his quæ Angelus naturaliter cognoscit : id est, respectu ipsius ad quem dirigitur, fit ita proportionata et debita cognitio istius cogitationis ad se directæ, sicut aliæ res naturales quæ in ipso Angelo cognoscuntur, utpote jam ad se pertinens et sic coordinata et coaptata ipsis aliis rebus quæ naturaliter cognoscibiles sunt. Unde signanter D. Thomas non ponit signa aliqua determinata et imposita ad significandum istos conceptus, sicut ponit alia sententia *; sed quodcumque naturaliter notum in ipso Angelo loquente ponit pro signo, quatenus illi coordinatur illa cogitatio per hoc quod dirigitur ad audientem : et per talem directionem fit sicut unum ex naturaliter cognitis, illique coordinatur et coaptatur, ita ut per speciem, qua illud naturaliter notum attingitur, etiam cogitatio sic ordinata attingitur. Et hoc sensu illud naturaliter notum dicitur esse « signum » cogitationis, quatenus per speciem ejus manifestatur; et sic coordinari illi, manifestatio ejus fuit, non productio qualitatum ad significandum conceptus impositarum : quas D. Thomas nec leviter agnovit. * cf. supra, nn. 7-9; 16; 24-25

[*Resolutionis ratio.*]

30. Ratio ergo hujus resolutionis D. Thomæ sumitur : — Tum ex impugnatione aliarum sententiarum, et modorum explicandi, qui insufficientes sunt. — Tum ex eo quod in isto modo dicendi omnes illæ condiciones, requisitæ ad locutionem inter Angelos, convenientius salvantur. — Tum a priori : quia, posito isto modo dicendi, ponitur manifestatio conceptûs unius Angeli ad alterum facta per actum ipsiusmet Angeli manifestantis : ergo locutio, quia locutio non aliud est quam manifestatio conceptûs. — Primam rationem jam supra * * n. 7-21 expendimus, referendo et expungendo sententias. Secundam melius explicabimus in solutione argumentorum et difficultatum quæ contra hanc sententiam objiciuntur *. *Tertiam rationem nunc* * infra, n. 39-58 breviter *explicabimus supponendo duo.*

31. *Alterum est :* quod, cum Angelus non accipiat cognitionem a rebus, sed habeat species infusas de rebus quas cognoscit *, non oportet, * cf. supra, disp. 41, a. 3, n. 22-57 (p. 586-96) ut aliquid de novo cognoscat, quod ad ipsum deferatur vel quomodocumque approximetur ut illam (1) intelligat, vel ut alteri maneat occulta ad quem non sic defertur vel approximatur : sicut fit apud nos, qui per sensus cognoscimus res, et dependet ex approximatione vel absentiâ illarum manifestatio vel occultatio rerum. Angelus autem non sic; sed hoc ipso quod

(1) Supple : *ut [rem] illam...*

ponitur in rerum natura aliquod objectum ad se pertinens, et intra sphæram suæ cognoscibilitatis contentum, hoc ipso cognoscitur ab Angelo, ubicumque sit tale objectum; nec potest illi occultari, si naturale objectum sit. Nec indiget aliquâ impressione vel actione talis objecti in intellectum Angeli, ut ab ipso cognoscatur : sicut patet quando aliquid, quod antea erat futurum contingens, modo de novo producitur : antea non cognoscebatur, et modo cognoscitur ab Angelo*, quia per suam productionem redditur objectum aptum et pertinens ad sphæram intelligibilitatis Angeli.

* cf. supra, disp. 42, a. 2, n. 25-32, (p. 644-7)

32. *Secundum, quod advertimus, est :* quod excitatio Angeli ad cognoscendum aliquid, quod de novo incipit esse vel ad suam cognoscibilitatem pertinere, non requirit aliquam actionem talis objecti, quod de novo fit, erga ipsum intellectum Angeli. Sicut patet in rebus quæ de novo producuntur : ad quas cognoscendas non excitatur Angelus per actionem objectorum in ipsum; sed excitatio fit per hoc quod Angelus, attendendo ad seipsum, consequenter attendit et cognoscit omnia quæ ad seipsum pertinent. Unde hoc ipso quod fit aliquid in rerum natura de novo, et pertinet ad sphæram intelligibilitatis Angeli, per hoc quod attinet ad se et ad species suas, excitatur ad cognoscendum illud. Unde D. Thomas (in II, D. 11 supra* citata, art. 3) ponens quartum argumentum, quod in Angelis non potest esse aliquid excitativum, cum nihil sit in uno, postmodum in altero factum, et tamen necessaria sit excitatio ad attendendum si esset locutio, respondet quod « Angelus, præcipue beatus, semper est in actuali consideratione sui ipsius, et per consequens eorum quæ ad ipsum pertinent, quorum omnium ipse est ratio cognoscendi. Quam cito autem unus Angelus ordinat locutionem suam ad alterum, efficitur locutio ejus de pertinentibus ad illum ». Addit autem (in II *ad Annibald*. dist. 10, a. 4 ad 3) quod « non est aliqua excitatio necessaria, nisi conversio unius Angeli ad alium : quia hoc ipso illa conversio est pertinens ad Angelum audientem, et per considerationem suæ essentiæ cognoscit omnia quæ ad se pertinent; suam autem essentiam semper actu considerat ». Quare non ponitur alio modo excitatio ad locutionem alterius Angeli, quam ad cognitionem cujuscumque objecti quod de novo fit : hoc enim ipso quod ponitur in re, excitatur Angelus per ipsam considerationem sui, et specierum

* n. 28, in fine

quas in se habet (nomine enim essentiæ intelligit D. Thomas etiam quidquid in essentia est, sicut species), quas de novo sentit proportionatas esse ad tale objectum : et præsertim si hoc fiat per aliquam actionem Dei, qua coaptat illas species ad objecta quæ de novo fiunt, ex vi prioris infusionis qua illas posuit in mente Angeli : ut supra (disp. 22*) agendo de cognitione futurorum in Angelo ostendimus. Et hac ratione, loquens D. Thomas (in hac q. 107**, a. 1, in argum. 3) de excitatione Angeli ad attendendum, dicit quod « sicut per signum sensibile excitatur sensus, ita per aliquam virtutem intelligibilem potest excitari mens Angeli ad attendendum ». Et non dixit excitari per ipsum objectum intelligibile, sed per virtutem intelligibilem : videlicet per illam qua Angelus attendit ad omnia pertinentia ad se, vel per quam proportionantur et coaptantur species ad hoc ut cognoscat objecta de novo ad se pertinentia, quæ ante non repræsentabantur quia non pertinebant : ut amplius dicetur* in solutione argumentorum.

* nunc disp. 42, a. 2, n. 14-62, (p. 640-655)
** I P. q. 107, a. 1 ad
* infra, n. 41-50

33. HIS SUPPOSITIS, RATIO pro sententia D. Thomæ FORMATUR SIC : Angelus per species quas in se habet, sine alia impressione vel actione objecti in ipsum, natus est intelligere quidquid ad se pertinet et intra sphæram cognoscibilitatis ejus naturalis ponitur; ergo, hoc ipso quod cogitatio cordis incipit pertinere ad cognoscibilitatem Angeli audientis, cognoscet ipsam. Et hoc ipso quod Angelus loquens facit talem cogitationem pertinere ad alterum, ponit illam intra sphæram cognoscibilitatis ejus : quia unicuique Angelo naturaliter debetur cognitio omnium eorum quæ ad se pertinent, alias non esset perfectus ex natura sua in genere cognoscibili. Ergo, hoc ipso quod loquens reddit cogitationem suam pertinentem ad alterum, manifestat eam illi : quia ponit eam intra latitudinem cognoscibilitatis ejus. Ergo per hoc præcise loquitur alteri : quia nihil aliud est loqui, quam manifestare conceptum. — Rursus, per hoc quod ordinat conceptum suum ad alterum, volens illi manifestare et communicare, reddit illum de pertinentibus ad alterum : quia, si vult communicari ipsi, vult ad ipsum pertinere. Ergo hoc ipso talis conceptus remanet in latitudine rerum pertinentium ad illum Angelum, et consequenter solvitur omne impedimentum et omnis moralitas, ratione cujus non poterat ab altero cognosci : quia non

pertinebat ad ipsum nec ad res naturales, sed tantum ad ipsam voluntatem elicientem, quæ habebat jus dominii et libertatis super ipsum actum liberum : quod jus transfunditur in alterum per hoc quod vult communicari alteri, et ad alterum pertinere : sic enim fit proprium illius, et consequenter cognoscibile naturaliter ab ipso. Hac enim ratione supra * posuimus non cognosci naturaliter secreta cordis ab alio, quia non pertinent ad illum sicut ad elicientem, nec ad res naturales cum quibus non habent de se connexionem. Si ergo incipiant pertinere, quia iste vult ei communicare, hoc ipso habet et debetur ei jus cognoscendi illa.

disp. 42, a. 3, (p. 655-667)

34. *Dices :* Hac ratione sequitur quod ad locutionem Angeli non requiratur actus intellectûs manifestans et exprimens; sed sufficiet solus actus voluntatis, quo vult Angelus manifestari alteri suum actum. — Consequens est falsum; ergo. — Sequela probatur : quia hoc ipso quod voluntas vult hoc ordinari ad alterum, tollit impedimentum et moralitatem, qua occultabatur illi : quia facit ad ipsum pertinere; ergo jam manet alteri manifestum; ergo non indiget aliâ locutione. — Falsitas consequentis patet : quia locutio formaliter non est actus voluntatis, sed intellectûs; ergo per solam voluntatem non fit locutio.

35. *Respondetur negando sequelam.* — Ad probationem dicitur, quod volitio ordinandi non tollit impedimentum moralitatis et occultationis, quousque de facto ordinetur et disponatur id quod vult manifestari; nec enim voluntas vult quomodocumque ad alterum, sed vult pertinere hoc ad alterum ut manifestetur illi : et quod ordinetur ad ipsum, non ut volitum tantum, sed ut manifestum. Manifestatio autem pertinet ad actum intellectûs; et similiter ordinare proprie pertinet ad intellectum, cujus proprium est ordinem ponere et unum alteri conferre. Sic ergo ordinare, et communicare aliquid alteri per modum manifestationis, non facit solus actus voluntatis, sed debet intervenire actus intellectûs, in quo id perficitur et completur : licet actus voluntatis sit principium ad id movens, et efficaciam præbens illi actui, et sine cujus arbitrio moralitas illa et impedimentum non tollitur. Non tamen ablatio illa per actum voluntatis exercetur, sed per ordinationem intellectûs. Sicut sine arbitrio et voluntate seu decreto judicis non solvitur reus, nec carcer aperitur; tamen id non fit solâ voluntate judicis, sed manu ministri, et instrumento clavis januam aperientis. Sic, cum illa apertio cogitationum non sit solum volitio ad alterum, sed voluntas manifestandi ea quæ cogitamus seu tractamus, oportet quod ista apertio (quia manifestatio est, et manifestatio voluntatis cogitatæ et cognitæ) id fiat manu intellectûs. Et iterum, quia ordinatio est ad alterum, et hæc ordinatio potest fieri imperio vel oratione vel narratione, aut quocumque alio genere insinuationis et intimationis, et hoc ad unum vel ad plures : oportet, præter actum voluntatis, id determinari et disponi per actum intellectûs, qui est potentia ordinans, et modum intimationis et ordinationis disponens : non solo actu voluntatis, quæ est potentia movens, sed non ordinans, neque modum enuntiandi disponens.

36. *Instabis :* Ordinatio ista reddit cogitationem cordis in se proportionatam speciei Angeli, sicut quando aliquod objectum de novo fit in universo; ergo reddit illam cogitationem patentem intuitive ipsi Angelo : ergo non per locutionem manifestam. — Patet consequentia : quia locutio solum manifestat rem locutam obscure, et in vi dicentis, et per fidem; manifestatio ergo illa per ordinationem cogitationis, quæ ipsam in se manifestat, repugnat locutioni, quæ solum manifestat rem per fidem et in auctoritate dicentis.

37. *Respondetur :* aliud esse loqui de manifestatione cogitationis, aliud de manifestatione rei cogitatæ, seu conceptûs objectivi. Cogitatio ipsa evidenter manifestatur, neque hoc est contra locutionem : nam verba ipsa seu voces nos vere loquimur, et illas evidenter manifestamus, non res per voces significatas, neque conceptus. Angelus autem caret vocibus, et loco earum manifestat conceptus evidenter; res autem cogitatas manifestat prout in conceptibus sunt. Et quia conceptus, licet sint signa naturalia, non tamen sunt semper adæquata objectis et vera, ideo non evidenter manifestant objecta, sed juxta modum concipientis.

38. Quantum vero in hoc modo dicendi servetur secretum in Angelis, ex supra * dictis manifestum est. Nam in primis nihil producitur, sive in Angelo loquente sive in audiente, quod sit signum vel qualitas omnibus nota. Deinde ipsa conceptûs ordinatio et voluntatis motio, per quas cogitatio ipsa et repræsentatum in illâ incipit pertinere ad alterum et sic redditur ei cognoscibile, solum pertinet ad illum ad quem

* nn. 22-3; 26-9; 31-5

ordinatur, et non ad alios. Respectu ergo aliorum remanet occultum : si quidem in tantum est ei cognoscibile in quantum ad eum pertinet, et non aliter. Cum ergo solum pertineat ad illum vel illos ad quos ordinatur, solum illis manifestatur; quoad reliquos manet secretum et occultum. — An vero requiratur conceptus reflexus supra volitionem qua quis vult rem aliquam manifestari, ita ut sit ipsa locutio de objecto ut volito manifestari, vel quomodo ista ordinatio fiat, commodius in solutione argumentorum dicetur *.

* infra, n. 42-44

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

** n. 6, *Sed patitur*

39. PRIMO ARGUITUR DIFFICULTATIBUS SUPRA * POSITIS referendo istam sententiam D. Thomæ : Quia videlicet ipsa ordinatio, qua ordinatur conceptus loquentis ad audientem, est in se actus liber; ergo est occultus Angelo audienti; ergo, per hoc præcise quod detur talis ordinatio, non manifestatur secretum cordis. — Similiter, per ipsam ordinationem positam in intellectu Angeli loquentis, non potest fieri excitatio in intellectu Angeli audientis : quia nihil in illo ponitur de novo; excitatio autem non fit sine mutatione ejus qui excitatur. Istæ sunt difficultates supra positæ.

40. *Confirmatur :* quia ordinatio illa, qua Angelus ordinat suum conceptum ad alium, nihil reale ponit in tali conceptu, quod antea non habebat, sed solam extrinsecam denominationem ortam ex actu voluntatis ordinante; ergo, si ante ille conceptus non erat notus Angelo audienti, neque postea manifestus erit : quia sola extrinseca denominatio non ponit aliquid quo manifestetur id quod ex naturâ suâ occultum est. — Denique, posset Angelus unicâ locutione loqui ad infinitos Angelos sine termino, per hoc solum quod ad omnes ordinaret conceptum suum.

41. RESPONDETUR AD PRIMAM DIFFICULTATEM, quod illa ordinatio, seu conceptus sic ordinans ad alterum, licet sit liber quoad exercitium et usum quo fit, tamen libertas non tollit quod sit manifestus alteri, quando, ex modo quo fit, procedit ab ipso loquente tamquam pertinens ad alterum, et ut communicatus illi; et sic, cum voluntas facit talem ordinationem, hoc ipso vult non uti jure suo ad continendum et occultandum actum suum. Sed, ordinando ipsum ad alium, hoc ipso dat illi jus super istum actum : quia producit illum tamquam aliquid de pertinentibus ad illum in quem ordinat, et consequenter relinquit illum actum ut debitum cognosci a tali Angelo; et consequenter manet intra sphæram et latitudinem objecti cognoscibilis ab illo. Sicut, hoc ipso quod res aliqua producitur et ponitur extra futuritionem, redditur intelligibilis ab Angelo : quia est objectum pertinens ad universum, et sic pertinens ad sphæram suæ cognoscibilitatis.

42. *Nec est necesse ad hoc ponere actum reflexum* proprie et in rigore loquendo, sicut requirit Arrubal (disp. 178, c. 3 *), ita quod ad locutionem Angeli concurrant tres actus : primo, conceptus absolutus de aliqua re, v. g. de homine, vel de lapide in mente Angeli; secundo, volitio manifestandi illum conceptum; tertio, conceptus alius reflexus qui complectitur illam priorem cognitionem, et volitionem manifestandi illam. Et sic iste tertius conceptus, qui est proprie locutio, habet pro objecto conceptum priorem ut volitum manifestari. Et de hoc habet quilibet Angelus speciem naturalem a principio sibi congenitam, qua repræsentatur sibi secretum cordis ut volitum manifestari, non autem secretum cordis absolute : de hoc enim non datur species in Angelo, sed de illo ut volito manifestari.

43. *Suspecta tamen mihi est tota ista reflexio,* nec in compendium venit iste circuitus, sed in dispendium. Etenim si Angelus habet a principio speciem congenitam secreti cordis ut voliti manifestari, vel potest ab initio uti tali specie, vel non. — Si potest uti : ergo ab initio cognoscit omnia secreta cordis volita sibi manifestari; quod est absurdum : sic enim jam cognosceret Angelus secretum quod cras erit volitum manifestari. — Si impeditur uti illâ : ergo aliquid requiritur quo tollatur istud impedimentum, nempe quod ipsa positio et exsistentia volitionis detur, quâ positâ species illa repræsentet secretum cordis ut volitum manifestari. Si ergo sola positio et exsistentia volitionis reddit speciem illam expeditam ut possit Angelus audiens cognoscere tale secretum, eodem modo dicemus quod positâ ordinatione, quâ iste conceptus ordinatur ad alium, species quæ est in Angelo audiente repræsentabit secretum cordis, etiamsi non fiat illa reflexio repræsentandi secretum ut volitum manifestari, sed solum ponatur illud exercitium ordinandi istum conceptum ad alium : quia hoc ipso talis conceptus sic ordinatus redditur perti-

nens ad alium, et consequenter cognoscibilis ab ipso.

44. Quare non dubitamus requiri voluntatem ordinandi conceptum unius ad alterum, ut ille manifestetur alteri, ut expresse docet D. Thomas (in hac q. 107, a. 1, et aliis locis supra * citatis); sed sufficit præsupponi istam voluntatem ut principium movens ad manifestandum alteri conceptum suum, et ut ordinetur ad ipsum. Quod vero etiam requiratur quod repræsentetur tamquam objectum ipsa voluntas manifestandi, ita quod solum possit repræsentari objectum seu secretum cordis ut volitum manifestari, ego non video necessarium, sed omnino superfluum. Nam etiam apud nos, quando volumus loqui, non oportet quod ad singulas clausulas repetatur per reflexionem hoc esse volitum manifestari : id enim judicaretur omnino puerile et barbarum. Inconveniens autem est dicere Angelos non esse politioris locutionis quam nos, sed indigere pro singulis objectis quæ manifestant addere illam reflexam, « in quantum volitum manifestari. » Quare non est necessaria reflexa illa cognitio ad locutionem, quæ potius reddit illam minus politam, et morosam; sed sufficit ipso actu directo et exercito velle ordinare tales conceptus ad alium, ut hoc ipso intelligatur quod voluntarie sunt ordinati ad ipsum. — Quæ vero species sint in Angelo audiente ad repræsentandum sibi ista secreta cordis alterius, positâ ordinatione illâ quæ antea non repræsentabatur, jam supra * insinuavimus ex D. Thoma, et iterum in solutione sequentis argumenti explicamus **.

* nn. 23, 27-8; cf. n. 33

* nn. 22-3; 26; 28-9; 31-3
** infra, n. 45-6 50, 55
† supra, n. 39, *Similiter*

45. *Ad secundam difficultatem* †, de excitatione audientis ad attendendum : *In primis dicimus,* Angelum eo modo excitari ad cognoscendum et attendendum ad locutionem sibi de novo factam ab alio Angelo, sicut excitatur ad attendendum et cognoscendum individua quæ de novo fiunt in toto mundo. Excitatur enim Angelus ad attendendum quæ animalia nascantur modo in mundo, qui pisces in mari, qui lapides vel metalla in terra; et sic de reliquis individuis, præsertim contingentibus, quæ antea non cognoscebat. Excitatur, inquam, Angelus non per impressionem aliquam vel motionem objectorum erga se, sed per ipsam actualem cognitionem sui, quam semper habet; et videndo se videt species quas habet in intellectu, et determinationem quæ in eis resultat erga objecta quæ de novo fiunt : quam, ut supra tradidimus (disp. 22 *), existimo non solum resultare per modum relationis ex ipsâ objecti positione, sed ab ipsis ideis divinis derivari ex vi prioris infusionis specierum. Eodem ergo modo, cum Angelus habet speciem repræsentantem naturam, potentias et actus alterius Angeli quantum ad specificam rationem suam, per talem speciem repræsentativam attendit Angelus ad locutionem quæ de novo fit et ad se dirigitur, per hoc quod illa species sua determinatur ad hoc individuum conceptûs alterius, quando ponitur in rerum natura erga se.

* nunc disp. 42, a. 2, n. 25-32, (p. 644-7)

46. Sicut enim determinatur et excitatur per speciem leonis ad cognoscendum leunculum, qui in isto instanti nascitur in Africa vel in Asia, nec indiget aliâ actione excitativâ quam ipsâ determinatione speciei erga talem leunculum de novo productum : ita similiter, si unus Angelus habet speciem alterius, v. g. Gabrielis, repræsentantem sibi intellectum illius et omnes actus ejus sicut et reliqua accidentia ejus, quantum ad suam naturam et quidditatem, determinatur et excitatur ad cognoscendum istum conceptum in particulari, qui modo de novo producitur, non per aliquam impressionem Angeli loquentis erga se, sed per ipsam determinationem speciei quæ est in Angelo audiente de natura et conceptibus talis Angeli : quæ naturaliter determinatur ad quæcumque individua quæ de novo fiunt in illo genere conceptuum, sicut connaturaliter determinatur species leonis ab ideis divinis (quæ illam infuderunt) (1), ad repræsentandum quodcumque individuum leonis quod de novo nascatur. Et illa determinatio speciei quædam est excitatio. — Sed est differentia, quod species leonis et cujuscumque rei naturalis determinatur et excitatur per hoc præcise quod producatur et ponatur individuum illius in rerum natura; species autem cogitationum et actuum liberorum alterius Angeli non determinatur nec excitatur per hoc solum quod illi conceptus ponantur in rerum natura physice, sed per hoc quod ponantur etiam moraliter, id est, ut ordinati ad se et pertinentes ad se. Eo quod, propter moralitatem suam, non manifestantur per solam exsistentiam et productionem physicam sui in corde : quia per hoc solum non pertinent per se ad partes universi nec

(1) Ita corrigunt LP || MC *infunderunt.*

connexionem habent cum illis, sed solum per hoc quod ad alterum ordinantur et fiunt de pertinentibus ad eum.

47. *Sed instat aliquorum scrupulus :* Nam Angelus respectu rerum naturalium multa forte non attendit : quia, occupatus vel distractus circa aliquid, aliquando non attendit ad alia quæ fugiunt ejus obtutum; et hoc est inconveniens, quod in locutione Angelorum debemus vitare. Si enim Angelus velit loqui Angelo circa alia distracto, quomodo excitabit illum ad attendendum ad conceptum suum : quia, etiamsi sit ordinatus ad ipsum, non attendit ad illum? — *Sed respondetur,* quod respectu perspicaciæ Angeli rara sunt (et fortasse nulla) in naturalibus, quæ ejus advertentiam effugiant, propter expeditissimum modum intelligendi quem habet; et multo minus effugiunt in moralibus et liberis, quæ ad se diriguntur : quia hæc multo majori conatu et advertentiâ Angeli attendunt, utpote majora et nobiliora. Quod si aliquando Angelo valde distracto et occupato circa alia alius Angelus loquatur, et ille non attendat, sed effugiat ejus advertentiam illa locutio, quid inconveniens habet, quod aliquas locutiones ad se factas aliquis Angelus non attendat? cum inter nos sic quotidie contingat, quod valde distractis vel occupatis nobis aliquis loquatur, et quod non attendamus nec excitemur. Nullum ergo inconveniens est quod, etiam in politiâ Angelorum, alicujus locutionem alter non percipiat nec attendat, sed elabatur et perdatur illa locutio : quamvis hoc aut rarissime aut numquam accidat, propter perfectissimam perspicaciam angelici intellectûs ad attendendum ad omnia quæ ad se pertinent. Et in Angelis beatis numquam id accidit : quia in Verbo vident quidquid ad se pertinet.

48. *Quod si adhuc inquiras :* Si Angelo vel dæmoni loquenti (ut abstrahamus a beatis) incumbat necessitas ut audiatur vel percipiatur id quod loquitur, quibus utetur remediis, vel quomodo urgebit alterum, ut attendat? — *Respondetur :* hoc jam non pertinere ad modum excitationis, sed ad remedia excitandi ad hoc vel illud negotium. Et dico suppetere multa : sicut etiam apud nos, quando non facile possumus loqui alicui, quærimus varia remedia ut audiamur. Quæ multo facilius in Angelis adhibentur : quia si, ad momentum, forte non attendunt ad hoc vel illud objectum ad se pertinens, statim et facillime ad id convertuntur propter perspicaciam cognoscendi. — Poterit ergo, primo, id procurare per alios Angelos, quibus cognoscit familiarius alterum uti; nec est casus moraliter dabilis, quod nullus illorum attendat ad se. Sicut nos procuramus per alios homines loqui aliis; nec est casus ita facilis, quod nullus velit nos audire.

49. Secundo, potest accedere ad alterum Angelum, et aliquem motum vel impulsum exerceri circa illum, quo facto attendat ad se. Nam posse unum Angelum movere alterum aut impellere, extra omnem dubitationem est. Et constat ex illo (Tob. VIII, 3), ubi dicitur quod *Raphael Angelus apprehendit dæmonium, et religavit illud.* Et licet Angelus inferior non possit sic movere superiorem, poterit tamen saltem aliquem impulsum illi imprimere, seu aliquem actum exteriorem exercere, et sic efficere ut attendat ad se. — Tertio, potest orare Deum, ut excitet alterum Angelum ad attendendum sibi. — Quarto, si nihil horum velit efficere, non est inconveniens quod exspectet occasionem, qua alter Angelus ad se attendat, ipso interim perseverante in dirigendo conceptum suum ad illum; quod brevissime et facillime consequetur : quia Angeli non diu perseverant in non-attendendo ad omnia quæ ad se pertinent, eo quod actu in se vident species suas determinari ad ea quæ ad se pertinent.

50. *Ad confirmationem* * *respondetur,* quod, dato quod illa ordinatio voluntatis nihil reale ponat in conceptu, ut manifestus reddatur Angelo audienti, sufficit quod tollat impedimentum morale, ratione cujus occultabatur : quia erat sub jure et potestate alterius, et dependens ab ejus voluntate et dominio. Et sicut hoc dominium et hæc dependentia nihil ponebat in conceptu qui sub tali dominio erat, ita non mirum, quod, ut sit manifestus ille conceptus, sufficiat tolli aliquid extrinsecum : nempe quod consentiat talis voluntas, quæ habet illud dominium. — Secundo, dicitur quod etiam potest fieri aliquid reale in ipso conceptu : nam, suppositâ voluntate manifestandi, producitur de novo conceptus ordinans et disponens id quod alteri manifestandum est, et quod ab ipso dirigatur tamquam aliquid ad illum pertinens. Et hoc totum fit per actum realem et productionem realem conceptûs, qui cum tali ordine et habitudine ad alterum exprimitur; et hæc expressio et habitudo realis est : sicut actus

* supra, n. 40

imperii et actus orationis habitudinem realem habent erga personas ad quas sunt, licet nihil reale in personis ponant*. — Ad inconveniens autem, quod posset Angelus unâ locutione loqui infinitis : Dico non esse inconveniens quod loquatur omnibus quos velit, id est, ad quos velit pertinere talem locutionem : qui tamen numquam erunt infiniti in re, et categorematice loquendo non sunt dabiles infiniti Angeli.

* supra, n. 40, *Denique*

51. Secundo arguitur : Quia in hac sententia non potest salvari quod unus Angelus, loquendo, alterum decipiat eique mentiatur; quod tamen locutioni negari non potest, dicente Domino ad spiritum nequam (III Reg. xxii, 22) : *Decipies et prævalebis*; et ipse diabolus *pater mendacii** est. — Sequela vero probatur : quia nos non admittimus locutionem Angelorum fieri per signa, in quibus posset concipi fallax significatio, sed per ordinationem conceptûs ad alium. Conceptus ergo qui ordinatur ad alterum non potest non significare Angelo id quod est ille conceptus. Ergo respectu ejus conceptûs, quem significat, nullo modo decipit : quia repræsentat id quod ordinat ad alterum, et non aliud. Id autem quod ordinat vere repræsentat : quia vere ordinat ad ipsum, et in tantum repræsentat in quantum ordinat; ergo respectu hujus non decipit. Respectu autem cujuscumque alterius conceptûs non decipit, nec mentitur : quia alterum nec vere nec falso repræsentat : cum nec vere nec falso eum ordinet ad alterum. Ergo respectu nullius conceptûs decipit, aut falso significat.

* Joa., viii, 44

52. *Confirmatur :* quia Angelus nullius cogitationis liberæ alterius habet speciem propriam, et sibi debitam : quia cujus non est debita cognitio, neque species; ergo nec etiam habebit speciem repræsentantem sibi conceptum alterius ut ordinatum ad se, vel ut volitum manifestari sibi. Nam etiam hæc cogitatio seu ordinatio cogitationis, aut volitio, libera est : cur ergo istius solum ponitur species, nisi petendo principium? Hoc enim inquirimus : cur istius detur species in Angelo audiente. — Et, si datur, cur non potest illâ uti Angelus antequam sibi alter eam manifestare velit, et sic cognoscere omnes locutiones futuras?

53. *Confirmatur secundo ex Vazquez* :* quia conceptus non ordinatur ad alterum nec fit ei manifestus ex vi suæ expressionis et dictionis, sed ex vi voluntatis ordinantis; ergo formaliter non est actus intellectûs, sed voluntatis, locutio : quod aperte est falsum. — Denique, Angelus excitat hominem, et loquitur ei, per immutationem specierum ejus, et impressionem alicujus physici in phantasia et imaginatione : ergo et alterum Angelum.

* in I P., disp. 211, c. 8, n. 44; cf. supra, n. 34

54. Respondetur negando sequelam. — Ad probationem* dicitur : optime componi in hac sententia quod possit dari mendacium et deceptio in locutione Angelorum, nimirum si formet duplicem conceptum : unum quoad se, per quem cognoscit suos affectus et id quod habet in re, et hunc non dirigat ad alterum sed apud se retineat; alterum vero formet, in quo neget se tales affectus habere, vel talia cogitare aut velle aut accidere sicut in rei veritate habetur apud se, et hunc conceptum ordinet et dirigat ad alterum : tunc illum decipit, et illi mentitur. Similiter, circa res supernaturales aut futuras, vel quæ latent alium Angelum, potest eum decipere narrando id quod a parte rei non datur. Circa res vero naturales, quas alter cognoscit, non potest ipsum decipere : quia alter comprehensive illas cognoscit, et videt id quod est in re. Quare licet respectu illius conceptûs quem Angelus ordinat ad alterum præcise sumpti non possit dari mendacium, tamen respectu duplicis conceptûs seu affectûs, quorum unus se refert ad alium, quando non ita est in re, potest Angelus componere mendacium : aut etiam narrando, vel repræsentando per conceptum, id quod non ita est in re. Et quia conceptus sunt signa, naturalia quidem, sed fallibilia aut fallentia (quia non semper adæquate se habent ad objecta, ut in re), ideo, ut diximus supra*, res per illos conceptus non semper evidenter attinguntur ab audiente, sed per fidem obscuram et fallibilem.

* supra, n. 51, *Sequela vero*

* n. 37

55. *Ad primam confirmationem* respondetur* ex supra** dictis, quod cujuscumque conceptûs et secreti cordis alterius habet quilibet Angelus speciem repræsentativam ipsius, quantum ad quidditatem et naturam ejus : quia, ut dixit D. Thomas (q. 9 *de Verit.* a. 4 ad 11), per eamdem speciem innatam, per quam alium Angelum cognoscit, cognoscit omne quod in eo est et ad se ordinatur : et consequenter conceptus ejus, qui ab eo nascuntur et manifestantur, et aliquid illius sunt. Ceterum species, quæ sic repræsentat cogitationes alterius quoad essentiam et quidditatem earum (quæ secreta non est secundum se), non repræsentat eas prout

* supra, n. 52
** nn. 22, 28-9; 31-3; 45-6

in exercitio et in esse, quousque ponantur in rerum natura non solum physice sed etiam moraliter, ut supra* diximus : quia propter suam libertatem non sunt cognoscibiles ab altero Angelo, etiamsi physice producantur in se, quousque dirigantur ad ipsum tamquam pertinentes ad se : quod est quasi produci ipsi Angelo, id est, notificari. — Et illa ordinatio, licet etiam libera sit*, tamen per se est nota alteri, et ratio cognoscendi alia quæ ordinat ad ipsum : quia hoc ipso quod est ordinatio ad alterum, est manifestatio, et unum de pertinentibus ad illum. Et sic debetur illi cognitio ejus potius quam aliarum cogitationum : quia hoc ipso quod est pertinens ad illum, et aliæ non pertinent, illius cognitio est debita, non aliarum.

* n. 46

* cf. supra, n. 52, *Nam etiam*

56. *Ad secundam* confirmationem respondetur,* distinguendo antecedens : Conceptus non ordinatur ad alterum, neque est illi manifestus ex vi suæ expressionis, *distinguo :* ex vi suæ expressionis absolute factæ, et in ordine ad se tantum, *concedo;* ex vi suæ expressionis comparativæ, et ordinatæ ad alterum, *nego*. Ordinatio enim non fit formaliter per actum voluntatis, sed per actum intellectûs, qui proprie est collativus, et ordinativus de rebus; voluntas autem solum est principium movens per volitionem suam ut intellectus ordinet et disponat de rebus et conceptibus, sive in ordine ad se sive in ordine ad alterum. Quâ voluntate præsuppositâ intellectus exprimit et producit conceptum repræsentantem rem, non præcise et absolute, sicut in ordine ad se, sed cum ordine ad alterum, quatenus exprimit rem illam ut intimandam alteri, aut cum imperio, aut cum deprecatione, aut alio modo. Et illa habitudo exprimitur in conceptu, non quidem ut objectum reflexe cognitum* et in actu signato, sed ut exercitium cognoscentis et dirigentis; et sic locutio semper est actus intellectûs sic ordinative exprimentis, licet præsupponat actum voluntatis.

* supra, n. 53

* cf. supra, n. 42-44

57. Quod vero dicitur* de excitatione, qua Angelus excitat hominem : Respondetur homines non excitari nisi mediante sensu, a quo dependet omnis eorum cognitio. Unde oportet immutari sensum hominis ab Angelo, sive exteriorem sive interiorem, ut excitetur; sensus autem non immutatur ad cognoscendum, nisi per aliquam speciem quam accipit ab objectis, vel de novo in se formatur, aut in memoriam reducitur : quod sine aliqua immutatione corporali non fit. Quod totum secus accidit in Angelis, qui nec excitantur per sensus, nec excipiunt species ab objectis; et sic non possunt excitari sicut homines.

* supra, n. 53, *Denique*

58. *Postremo ex dictis colliges,* quomodo in locutione Angelorum nihil obstet distantia vel indistantia. Quia sicut unus Angelus potest cognoscere rem aliquam naturalem a quâcumque distantiâ, et ubicumque sit, eo quod non accipit species a rebus, nec ab ipsis earumve actione dependet ut moveatur ad cognoscendum : ita potest cognoscere locutionem et conceptum alterius Angeli, quantumcumque distans sit. Quia in hoc non movetur ab Angelo loquente, accipiendo ab eo speciem; sed per speciem quam in se habet de Angelo loquente, hoc ipso quod in loquente producitur conceptus ordinatus ad alterum, hoc ipso illum cognoscet : sicut cognoscit rem naturalem hoc ipso quod producitur physica (1) in rerum natura, ubicumque producatur. Unde distantia vel indistantia quoad hoc nihil operatur. — Similiter intelligitur quomodo in Angelis intelligatur lingua, nutus et signa, quibus loquuntur. Est enim lingua ipsa vis expressiva conceptuum erga alterum, ut dicit S. Thomas (in hac q. 107, a. 1 *). Nutus autem et signa sunt ipsi conceptus, et ordinatio eorum ad alterum, quatenus sic proponuntur, quod eodem modo cognoscibiles redduntur alteri sicut ipsa natura et substantia et potentia Angeli cui coordinatur; et tamquam aliquid illius cognoscitur hoc ipso quod dirigitur ad alterum, ut ad eum pertinens. Unde S. Thomas (quæst. 9 *de Verit.* a. 4 ad 12) dicit quod « nutus et signa hoc modo possunt in Angelis distingui, ut signum dicatur ipsa species, nutus autem ordinatio ad alium; sed possibilitas hæc faciendi dicitur lingua ».



(1) Sic omnes; id est : *producitur* [*res*] *physica* || Suspicamur tamen legendum : *producitur physice in...*

ARTICULUS II

Quid sit illuminatio in Angelis, et quibus conveniat.

1. Nomine illuminationis in Angelis intelligimus non simplicem locutionem, sed quæ manifestat alteri veritatem cum magisterio et doctrinâ, id est, taliter disponendo et coaptando illam pro captu alterius, quod ex vi talis propositionis possit eam percipere et intelligere : tunc enim est manifestatio quasi clarificans et illuminans alterius mentem ad percipiendam veritatem.

2. HANC ERGO ILLUMINATIONEM INTER ANGELOS DARI SUPPONIMUS contra Durandum, qui (in II, D. 11, q. 3) dicit omnes Angelos a Deo solo illuminari, licet illa illuminatio prius tangat unum Angelum quam alium. — *Ceterum dari talem illuminationem* in Angelis, ita ut unus vere alium doceat et illuminet, *aperte docet*
PG 3, 240 *S. Dionysius* (8° cap. *Cœlestis hierarchiæ*), probans quod Angeli secundæ hierarchiæ purgantur, illuminantur et perficiuntur ab Angelis primæ hierarchiæ. Et hoc communiter tenent omnes scholastici : quia doctrina Dionysii, in hac parte, firma habetur; ea enim, quæ de Angelis docuit, a D. Paulo et ab Apostolis videtur accepisse. — Nec Durandus absolute eam negavit; sed interpretatus est, quod Dionysius loquatur de illuminatione Angelorum quæ fit a solo Deo, mediantibus tamen Angelis : non mediatione causæ inter eos, quasi unus causet lumen in altero : sed mediatione consequentiæ, quatenus prius naturâ tangit unum quam alterum, quia unus est dignior altero.

3. Attamen Dionysii mentem hæc interpretatio non tangit, cui alii Patres subscribunt. Nam
PG 3, 181 A (c. 4 *Cœlestis hier.*) expresse docet quod « hæc lex a Deo sancita est, ut in unaquaque hierarchiâ et primi sint et medii et postremi ordines, inferiorumque superiores doctores sint, eisque quasi digito viam monstrent. » Et
PG 3, 205 C (cap. 7) dicit : « Cherubim plenum esse munerum, quæ sapientiam efficiant; eaque large copioseque communicat naturâ cum secundis, sapientiæ, quæ concessa est, effu-
PG 3, 240 D sione. » Ac denique (c. 8) : « Hoc, inquit, in universum divinâ præscriptione ac lege pro Dei dignitate sancitum est, ea quæ secunda sunt primorum procuratione participare divinis illustrationibus. » Hoc autem non potest explicari de illustratione, solum mediante consequentiâ, et non mediante causalitate : cum esse doctorem, efficere et communicare sapientiam, inferiores participare eam procuratione superiorum, manifestam causalitatem designet in docendo et illuminando. Idem tradit S. Athanasius (lib. de Communione similis essentiæ *), * c. 52; PG 28, 77
Damascenus (lib. II de Fide, c. 3 **), Bernardus ** PG 94, 872 A
(lib. V de Consideratione, c. 4 ***), aliique *** PL 182, 793 A
Patres.

4. *Certe ratio ipsa persuadet* quod, cum Angeli sint pure intellectuales et in perfectione intellectualitatis inæquales, unus alio subtilius altiusque intelligat; ergo poterit illas subtiliores intelligentias inferioribus manifestare, ut eas percipiant : hoc autem illustrare seu illuminare est. — Quomodo autem circa beatam visionem unus Angelus alium non illuminet, quia in hac *non docebit vir proximum suum* *, *nec civitas* * Jer. XXXI, 34
illa cælestis *indiget sole et lunâ, quia claritas Dei illuminat eam* **, sed solum quoad aliqua ** Apo. XXI, 23
quæ ad accidentalem beatitudinem spectant Angeli illuminari possint ab aliis : infra * * nn. 19, 23-4
expediemus.

5. Hoc ergo supposito, TRIA CIRCA ILLUMINATIONEM ANGELORUM DISCUSSIONE INDIGENT. Primum circa formam illuminationis, quomodo fiat. Secundum, circa materiam, de quibus fiat. Tertium circa personas, de quibus fiat, et a quibus. — Circa primum :

[QUOMODO FIAT ILLUMINATIO.]

6. **DICO PRIMO : Illuminatio non est actio aliqua physice influens et effective intra intellectum Angeli illuminati aliquod lumen vel speciem. Sed solum externe proponit objectum clarius et manifestius.** Habet tamen duo officia illuminatio Angeli sic externe proposita : alterum ex parte virtutis intellectivæ in Angelo illuminato, scilicet deter-

minare vel confortare illam erga talem veritatem; alterum ex parte speciei, scilicet proportionare illam objecto repræsentato, ut juxta suum modum talis veritas ibi reluceat.

7. *In hac conclusione eodem modo est disconvenientia* inter auctores, sicut circa locutionem* Angeli : illuminatio enim quædam locutio est, et solum addit, supra locutionem communem, quod fiat cum quodam magisterio et per modum docentis ab eo qui illuminat, seu veritatem minus cognitam explicat. — Unde illi qui tenent locutionem Angeli fieri per impressionem alicujus speciei in mente audientis, tenent etiam quod illuminatio fiat per impressionem speciei novæ in intellectu illuminati. Quam sententiam ex aliquibus antiquis, ut Scoti*, Occam (1), Gabrielis**, Ricardi*** et aliorum, sequitur Suarez (lib. VI de Angelis, c. 13†). — At vero Cajetanus (super hanc q. 106, a. 1) tenet quod illuminatio fit per solam externam propositionem objecti, non per physicam influentiam in intellectum Angeli illuminati. Quam sententiam sequitur Vazquez (hîc, disp. 216, c. 5), licet existimet sententiam Cajetani non esse ad sensum D. Thomæ. Et eamdem sententiam sequuntur communiter discipuli D. Thomæ; et ex antiquioribus Alensis*, Bonaventura**, Ægidius*** et alii; et ex recentioribus Arrubal†, Granados††, Turrianus et alii, quos citant et sequuntur Carmelitani Salmanticenses (disp. 14 de Angelis, dub 2†††).

* cf. supra, art. 1, n. 5-21

* II, D. 9, q. 2, nn. 15, 20 ** II, D. 9, q. 2, a. 3 et 4 *** II, D. 9, a. 2, q. 2 † nn. 11-12, 24-26

* II P., q. 38, memb. 3 ** II, D. 10, a. 2, q. 2; a. 3, q. 1, ad 5 *** II, D. 9, q. 1, a. 5 † disp. 173, c. 2 †† contr. 7, tract. 5, disp. 3, sect. 3 ††† n. 16

8. *Nos existimamus eamdem esse expressam sententiam D. Thomæ,* quod illuminatio fiat per propositionem objecti : ut docet (q. 9 *de Verit.* a. 1 ad 2) ubi inquit quod « ab Angelo illuminante non fit novum lumen naturæ vel gratiæ, nisi ut participatum. Cum enim omne quod intelligitur ex vi intellectualis luminis cognoscatur, ipsum cognitum in quantum hujusmodi includit intellectuale lumen ut participatum : ex cujus virtute habet intellectum confortare. Sicut patet quando magister tradit discipulo aliquod medium alicujus demonstrationis, in quo participatur lumen intellectûs agentis » : ubi patet nihil physicæ influentiæ, sed externæ propositionis, intervenire inter magistrum et discipulum. Et concludit D. Thomas, quod « non fit in Angelo illuminato novum lumen naturæ vel gratiæ; sed lumen, quod prius inerat, confortatur per lumen contentum in cognito percepto a superiori Angelo ». Lumen autem, quod diffunditur mediante ipso cognito sic percepto, non infunditur aut producitur effective et physice intra intellectum alterius Angeli : sed mediante objecto proposito illuminatio fit. Objectum autem propositum physice non influit in intellectum Angeli : quia non producit in eo species, sicut fit in sensibus.

9. Nec dissentit D. Thomas, sed hoc ipsum confirmat (in hac q. 106, a. 1 ad 2) ubi docet quod « unus Angelus non illuminat alium, tradendo ei lumen naturæ vel gratiæ vel gloriæ, sed confortando lumen naturale ipsius, et manifestando ei veritatem de his quæ pertinent ad statum naturæ et gratiæ et gloriæ, ut dictum est » (scilicet, in corpore articuli*). Quare duo illi effectus, quos ponit D. Thomas (in corpore art.) resultare ex illuminatione Angeli, semper veniunt intelligendi cum istâ restrictione positâ (in solutione ad 2) : scilicet, quod hoc fiat non tradendo aliquod lumen naturæ, gratiæ vel gloriæ; ergo non physice influendo, quia omnis physicus influxus in intellectum traditio luminis est. Quare Cajetanus juxta mentem S. Doctoris locutus est.

* I P. q. 106, a. 1

10. Prima ergo pars conclusionis constat ex his quæ de locutione Angelorum dicta sunt, quod non fiat per impressionem speciei in mente audientis : et quæ supra diximus (disp. 21*) agendo de infusione specierum in mentibus Angelorum, quod non possit fieri ab ullâ causâ quam a Deo immediate, ita quod non possit unus Angelus etiam sui speciem in alterius Angeli mente imprimere : ut ibi videri potest (art. 3, circa 3am conclusionem*). — Angelus enim non potest immutare physice ipsam potentiam intellectivam Angeli, reddendo illam perfectiorem et vivaciorem : quia potentia Angeli non est qualitas suscipiens magis et minus, sed est naturalis potestas tamquam propria passio ipsius naturæ, quæ in quâlibet naturâ angelicâ habet totam perfectionem illi naturæ debitam; et sic non potest augeri. Quod si posset, non hoc fieret ab altero Angelo, sed a suo creatore, qui solus potest intellectualem naturam immutare. — Similiter, non potest alter Angelus producere lumen, quod sit habitus in altero Angelo. Nam, vel ille habitus esset naturalis, vel supernaturalis. Naturali non utitur Angelus : quia habet potentiam intel-

* nunc disp. 41, a. 3, n. 22-57

* n. 26-57, (supra, p. 587-596)

(1) Allegatur quidem Occam in IIo *Sent.*, q. 20, licet (in 2a parte quæstionis) opinioni Scoti in multis contradicat.

lectivam perfectam in ordine ad naturalia; nec habitum acquirit, sicut nos, qui paulatim proficimus de imperfecto ad perfectum, et ipsâ assuetudine proficimus. Angelus autem non sic procedit, nec melioratur per assuefactionem habitûs. Et casu quo melioraretur, hoc acciperet per suam assuefactionem, qua acquireret habitum, non per alterius Angeli infusionem : qui non potest supplere assuefactionem, sicut Deus qui potest infundere scientiam alias acquisibilem.

11. Denique,* non potest Angelus imprimere species in intellectu alterius, sicut exigitur ad illuminationem : quia ad summum posset Angelus suimet speciem imprimere alteri Angelo, sicut quodlibet objectum imprimit speciem sui in potentiam cognoscitivam. Hâc autem non indiget alter Angelus ad illuminationem, cum a principio quilibet Angelus habeat species repræsentantes alios Angelos. De aliis autem rebus non potest unus Angelus infundere aliis species : quia vel illas continet Angelus ab initio, et sic non indiget sibi infundi; vel, casu quo non contineret, non posset alter Angelus eas infundere, quia non continet in se perfectiones nec ideas aliarum rerum ut posset aliarum similitudines imprimere. Nec habet vim intellectûs agentis ut possit ex objectis species elicere pro altero Angelo : essent enim illæ species valde imperfectæ, sicut sunt nostræ, quia per abstractionem ab objectis fiunt; et tunc convenientius quilibet Angelus haberet suum intellectum agentem, sicut habet anima nostra, quam unus Angelus respectu alterius haberet vim vel potestatem intellectûs agentis. Quare nullo modo apparet quod Angelus illuminans possit aliquid physice producere intra intellectum alterius. — Cui additur, quod unus Angelus non potest illabi intra alterius intellectum, ut est commune proloquium theologorum* : sed hoc est proprium Dei, qui ipsam naturam intellectivam propter suam perfectionem et universalitatem solus immutare potest, nec alteri agenti subjicitur. Ut autem Angelus effective operaretur intra mentem alterius, debebat illabi intra illam, et non solum esse illi propinquus vel indistans : ut citato loco (disp. 21*) ponderavimus.

* cf. supra, art. 1, n. 15

* nunc disp. 41, a. 3, n. 44-48 (supra, p. 592-3)

12. Secunda pars** conclusionis ex priori relinquitur manifesta. Quia si non potest Angelus illuminare alterum per efficientiam physicam luminis in illo, relinquitur quod solum fiat mediante propositione objecti clarius et illuminatius propositi : sicut magister, docens discipulum, illuminat illum per propositionem clariorem objecti. Unde fit quod, si quæramus agens physicum et effectivum illius majoris illuminationis, quæ datur ex parte Angeli illuminati, erit ejus intellectiva vis : quæ ad propositionem objecti magis illuminati et propositi ab Angelo loquente, qui loquendo illuminat inferiorem, producit efficaciorem et perfectiorem actum circa talem veritatem. Ex parte autem Angeli illuminantis vis effectiva illuminationis est ejus intellectus producens conceptum repræsentativum veritatis, quam ordinat et dirigit ad Angelum inferiorem, sic disponendo et coaptando illam juxta quod est capax intellectus inferioris ad percipiendum. Et ita objectum propositum, ex quo illuminatur Angelus inferior, relucet et exprimitur in conceptu Angeli illuminantis : ad quem respiciens inferior, tamquam ad conceptum directum ad se, juxta modum illius elicit conceptum suum; et hoc est illuminari et perfici ab illo. — Quod autem ista propositio veritatis illuminatæ habeat illos duos effectus in mente Angeli inferioris, scilicet confortare virtutem intellectivam, et speciem repræsentativam proportionare et perficere in ordine ad tale objectum vivaciori et distinctiori modo repræsentandum, melius ex solutione* sequentis objectionis percipietur.

** supra, n. 6, *Sed solum*

* infra, n. 14-18

[*Difficultates solvuntur.*]

13. Objicies : D. Thomam (in ista q. 107**, a. 1) dicere quod unus Angelus illuminat alterum secundum duo. Primo, fortificando virtutem ejus intellectivam, sicut corpus minus calidum ex propinquitate ad magis calidum perficitur in calore. Secundo, ex parte similitudinis, quatenus Angelus superior notitiam veritatis, quam in universali accipit, distinguit juxta capacitatem inferioris. Ergo Angelus non solum illuminat proponendo objecta, sed etiam influendo active in ipsam virtutem intellectivam : si quidem illuminatio, quæ fit mediante propositione objecti, solum pertinet ad illuminationem ex parte speciei : quia ipsa est quæ repræsentat objectum. Ergo illa alia confortatio ex parte virtutis intellectivæ, condistincta ab ista quæ tenet se ex parte speciei, influentia physica est. — Et hæc mens D. Thomæ fit magis manifesta, ex his quæ docet infra (q. 117, a. 1) : ubi loquens de modo, quo

** rectius : I P. q. 106, a. 1

I P. q. 117, a. 1

magister illuminat discipulum inter homines, dicit quod « magister confortat intellectum addiscentis, non quidem aliquâ virtute activâ, quasi superioris naturæ, sicut supra dictum est de Angelis illuminantibus : quia omnes humani intellectus sunt unius gradûs in ordine naturæ; sed in quantum proponit discipulo ordinem principiorum ad conclusiones, etc. ». Ergo sentit quod illuminatio Angeli, quia est superioris naturæ, non fit per solam propositionem objecti (sicut apud homines), sed etiam per aliquam actionem physicam, seu activitatem naturæ superioris in inferiora.

14. RESPONDETUR : Utrumque illud munus, et confortationis intellectivæ virtutis, et illustrationis repræsentativæ ex parte speciei, fieri ab Angelo non per effectivam influentiam intra intellectum, sed per repræsentationem et propositionem objecti : in qua et melior repræsentatio objecti fit, et efficacia virtutis intelligentis exprimitur, quâ perceptâ inferior intellectus confortatur. Quod enim hæc confortatio non fiat tradendo lumen naturæ aut gratiæ inferiori Angelo, S. Doctor expresse docet (in hac q. 106, a. 1 ad 2). Et iterum (q. 12 *de Verit.* a. 8 ad 4) dicit quod « Angelus neque lumen in intellectu humano creat, neque species in vi imaginativâ; sed operatione Angeli lumen naturæ in intellectu humano divinitus confortatur; et, secundum hoc, hominem Angelus illuminare dicitur ». Manifeste ergo distinguit confortationem luminis naturalis ab impressione specierum et creatione luminis, quod pertinet ad influentiam physicam. Et quod hoc fiat ab Angelo per medium repræsentatum et oblatum inferiori Angelo, docet expresse S. Thomas (in II, D. 9, q. 1, a. 2 ad 2) dicens quod « confusio intellectûs est in hoc, quod est in potentiâ respectu plurium; per lumen ergo receptum a Deo, mediante superiori Angelo, liberatur intellectus angelicus ab hac dissimilitudinis confusione, in quantum terminatur ad unum, cui fortius inhæret quanto magis medium cognitionis efficax est : sicut patet in eo, qui nescit quam partem contradictionis eligat, sed invento medio probabili magis ad unam flectitur, sed addito medio demonstrativo magis firmatur in illo ». Ecce quomodo S. Thomas ponit totam confortationem luminis angelici ex parte medii confortantis, id est, tollentis confusionem quæ erat in Angelo, non ex parte infusionis novi luminis vel productionis speciei.

I P. q. 106, a. 1, ad 2

15. Itaque Angelus illuminans in aliquo convenit cum homine docente, in aliquo excedit. Convenit quidem quantum ad hoc quod est proponere objectum melius dispositum exteriori propositione, et non intra intellectum operando, vel tradendo aut imprimendo lumen vel species effective. Excedit in hoc quod medium illud seu objectum propositum ab Angelo illuminante, cum sit superioris naturæ et elevatioris intellectûs, etiam in modo operandi inferiorem intellectum elevat : ita ut aliquando quasi rapiatur extra se ille qui illuminatur, et ad modum superioris intellectûs illuminantis exerceat operationem suam. Unde aliquando videmus quod homines in excessu mentis rapiuntur, et cum abstractione a sensibus operantur : qui modus operandi provenit ex efficaciâ propositionis objecti factâ a superiori virtute, sive a Deo sive ab Angelo, qui per efficaciam ipsius objecti propositi etiam modum operandi intellectûs inferioris immutant. Quod non potest facere unus homo respectu alterius, quando ipsum docet : quia non est superioris naturæ respectu alterius hominis. Angelus autem quia superioris naturæ est respectu hominis, et quilibet Angelus superior respectu inferioris, ideo propositio objecti facta a superiori Angelo non solum habet vim repræsentandi objectum meliori modo, distinguendo et coaptando illud juxta captum inferioris (quod pertinet ad perfectionem ex parte repræsentationis speciei) : sed etiam sua efficacia trahit et quasi rapit intellectum inferioris, ut feratur majori conatu in rem propositam circa quam illuminatur, et juxta modum intelligendi superioris Angeli; et hoc est confortare intellectum inferiorem ex parte virtutis intellectivæ, id est, ex parte ipsius modi intelligendi, et non solum ex parte repræsentationis. Quod tamen non facit Angelus superior physice infundendo vel immutando lumen naturale, sed proponendo objectum cum tantâ efficaciâ, ut ad suum modum assimilet et trahat inferiorem. Quod tamen recte negat D. Thomas homini docenti seu illuminanti (in q. 117) : quia homo in docendo non potest immutare modum cognoscendi alterius hominis, cum non sit superioris naturæ respectu alterius hominis. I P. q. 117, a. 1

16. *Et cum D. Thomas dicit,* hanc confortationem fieri « virtute activâ » Angeli illuminantis : — *Dicimus verum esse* fieri virtute activâ, non efficiente et immutante interius ipsum lumen, I P. q. 117, a. 1, in fine corporis

sed exterius efficaciam ipsam sui modi intelligendi repræsentante et proponente in objecto, ita ut mediante ipsâ propositione trahatur intellectus inferior ad modum intelligendi superiorem. Quod D. Thomas expressit (in II, D. 9, q. 1, a. 2 ad 4) ubi inquit : « Dupliciter dicitur aliquis docere : vel sicut proponens intelligibile, vel sicut præbens lumen ad intelligendum. Hoc autem lumen est duplex. Unum intrinsecum vel connaturale intellectui : cui similatur lumen quod est de compositione oculi; et per collationem hujus luminis solus Deus docere dicitur. Secundum lumen est superveniens ad confortationem naturalis luminis : cui similatur in visu corporali lumen solis vel candelæ; et sic potest Angelus alium Angelum, vel etiam hominem, illuminare ad aliquid cognoscendum. Non autem homo sic docere potest : cum in eo lumen intellectuale debilissime recipiatur. » Sic ergo tria possumus in illuminatione considerare. Unum est repræsentatio vivacior ex parte speciei. Aliud est lumen exterius tangens potentiam : quod tamen confortare illam dicitur, saltem quoad modum operandi. Tertium est lumen interius, sive sit ipsa vis potentiæ, sive habitus superadditus. Hoc tertio modo Angelus non illuminat, physice tradendo lumen, vel naturale quod est potentiæ, I P. q. 106, a. 1, ad 2 vel habituale quod gratiæ : ut dicit D. Thomas (hîc, ad 2). Secundo et primo [1] modo potest Angelus illuminare; homo autem solum primo [2] modo, ita proponendo objectum, quod non confortet lumen intellectuale sicut lux solis confortat lumen oculorum. Angelus autem per propositionem objecti utrumque facit : et speciem disponit, et virtutem intellectivam in modo operandi confortat, sed extrinsecâ propositione luminis seu objecti illuminati, non intrinsecâ influentiâ.

17. *Quod si quæras,* quod producat Angelus superior illuminans in tali illuminatione; aut quomodo sit principale agens in illuminando, si nihil recipit passum ab ipso, scilicet intellectus inferior. Si enim per illam illuminationem Angelus superior solum tradit instrumenta, quibus Angelus inferior utatur ad perfectiorem cognitionem, sequitur quod principale agens in tali illuminatione erit Angelus inferior, qui producit effective intellectionem illam magis perfectam et illuminatam proposito medio superioris Angeli illuminantis : sicut in curatione infirmi principalius operatur natura, quam ars quæ præbet medicinam. — Denique, quomodo potest excitari Angelus inferior ad aliquid quod antea ignorabat, nisi per productionem alicujus speciei vel luminis?

18. *Respondetur :* per illuminationem Angeli superioris non produci aliquid physice ab ipso in intellectu inferioris, sed solum in suo proprio intellectu : in quo producitur conceptus ordinatus et directus ad inferiorem, qui objective (non physice) influit in intellectum inferiorem, non solum perfectiorem repræsentationem, sed etiam efficaciorem modum operandi, taliter quod trahat ipsum et elevet ad altiorem modum operandi. — Neque ex hoc sequitur * quod Angelus inferior sit principale agens in illuminando, licet sit principale et physicum agens in eliciendo intellectionem suam. Sicut natura est principale agens in reparandâ sanitate; sed tamen in adjuvandâ naturâ, quod proprie est curare, principalius se habet ars medicinæ. Sic, in adjuvando intellectum inferiorem, principalius se habet Angelus illuminans : quia illuminatio supponit pro ipsâ adjutione, non pro elicientiâ intellectionis Angeli adjuti. Et ad hoc adjutorium passive se habet intellectus inferior; superior vero Angelus, qui illuminat, active se habet : non efficienter et physice influendo intra intellectum, sed objective, id est, illuminando et proponendo objecta, ut explicatum est *. — Quod vero dicitur ** de excitatione, satis dictum est (præcedenti art. ***) quomodo fiat ista excitatio sine physicâ impressione speciei in intellectu alterius.

* cf. supra, n. 17, *Si enim*

* supra, n. 14-16
** supra, n. 17, *Denique*
*** supra, art. 1, nn. 26-29, 31-35, 45-49

MATERIA CIRCA QUAM FIAT ILLUMINATIO.

19. **DICO SECUNDO : Materia, de qua illuminantur Angeli, potest esse in his quæ pertinent ad ordinem naturæ, gratiæ et gloriæ; frequentius tamen illuminatio fit de mysteriis supernaturalibus per revelationes factas extra Verbum.** — *Docet hanc conclusionem S. Thomas* (in hac q. 106, a. 1 ad 2) I P. q. 106, a. 1, ad 2 dicens quod « Angelus illuminat alium, manifestando ei veritatem de his quæ pertinent ad statum naturæ, gratiæ et gloriæ ». Et (in II, D. 9, q. 1, a. 7 ad 4) inquit quod « in pura natura daretur illuminatio et perfectio, licet non complete ». — Secundam vero partem conclusionis docet D. Thomas (eadem q. 106, a. 1 ad 1) I P. q. 106, a. 1, ad 1

[1] Omnes : *Secundo et tertio modo...* : mendose, ut patet.

[2] Mendose omnes : *solum tertio modo.*

ubi inquit quod « superior Angelus plura in Deo de rationibus divinorum operum cognoscit, quam inferior, et de his eum illuminat ».

20. DUO TAMEN OPORTET EXPLICARE circa hanc conclusionem. — *Primum :* quomodo in naturalibus possit dari illuminatio. Si quidem quilibet Angelus comprehendit omnes res naturales a principio; ergo non potest crescere in illuminationes neque illuminari circa illa. Unde I P. q. 109, a. 3, ad 2 S. Thomas infra (q. 109, a. 3 ad 2) inquit quod « secundum ea, quæ pertinent ad naturalem cognitionem, non est necessaria manifestatio veritatis, neque in Angelis neque in dæmonibus : quia hæc omnia cognoverunt a principio ». — *Secundum est :* quia ea, quæ Angelus videt in Verbo, cognoscit per visionem beatam. In hac autem non potest Angelus inferior proficere et illuminari : quia est immutabilis illa visio. Ergo oportet quod extra Verbum illuminetur.

21. *Ex hoc autem sequitur duplex inconveniens.* — Primum : quia Angelus inferior cognoscit, per suam scientiam infusam, gratiam alterius Angeli et visionem beatam illius; ergo cognoscit omnia ad quæ talis visio se extendit, sicut cognitâ virtute aliquâ vel potentiâ cognoscit omnia ad quæ talis virtus se extendit; ergo non est necesse illuminari Angelum inferiorem de his, ad quæ se extendit scientia beata superioris Angeli. — Alterum inconveniens est : quia oportebit Angelo inferiori infundi speciem supernaturalem repræsentantem clare rem ipsam supernaturalem. Alias, si solum videt conceptum Angeli superioris illuminantis, sequitur quod Angelus inferior solum cognoscat rem illam in fide, et auctoritate dicentis, non clare et in se. Si vero illi infunditur species supernaturalis clara, non indiget illuminatione superioris : cum totum sibi repræsentetur in specie.

* cf. supra, n. 20, *Primum* 22. AD PRIMUM * RESPONDETUR, quod in ordine naturæ comprehendit quilibet Angelus omnes quidditates rerum exsistentes, secundum quod dependent a causis naturalibus, præsertim si sint inferiores ipsi Angelo. De his autem quæ pendent a causis pure contingentibus, etiam in statu naturali, vel ex aliquo speciali Dei beneficio fiunt, aut ab Angelis superioribus administrantur, etiamsi pure naturalia sint, non plene comprehendunt Angeli inferiores; et de his possunt illuminari a superioribus, ut admittit * supra, n. 19 D. Thomas (Dist. illa 9 citata *). Circa cognitionem vero naturalem priori modo sumptam, id est, de quidditatibus rerum, et de exsistentibus in hoc universo secundum dependentiam a causis naturalibus inferioribus, non illuminantur Angeli; et sic loquitur in quæst. 109 citata *. * supra, n. 20

23. *Ad secundum*** *respondetur,* quod in ipsâ visione beatâ non potest fieri illuminatio ab aliquâ creaturâ : quia illa visio non potest crescere, cum sit finis ultimus immutabilis et æternus. Sed de his quæ videntur in Deo, et quorum rationes Angelus cognoscit in ipso, potest illuminare Angelum qui illas non videt : ut S. Thomas docet (in hac q. 106, a. 1 ad 1). Ad hoc autem necesse est, quod Angelus videns Deum formet species aliquas extra visionem beatam, vel potius infundantur sibi : per quas in proprio genere cognoscit, et extra Verbum, creaturas illas seu rationes quas in ipso Verbo per visionem beatam cognoscebat; quas species relictas ex visione Dei agnoscit S. Thomas (q. 12, a. 9 ad 2; et II-II, q. 175, a. 4 ad 3). Et necesse est eas admittere : tum quia non possent beati communicare ea quæ vident in Verbo, nisi per cognitionem extra Verbum : quia in ipsâ visione beatâ non possunt magis aut minus cognoscere, quia illa visio non admittit mutationem. Tum quia Paulus, qui in sententia D. Thomæ * vidit divinam essentiam, postea recordabatur se audiisse *arcana verba, quæ non licet homini loqui*** : quod sine speciebus extra Verbum esse non poterat. Quare per istas species, et per istam cognitionem quam habent Angeli extra Verbum, illuminant alios de his quæ in Verbo cognoscunt.

** cf. supra, n. 20, *Secundum*

I P. q. 106, a. 1, ad 1

I P. q. 12, a. 9, ad 2

* II-II, q. 175, a. 3-6; I P. q. 12, a. 9, ad 2; q. 13 *de Ver.*, a. 2; in II Cor. XII, lect. 1

** II Cor. XII, 4

24. *Ad inconvenientia autem,* quæ inferuntur contra hoc, *Dicitur ad primum**, quod unus Angelus cognoscit visionem beatificam alterius, præsertim superioris, essentialiter et quidditative; non tamen est necesse quod attingat comprehensive, quoad omnia et singula ad quæ se extendit. Sed sufficit quod cognoscat visionem illam esse superiorem suâ, et ad plura se extendere : non tamen oportet quod cognoscat quantum, et ad quæ se extendat in particulari. — Et ratio hujus est : quia de rebus supernaturalibus non est debitum Angelo inferiori quod comprehendat ea quæ pertinent ad superiores, vel etiam ad alios Angelos : cum etiam naturas superiorum probabile sit quod non comprehendant (1). Est autem certum quod nullum ita * supra, n. 21

(1) Ita MP, tolerabiter, si subauditur : [*inferiores*] ‖ Commodius legunt LC *comprehendat*.

comprehendant, quod cogitationes cordis in eo vident. Ergo multo minus vident in particulari quid attingat visio beata alterius : cum, in eâ, etiam secreta proprii cordis unusquisque attingat. Et sic negamus quod comprehensive in particulari attingat unus Angelus visionem beatam alterius : quæ multo secretiores res attingit, quam cogitationes cordis.

* supra, n. 21, *Alterum*

25. *Ad secundum** *inconveniens, P. Suarez* (lib. VI de Angelis, c. 14, n. 24) *putat* quod, quando Angelus superior illuminat inferiorem, solum illi ostendit veritatem in vi testificationis evidentis. — *Sed hoc tenendum non est :* quia testificatio illa, etiamsi sit evidens in ipsâ ratione testificationis, compatitur cum fide de ipsâ re, nec demonstrat illam quidditative, sed solum quoad *an est*, utpote in auctoritate dicentis. Sed dicendum est, quod Angelus inferior etiam habet species de rebus illis supernaturalibus extra Verbum sibi infusas, aut ex vi ipsius visionis relictas. Sed tamen istæ [1] species in inferioribus Angelis sunt minus perfectæ quam in superioribus, ideoque non tot veritates demonstrant, vel non cum tantâ determinatione et distinctione sicut species superiorum. Et ideo ista confusio et indistinctio debet determinari per illuminationem Angeli superioris : ut D. Thomas loquitur (in II, D. 9, q. 1, a. 2 ad 2). — Nec est inconveniens, quod etiam in supernaturalibus species et lumen possit a superiori confortari per propositionem medii, sed non physice infundi.

26. **DICO ULTIMO : Angeli inferiores non illuminant superiores. Neque dæmones, etiamsi sint superiores, illuminant aliquos.** — Prima pars asseritur a D. Thoma (q. 106, a. 3). — Secunda vero, q. 109, a. 3.

I P. q. 106, a. 3

I P. q. 109, a. 3

27. RATIO PRIMÆ PARTIS EST : Quia, licet inferiores possint loqui superioribus, et illis manifestare conceptus qui naturaliter sunt ignoti, non tamen id faciunt per modum docendi, id est, proportionando illis species, et confortando lumen, et distinctius rem proponendo seu perfectius : quia inferiores sunt et luminis imperfectioris; cum tamen hoc requiratur ad illuminationem, ut ostensum est*.

* supra, nn. 6-7, 12-18

28. RATIO SECUNDÆ PARTIS EST : Quia, licet aliqui dæmones clarius percipiant veritatem quam inferiores, non tamen illam ordinant sub Deo, a quo est omnis lux, sed ad suam nequitiam retorquent; et ita non illuminant, sed obtenebrant. Unde hoc est certissimum signum spiritûs mali, si, quando loquitur homini, relinquit illum in aliqua confusione, et non ordinatum ad Deum.

29. *Et adverte,* quod illuminationes Angelorum non est necesse quod semper descendant ad inferiores per omnes intermedios : cum constet posse unum Angelum simul multis loqui, et (si superior sit) eos illuminare, et non unum mediante alio : quia immediate omnibus loquitur. Sed tamen si aliquando ex dispensatione Dei manifestant Angeli superiores Angelo infimo, quod non aliis intermediis, ille infimus non poterit illuminare superiores intermedios de illâ veritate : quia non potest, respectu superiorum, modo magisteriali et docendo veritatem manifestare, sed solum simplici locutione proponendo. Si enim Deus velit quod talis Angelus intermedius illam veritatem sciat, etiam providebit ut a superiori Angelo illuminetur, et non ab inferiori. Unde numquam datur casus quod ab inferiori illuminetur superior, ut dicit S. Thomas (in hac q. 106, a. 3) : licet aliquando reveletur aliquid inferiori in secreto, quod non intermedio. I P. q. 106, a. 3

30. Et hæc sufficiant pro tota ista materia de Angelis, ad laudem et gloriam Salvatoris nostri Jesu Christi, Beatissimæ Virginis et beati Thomæ.



[1] Mendose omnes : *ista species... sunt.*

TRACTATUS
DE OPERE VI DIERUM


IN SUBSEQUENTEM TRACTATUM

" DE OPERE SEX DIERUM "

EDITORUM SOLESMENSIUM

ADMONITIO.

Jam, in præsentis tomi IV præfatione, explicavimus cur tractatum " De opere sex dierum " Joanni a Sto Thoma adscribendum esse indubitanter censeamus. Quia tamen auctor ipse eum noluit Cursui Theologico inserere, satius visum est dictum tractatum, minoribus quidem typis impressum, eo in loco adnectere, quasi genuinum nec inutile doctrinæ complementum, licet ad ultimam formæ perfectionem fortasse non productum.



TRACTATUS DE OPERE SEX DIERUM

ORDO DICENDORUM

1. 

POST considerationem creaturæ angelicæ, quæ est pure spiritualis, restat inquirere de alio genere creaturarum a Deo procedentium, quæ est pure corporalis, et constituit hanc machinam visibilem universi. Circa cujus creaturæ processionem distribuit D. Thomas ordinem suæ doctrinæ more theologico, secundum quod per fidem et revelationem Scripturæ nobis traditur hujus creaturæ productio.

2. INVENIMUS autem IN SCRIPTURA DISTINGUI QUATUOR GENERA OPERUM DIVINORUM, quibus totius mundi visibilis opificium perfectum fuit. — Primum est opus creationis, ut cum dicitur : *In principio creavit*
Gen. I, I *Deus cælum et terram.* — Secundum est opus distinctionis, ut cum
Gen. I, 4, 6, dicitur quod *divisit lucem a tenebris,* quod *divisit aquas ab aquis, etc.* — Tertium fuit opus ornatûs,
Gen. I, 14-31 ut cum ornavit cælum luminaribus, aerem volatilibus, aquam piscibus, terram animalibus. —
Quartum fuit opus consummationis et completionis (licet extra opera positiva numerari possit),
Gen. II, 2 ut quando *die septimo complevit Deus opus suum, et requievit ab universo opere quod patrarat,* cessando
a novis generibus rerum condendis, incipiendo vero generationem, conservationem, et multiplicationem individuorum in toto hoc universo usque ad finem mundi.

3. Cur vero distinxerit Deus ista quatuor opera, cum posset solâ creatione producere omnes istas creationes cum omni suâ perfectione et ornatu, tam substantiali quam accidentali, sicut fecit in Angelis creando illos in totâ suâ perfectione? — Respondetur hujus rei duplicem causam esse, ut tradit D. Thomas (in II, D. 12, q. 1, a. 2 ad 3 et 4) : alteram ex parte Dei, ut ostenderetur ejus sapientia in ordinandis et proportionandis rebus ipsis, tollendo earum imperfectionem et confusionem : quod fieri non posset, nisi prius sub quodam statu imperfecto et confuso et incomposito producerentur; altera causa est ex parte ipsius creaturæ, ut ostenderetur ejus imperfectio et dependentia ac limitatio, dum sic transiret de statu imperfecto ad perfectum. Quod non ita opus erat in Angelis, qui nobis sunt invisibiles; magis autem id manifestabatur nobis in istis creaturis visibilibus, si ipsas videremus transire de imperfecto ad perfectum paulatim et per diversas actiones. Licet autem illa prima productio in se non sit visa ab hominibus, sicut nec etiam Angelorum, tamen, cum in suis similibus nunc videatur quod transit de imperfecto ad perfectum, melius etiam cognoscitur ita fuisse in illis primis creaturis corporalibus; quod in Angelis respectu nostrum, seu ut manifestatur nobis, non currit.

4. Itaque considerandum est duplex esse genus creaturæ : alterum extra omne tempus et motum, sicut Angeli et cælum empyreum, quod non movetur : alterum conjunctum tempori et motui, sive tempus ipsum efficiendo per suum motum (sicut cælum, quod est primum alterans), sive sint res subjectæ tempori et motui, a quo alterantur et corrumpuntur (sicut elementa et mixta). — Creaturæ primi generis postulant perfectionem suam habere sine motu; et ideo eodem instanti, quo creantur, perficiuntur et formantur a Deo. Et sic Angeli et cælum empyreum creata sunt sine ullâ informitate in totâ perfectione naturali, quam postulant. — Creaturæ autem secundi generis, licet creatæ sint ex nihilo, quantum ad prima corpora quæ non sunt ex aliis, tamen earum perfectio et ornatus modo successivo et mutabili fieri debuit : quia earum natura tempori et mutationi, saltem accidentali, alligata est.

5. *Hunc ergo ordinem doctrinæ secutus Divus Thomas,* primo agit in communi et in generali de processu creaturæ corporalis a Deo, quantum ad causam a qua procedit (quæst. 65). Deinde, agit in particulari de istis quatuor operibus. — *Primo* quidem de opere creationis, prout discernitur ab opere divisionis et segregationis (quæst. 66). — *Secundo* [1] agit de opere distinctionis eo modo, quo Scriptura illud manifestat. Nam ista distinctio incepit in corporibus superioribus, scilicet in cælo : cum primâ die divisit Deus lucem a tenebris (et de hoc agit q. 67). Deinde facta est distinctio in aere et in aquis, separando aquas quæ sunt sub firmamento, id est, aquas fluentes, ab aquis super firmamentum, id est, ab aquis vaporabilibus seu nubibus, quæ firmantur et detinentur in secundâ aeris regione : quæ, ob hoc, firmamentum nominatur, quia firmat et continet aquas vaporabiles, coagulando eas in nubes. Nec enim hoc firmamentum est stellatum, quod est super omnes planetas (ut postea * ostendetur) : quia hoc firmamentum factum est per creationem primâ die; neque potuerunt aquæ esse ita altæ super omnes cælos planetarum, ut per illud firmamentum stellatum dividi et segregari debuissent (ut q. 68 dicetur). Denique, tertiâ die facta est divisio et segregatio inter terram et aquas, apparente terrâ aridâ cum herbâ et germine, et congregatis aquis in locum unum : et de hoc opere agit D. Thomas (quæst. 69).

* infra, q. 68, n. 2, sqq.

6. *Tandem circa opus ornatûs* procedit eodem ordine D. Thomas : quia primo ornati sunt cæli luminaribus in quartâ die, non quidem quia tunc sint producta quoad substantiam, sed quantum ad aliquas virtutes et diversos motus atque adspectus, quibus causant varietatem temporum : sicut si componatur horologium in suis motibus, ex rotis et instrumentis antea factis. Et sic agit de illo ornatu et productione luminarium (quæst. 70). Ornatus autem aeris et aquæ productus est quintâ die per productionem volucrum in aere et piscium in aqua (et de hoc agit q. 71). Denique, ornatus terræ in animantibus et reptilibus, et in homine tamquam eorum præside, factus est sextâ die (et de illo agit q. 72).

7. *Quartum opus,* quod est consummationis et requietionis, pertinet ad diem septimum, quem Deus sanctificavit, cessando ab omni opere (et de hoc agit q. 73). Pro complemento autem et perfectione doctrinæ agit D. Thomas de omnibus septem diebus simul, secundum quasdam peculiares condiciones (quæst. 74).



(1) Mendose omnes : *Tertio.*



QUÆSTIO LXV

DE OPERE CREATIONIS CREATURÆ CORPORALIS

TEXTUS :

In principio creavit Deus cælum et terram (Gen. I, 1).

NOTANDA CIRCA ISTAM QUÆSTIONEM.

1. Duo præcipue intendit D. Thomas circa istam quæstionem. — Primum est, quod Deus sit causa efficiens et finalis creaturæ corporalis. — Secundum est, quod sit causa immediata creaturæ corporali [1], non autem mediantibus Angelis; ita quod nec ipsi produxerint materiam ex nihilo, neque formas substantiales ex materia.

[CREATURA CORPORALIS A DEO CAUSATUR.]

2. Quantum ad primum [2], ostenditur creaturam corporalem esse a Deo generali ratione : quia creatura corporalis habet esse creatum, cum non sit ens a se; alias esset Deus, et superior creaturâ spirituali, cum tamen creatura corporalis sit inferior spirituali, quia ab ea actuatur, regitur et perficitur. Omne autem esse creatum est a Deo, qui est principium totius esse : si quidem est primum et maximum ens; ergo illi correspondet pro effectu proprio id in quo omnes res conveniunt, scilicet esse creatum et participatum, sicut effectus proprius ignis est quidquid participat esse ignitum. Cum ergo creatura corporalis participet esse creatum, ut videmus, oportet quod procedat et dependeat a primo et summo ente, quod est principium et fons totius esse, qui est Deus. Et sic rejicitur error Manichæorum, qui negaverunt creaturam corporalem esse a Deo.

3. Ex hoc autem ulterius sequitur creaturam corporalem ita esse a Deo, ut a causâ efficiente, quod etiam sit propter Deum, tamquam propter finem ultimum; et per se esse factam ex intentione Dei, non per accidens et ex secundariâ intentione, sicut posuit Origenes * dicens quod creaturæ corporales sunt ex secundariâ intentione propter peccata spiritualis creaturæ. Nam etiam nullo exsistente peccato, ut in statu innocentiæ etiamsi durasset, creatura corporalis daretur, sicut homo et animantia et cælum et terra : eo quod creatura corporalis per se est pars universi, et pertinet ad integritatem illius, licet sit pars inferior. Sicut pes in homine est pars inferior ad oculum, per se tamen pertinet ad integritatem hominis, quia illum componit et perficit, et sine ipso corpus est mancum : ita creatura corporalis, licet inferior, in hoc universo, per se tamen ordinatur ad integritatem totius universi, et ad ejus pulchritudinem et compositionem, quia sine cælo et terrâ mancum esset hoc universum. Ergo cum Deus sit finis totius universi, quia *omnia propter semetipsum operatus est Dominus,* restat ut etiam creatura corporalis Prov. XVI, 4
sit propter bonitatem divinam tamquam propter finem : licet sit subjecta et inferior, et subordinata creaturæ spirituali.

* *Peri Archon:* PG 11, 188 A; 191 C; 230 BC; 329-330

NON EST CREATURA CORPORALIS FACTA MEDIANTIBUS ANGELIS.

4. Quantum ad secundum, quod tractat D. Thomas in hac quæstione, nempe quod creatura corporalis non sit facta mediantibus Angelis, in duplici sensu probari potest. Primo, quod non sit facta ab Angelis quantum ad totum quod includit, etiam quantum ad materiam primam. Secundo, quod nec etiam sit facta ab Angelis quoad formas tantum, educendo illas immediate ex materia.

5. *Et primum probatur :* Quia, si Angeli producerent corpora etiam quantum ad materiam primam, non poterant illam producere ex alia materia, neque ex alio ente : quia ultra materiam primam non est alia materia, ex qua possit aliquid fieri;

(1) Ita LP, non male || C *corporalis :* forte melius.

(2) Sic P || LC *primam :* mendose, ut videtur.

alias illa materia non esset prima. Ergo facerent illam ex nihilo; ergo crearent. At repugnat aliquam creaturam esse creatorem, et creare ex nihilo, sive tamquam causa principalis, sive instrumentalis : ut supra (quæst. 45 *) ostensum est. Ergo corporalis creatura non est facta ab Angelis quantum ad [1] materiam primam.

* I P. q. 45, a. 5; cf. supra, disp. 38, a. 4 (p. 421-440)

6. *Quoad secundum probatur :* Quia formæ non fiunt ab alio agente, quam ab eo a quo fit totum compositum : eo quod formæ non sunt res factæ tamquam *quod,* sed fiunt ut *quo;* et ideo a quo fit totum ut *quod,* fit forma vel unitur ut *quo.* At vero compositum corporale non fit ab Angelo, sed ab alio agente corporali, vel univoco, vel æquivoco : sicut ignis generat ignem et planta plantam, vel cælum ut agens universale. Ergo modo Angelus non efficit formas corporales, sicut nec ipsa composita, sed a propriis agentibus fiunt : licet possit movere et applicare semina seu virtutes corporales, ut fiant effectus juxta proportionem talium agentium. In principio autem mundi, corpora quæ fuerunt facta per creationem processerunt a Deo quantum ad ipsum totum compositum, sicut dicitur quod *creavit cælum et terram,* quæ sunt quædam composita; ergo etiam processerunt ipsæ formæ talium compositorum. In aliis autem rebus quæ fuerunt factæ non per creationem, sed per eductionem ex materiâ, ut aves, pisces, animantia, non potuerunt Angeli producere earum formas : quia non potest id Angelus facere nisi applicando activa passivis, seu semina ipsa et virtutes corporales. At in primâ rerum formatione non erant ista semina et virtutes, sed Deus illas indidit ipsis corporibus, ut cum dixit : *Germinet terra herbam virentem et lignum, cujus semen sit in semetipso.* Ergo non potuerunt primæ formæ ab Angelis produci.

Gen. I, 1

Gen. I, 11

7. Dices : Licet Angelus non habeat virtutem formalem, et ejusdem rationis cum agente corporali, ad producendas formas corporum, tamen producere potest ipsum compositum, v. g. ignem vel plantam, eminentiali et superiori modo, non sicut alter ignis vel altera planta : sicut etiam cælum producit easdem formas et composita eminentiori modo, ut causa universalis, non obstante quod producantur univoce a suis particularibus agentibus. — *Et confirmatur :* quia Angeli saltem possunt producere lucem, ut cum Angeli apparent in specie lucidâ; ergo pari ratione potuerunt alias formas, saltem accidentales, producere.

8. Respondetur : Non posse Angelum producere formas corporales, etiam tamquam causa universalis et eminens, sicut cælum : licet possit movere et applicare cælum, vel etiam alia agentia inferiora, ad eliciendas tales formas. — Ratio est : quia formæ non possunt procedere ab aliquo agente, nisi vel operante per intellectum et per ideam tamquam artifex, vel operante naturaliter et sine artificio, sicut generatio fit ab animali et ab aliis rebus modo naturali, non per ideam, sed per seminalem virtutem. Et primus modus operandi formas corporales non potest convenire Angelo : quia perfectissimus est, et excedit ejus facultatem. Nec secundus : quia imperfectissimus est, et infra ejus sublimitatem.

9. Constat hoc : quia formæ naturales non procedunt per ideam et tamquam ab artifice, nisi ab ipso conditore naturæ qui est Deus : qui solus comparatur ad naturam sicut artifex ad arte factum. Et ideo intelligendo et dicendo dicitur fecisse omnia : *Quia ipse dixit, et facta sunt; ipse mandavit, et creata sunt;* et iterum : *Qui * fecit cælos in intellectu;* et : *Omnia ** in sapientia fecisti.* Facere ergo formas naturales per intellectum, per sapientiam, per ideam et per artem, solum pertinet ad Deum, qui est naturæ conditor et plasmator. — Similiter, facere formas naturales modo naturali per seminales virtutes multum inferius est ad naturam spiritualem : quia hic modus operandi est communis rei animatæ et inanimatæ, viventi et non viventi, sive sit cælum, sive alia inferiora; et in eo potius aguntur res naturales et quasi modo brutali impelluntur, quam agant ex seipsis et operentur. Quare hic modus operandi non convenit Angelis. Sed medio modo se habent : ut scilicet per motum localem possint applicare activa passivis, vel etiam movere cælum et sic producere effectus naturales vel artificiales.

Ps. XXXII, 9
* Ps. CXXXV, 5
** Ps. CIII, 24

10. *Ad confirmationem respondetur,* quod si Angeli possunt producere lucem, non solum applicando activa passivis, aut solum virtute supernaturali, sed etiam naturali virtute (de quo agimus I^{a}-II^{æ} *, tractando de dotibus corporis gloriosi), dicendum est, specialem rationem esse de luce, quam [2] de aliis formis : quia lux per se non ordinatur ad generationem et corruptionem formarum, sed magis ad effectus intentionales, ut scilicet color visibilis reddatur et species intentionales possit emittere; licet per accidens possit calorem et alios effectus producere lux, in quantum procedit a sole, qui illos effectus eminenter continet. Unde non est inconveniens, quod lux visibilis sub præcisâ ratione lucis possit procedere a luce spirituali, quando est perfecta, sicut in Angelis : sicut etiam sensus sunt quædam derivationes seu participationes intellectûs, et facultates ei naturaliter subordinatæ.

* infra, tomo V, disp. 2, a. 9, § *de Claritate,* in fine

(1) Ita emendant CP || L male omittit præpositionem *ad.*

(2) Intellige : *diversam rationem esse de luce, ac de aliis...* || De quo dicendi genere, consulas tomi I Præfationem, cap. III, art. 2, § 3, n. 7, a)

QUÆ CORPORA SINT IMMEDIATE CREATA A DEO.

11. *Sed petes* : Quænam corpora intelliguntur
Gen. I, 1 immediate creata a Deo, cum dicitur quod *creavit cælum et terram?* — *Respondetur* : nomine *cæli* intelligi omnia corpora superiora, quæ cælestem substantiam participant, ab orbe lunæ usque ad cælum empyreum; et sunt decem sphæræ mobiles et rotundæ, quia moventur circulariter; et cælum empyreum immobile et quadratum, quia, ut dicitur (Apo. XXI, 16) de loco gloriæ, *Civitas in quadro posita est.* Nomine autem *terræ* intelliguntur omnia corpora inferiora, quæ sunt elementa simplicia, scilicet terra, aqua, aer et ignis. Corpora autem mixta non sunt creata ex nihilo, sed ex corporibus elementalibus a Deo formata sunt. Ita sumitur ex
I P. q. 68, a. 1 D. Thoma infra (q. 68, a. 1), ubi productionem elementorum et firmamenti cælestis dicit pertinere ad primam diem et ad opus creationis, si cælum est incorruptibile et non factum ex elementis ut mixtum.

12. QUOD OMNIA CORPORA CÆLESTIA SINT FACTA PER CREATIONEM EX NIHILO, PROBATUR : Quia vel tenemus sententiam Aristotelis, D. Thomæ et majoris partis philosophorum, quod cælum naturâ suâ est incorruptibile et intransmutabile in elementa : vel procedimus secundum opinionem aliquorum, quod cælum etiam est capax corruptionis et aliquam transmutationem habere potest cum elementis. — *In primâ sententiâ* non est dubium omnes orbes cælestes factos esse per creationem ex nihilo : quia omnes cæli sunt incorruptibiles ex naturâ suâ : ergo et ingenerabiles; ergo solum sunt creabiles et annihilabiles. — Antecedens supponitur in hac sententia. Et prima consequentia est manifesta : quia quod naturâ suâ est incorruptibile, naturâ suâ est inalterabile : cum alteratio sit via ad corruptionem; quod autem est inalterabile, est ingenerabile : quia generatio fit mediante alteratione et motu et dispositionibus præviis. Reliquæ consequentiæ sunt per se notæ : quia quod non fit per generationem non fit ex aliquo; ergo fit ex nihilo : quod est creari.

13. *In secundâ autem sententiâ,* quod cælum est generabile et corruptibile, etiam probatur prædicta sententia. Quia hoc modo ad summum potest esse cælum generabile sicut elementum, si quidem est corpus simplex : quia solum gaudet simplici motu, nempe circulationis, sicut elementum recto. Sed hoc non obstante elementa sunt facta per
Gen. I, 1, 2 creationem : quia dicit Scriptura quod *Deus creavit terram;* et similiter creavit aquas, super quas spiritus Domini ferebatur. Ergo a fortiori creavit omnes cælos : quia eadem ratio est atque de elementis; immo multo magis, quia cæli perfectiora corpora sunt, quam elementa. — Item, quia si cælum aliquod non fieret per creationem nisi tantum cælum empyreum (intelligendo de illo id quod dicitur, quod *creavit Deus cælum*), vel tale cælum aut cæli fierent ex aliis cælis, præbentibus materiam ex qua fierent, vel fierent ex elementis. Non ex aliis cælis : quia non potest unum cælum præstare materiam sufficientem alteri, quod est tantæ vastitatis sicut videmus, nisi multum diminueretur in se et in propriâ suâ substantiâ, vel nisi prius produceretur a Deo cum multo majori substantiâ et materiâ quam in sua naturali proportione petit, ut ex illa fieret aliud cælum : quod esset monstruose produci. Et tunc, vel illa major pars materiæ haberetur per creationem, et sic perinde esset atque creare utrumque cælum : vel haberetur per generationem ex alio cælo, et sic rediret idem argumentum, quomodo in alio cælo daretur illa major portio substantiæ, ex qua secundum cælum deberet generari.

14. Si autem dicatur cælum generari ex elemento, in primis non apparet ex quo elemento generati sunt omnes cæli, an ex aqua, vel ex aere, vel igne. Tum etiam quia, dato quod fierent, v. g., ex aqua, instat fortius argumentum factum : quia elementum aquæ est minimum corpus respectu omnium sphærarum cælestium usque ad cælum empyreum : nam elementum aquæ naturaliter est corpus contentum sub elemento aeris et ignis, et sub aliis sphæris cælestibus, respectu quarum (præsertim respectu primi mobilis) terra et aqua faciunt unum globum ad instar puncti. Quomodo ergo potuit aqua vel aer subministrare sufficientem materiam, ut ex illis fierent vastissima illa corpora, quibus comparata solum se habent ad instar puncti?

15. Quod si dicatur, elementum aquæ productum fuisse a Deo in tanta vastitate ut occuparet totum illud spatium a terra usque ad cælum empyreum : Hoc est omnino incredibile. Quia elementum aquæ naturaliter est corpus contentum sub elemento aeris et ignis, et sub concavo lunæ; ergo monstruosum est, et contra ejus naturam, quod producatur majus omnibus cælis. Deus autem in principio non produxit res in statu monstruoso et contrario suæ naturæ, sed in statu naturali. — Si dicatur, etiam Adam creatum esse cum unâ costâ amplius quam ceteri homines; nec tamen erat monstruosum, quia producebatur ut principium totius generis humani; ergo similiter neque aqua in tantâ vastitate esset monstruosa, quia erat principium materiale omnium rerum : Respondetur costam Adæ parum illi addere, nec extraxisse eum a proportione magnitudinis corporis humani. Quod si tanta deberet esse materia illius costæ, quod faceret ipsum millies majorem quam corpus

humanum commune, nimis monstruosum esset. Aqua autem, si pervenisset usque ad cælum empyreum, plusquam decies millies excederet suam elementalem magnitudinem, qua sub aere continetur, extrahereturque a suo loco naturali : quod non faciebat costa in Adam. Et quanto verosimilius est et facilius dicere, quod Deus creavit cælos immediate, quæ sunt perfectiora corpora, quam quod creavit immediate tantam molem aquæ, quæ est corpus imperfectissimum, ut ex illa cælos formaret!

16. OBJICIES : Nam (II Pet. III, 5) dicitur quod *cœli erant prius, et terra de aqua et per aquam consistens Dei verbo;* ergo cæli de aqua facti sunt. — Dicuntur etiam ibi cæli corruptibiles (ut patet n. 12) : *Per quem cœli ardentes solventur;* et (Isa. LI, 6) : *Cœli sicut fumus liquescent;* ergo cæli resolvi possunt in elementa, et facti sunt per eductionem e materia. — *Confirmatur* ex D. Thoma (opusc. XLII*, c. 15), ubi inquit « quod esse corpus, in productione formæ de potentia materiæ, non accidit propter ipsum motum localem : cum corpus cæleste consecutum sit per eductionem suæ formæ de potentia materiæ suæ propriæ, nullo motu locali vel alteratione præcedente. Essentialiter ergo natura corporis sequitur eductionem formæ de potentia materiæ »; ergo sentit D. Thomas cælum per eductionem de potentia materiæ, non per creationem, esse factum.

II Pet. III, 12

* *De natura generis*

17. RESPONDETUR : Apostolum in illo loco non dicere quod cæli erant consistentes ex aqua, sed quod *terra* erat *consistens de aqua et per aquam :* quia reverâ tota circumdabatur [1] aquis, in quibus quasi consistebat et manebat. De cælis autem solum dicit quod *erant prius,* non vero dicit quod erant consistentes de aqua. Immo ipsa terra dicitur *consistens de aqua,* non quia sit facta de aqua, cum sit creata a Deo, sed quia manebat sub aquis. — Quod autem dicuntur cæli solvendi, aut exurendi : vel intelligitur de cælis aereis : vel, si intelligitur de æthereis, sensus est quod solventur quantum ad mutationem accidentalem, quia creabuntur *cœli novi et terra nova* (Apo. XXI, 1; et Isa. LXVI, 22). Nam quoad ipsam susbtantiam cæli et terræ, constat non esse corrumpenda : quia de sole, lunâ, stellis et cælis dicitur (Psal. CXLVIII, 6) : *Statuit ea in æternum, et in sæculum sæculi;* et de terra dicitur (Eccle. I, 4) : *Terra autem in æternum stat.*

18. *Ad confirmationem respondetur :* in primis illud argumentum nimis probare. Nam loquitur absolute de omni cælo, immo de omni corpore : cum tamen constet ex fide saltem aliquod cælum et aliquod corpus esse creatum, cum dicatur (Gen. I, 1) quod *creavit Deus cœlum et terram.* Et in principio symboli* : « Credimus unum Deum, creatorem cæli et terræ; » et (in cap. *Firmiter***, de summa Trinitate) definitur, « de nihilo » Deum « condidisse creaturam corporalem; » quod non verificatur de aliis sic, sicut de cælo et terra quæ dicuntur in principio creata, ergo rigorosâ et propriâ creatione. Et ipse D. Thomas in eodem loco* dicit : quod « cælum non est genitum, sed per simplicem emanationem tantum ad esse processit a Deo. » Quare locus iste Divi Thomæ exponi debet ab omnibus, non urgeri.

* *symb. Apost.*, in breviario; cf. PL 39, 2189-90; 2192
** Mansi, XXII, 981-2

* *De natura generis*, c. 15

19. Et intelligentia est facilis : quod eductio dupliciter sumi potest. Uno modo formaliter pro ipsâ transmutatione materiæ de potentiâ ad actum, vel de unâ formâ ad aliam. Alio modo terminative pro ipsâ formâ dependente a materia in esse, et componente cum illa corpus : hic enim est terminus eductionis, ut forma reddatur dependens in esse a materia et componat cum illa. Primo modo cælum non est factum per eductionem, sed per creationem vel « simplicem emanationem a Deo », ut dicit D. Thomas. Secundo autem modo potest dici forma cæli educta e materia, quia facta est dependens in esse a materia. — Cum autem subdit* D. Thomas, quod « essentialiter natura corporis sequitur eductionem formæ de potentia materiæ », non loquitur de eductione proprie dictâ : ut patet in animâ rationali constituente corpus; sed de eductione pro compositione formæ cum materia, quæ est eductio in termino seu in facto esse. Unde post relata verba subdit ibidem D. Thomas : « Nec hoc adhuc est, quia educitur, sed quia fit unum ex materiâ et formâ eductâ. » Fieri autem unum ex his duobus est componi. Et hæc sufficiunt pro ista auctoritate, quam non constat esse D. Thomæ : quia opusculum illud dubiæ auctoritatis est.

* cf. supra, n. 16, in fine

20. Quod attinet ad elementa, constat de fide terram esse immediate creatam a Deo, dum dicitur quod *creavit Deus cœlum et terram.* Et loquitur de propriâ creatione : quia non habemus alium locum, unde probemus creationem proprie dictam, nisi ex isto. — De elemento aquæ supponitur esse creatum a Deo : quia dicitur quod *spiritus Dei ferebatur super aquas,* utique tunc factas, et non alio modo quam per creationem. Exprimitur autem creatio aquarum (Judith, IX, 17) cum dicitur : *Deus cœlorum, creator aquarum, etc.* — De aliis autem elementis a fortiori militat eadem ratio : quia si tam infima elementa sunt immediate creata a Deo, multo magis superiora elementa et perfectiora, ut aer et ignis.

Gen. I, 1

Gen. I, 2

(1) Ita, certissime legendum cum C || L P *circum dabitur*, mendose.



QUÆSTIO LXVI

DE ORDINE CREATIONIS AD DISTINCTIONEM, SEU DE INFORMITATE MATERIÆ CORPORALIS

TEXTUS :

Gen. I, 2 *Terra autem erat inanis et vacua, et tenebræ erant super faciem abyssi, et spiritus Dei ferebatur super aquas.*

NOTANDA CIRCA HANC QUÆSTIONEM.

1. Quia creatura corporalis ita est creata a Deo, quod primo producta est ex nihilo sub statu imperfecto, id est, informi et confuso, deinde vero paulatim formata est, et distincta atque ornata : non potest tractari de opere creationis, ut distinguitur ab opere distinctionis quo cœpit confusio et informitas illa tolli, nisi prius tractetur de illâ informitate et confusione sub quâ creatura corporalis creata est. Quæ informitas in corporibus cælestibus erat per carentiam lucis; in elementis per operationem aquarum, quæ totam terram operiebant et bonam aeris partem occupabant, et per vacuitatem seu inanitatem terræ, quæ carebat omni fructu et germine. Hoc autem ideo factum est a Deo, ut diximus in initio hujus tractatûs *, ut ostenderet in creatione ex nihilo infinitam potentiam suam, et in ordinandis elementis et distinguendis suam sapientiam [1], et in illuminandis cælis et extendendis ostenderet prudentiam suam. Unde dicitur (Jer. LI, 15) : *Qui fecit terram in fortitudine suâ, præparavit orbem in sapientiâ suâ, et prudentiâ suâ extendit cælos;* et (Prov. III, 19) : *Dominus sapientiâ fundavit terram, stabilivit cælos prudentiâ.*

* supra, *Ordo dicendorum*, n. 3

[QUANTO TEMPORE DURAVERIT INFORMITAS MATERIÆ.]

2. *Primo ergo quæritur*, an ista informitas et confusio, sub qua creatus est mundus, duratione aliquâ præcesserit productionem et distinctionem lucis, et quanto tempore duraverit. — *Respondetur*, quod secundum communiorem opinionem de quâ dicemus infra * (q. 74), quod isti septem dies fuerunt veri et naturales dies, dicendum est quod mundus fuit sub tenebris per aliquod spatium et durationem temporis : quod etiam tenet D. Thomas (citat. q. 74, a. 3 *). Quod non leviter insinuat Scriptura dum dicit quod *tenebræ* ** *erant super faciem abyssi*, et quod *terra erat inanis et vacua :* ubi ly *erat* exsistentiam et durationem significat, non solam prioritatem causalitatis vel naturæ, loquendo in sensu proprio, in quo etiam loquitur Scriptura de aliis diebus. — Quanto autem tempore duraverint tenebræ super totum mundum? Respondetur quod P. Suarez (lib. II De opere sex dierum, c. 2, n. 21) tenet, et bene, aliquam durationem intercessisse inter creationem cæli et lucem, ita quod tenebræ duraverint aliquo spatio. Postea autem (c. 3, n. 7 et 8) explicat hanc durationem tenebrarum solum fuisse in uno instanti creationis : et, immediate post, dixisse Deum : *Fiat lux :* quia existimat solem creatum esse cum luce in ipso instanti primo, immediate autem post illuminasse. Contra quod dicemus quæstione sequenti (in solut. difficultatum *). — Nunc autem dicendum est, in primis non durasse spatio diei integri : quia ipsâ primâ die, quâ creatus est mundus, facta est lux : si quidem sine luce non est dies. Dicitur autem in Scriptura de prima die, quod *factum est vespere et mane, dies unus.* Habuit ergo lucem prima dies, quia habuit mane; ergo, si

* circa I P. q. 74, n. 5 sqq.

* rectius : I P. q. 74, a. 2

** Gen. I, 2

Gen. I, 3

* infra, q. 67, n. 26-39

Gen. I, 5

(1) Ita corrigit C, et merito, ut patebit legenti tractatûs initium (*Ordo dicendorum*, n. 3); vide etiam verba Jeremiæ, LI, 15, a Joanne nostro statim allegata || LP *potentiam*.

primâ die facta est lux, non potuerunt tenebræ illæ occupare totum mundum spatio integri diei.

3. *Quod si rursus inquiras,* per quot horas illius primi diei duraverit illa informitas et horror tenebrarum : — *Respondetur,* posse alicui videri quod duraverit per duodecim horas, ita quod mediâ parte diei naturalis fuerit mundus sub tenebris et aliâ dimidiâ parte fuerit nostrum hemisphærium sub luce, quæ successivo motu girationis alterum hemisphærium illuminavit. Quod tribuitur Abulensi *, hîc. Et hoc ideo, quia communis et certior sententia apud omnes est, mundum creatum fuisse in æquinoctio (sive vernali, sive autumnali, de quo modo non disputo), ita quod primus dies fuit æqualis diei et noctis. Cum ergo tenebræ illæ, sub quibus mundus creatus est, deservierint pro nocte illi primo diei, videtur quod æquali spatio duraverit (1) cum luce : ita quod fuerint duodecim horæ noctis, seu tenebrarum, et duodecim horæ lucis, seu diei, sicut contingit quando sol est in principio arietis, vel in principio libræ in suis æquinoctiis. In cujus confirmationem non numeratur ille primus dies in Scriptura, procedendo a mane ad vesperam, sed e converso, dum dicit quod *factus est vespere et mane, dies unus :* quia prius præcessit vesper, id est, tenebræ, deinde incepit mane per productionem lucis; quod non potuit esse in die æquinoctiali, nisi tenebræ seu vesper aut nox durasset spatio duodecim horarum.

* Alphonsus Tostatus, in Gen. 1, 5 (§ *Sed forte satis*)

Gen. 1, 5

4. Nihilominus probabilior mihi videtur aliorum sententia, qui existimant universales illas tenebras non occupasse totum mundum nisi tantum spatio sex horarum. Quia hoc videtur connaturalius inceptioni diei naturalis, quæ incipit a media nocte; et in die æcquinoctii sex horis, a media nocte computandis, durat nox sub tenebris : et horâ sextâ nascitur sol, et illuminat hemisphærium per duodecim horas, et deinde sequitur nox per alias sex horas (excipio crepuscula, quæ in prima creatione lucis non potuerunt esse) usque ad mediam noctem. In his ergo operibus divinis, ubi caremus auctoritate expresse revelante, recurrimus ad id quod naturalius videtur rebus ipsis. Et cum hoc modo connaturaliter incipiat et desinat dies naturalis, probabilius erit sic accommodare primi diei dispositionem et ordinem, sicut modo disponitur inceptio et progressio diei naturalis.

5. Sic ergo compono primum diem æquinoctialem, quod Deus in principio temporis, et in puncto correspondente mediæ nocti, creavit in instanti cælum et terram sub tenebris occupantibus totum mundum. Quæ tenebræ duraverunt spatio sex horarum, quia etiam tunc movebatur cælum; si enim in principio illo incepit tempus (ut statim * dicemus), etiam et motus : quia tempus est numerus motûs. Deinde, transactis sex horis, dixit Deus : *Fiat lux;* ut, sicut in die æquinoctiali sol oritur sextâ horâ post mediam noctem, ita in illâ primâ die, quæ æquinoctialis fuit, lux inciperet sextâ horâ post tenebras. Deinde, lux illa illuminavit hoc hemisphærium duodecim horis; et post occasum successit nox, jam divisa a luce, post (2) alias sex horas usque ad mediam noctem; et inde incepit secundus dies naturalis.

* infra, n. 23-24

Gen. 1, 3

6. *Dices :* D. Thomas multis locis docet primum diem non habuisse mane, sed tantum vesperam; ergo non fuit dies integer et completus. — Antecedens patet : I P. q. 63, a. 6 ad 4; et q. 4 *de Potent.* a. 2 ad 13 et 15; et q. 8 *de Verit.* a. 16 ad 8; et in II, D. 12, q. 1, a. 3 ad 7. — *Respondetur :* in his omnibus locis D. Thomam loqui in sententia Augustini *, quod omnes illi dies distinguebantur secundum diversos conceptus mentis angelicæ, non in sententia quod fuerunt dies naturales, quam infra (q. 74 *) approbabimus. — Nec obstant fundamenta opposita ** : quia non negamus diem illum æquinoctialem habuisse noctem æqualem cum die : sed (3) non ita dispositam, quod tenebræ duraverint duodecim horis continuis ante lucem, et aliis duodecim lux : hic enim non est modus connaturalis inceptioni diei naturalis, qui incipit a media nocte; sed probabilius, et conformius naturis rerum, fit eo modo quo diximus. — Nec obstat quod Scriptura computat hunc diem incipiendo a vespere : hoc enim etiam facit in aliis sex diebus, quos tamen constat non incepisse a tenebris sic continuatis per duodecim horas; alioquin vel semper omnes dies sic incepissent, et finirentur in occasu solis et numquam mediâ nocte, vel superessent illæ horæ quæ intercedunt ab occasu solis usque ad mediam noctem, et ad nullum pertinerent diem, nisi esset dies triginta horarum vel circiter. Quare illa computatio Scripturæ, incipiendo dies a vespere, vel facta est a Moyse juxta morem Hebræorum, qui computabant sollemnitates suas a vespere usque ad vesperam * : vel certe cum primus dies incepisset a tenebris, sicut dictum est, voluit Moyses prius ponere vespere, id est, tenebras, quam mane in primo die, quia revera sic fuit. Deinceps vero reliquos dies eodem modo continuavit, ne in hoc necesse esset stylum mutare; et res erat parvi momenti.

* PL 34, 311-313

* n. 5 sqq.

** supra, n. 3

* Lev. xxiii, 32

(1) Sic omnes : non omnino male, supplendo : [*hæc nox*] ‖ Suspicamur legendum : *duraverint.*

(2) Sic omnes ‖ Nisi fallimur, legendum est : *per alias.*

(3) Intelligito : *sed* [*dicimus habuisse*] *non ita...* ‖ Cf. tomi I Præfationem, cap. iii, art. 2, § 3, n. 1, b).

* De opere sex dierum

** II, D. 13, a. 1, q. 2, ad 4

Gen. 1, 5

* supra, n. 4-5

7. Adverto tamen, quod etiam P. Suarez (ubi* supra, lib. II, c. 3, n. 4) refutat hanc durationem sex horarum pro tenebris, quam etiam attribuit S. Bonaventuræ** : dicitque falso niti fundamento, ex eo quod Scriptura prius nominat vesperam quam mane, cum dicit : *Factum est vespere et mane, dies unus*. Sed nos hoc fundamento non nitimur. Et sic non tangit nos; sed nec inconveniens, quod Suarez infert : quia alias ille primus dies haberet illas sex horas ultra viginti quatuor quæ faciunt diem artificialem. Sed nos jam ostendimus*, potius illas sex horas componere diem artificialem viginti quatuor horarum : quia inceperunt tenebræ mundi a mediâ nocte, et horâ sextâ facta est lux, et incepit sol lucere per duodecim horas sicut in die æquinoctiali. Et restarunt aliæ sex usque ad aliam mediam noctem.

INFORMITAS MATERIÆ CORPORALIS NON FUIT SUBSTANTIALIS, SED ACCIDENTALIS.

8. Cum informitas dicatur a carentiâ formæ, et forma sit duplex, altera substantialis, altera accidentalis, merito dubitari potest : an ista informitas et indistinctio, sub qua mundus creatus est, fuerit per carentiam formæ substantialis, ita quod sola materia fuerit producta a Deo, formæ vero sint postea supperadditæ : an vero ista informitas fuerit per solam carentiam alicujus formæ accidentalis, v. g. quia non fuerunt ista corpora distincta, et ordinata loco, situ et ornatu suo.

9. D. Thomas, tam in hac quæstione quam in reliquis subsequentibus ubicumque tractat de ista informitate, sentit materiam primam non potuisse sub informitate substantiali seu carentiâ omnis formæ substantialis præcedere ipsam formam, nisi tantum prioritate aliquâ naturæ seu causalitate : eo quod forma non potest produci nisi unita materiæ, et consequenter debet præsupponere in aliqua consideratione et prioritate materiam cui uniatur; et quia unitur illi immediate et sine omni aliâ formâ, ideo pro illo priori unionis supponit illam carentem omni formâ. **Ceterum, si loquamur non de prioritate solum naturæ, sed etiam durationis, SENTIT D. THOMAS nec de facto, nec de possibili, potuisse materiam corporalem exsistere et durare cum carentiâ omnis formæ substantialis**, seu cum informitate substantiali. — *Et quidem quod de facto non fuerit producta* a Deo materia sine formâ substantiali, *constat manifeste :* quia primum quod Deus creavit fuit cælum et terra, id est, corpora cælestia et elementa, ita quod antea nihil produxerat; sed hæc creavit principio; cælum autem et terra sunt corpora composita ex materiâ et formâ, non autem sola et nuda materia; ergo numquam præcessit in aliqua duratione materia carens omni formâ. Et sic distinctio substantialis corporum cum ipsamet creatione incepit : quia tamquam distincta corpora creata sunt cælum et terra, seu elementa.

10. *De possibili autem etiam existimat D. Thomas implicare contradictionem,* quod materia possit exsistere sine forma : ita quod prius debeat recipi in materia actus formalis, qui dat speciem et constituit naturam determinatam, quam actus entitativus, qui est exsistentia et solum constituit rem extra causas, non autem naturam aliquam constituit (cum sit prædicatum accidentale et non essentiale alicui naturæ creatæ). Sed quia in hoc multi contradicunt D. Thomæ, existimantes opposito modo rem se habere (scilicet quod actus entitativus, seu exsistentiæ, est intimus et transcendentalis : quia per hunc habet omnis realitas quod sit extra nihil; primum autem in unaquaque realitate est esse aliquid, seu extra nihil) : ideo existimant quod, cum materia prima ratione sui et ante omnem formam sit aliquid et extra nihil, habet ratione sui actum entitativum seu exsistentiam, cui superveniunt formæ substantiales ad componendum determinatas naturas. Et ideo sentiunt non repugnare materiam primam poni aut conservari a Deo sine omni formâ substantiali, cum solo actu entitativo exsistentiæ.

11. Hanc controversiam tractavimus in Physicis*, et in primo tomo** hujus I[æ] Partis, et defendimus sententiam Divi Thomæ; ideoque in præsenti non oportet id iterum disputare. — *Solum advertimus sententiam D. Thomæ præsupponere aliqua principia,* quæ in se fundatissima sunt : et, illis præsuppositis, evidenter sequi materiam secundum se carere omni actu entitativo, seu exsistentiâ, nec posse illam habere nisi mediante aliquâ formâ substantiali : et sic idem esse denudari omni formâ substantiali, atque privari omni exsistentiâ.

* q. 3, art. 2 et 3 (RE II, 59-76; cf. 553-7)
** supra, tomo I, p. 529-32; tomo II, p. 573-5; tomo IV, disp. 39, a. 2, n. 10-12, p. 460-1

12. PRIMUM PRINCIPIUM EST, quod exsistentia non est prædicatum essentiale neque transcendentale aut intrinsecum alicui rei creatæ, sed est pure contingens, et conveniens creaturæ ex purâ voluntate et beneficio Dei : et sic numquam facit propositionem æternæ veritatis. Res autem esse extra nihil, et esse aliquid reale, est id quod valde æquivocat et valde hallucinat auctores in hac parte. Quia non solum est aliquid reale seu extra nihil, quod est de facto exsistens et positum extra causas, sed etiam quod est capax poni, et in viâ et tendentiâ ut ponatur extra causas : quia id, quod est purum nihil, est incapax et repugnans exsistentiæ, cum sit contradictorium illi. Quod ergo est capax, et tendens ad exsistentiam, jam non est nihil neque contradictorium exsistentiæ :

quia capax illius est saltem mediate, seu mediante alio. Materia ergo, secundum se et ante omnem formam, realis entitas est et distincta a nihilo; sed est entitas potentialis et tendens ad exsistentiam, et capax illius mediate, id est, mediante formâ, non immediate, id est, sine formâ. Et per hoc principium enervatur omne fundamentum oppositum de actu entitativo qui distinguit ens (1) reale a nihilo. Non enim solus actus entitativus distinguit ens reale a nihilo, sed etiam capacitas et tendentia ad illum, etiamsi sit susceptiva illius mediate, et non immediate solum.

13. SECUNDUM PRINCIPIUM EST, quod exsistentia non est actus constituens naturam, aut aliquem gradum seu prædicatum naturæ, sed constitutam supponit : quia solum extra causas illam ponit. Unde fit quod essentialiter actus exsistentiæ supponit actum formalem constitutivum naturæ seu gradûs aut speciei. Ideoque multo magis subordinantur inter se isti duo actus, formalis et entitativus, quam duo gradus ejusdem formæ genericus et specificus : quia uterque istorum essentialis est. Exsistentia autem seu actus entitativus comparatur ad formalem tamquam accidentalis, et non-constitutivus naturæ, ad essentialem et constitutivum; quare sicut implicat quod gradus specificus conveniat rei sine generico et ante illum, ita implicat quod actus exsistentiæ conveniat materiæ ante actum formalem. Tum quia actus formalis est qui dat speciem et constituit naturam in suo gradu determinato; materia autem prima est entitas quædam potentialis, primo et per se ordinata ad constituendum cum formâ quidditatem et naturam, si quidem species et quidditas rerum corporalium ex materiâ et formâ componitur; cum autem inter formam constituentem quidditatem, et exsistentiam, sit essentialis subordinatio (quia prius est essentiam et quidditatem constitui, quam extra causas poni), consequenter materia prima prius et immediatius respicit formam constituentem speciem et naturam, quam exsistentiam, quæ solum ponit naturam constitutam extra causas. Ubi autem est essentialis subordinatio inter gradus vel formas, implicat quod prius recipiatur secunda quam prima : sicut non potest prius convenire rei gradus specificus, quam genericus.

14. *Quod si dicatur :* ex hoc principio recte concludi, non posse in materiâ recipi exsistentiam ipsius formæ vel totius compositi, nisi prius receptâ formâ constituente naturam vel compositum; non tamen probat materiam non recipere in se suam propriam exsistentiam partialem, cujus immediate capax est et non mediante formâ : eo quod convenit illi ex eo præcise quia realis entitas est, et consequenter capax exsistentiæ :

15. *Contra hoc utitur D. Thomas aliis duobus principiis. — Alterum est,* quod exsistentia non plurificatur juxta pluralitatem partium, sed est unicus terminus et actus ipsius suppositi seu totius; et unica exsistentia sufficit pro omnibus partibus constituentibus idem totum, sicut sufficit unica subsistentia pro unico supposito, ut tradit (III P. q. 17, a. 2; et in III *ad Annibald.* dist. 6, a. 2 ad 2) : « Esse naturæ dicitur dupliciter. Nam aliquando dicit actum primum, qui est rei (2) essentia, quæ est actualiter essendi principium; aliquando dicit actum secundum, qui est actus entis per essentiam, sicut lucere est actus lucentis per ipsam lucem. Primo modo dicitur de naturis. Secundo modo de naturarum suppositis : quia est actus suppositi ut *quod,* formæ vero ut *quo.* » Et infra : « Et hoc modo proprie, nec partes, nec accidentia habent esse, sed tantum suppositum completum. » Quod etiam late ostendimus præcedenti tomo (disp. 4*). Nam si quælibet pars haberet suam exsistentiam actu distinctam ab alia parte, idem esset dicendum de partibus integrantibus; et sic quælibet pars integrans, quantumcumque minima, haberet exsistentiam distinctam ab alia : si quidem una existentia non sufficit actuare plures partes; alias, si sufficeret, non repugnaret omnes partes unicâ exsistentiâ actuari.

* disp. 4, a. 1-4 (tomo I, p. 431-468)

16. Et cum semper partes sint divisibiles in infinitum, si non sufficit unica exsistentia actuare plures partes, erunt actu infinitæ exsistentiæ in quolibet composito : quia partes sunt divisibiles in infinitum, et quælibet pars habet exsistentiam actu distinctam ab alia. Quod si solum habet illud compositum et illæ partes unam exsistentiam in actu, et plures in potentiâ : hoc est quod nos dicimus, quod unica exsistentia actu sufficit pro toto composito, licet virtualiter sint plures, quia potest compositum dividi in plura quorum quodlibet sit seorsum totum et individuum. Non ergo oportet partiales exsistentias seorsum distinctas ponere in toto, sed sufficit unicam ponere pro omnibus partibus : quia exsistentia est terminus quo res ponitur in facto esse extra causas. Unde correspondet ipsi fieri seu actioni; et sicut totum compositum et suppositum proprie fit ut *quod,* et unicâ actione ponitur extra causas, ita habet unicum factum esse seu unicam exsistentiam, quæ constituit rem in facto esse. — Nec obstat, quod aliquando

(1) Ita profecto legendum cum C ‖ Mendose LP *distinguit ejus reale.*

(2) Ita legendum cum edd. librorum *ad Annibaldum* ‖ LC *res essentia* ‖ P *res essentiæ* ‖ In fine citati textûs, multa in verbis mutavit Joannes noster, sententiâ tamen sufficienter servatâ.

concurrunt plures actiones ad unum totum faciendum saltem inadæquatæ(1), et sic etiam possunt inadæquatas et incompletas exsistentias ponere. Contra enim est : quia, si sunt plures actiones habentes terminum factum ut *quod*, non possunt concurrere ad eumdem terminum, faciendo partes ut partes, et dando partiales exsistentias : sed producendo totum sub diverso statu aut perfectione, sicut prius producitur embryo, deinde animal perfectum. Si vero sint plures actiones respicientes diversos terminos partiales ut *quo*, tales bene possunt dari; sed terminus, ut *quo*, non recipit exsistentiam : sed est ratio recipiendi eam, quæ convenit toti ut *quod*; et sic sufficit quod(2) mediate illam habent.

17. *Alterum principium est :* quia exsistentia cum sit actus communissimus, id est, conveniens omni enti ut posito extra causas (neque ad aliud deservit nisi ut ponat extra causas), non autem sit forma constituens aliquam naturam vel speciem, consequenter de se nullam habet speciem; sed reducitur ad illam speciem, cujus est exsistentia. Omnis autem species in actu provenit ab aliqua forma. Materia autem prima de se nullam habet speciem in actu, sed solum in potentia : cum sit in potentia ad omnes formas dantes speciem; forma enim est quæ dat speciem rei. Ergo, si aliqua exsistentia immediate conveniret materiæ, illa non pertineret actu ad aliquam speciem, et tamen esset actus in se; ergo esset actus carens omni specie : ergo et omni limitatione, quia limitatio ad speciem pertinet. — Quod si dicatur, esse potentialem illam exsistentiam materiæ, sicut et ipsa materia entitas potentialis est : Contra est, quia exsistentia potentialis non potest ponere actu extra causas : quia sic actualis exsistentia esset. Ergo, si solum est exsistentia potentialis, non poterit reddere materiam actu exsistentem ante formam per quam redditur determinatæ et limitatæ speciei, et consequenter(3) determinate et limitate dat suum effectum formalem.

AN ALIQUOD CORPUS IN IPSA CREATIONE FUERIT PRODUCTUM A DEO SINE ALIQUA INFORMITATE.

18. Respondeo affirmative : Nam cælum empyreum creatum est a Deo sine aliqua informitate, sed omnino perfectum. De hoc cælo non constat nobis per rationes naturales : quia non movetur, neque ejus locum videmus. Constat tamen per auctoritates sanctorum, præsertim Basilii*, Strabi**, Bedæ***, et aliorum; estque id communiter receptum in Ecclesia et apud auctores scholasticos. — Habetque fundamentum in multis, quæ de hoc cælo et cælesti civitate Jerusalem dicuntur (Apo. xxi, 2-27). Est enim hoc cælum destinatum gloriæ beatorum et contemplationi divinæ : non quia hæc indigeat loco materiali, sed quia decenter et congruenter fit in aliquo loco, illumque oportuit esse perfectissimum, utpote tantæ gloriæ destinatum. Perfectissimum autem corpus debuit esse in supremo loco mundi : quia corpora, quanto sunt perfectiora, tanto sublimiorem locum postulant. Hoc ergo cælum debuit fieri per creationem, sicut cetera corpora cælestia et elementa, cum sit illis multo perfectius. Et quia magnitudine superat reliquos orbes, cum supra omnes sit, non possumus invenire in aliquo corpore inferiori sufficientem materiam, ut ex illâ tam vastum corpus formari posset, nisi reliqua corpora consumendo; ideoque per creationem fieri oportuit. Et sic primâ die factum est, in quo opus creationis ex nihilo terminatum est.

* PG 29, 41
** PL 113, 68 C
*** PL 91, 13 D, 14 A

19. Quod autem sine ullâ informitate creatum sit, sed in totâ suâ perfectione, constat : quia Scriptura non narrat ejus formationem et ornatum, et tamen inter omnia corpora est pulcherrimum et formalissimum;(4) ergo oportuit ejus formationem fieri quando creatum est, si quidem postea non ponitur. Et congruit hoc naturæ illius corporis : quia non est subjectum motui et tempori, sed supra omnem motum et tempus, cum non moveatur, neque in se, neque ab alio cælo; ergo conveniens fuit, quod ejus perfectio et ornatus non daretur illi successive et per motum, sicut aliis corporibus, sed in primo instanti totam suam perfectionem haberet : sicut etiam Angeli in tota sua perfectione creati sunt.

20. *Sed dices :* Illud cælum est lucidissimum, dicitur enim empyreum, quasi igneum* : quomodo ergo illa lux, cum sit tanta, non videtur a nobis? * PL 113, 68 C
Neque enim distantia id potest impedire : cum videamus stellas firmamenti, quæ sunt modica corpora respectu vastissimi illius cæli. Nec etiam spissitudo cælorum inferiorum impedit trajectionem illius lucis : quia licet spissi et solidi sint, sunt tamen valde clari et diaphani, sicut patet quod per orbes inferiores videmus firmamentum et stellas illius; ergo a fortiori debebat videri illa lux cæli empyrei.

21. *Divus Thomas duas adhibet solutiones* (art. 3 ad 4). Prima est, quod cælum empyreum est corpus valde subtile; lux autem non videtur nisi in I P. q. 66, a. 3, ad 4

(1) Sic LP, forte tolerabiliter || C *inadæquate :* facilius.
(2) Intelligito : *quod [partes] mediate [exsistentiam] illam habent.*

(3) Supple : *et [per quam] consequenter determinate et limitate dat...*
(4) Ita omnes || Æstimamus legendum : *formatissimum.*

corpore condensato : sicut non videmus lucem in ipso aere, sed in sole vel in aliquo corpore terminato; et ignis in sua sphæra non lucet propter suam raritatem. Sed quia hoc præsuppositum de subtilitate illius cæli, licet sit probabile (quia subtilitas est perfectio corporis, et ita convenire debet corpori perfectissimo), tamen quia non est usquequaque certum : — eo quod reliqui cæli, licet sint perfectiores aere et igne, non tamen sunt subtiles, sed solidi et spissi : quia in ipsis terminatur noster visus tamquam in quadam crystallo; et de omnibus cælis absolute dicitur (Job XXXVII, 18) quod *quasi ex ære solidissimi fusi sunt,* ubi includi videtur etiam cælum empyreum; et per hoc quod illa soliditas comparatur æri fuso, cujus soliditas spissa est, non subtilis; — propter hoc adhibet D. Thomas secundam solutionem probabiliorem, quod lux illa cæli empyrei est sicut claritas gloriæ quæ erit in corporibus beatis : et hæc non est conformis claritati naturali. Hoc est dicere, quod sicut claritas gloriæ occultari potest ex naturâ suâ adspectibus nostris, sicut occultabat illam Christus quando volebat, ita etiam ex dispensatione Dei claritas illius cæli occultatur usque ad finem mundi, ut possit vicissitudo noctis et diei conservari, sine qua non posset mundus iste inferior regi. Post diem autem judicii manifestabitur ejus gloria, et replebitur illâ totum universum, tamquam *cælum novum et terra nova,* ut dicitur (Apo. XXI, 1).

22. An vero hoc cælum nunc influat aliquid in hæc inferiora, cum careat motu? — Respondetur, secundum D. Thomam (art. 3 ad 2), licet sit probabile quod hoc cælum non influat in hæc inferiora (quia totum, quod est, pertinet ad statum gloriæ), probabilius tamen est influere : sicut etiam Angeli, licet sint gloriosi, plura tamen influunt et operantur in hoc mundo. Ita cælum illud, licet non moveatur, influit tamen in corpora mobilia aliquid pertinens ad permanentiam et virtutem conservandi et continendi res inferiores, ut scilicet species rerum et status iste duret; aut aliquas etiam occultas qualitates influere potest, quæ ad majorem dignitatem illius cæli pertineant.

I P. q. 66, a. 3, ad 2

TEMPUS FUIT CONCREATUM MATERIÆ INFORMI.

23. Supposito quod corpora sunt creata informia, et per aliquam durationem manebant in sua informitate, ita quod per veros et naturales dies formabantur et perficiebantur a Deo, oportet dicere quod tempus, seu duratio successiva, istorum corporum cum ipsis incepit. Ita quod, cum dicitur : *In principio creavit Deus,* ly *in principio* idem est quod in principio temporis. Unde definitur (in cap. *Firmiter**, de summa Trinitate) quod « Deus in initio temporis utramque condidit creaturam, spiritualem et corporalem, angelicam et mundanam ». Itaque illud primum instans creationis fuit principium temporis extrinsecum : quia tempus, cum sit res successiva, non incipit in instanti intrinseco, sed immediate post. Et secundum hoc etiam tunc fuit aliquis motus, vel in ipso cælo, vel in alio corpore : quia tempus sine motu dari non potest, cum sit numerus motûs secundum prius et posterius. Sed hunc motum et tempus Augustinus* accipit secundum successionem conceptuum et affectionum in mente angelicâ; alii autem sancti probabilius id accipiunt secundum motum corporalem, quia illi dies fuerunt veri et naturales (ut dicemus quæst. 74*).

Gen. I, 1
* Mansi XXII, 981-2
* PL 34, 314; 318; 41, 324-5
* infra, q. 74, n. 5-15

24. Ex his sequitur verum esse commune dictum, quod quatuor sunt coæva, id est, simul creata in eâdem duratione : scilicet natura angelica, cælum empyreum, materia corporalis informis informitate accidentali (id est, sine formositate et ornatu), et denique tempus. Et nomine temporis etiam motus intelligitur : quia tempus est mensura motûs, et in se motus quidam est alios mensurans.

25. Ultimo inquires, quomodo dicatur spiritum Domini delatum fuisse super aquas; quid sit ille spiritus, et illa delatio? — Sed de hoc commodius dicetur infra (quæst. 74), ubi id tractatur a D. Thoma : pertinet enim hoc ad circumstantiam quamdam illius informitatis, non ad ejus substantiam.

* infra, q. 74, n. 32-36





QUÆSTIO LXVII

DE OPERE DISTINCTIONIS SECUNDUM SE, QUÆ INCEPIT PRIMA DIE

TEXTUS :

Gen. 1. 3-5 *Dixitque Deus : Fiat lux, et facta est lux; et vidit Deus lucem, quod esset bona. Et divisit lucem a tenebris; appellavitque lucem diem, et tenebras noctem.*

NOTANDA CIRCA HANC QUÆSTIONEM.

1. Duo principaliter in hac quæstione tractat D. Thomas. Primum, circa naturam lucis, quid sit. Deinde, de ipsa productione lucis, quomodo convenienter facta sit post informitatem tenebrarum.

[DE NATURA LUCIS.]

1bis. Circa naturam lucis duo excludit D. Thomas a luce, et alterum affirmat. Excludit ab illa, quod sit entitas spiritualis, et quod sit substantia corporalis; affirmat autem, quod sit qualitas quædam visibilis et corporea.

2. *Rationem spiritualitatis excludit D. Thomas a luce.* Quia lux percipitur sensu visûs, ut constat ipsâ experientiâ; et propriissime nominamus lucem illam, quam oculis externis percipimus. Visus autem est sensus corporeus, nec dicitur de intellectu nisi æquivoce. Ergo lux, quam percipit, et est ejus objectum, non potest esse aliquid spirituale. Quare sicut visus proprie dicitur sensus iste externus oculorum, non autem intellectus (nisi metaphorice), ita lux proprie dicitur aliquid visibile corporale, non autem id quod spirituale est. Quia tamen officium lucis est manifestare, tractum est nomen lucis ad omnem manifestationem, etiam spiritualem : licet proprie et directe significet manifestationem sensibilem, qualis fit in visu corporeo.

3. *Ratio autem corporis* seu corporalis substantiæ *excluditur a luce.* — Tum quia est in eodem loco cum corpore diaphano : est enim lux intra diaphanum; videmus enim quod transit per vitrum vel crystallum, et tamen non dividit illud nec potest naturaliter penetrari cum illo; ergo lux non est corpus. Nec dici potest, quod est corpus carens quantitate : quia omne corpus petit quantitatem tamquam propriam passionem, si sit corpus naturale et quale experimur in omnibus aliis corporibus. Si autem sit corpus non naturale, sed alterius rationis, hoc sine fundamento dicitur, et sic rejicitur. — Tum etiam quia lux in instanti diffunditur a luminoso, et in instanti desinit absente (1) luminoso. Non apparet autem quomodo in unico instanti possit generari aut corrumpi corpus tam late diffusum, quod unico instanti a cælo usque ad terram extenditur.

4. QUARE LUX EST QUALITAS CORPORALIS ET SENSIBILIS, habens esse reale et non solum intentionale; et non habet contrarium, dependetque in fieri et conservari a luminoso. Hæc omnia declarant naturam lucis. — Dicitur qualitas, quia est forma afficiens subjectum, non forma substantialis : alioquin, quando diffunditur per aerem vel aliud diaphanum, corrumperet formam aeris, vel essent duæ formæ substantiales in eâdem materiâ. Neque est quantitas : alias, vel divideret quantitatem diaphani, vel essent duæ quantitates

(1) Ita CP || L *abscente*, mendose, fortasse pro : *abscedente*.

penetratæ in eodem loco. Neque est relatio prædicamentalis : quia lux non est ad alterum, sed habet effectum absolutum in subjecto non minus quam color, nempe reddere illud lucidum et visibile. Ergo est qualitas. — Habet esse reale, et non intentionale tantum. Esse reale dicitur uno modo ut opponitur enti rationis, seu nihilo; et sic lux habet esse reale, quia habet effectus reales et sensibiles, quia videtur realiter a visu. Alio modo dicitur reale, ut est idem quod ratum et firmum; et sic opponitur rei non permanenti, sed transeunter duranti aut intentionali modo se habenti quia non firmatur neque habet radicem in subjecto, sicut colores transeunt per aerem ad oculum in speciebus. Et sic, cum lux habeat modum rei transeuntis, quia dependet in fieri et conservari a luminoso, videtur aliquibus quod tantum habet esse intentionale et per modum transeuntis. Sed hoc est falsum, quia videmus lucem habere esse permanens : tum in ipso luminoso, ubi permanenter exsistit tamquam propria passio : tum in re illuminatâ, ubi permanenter exsistit dependenter a luminoso; et aliquos effectus permanentes et naturales causat, sicut calorem aut alias virtutes; dependentia autem in fieri et conservari non tollit permanentiam rei : omnes enim creaturæ sic dependent a Deo, et tamen multæ sunt permanentes. Habet tamen etiam aliquos effectus intentionales, quatenus reddit colores ultimo visibiles, et causat species intentionales usque ad visum.

5. Dicitur lux non habere contrarium : quia videmus lucem non expelli nisi per tenebras, quæ sunt privatio quædam. Hoc autem ideo est, quia lux formaliter est qualitas corporis cælestis, cui non convenit habere qualitates contrarias, quia non est generabile neque corruptibile. — Denique, dependet in fieri et conservari a luminoso : quia videmus quod absente luminoso in instanti desinit lux; ergo dependet in conservari a præsentiâ illius, etiam in unico instanti.

6. *Cur autem aliquæ qualitates non dependeant* in conservari a suis agentibus, sicut calor ab igne : aliæ autem dependeant, sicut lumen aeris a sole : *Rationem tradit D. Thomas* (infra, q. 104, a. 1) : quia aliquæ qualitates sunt quæ communicantur subjecto, habendo aliquam radicem permanentiæ in illo, vel ex parte materiæ, vel ex parte formæ perfecte vel imperfecte; aliæ vero communicantur subjecto sine aliqua radice in ipso subjecto, neque ex parte formæ, neque ex parte materiæ. — Qualitates primi generis dependent in fieri ab agente, quia ab ipso dimanant : sed non in conservari, quia retinent aliquam radicem et inclinationem ex parte subjecti in quo sunt; et perfecte habent radicem in subjecto ea quæ consequuntur ex parte formæ, ut accidentia propria vel inseparabilia. Sed quia materia prima etiam habet inclinationem ad alias formas et consequenter ad accidentia disponentia ad illas, ideo licet talia accidentia sint extranea a composito, vel a formâ exsistente in materiâ, tamen conservari possunt in absentiâ agentis : quia sunt in materiâ habente inclinationem et radicem ad talia accidentia sicut et ad formas ad quas disponant. Et hac ratione calor, frigus, et reliqua accidentia disponentia ad generationem vel corruptionem formarum, conservantur in subjecto, etiam in absentiâ agentis a quo dimanarunt in fieri. — At vero qualitates secundi generis, quæ non habent aliquam radicem in subjecto cui communicantur (sicut accidentia quæ non disponunt materiam ad generationem vel corruptionem formarum, nec sunt proprietates aut accidentia inseparabilia formæ), dependent in suo conservari ab agente : quia aliam radicem non habent in subjecto, sicut lux in aere et gratia in anima. Et hæc ratio extenditur ad omnes illos effectus, qui ipsum esse et radicem essendi et quidquid sunt participant ab agente, sicut creaturæ a Deo, et motus rerum inferiorum a motibus cælorum. Hæc enim durare non possunt in cessatione agentis.

7. *Quod si instes :* in impulsu [1], qui est qualitas non ordinata ad generationem et corruptionem substantialem, et tamen durat aliquantulum in absentiâ agentis seu imprimentis impulsum; et similiter [2] aliquæ virtutes impressæ a cælo aliquibus mixtis, ut virtus attrahendi in magnete, et splendor auri vel gemmarum, quæ durare possunt etiam cessante influxu cæli, et tamen non ordinantur ad generationem vel corruptionem substantialem, neque habent radicem in illis mixtis, sed a cælo derivantur : — *Respondetur,* impulsum posse esse dispositionem saltem remotam ad corruptionem substantialem rei impulsæ : quia de se extrahere et removere potest rem a suo centro et loco conservativo : quod utique exponit rem impulsam corruptioni contrariorum. Et similiter, si sit impulsus vehemens nimis, immutat rem a sua dispositione naturali : non quidem per præcisum motum localem, sed quatenus nimis subtilizat aerem, v. g., ita ut etiam aliquando incendat, aut etiam humores ipsos commovendo, aut alio simili modo. De virtutibus autem impressis

(1) Id est : *si argumentaris de impulsu,* seu : *si argumentum sumis [ex eo quod fit] in impulsu...*

(2) Supple : *[sunt] aliquæ.*

a cælo ipsis mixtis, non constat nobis an cessarent cessante omni influxu cæli, sicut erit post diem judicii. Dato tamen quod non cessabunt, ideo est quia illæ virtutes sunt accidentia inseparabilia talium mixtorum, eo quod formæ substantiales illorum ex suâ naturâ petunt illam contemperationem et impressionem cælestem; ideoque, manente tali formâ manet, etiam in absentiâ agentis, illa contemperatio et virtus semel communicata. Plura de natura lucis vide in lib. *de Anima* (quæst. 7 *).

* art. 2; RE III, 206-214

PRIMA LUCIS PRODUCTIO FUIT IN CORPORE SOLARI.

8. Sequitur difficillima et longa quæstio inter theologos de illa primæ lucis productione : quomodo et in quo subjecto fuerit facta. Nam, ut inquit S. Augustinus (XI de Civitate, c. 7 *), « qualis illa sit lux, et quo alternante motu, qualemque vesperam et mane fecerit, remotum est a sensibus nostris ». Et idem docet (I de Genesi ad litt. c. 11 **) ubi multas variasque affert de illa luce expositiones.

* PL 41, 322

** c. 10-11; PL 34, 253-4

9. Igitur opus distinctionis incepit Deus a formatione lucis, et segregatione inter lucem et tenebras. Tum quia est qualitas et pulcritudo corporis cælestis; unde conveniens erat ut informitas mundi inciperet removeri et tolli a primo corpore, quod est cælum. Tum etiam quia lux est qualitas communicabilis istis inferioribus, et in eâ communicant superiora inferioribus; unde illius formatio erat decus totius mundi. Tum denique quia sine luce non est dies; unde oportuit in ipsâ primâ die fieri lucem, si vere dies fuit.

10. Quæ ergo lux illa fuerit, et in quo subjecto, valde difficile est explicare. *Et videtur id reduci ad tres præcipuas sententias.* — Prima, quod illa lux non fuit facta in aliquo corpore luminoso, ut ex illo luminaret mundum; sed quod Deus immediate per se ipsum, sine aliquo corpore luminoso, illuminabat ipsum aerem et reliquas partes mundi. — Secunda sententia ponit illam lucem factam fuisse in aliquo corpore luminoso; sed dicit tale corpus non fuisse cæleste sed elementale, nempe quamdam nubem lucidam. Sed dividuntur in explicando quid factum sit de illa nube. Nam quidam dicunt desiisse, et resolutam fuisse in præjacentem materiam, creato sole. Alii dicunt adhuc illam nubem remanere, sed ita esse conjunctam seu subjectam soli, ut non possit ab illo discerni. Alii vero dicunt ex illa nube formatum fuisse corpus solis quartâ die. — Tertia denique sententia affirmat illam lucem factam fuisse in aliquo corpore cælesti, nempe in ipsomet sole, qui tunc incepit lucere et illuminare, quando Deus dixit : *Fiat lux.* Speciales tamen virtutes circa temporum variationem et circa alios effectus accepit illa lux quartâ die, quando dicuntur facta fuisse luminaria : ita quod in primâ die facta est lux solis solum secundum rationem communem lucis, ut opponitur nocti et tenebris, ab eisque discernitur; quartâ autem die formatus est sol secundum rationem luminaris, non solum ut opponitur tenebris et nocti, sed etiam alteri luci, nempe luci lunæ et stellarum.

Gen. I, 3

11. PRIMA SENTENTIA NULLO MODO EST ADMITTENDA : Quia illuminatio facta immediate a Deo, sine causâ secundâ, non est secundum naturas rerum (cum excludat illas), sed supra omnem naturam et omnem causam secundam : quod quidem Deus potest facere secundum absolutam potentiam, sed non secundum naturas rerum. In prima autem rerum institutione, ut sæpe dicit Augustinus *, non est ponendum id quod creatoris potentia facere potest, sed quod naturæ et institutioni rerum convenit. Itaque in illa prima rerum institutione et formatione id factum est a Deo, quod pertinebat ad hujus universi compositionem et connaturalem statum. Facere autem aliquos effectus, qui per causas secundas connaturaliter fiunt, sine ipsis, non est facere naturas rerum nec id quod pertinet ad constitutionem universi, sed facere aliquod miraculum et aliquid supra omnem naturam : quod utique ad creationem et formationem ipsius naturæ non pertinet. Si ergo Deus tunc illuminaret mundum se solo sine aliquâ causâ creatâ, non esset naturalis formatio lucis, sicut postulat ipsum universum, sed supernaturalis et miraculosa actio illuminandi.

* II *de Gen. ad litt.*, c. I, n. 2; PL 34, 263

12. SECUNDA SENTENTIA ETIAM REJICIENDA EST. Neque enim potuit aliquod corpus elementale esse subjectum illius lucis. Si enim esset aliquod corpus elementale, vel esset ignis, vel aer, aut aliquid in aere formatum : nam de aqua et de terra nullus dubitat, cum sint in loco valde inferiori. Lux autem illa de sursum radiabat : quia faciebat diem et noctem : quod non fit nisi per lucem desuper lucentem. — *In igne ergo non fuit illa lux :* quia ignis, qui est super elementum aeris, est nimis rarus; et sic non illuminat illa inferiora, ut ipsâ experientiâ videmus etiam noctibus tenebrosissimis.

13. *Quod si dicatur*, tunc fuisse illum ignem addensatum a Deo, et sic potuisse lucere : — *Non satisfacit.* Primo, quia hoc est præter statum naturalem illius ignis; non est autem dicendum Deum incepisse sua opera a statu non naturali. — Secundo, quia sic nullæ essent tenebræ; nec posset verificari, quod Deus *distinxit lucem a tenebris :* Gen. I, 4
quia sphæra ignis circumdat totum aerem et totam terram. Unde, si sphæra ignis addensata est ut luceret, circumdabat luce suâ totum aerem et

totam terram; et sic, quantumcumque moveretur ille ignis, semper erat lux in toto aere et in tota terra. Nisi dicatur quod Deus solum aliquam partem ignis addensavit, et reliquam reliquit in sua raritate : quod quidem sine fundamento dicitur et solum divinando. Sequuntur tamen inde alia inconvenientia, quæ statim * enumerabimus excludendo ab illa luce nubem formatam in aere. — Tertio, quia si addensaretur ignis, redderetur vehementissime calidus, inflammaretque aerem et torreret terram quando discooperta est. Quia tam vastum elementum, sicut est sphæra ignis quæ totum aerem circumdat, si ita addensaretur sicut noster ignis ut posset lucere et illuminare, sine dubio magnum calorem imprimeret toti aeri et corporibus subjectis : sicut aqua, dum operiebat terram, valde humectabat illam. Unde, quando tertiâ die terra discooperta est cum herbis et plantis, sine dubio tantus ignis torreret illam. — Quarto, quia si lux illa posita est in sphæra ignis, ut tunc luceret, modo autem non lucet neque post luminaria facta quartâ die, ergo fecit Deus illam lucem ut statim desineret, et non amplius luceret. Est autem magnum inconveniens, quod in prima rerum institutione Deus faceret aliquid ad destruendum et non ad perseverandum, ut bene notat S. Thomas hîc (art. 4 ad 2) : præsertim cum tam facile posset formare illam lucem in ipso sole, qui connaturaliter facit diem et noctem. Neque enim est decens facere per subrogationem, quod potest fieri per proprietatem in ipsâ primâ compositione totius universi. Et denique juvant inconvenientia statim * referenda pro elemento aeris.

* infra, n. 14-16

I P. q. 67, a. 4, ad 2

* infra, n. 14-16

14. *Quod vero illa lux prima non fuerit facta in elemento aeris,* vel in aliquo corpore illi adjuncto, *probatur :* quia elementum aeris in sua natura est valde rarum, nec potest illuminare et ejaculari radios (quod solum fit a corpore denso), sed solum recipere lumen tamquam diaphanum. Si autem aer addensetur et fiat nubes, posset quidem illa reddi lucida, et illuminare : sicque factam fuisse illam lucem docet secunda sententia. Tamen impossibile est hoc ita contigisse in illa prima formatione lucis. — Primo quidem, quia nubes illa non potuit fieri in secundâ regione aeris : quia tunc nondum erat talis secunda regio; nondum enim fecerat Deus firmamentum, quod divideret aquas ab aquis; quod factum est secundâ die. Sed tunc secunda regio aeris operiebatur aquis, ut sequenti quæstione * ostendetur; immo aliqui putant longe altiores fuisse aquas. Lux autem illa non erat recondita intra aquas, sed supra : illuminavit enim tenebras quæ erant super faciem abyssi. Solum ergo poterat illa nubes lucida occupare tertiam regionem aeris, quæ propter caliditatem suam et vicinitatem ad sphæram ignis non potest coagulare nubes; nec modo ibi formantur, sed regio illa est super omnes nubes. Et sic nubes illa tunc debuit fieri contra vel supra omnem naturam. Et sic sequitur inconveniens supra * illatum, quod inciperet Deus in primâ rerum institutione a violentiâ vel a miraculo, non ab eo quod est naturale rebus ipsis.

* infra, q. 68, n. 20-27

15. Secundo, sequitur aliud majus inconveniens : videlicet quia non posset illa nubes illuminare totum universum, sed major pars cæli maneret sicut antea in tenebris. Et probatur : quia illa nubes erat corpus valde parvum respectu illuminationis totius cæli : si quidem non poterat occupare nisi parvam illam partem tertiæ regionis aeris, et fortasse non totam, ne tangeret ipsas aquas quæ usque ad tertiam regionem elevabantur. Nec poterat cingere totam sphæram aeris : sic enim non esset distinctio inter lucem et tenebras, quia ex omni parte esset lux. Sed ad summum poterat occupare unum hemisphærium aeris, et fortasse non totum, ut posset motu suo successivo facere ortum et occasum lucis, diem et noctem. Unde tota illa nubes, quantumcumque consideretur sic extensa in aere, non posset esse ita magna sicut una stella firmamenti, non dico primæ magnitudinis, sed neque quintæ aut sextæ magnitudinis, quæ est major totâ terrâ. Illa autem nubes, sic in aere posita, longe minor esset totâ terrâ. Ergo non posset ejaculari lucem, usque ad octavam vel nonam sphæram, in tanta plenitudine quod posset facere ibi diem et illuminare illas sphæras, sicut fit in luce diei : cum etiam stellæ primæ magnitudinis, quæ sunt in octava sphæra et excedunt magnitudinem terræ plusquam centies, non emittant radios usque ad nos neque usque ad tertiam regionem aeris in tanta plenitudine lucis, quod possint facere diem, immo neque lucere sicut luna : sed compatitur illa lux stellarum cum nocte. Ergo non poterat illa nubes emittere lucem tantam, quæ faceret diem usque ad octavam et nonam et decimam sphæram, propter eamdemmet distantiam; sed superiores illæ spheræ semper manerent in nocte et in tenebris.

16. Tertio, quia opus distinctionis, sicut et ornatûs, primo incepit in corporibus cælestibus, deinde in elementaribus : sicut prius fecit Deus luminaria in cælo quartâ die, quam aves in aere et pisces in mari. Inconveniens ergo est, quod distinctio lucis et tenebrarum prius fieret in elementis quam in cælo : cum lux sit qualitas cælestis. — Quarto, quia illa lux facta est primâ die, per quam connaturaliter fit dies et nox. Nulla autem lux elementi facit diem et noctem connaturaliter, sed solum lux cælestis : ut modo expe-

rimur; ergo neque tunc. — Denique, urget illa ratio : quid factum sit de illâ nube et illâ luce. Nam vel totaliter desiit : et sic faceret Deus aliquid a principio ad destruendum, non ad permanendum in se vel in simili individuo. Vel mansit conjuncta soli, vel totaliter illi subjecta, ita ut non possit ab ejus luce discerni; et tunc est superflua : cum non aliam lucem emittat quam ipse sol, nec magis sol luceat quam sine ipsâ; nihil autem superfluum in operibus Dei. Vel tandem conversa est illa nubes in substantiam solis : et sic sol esset factus ex elementis, non ex substantiâ cælesti naturaliter incorruptibili. Et deinde non posset tam parvum corpus, sicut illa nubes, præbere sufficientem materiam tam magno corpori sicut est sol, qui magnitudine suâ excedit terram plusquam centum sexaginta vicibus.

17. **QUARE** a sufficienti enumeratione, et ad evitanda tot inconvenientia, **DICENDUM EST** : **illam lucem factam esse in aliquo corpore cælesti, neque in alio quam in sole,** qui est connaturale subjectum lucis, sive sit propria ejus passio, sive accidens inseparabile; et ipse connaturaliter facit diem per suam lucem, et per suam absentiam fit nox. Illa autem prima lux distinxit diem et noctem. Ergo convenienter erat lux solaris, quæ connaturaliter diem facit et noctem. — Verum est quod etiam illa lux solis, primo die facta, communicabatur lunæ et stellis : nec enim ad id erat impedimentum aliquod. Sed tamen usque ad quartam diem non acceperunt virtutem lucendi, cum illâ determinatione et modificatione quæ requiritur ad faciendum varietatem et distinctionem temporum, secundum diversum temperamentum caloris et frigoris, etc. (ut infra * dicetur). * n. 24 sqq. Si autem in alio corpore cælesti facta esset illa lux, cum modo non detur (quia non videmus lucem facientem diem nisi in sole), sequeretur illud inconveniens sæpe repetitum * : quod Deus (* supra, n. 11, 13, 14) in primâ formatione mundi faceret aliquid quod post statim deberet destruere, et inciperet naturas rerum subrogando et substituendo, non id quod proprium et naturale est formando.

17bis. Et ita, hanc sententiam, quod prima illa lux fuerit facta in sole, tenent plures doctores cum D. Thoma (hic, art. 1 * ad 2; et infra q. 70 **, a. 1) : quam sumpsit ex Dionysio (4° *** cap. De divinis nomin.) dicente quod « ipse sol est ea lux (etsi tunc erat informis) quæ primam distinxit et definivit dierum nostrorum trinitatem ». Et omnes doctores, qui cum Magistro (in II, D. 14 *) dicunt solem et stellas in quarta die solum accepisse motus proprios et accidentalem mutationem, videntur supponere quod primo die sol acceperit lucem.

(* verius : I P. q. 67, a. 4, ad 2 — ** I P. q. 70, a. 1, c. et ad 1 — *** § 4; PG 3, 700 A — * aut etiam in D. 13)

DIFFICULTATES IN CONTRARIUM EXPEDIUNTUR.

18. EST PRIMA DIFFICULTAS ex ipsis verbis Scripturæ, quia quartâ die dixit Deus : *Fiant* Gen. 1, 14, 16 *luminaria in firmamento cæli, et dividant diem ac noctem, etc. Fecitque Deus duo luminaria magna, luminare majus, ut præesset diei, et luminare minus, ut præesset nocti, et stellas.* Quod ita interpretatum est ab Esdra (IV Esdræ, VI, 45) : *Quartâ autem die imperasti fieri solis splendorem, lunæ lumen, stellarum dispositionem.* Ergo sol non fuit luminare faciens diem, neque habuit lumen aut splendorem distinguendo diem et noctem, usque ad diem quartam. Prima autem ista lux facta est primâ die, ut constat ex Scriptura; ergo non potuit esse lux solis.

19. EST SECUNDA DIFFICULTAS, si dicatur quod quarto die factus est sol, non in se substantialiter, sed quoad aliquas virtutes speciales competentes ipsi soli : ut docet D. Thomas infra (quæst. 70, I P. q. 70, a. 1 ad 1). Nam istæ virtutes sunt qualitates a. 1, ad 1 aliquæ ipsi soli impressæ, eique convenientes. Quæcumque autem virtus solis, per modum qualitatis in eo exsistens, est propria passio solis : quia ex suâ naturâ petit habere virtutem influxivam in hæc inferiora, sicut ignis petit calorem et aqua frigus. Ergo, si istæ virtutes attributæ sunt soli quarto die, fuit sol quatuor diebus sine propriis passionibus : quod est omnino contra naturam illius; et incidimus in inconveniens a nobis supra * * nn. 11, 14, 17 positum, quod Deus inciperet creare naturas rerum contra earum exigentiam et statum connaturalem.

20. TERTIO, URGETUR HOC AMPLIUS : Quia etiam in nostrâ sententiâ non possumus evadere hoc inconveniens, quod sol creatus fuerit sine propriâ passione : quod est monstruosum et præternaturale. — Sequela probatur : quia vel corpus et substantia solis producta est quando Deus dixit : *Fiat lux;* vel antea erat producta in ipsâ creatione cæli, sed nondum acceperat lucem, nisi quando Deus dixit : *Fiat lux;* vel denique in ipso primo instanti creationis creatus est sol cum suâ luce, sed non diffundebat illam quousque Deus dixit : *Fiat lux.* — Si dicatur primum, sequitur quod sol non est factus per creationem sicut reliqui cæli et partes eorum : quia totum opus creationis terminatum est in primo instanti, quando Deus creavit cælum et terram, ut supra * diximus. Formatio autem lucis * q. 65, n. 11-20 pertinuit ad opus distinctionis; ideoque tunc non potuit creari substantia solis : quia hæc, cum sit corpus cæleste, non fit nisi per creationem. — Si dicatur secundum : ergo productus est sol

sine luce, quæ est propria passio illius, sicut calor est proprietas ignis; et sic inciditur in inconveniens allatum de productione rei sine suâ propriâ passione. — Si dicatur tertium, sequitur quod etiam contra naturam lucis fuerit impedita illa illuminatio : quia tam naturale est luci se diffundere, quam propriæ passioni emanare a subjecto; ergo non minus monstruose et præternaturaliter fieret lux sine diffusione, quam sol sine propriâ passione.

21. *Quod si dicatur,* solem in primo instanti, quo creatus est, illuminasse aliquas partes mundi, etsi non omnes : — *Contra est,* quia tunc non salvatur quod tenebræ fuerint antequam Deus diceret : *Fiat lux.* Quia, hoc ipso quod in primo instanti creatus est sol cum luce, in eodem instanti debebat illuminare (quia illuminatio fit in instanti), nisi violenter detineretur ne tunc illuminaret. Quod vero non illuminaret omnes partes mundi, non est mirum : quia neque etiam modo sol illuminat omnes partes mundi, cum non possit totam terram simul illuminare.

[*Primæ et secundæ difficultati satisfit.*]

22. Ad primam difficultatem respondetur : Aliquos ita tenere, quod luminaria fuerunt facta quoad substantiam quartâ die : inter quos est Molina (tract. De opere sex dierum, disp. 15 *). Quod est expresse contra D. Thomam (hîc, q. 70, a. 1 ad 1 **; et q. 74, a. 1 ad 1 ***), et contra communiorem sententiam : ut bene notat Suarez (lib. II De opere sex dierum, c. 8, n. 4). Et fundamentum Molinæ sumitur ex secundâ difficultate jam positâ *. — *Ratio autem sententiæ D. Thomæ sumitur* ex ipsâ naturâ luminarium : quia sunt corpora cælestia, quæ naturâ suâ sunt incorruptibilia et ingenerabilia; ergo solum possunt fieri per creationem. Si autem contra eorum naturam fierent per generationem, esset introducere miraculum et modum præternaturalem in primâ eâque naturali rerum institutione. Si autem creata sunt luminaria, a principio creata sunt, quando *Deus creavit cælum et terram :* postmodum enim nullum compositum creavit ex nihilo (ut excipiamus animam rationalem, quam nunc etiam creat), sed unum formavit ex alio.

* IP 2030 A-C; 2033 B
** I P. q. 70, a. 1, ad 1
*** et magis : ad 4m
* supra, n. 19
Gen. 1, 1

23. Præterea, si luminaria non sunt creata a principio, inquiro : in loco eorum in cælis an fuerit aliquod corpus, vel nullum corpus. — Si nullum corpus : ergo fuit cælum creatum cum multis vacuitatibus : quod est magnum inconveniens, cum natura abhorreat vacuum. Nec relinqueretur materia ex qua fierent illa luminaria, nisi consumendo magnam partem reliquæ materiæ cælorum vel elementorum : quia omnia luminaria sunt valde magna corpora. — Si autem, in loco luminarium, aliquod corpus fuit creatum : vel illud corpus erat proprium et connaturale et debitum illi loco : vel non. Si primum, erat ipsum corpus luminarium : quia hoc est debitum et proprium illi loco; alias modo, et in toto tempore hujus universi, careret ille locus proprio et debito corpore. Si secundum : ergo creatum est cælum monstruose et præternaturaliter : quia produceretur sine proprio et debito corpore in illis locis. — Nisi dicatur, quod pro primâ creatione erat debitum illud corpus, et post quartum diem fuit debitum corpus luminarium : Quod, cum non constet ex ipsa Scriptura, neque naturæ rerum id postulent aut secundum convenientiam ad naturam earum dicatur, omnino est sine fundamento; et tantâ facilitate rejicitur, quantâ dicitur.

24. *Quare ad locum Scripturæ* * *dicimus :* in sensu omnino proprio dici quod facta sunt luminaria quartâ die, non quoad substantiam, sed quoad virtutem et officium influendi in hæc inferiora : quatenus tunc acceperunt speciales motus, quibus inter se opponerentur et congrederentur, aut diverso modo applicarentur, et sic etiam speciali modo earum lux et virtutes influerent temporum varietatem in calore, in frigore et aliis similibus. Unde signanter dicit Scriptura, non solum quod *fiant luminaria* absolute, sed etiam quod *dividant* * *diem et noctem, et sint in signa et tempora, et dies et annos :* et quod *fecit* * *luminare majus ut præesset diei, et luminare minus ut præesset nocti.* Itaque primâ die divisa est dies et nox, quantum ad præcisam et simplicem rationem lucis et tenebrarum. Quartâ autem die modificata est et disposita ista lux secundum varios adspectus et motus luminarium *: ut non solum facerent diversitatem luminis et tenebrarum, sed etiam varietatem temporum secundum diversum temperamentum caloris et frigoris, humidi et sicci, et aliorum similium; quæ nondum erant in prima die, sed in quarta : quia tunc inceperunt isti varii adspectus luminarium et planetarum, ex quibus varietas illa temporum consurgit. — Locus Esdræ * nihil urget : tum quia ille liber non est canonicus, nec auctoritatem habet; tum quia intelligi debet sicut locus præcedens, quod Deus quartâ die imperavit fieri splendorem solis et lumen lunæ, non entitative et substantialiter, sed secundum modum et dispositionem influendi varietatem temporum in hæc inferiora.

25. Ad secundam * difficultatem respondetur : Virtutes illas speciales solis et lunæ, etiamsi sint qualitate [1] distinctæ a luce, esse datas

[1] Sic omnes, tolerabiliter || Suspicamur tamen corrigendum esse *qualitates*; vide objectionem ipsam, supra, n. 19.

quartâ die quantum ad exercitium influendi varietatem temporum : quia in hoc exercitio dependent a variis motibus et adspectibus inter se; quem motum specialem non habuerunt usque ad quartum diem, neque habitura sunt post diem judicii, sed a primâ die solum habuerunt motum ordinarium diurnum. Unde tam motus isti et adspectus planetarum, quam exercitium illud sic influendi, non sunt propriæ passiones cæli et solis : sed sunt actiones seu influxus in actu secundo, quæ utique non sunt propriæ passiones; sed virtus in actu primo conveniens potest dici propria passio. Et D. Thomas (quæst. 70, a. 1 ad 1) solum dicit, « fuisse formata luminaria quartâ die per collationem determinatæ virtutis; » et (quæst. 74, a. 1 ad 4) quod « non fuerunt de novo producta, sed in aliquo modo formata, quo prius non erant ». Qui modus et determinatio virtutis sufficienter intelliguntur penes illos diversos motus et adspectus, et exercitium influendi in hæc inferiora.

[*Tertia difficultas solvitur.*]

* supra, n. 20 26. AD TERTIAM* DIFFICULTATEM P. SUAREZ
** n. 11-27 (lib. II De opere sex dierum, c. 2, n. 12** et sqq.; et c. 3) SENTIT, substantiam solis creatam fuisse in initio et instanti creationis cælorum, et non sine luce quæ est ejus propria passio, et in tota plenitudine lucis : quia sic et non aliter est propria passio ejus, et quia sic requiritur ut possit facere diem sicut fecit per suam lucem. — Sentit
* c. 3, n. 6; secundo*, tenebras duratione aliquâ præcessisse
c. 2, n. 20-21 formationem lucis : quia hoc exigit locutio Scripturæ et proprietas verborum, quia ly *tenebræ erant* durationem significat. Et cum dicitur quod
Gen. 1, 2 *spiritus ferebatur,* illa delatio aliquam durationem designat. Et post hoc dixit Deus : *Fiat lux;* ergo
Gen. 1, 3 tenebræ præcesserunt duratione aliquâ lucem. —
* c. 3, n. 7-9 Sentit tertio*, hanc durationem tenebrarum solum fuisse in uno instanti, ita quod immediate post instans creationis dixit Deus : *Fiat lux.* Neque enim amplius exigit locutio et significatio Scripturæ in verbis relatis.

27. *Ceterum premitur Suarez magnâ difficultate,*
* c. 2, n. 11 et câdemmet involvitur quam intendit vitare* : quia in illo primo instanti quo creatus est sol, vel creatus est cum luce quæ est propria passio ejus, vel sine illa. — Si sine illâ : ergo creatus est sol miraculose et præternaturaliter, quia sine propriâ passione; et saltem jam concedet Suarez in aliquâ duratione reali fuisse solem sine propriâ passione. Quod vero ista duratio sit instans vel tempus, hora vel dies, omnino materialiter se habet. — Si vero in illo primo instanti creatus est sol cum luce : ergo in illo primo instanti illuminavit mundum : quia lux in instanti, quo accenditur, illuminat; et sic non assignatur duratio in qua fuerint tenebræ, nec verificatur quod Deus immediate post creationem dixerit : *Fiat lux,* sed in ipso instanti creationis. Quæ omnia sunt contra proprietatem verborum Scripturæ, et contra ipsummet Suarez, qui concedit aliquâ duratione reali præcessisse tenebras formationem lucis.

28. VIDIT HANC DIFFICULTATEM SUAREZ*, * c. 2, n. 20-21
ET CONATUR ILLI SATISFACERE ALIQUIBUS SOLUTIONIBUS, quæ omnes parum adæquant et ab ipsomet Suarez vix admittuntur. — *Prima est**, * c. 2, n. 22
quod lux fuit in sole in primo instanti creationis quantum ad inhærentiam in corpore solis, non tamen quantum ad actionem illuminandi : quia pro primo instanti non debebatur concursus, quia non erat instans operandi, sed creandi. Tunc autem dedit Deus concursum ad illuminationem, quando dixit : *Fiat lux,* id est, illuminet et diffundatur in alia corpora. Gen. 1, 3

29. Accumulari posset huic solutioni ea [1] quæ sumitur ex Basilio (homil. 3 • in Hexameron), quod • rectius :
lux et tenebræ tunc fiebant et distinguebantur per hom. 2, n. 8;
emissionem et contractionem luminis, non per PG 29, 48 C
motum. — Sed hoc secundum Suarez** non ** c. 2, n. 18
admittit : quia, ut argumentatur D. Thomas ex Augustino*** (hic †, art. 4 ad 3), est contra *** PL 34, 258
naturam luminosi quod in ejus præsentiâ retrahatur † I P. q. 67,
lumen, cum sit agens naturale; retrahere autem a. 4, ad 3
vel emittere aliquid, est proprium agentis liberi vel spontanei; et sic illa distinctio lucis et tenebrarum fiebant [2] per motum circularem lucis. — Primam vero solutionem ægre admittit ipse Suarez* * c. 2, n. 22
ut tolerabilem et probabilem. Videmus enim quod in instanti, in quo fit vel oritur lux, in eodem operatur illuminationem; ergo in illo primo instanti est debitus illi concursus ad operandum. Ergo similiter, si in primo instanti creatus est sol cum luce, in eodem instanti debebat illuminare; ergo erat debitus illi concursus ad illuminandum, sicut debetur nunc cuicumque luci in primo instanti quo producitur. Si autem negaretur concursus a Deo, esset miraculosum et præternaturale; et sic inciditur in inconveniens, quod Deus incipiat primam formationem rerum a miraculis vel violentiis. Quod si admittitur miraculum in denegatione concursûs, cur non admittetur in denegatione propriæ passionis? Tam naturale est enim luci illuminare et diffundi in primo instanti, quam propriam passionem dimanare a subjecto quando producitur.

(1) Intelligito : *ea [solutio] quæ...*
(2) Sic omnes ‖ Fortasse corrigendum : *fiebat.* Vide tamen tomi I Præfationem, cap. III, art. 2, § 3, nn. 4, 5, b).

* c. 2, n. 23 30. *Secunda* * *solutio Patris Suarez est* : tenebras illas fuisse non per carentiam lucis in sole, nec per carentiam concursûs divini, sed quia aer erat ita densus et plenus nebulis, ut sol non posset totum aerem illuminare; et ideo tenebræ manebant super faciem abyssi, id est, superficiem aquæ occupabant, quia usque ad illam superficiem radii solis non attingebant. Scriptura autem non dicit tenebras absolute occupasse totum mundum, sed quod *erant super faciem abyssi*. — Vel secundo dicit pervenisse radios solis usque ad elementum aquæ, non tamen penetrasse usque ad ipsam terram *; ideoque terra dicitur *invisibilis* **, quia non penetrabatur a luce, sed erant tenebræ super faciem abyssi, id est, super superficiem concavam aquæ quæ tangebat ipsam terram. Quæ solutiones videntur indicari ab Augustino (I de Genesi ad litter. c. 11 et 12 *) et a Basilio (homil. 2 ** in Hexameron).

Gen. 1, 2

* Suarez, c. 2, n. 24 ** Gen. 1, 2. juxta LXX et *vet. lat.*

* PL 34, 254-5 ** PG 29, 57 A B

*** c. 2, n. 24 31. Suarez tamen eas non admittit. — Non primam *** : quia, cum ipse ponat tenebras solum primo instanti creationis, non apparet quomodo illæ nubes et nebulæ sint factæ in illâ parte aeris, quæ eminebat super aquas. Nec enim nebulæ illæ poterant elevari a cælo et sole in unico instanti, eoque primo, nullâ antecedente dispositione. Dicere autem quod Deus illas creavit, præsertim in tertiâ regione aeris, qui est locus non-naturalis nubium, sine fundamento est : quia Deus solum creavit cælum et terram, id est, corpora simplicia; quæ autem illis superadduntur, sicut sunt nubes, non pertinent ad instans et opus creationis, sed ad ornatum et distinctionem. — Secundam rejicit * : quia, si multitudo aquarum impediebat in primo instanti ne radii solis penetrarent ad terram, etiam toto tempore illius diei et sequentis id impedirent, quousque tertiâ die aquæ congregatæ sunt in unum et discooperta est terra; et sic non esset alternatio noctis et diei usque ad tertium diem : quod est contra Scripturam.

* c. 2, n. 25

* c. 2, n. 25. *Ad hoc autem*

32. Nec dici potest *, Deum immediate post primum instans confortasse actionem solis, ut penetraret totum elementum aquæ. — Contra enim est : tum quia sol creatus est in primo instanti cum totâ suâ luce quam postea habuit : ergo cum totâ suâ illuminatione; ergo tam confortata erat illa actio in primo instanti, quam postea. Tum etiam quia nec modo sol, quando ferit radiis suis superficiem maris vel fluviorum, non (1) penetrat usque ad fundum eorum : ut experientiâ constat : quia homines natantes sub aquis nihil vident de luce, sed indigent oleo *, qui effusus adscendit sursum, et viam aperit luci. — Nec dici potest id quod aliqui interpretantur, tunc fuisse tenebræ super faciem abyssi, id est, quod abyssus ex se non habebat claritatem, bene tamen a sole. Futile hoc est : quia illæ tenebræ fuerunt expulsæ per lucem. Lux autem numquam facit quod abyssus, immo nec aer, ex se lucem habeat. Unde si ad hoc esset facienda lux, ut abyssus ex se claritatem haberet, nondum modo facta est talis lux; si autem ut tenebræ expellerentur, ergo ante factam lucem tenebræ erant.

* cf. PG 29, 45 B; PL 14, 142 C

33. **VERITAS ERGO EST, quod lux, primo die facta, talis erat quod per illius alternationem fiebant dies et nox.** Dies autem et nox non fit per hoc, quod lux solis penetret vel non penetret aquas, sed per hoc quod pars superior et exterior mundi illuminetur, et pars non. Ergo tenebræ illæ, quæ fuerunt ante diem et noctem, occupabant totum mundum, quia non permittebant aliquam alternationem noctis et lucis. — Ita sentit D. Thomas supra (quæst. 66, a. 1), ubi inquit quod « a toto corpore diaphano, quod dicitur cælum, deerat pulcritudo lucis ». Et infra (quæst. 74, a. 2, in corpore) inquit quod « secundum alios sanctos (præter Augustinum) post productionem creaturæ fuit aliquod tempus in quo non erat lux ». In quo aperte contradicit Suarez * dicenti, quod immediate post primum instans facta fuit lux.

I P. q. 66, a. 1

I P. q. 74, a. 2

* c. 3, n. 7-9

34. *Tertia* ** *solutio Suarez,* in qua aliquantulum magis quiescit, est, quod dicuntur tenebræ fuisse super faciem abyssi, non quia erant in toto mundo, sed quia erant solum in isto nostro hemisphærio; in alio autem erat lux etiam in primo instanti : quia sol creatus supponitur in alio hemisphærio (nec enim constat in nostro fuisse), et sic illuminabat illud; nostrum autem immediate post incepit illuminare, quia immediate post movebatur ad illud. Et sic idem est dicere Deum : *Fiat lux,* ac dicere : « Moveatur sol et incipiat illuminare hoc hemisphærium. » Itaque illæ tenebræ non fuerunt universales, sed dimidiatæ; et solum dicitur facta lux immediate post creationem, non in se, quia jam erat, sed quoad suum motum, ratione cujus tenebræ deinceps appellatæ sunt nox quia inceperunt per successionem motûs fieri.

** c. 2, n. 26

Gen. 1, 3

35. *Sed hæc solutio,* præterquam quod est directe contra D. Thomam locis nuper * citatis, dum dicit ** quod « a toto corpore diaphano, quod est cælum, deerat pulcritudo lucis », *manifeste in se est falsa.* Quia si tenebræ solum erant in nostro hemisphærio, et lux dicitur facta quia incepit sol

* supra, n. 33 ** I P. q. 66, a. 1

(1) Omnes : *nec modo... non penetrat* : altera negatio superfluit (Cf. tomi I Præfationem, cap. III, art. 2, § 3, n. 2, b).

moveri ad ipsum, sequitur quod non aliter est facta lux illo primo die a Deo, quam modo quotidie fit lux : quia exsistente nocte in nostro hemisphærio, incipit sol moveri ad illud et illuminare tenebras noctis quas antea non illuminabat. Quod autem sol inceperit tunc moveri, ideo est quia in primo creationis instanti non potuit esse motus intrinsece, sed immediate post et extrinsece : sicut etiam modo non movetur ad nostrum hemisphærium in instanti intrinsece, sed extrinsece et immediate post. Dicere autem quod non aliter erant tenebræ in principio mundi, nec aliter Deus primo formavit lucem in mundo, quam modo quotidie formatur per ortum solis et motum ejus ad nostrum hemisphærium, plena absurditas est : omnes enim intelligunt primam formationem lucis, a Deo factam, aliquid diversum esse a quotidiano ortu et accessu solis ad nostrum hemisphærium. Si autem eo modo facta est lux, quo Suarez ponit, mundus in primo instanti fuit in totâ luce quam potest habere et modo habet : quia modo numquam est lux in utroque hemisphærio, sed solum in uno, ut constat. Ergo si mundus in primo instanti fuit plene illuminatus in uno hemisphærio, fuit in totâ luce quam potest habere et modo habet; ergo non magis fuit tunc sub tenebris et sine luce, quam modo. Ergo frustra dicitur quod Deus fecit lucem de tenebris, si totam lucem jam habebat eamdem quam modo.

36. Præterea : si sol creatus est in alio hemisphærio cum totâ suâ luce et illuminatione, ergo in nostro hemisphærio irradiabant stellæ in primo instanti; et fortassis etiam luna, si ex opposito ad solem creata est : quia sol exsistens in alio hemisphærio illuminat stellas quæ sunt in nostro hemisphærio. Ergo non erant tenebræ in nostro hemisphærio super faciem abyssi, sed erat lux stellarum, sicut modo in serenâ nocte : quia tunc non erant nubes. Et sic cælum non est creatum informe, sed cum totâ pulcritudine lucis, id est, cum tantâ luce quam modo habet, et non aliam potest habere. Nec verificatur id quod dicit
II Cor. VI, 4 Apostolus, quod *Deus dixit de tenebris splendescere lumen :* non enim de tenebris, sed de aliquâ luce, id est, de luce stellarum, dixit lumen splendescere, id est, solem oriri seu moveri ad nos, sicut nunc fit quotidie : quæ omnia satis absurda apparent.

37. **VERA ERGO SOLUTIO difficultatis propositæ est, quod corpus solare creatum est in primo instanti sine luce, sed omnino**
* supra, n. 20 **informe.** — Et cum dicitur *, quod lux est propria passio solis, *distinguo :* est propria passio illius absolute et pro omni statu, etiam informi, *nego;* pro aliquo statu in quo est formatus, *concedo.* Sunt enim aliquæ passiones quæ absolute et pro omni statu conveniunt rei, sicut risibilitas homini aut potentia intellectiva. Aliæ vero sunt quæ conveniunt rei ex aliquâ suppositione et statu, et non absolute : vel quia sunt passiones impedibiles a suis contrariis : vel quia sunt passiones ita perfectæ, quod exigunt subjectum in statu perfecto, ut illi actu conveniant : v. g. calor ut octo est propria passio ignis, et frigus ut octo aquæ; et tamen potest inveniri aqua sine frigore ut octo, et ignis sine calore ut octo, præsertim si generentur imperfecte et sub aliquâ informitate, aut sint in statu imperfecto corruptionis. Nec magis est propria passio solis lux, quam calor ignis, vel frigus aquæ. Similiter lapidi convenit quiescere in centro tamquam propria passio; et tamen si generetur[1] extra centrum, non convenit ei quiescere, sed moveri. Et quando primo formatur animal, cor est primum membrum quod formatur, et movetur sine conjunctione ad hepar, et sine sanguine ab eo ministrato; et tamen postea moreretur animal, et non moveretur cor, sine sanguine et hepate. Et aliæ sunt actiones convenientes homini viro vel infanti; et diversæ proprietates conveniunt uni ætati atque alteri, v. g. diversum robur, vires, etc. Sic ergo lux est proprietas solis formati et in statu perfecto, non solis informis et solum in suâ entitate considerati, in primo instanti creationis.

38. *Et si dicas :* Quis est iste status perfectus, et formatio solis, ut ratione ejus conveniat illi lux? — *Respondeo,* esse statum in quo sol consideratur non solum entitative secundum quod est quoddam corpus cæleste, sed secundum quod est principium varietatis istorum inferiorum quoad generationem et corruptionem et distinctionem rerum. Et similiter lux consideratur non ut præcise est illuminativa, sicut etiam invenietur post diem judicii in cælo, et modo invenitur in igne : sed ut est alterativa et generativa horum inferiorum, et vivificativa eorum, ac distinctiva diei ac noctis; sic enim data est soli primo illo die. Sol autem et lux ejus non sunt influxiva varietatis et distinctionis horum inferiorum secundum quod sol absolute consideratur in suâ entitate, sed supposito motu : quia sine motu sol non influit in istorum inferiorum generationem et varietatem, ut manifestum erit post diem judicii. Ergo lux talis qualitatis, id est, ut influxiva in generationem horum inferiorum, non fuit debita soli in primo instanti : quia tunc non erat adhuc motus; sed

(1) Ita bene corrigit P || Mendose LC *generentur*.

debuit motus præsupponi, ut (1) esset in statu habendi talem lucem. Ergo et aliquod tempus debuit poni sine luce, ut esset in statu habendi illam : quia omnis motus in tempore est, non in instanti. Lux autem connaturaliter debuit in instanti dimanare a sole, vel in eo produci : tum quia illuminatio est instantanea; tum quia ipsa lux in sole est forma permanens, et in summo perfecta, ita quod non potest successive crescere. Si ergo lux connaturaliter datur in instanti, et quia talis condicionis est in sole, quod est influxiva in generationem horum inferiorum, præsupponit in illo motum ut ei conveniat, oportuit quod inter instans creationis solis, et instans quo lux data est, aliquis motus intercederet : et consequenter aliquod tempus sine luce, atque adeo in tenebris. Quantum autem temporis fuerit, relinquebatur
* q. 66, n. 4-6 voluntati creatoris. Et nos supra * probabiliter putavimus fuisse spatium sex horarum, propter convenientiam ibi adductam.

39. Et sic intelligimus opinionem eorum, qui docent defuisse aliquam propriam passionem soli in primo instanti creationis : scilicet non passionem quæ tunc deberetur, sed quæ postea in statu magis formato debita est; de qua opinione videatur Ferrariensis (IV *Contra Gent.* c. 65), Bañez (hic *) * in I P. q. 67. a. 4, dub. 2
et alii. Et sine dubio est S. Thomæ, ut ibi probat Ferrariensis (§ *Moveor sexto* **) : quia ex una parte ** et §§ seqq.
(in hac quæst. †, a. 4 ad 2) dicit illam primam † I P. q. 67. a. 4, ad 2
lucem fuisse in sole; ex alia autem docet infra (q. 74 ††, a. 2, in corp.) : « Post productionem creaturæ fuisse aliquod tempus, in quo †† I P. q. 74. a. 2
non erat lux. » Et supra (quæst. 66 †††, a. 1) ††† I P. q. 66. a. 1
dicit quod « deerat a toto corpore diaphano, quod dicitur cælum, pulchritudo lucis ». Ergo, in sententia D. Thomæ, aliquando fuit sol sine luce.





QUÆSTIO LXVIII

DE OPERE SECUNDÆ DIEI

TEXTUS :

Gen. I, 6-7 *Dixit quoque Deus : Fiat firmamentum in medio aquarum, et dividat aquas ab aquis. Et fecit Deus firmamentum, divisitque aquas, quæ erant sub firmamento, ab iis quæ erant super firmamentum.*

NOTANDA CIRCA HANC QUÆSTIONEM.

1. Secundum opus distinctionis, quod in secundâ die factum est a Deo, continet duos effectus. Primus est formatio firmamenti, quod Deus appel-
* Gen. I, 8 lavit cælum *. Secundus est divisio seu segregatio inter aquas superiores, quæ sunt super ipsum firmamentum, ab iis quæ sunt sub illo. — *Et circa utrumque effectum est magna difficultas :* Quodnam sit illud firmamentum; an sit cælum in quo sunt sidera, et est octava sphæra inter cælestes (hæc
* Gen. I, 17 enim etiam vocatur firmamentum *); an vero illud firmamentum sit spatium illud aeris in quo nubes coagulantur, et vocatur expansio et cælum, sicut
* Gen. VI, 7; Ps. VIII, 9 dicuntur « volucres cæli * », scilicet non cæli siderei, sed aerei. — Circa secundum effectum est etiam difficultas : quænam sint illæ aquæ, quæ hic dicuntur esse super firmamentum; et quæ dicantur esse infra illud; et quomodo firmamentum dividat inter illas, et dicatur factum in medio aquarum.

FIRMAMENTUM FACTUM SECUNDA DIE NON EST ALIQUOD CORPUS CÆLESTE.

2. Difficile est in iis quæstionibus resolutionem S. Thomæ invenire : quia ipse tantam reverentiam defert sacris Doctoribus, quod in hoc tractatu potius elegit eorum opiniones referre, quam impugnare, vel suam interponere, memor illius sententiæ
* PL 34, 219-220 Augustini (I de Genesi imperfect. c. 1 *) : « De obscuris naturalium rerum, quæ omnipotenti Deo artifice facta sentimus, non affirmando sed quærendo tractandum est, in libris maxime quos nobis commendat auctoritas divina. »

2bis. *Nihilominus circa hanc difficultatem* de firmamento, an fuerit cæleste vel aereum, *non obscure indicat S. Doctor suam sententiam :* Tum (in hac quæst. art. 1) ubi utramque sententiam et intelligentiam proponens, quod nomine firmamenti quidam intelligunt firmamentum æthereum, quidam aereum, in calce corporis articuli hanc secundam sententiam maxime commendat illis Augustini verbis (II de Gen. ad litteram, c. 4 *) : « Hanc considerationem laude dignissimam judico. Quod enim dixit, neque est contra fidem, et in promptu posito documento credi potest. » — Tum quia infra (quæst. 74, a. 1) inquit quod « prima pars mundi, quæ significatur nomine cæli, distinguitur primâ die et ornatur quartâ; media vero, quæ significatur nomine aquæ, distinguitur secundâ die et ornatur quintâ ». Igitur, secundum D. Thomam, divisio quæ facta est secundâ die non pertinuit ad corpora cælestia, sed ad elementalia quæ nomine aquæ designantur. — Denique S. Thomas opus creationis ponit factum simul et in instanti, nempe quando in principio creavit Deus cælum et terram : reliquis autem diebus non est creatum aliquid ex nihilo, ut affirmat infra (quæst. 74, a. 1 ad 1 *; et a. 2 ad 2). Firmamentum autem sidereum non potuit, secundum sententiam D. Thomæ, fieri nisi per creationem ex nihilo : quia cælum est ingenerabile et incorruptibile : ergo non (1) secundâ die, quia solum per creationem est producibile. — **HABEMUS ERGO HANC SENTENTIAM a D. Thoma approbatam, et necessario juxta sua principia deductam, et ab Augustino * valde laudatam,** et Chrysostomo (homil. 4 ** in Genes.) non improbatam,

(1) Supple : *non [factum est] secundâ die.*

insinuatamque ab Ambrosio (lib. II Hexameron, c. 4***; licet in c. 3† etiam oppositam videatur defendere). Eam etiam sequitur Beda (lib. II De elementis philosophiæ, in principio ††), Glossa interlinearis †††, et plures ex recentioribus, quos citat et sequitur Pater Suarez (lib. II De opere sex dierum, c. 4, n. 20), Bañez (in hac quæst. 68*), et alii.

*** n. 15; PL 14, 152
† n. 8-12; PL 14, 148-150
†† PL 90, 1140
††† in Gen. 1, 6
* I P. q. 68, a. 1

3. NIHILOMINUS OPPOSITAM SENTENTIAM TENENT ETIAM ALII, qui putant supra firmamentum sidereum esse veras et elementales aquas : quod tenet Molina (tract. De opere sex dierum, disp. 10*), et Bellarminus (super Psal. CXLVIII, 4, ad illa verba : *Et aquæ omnes, quæ super cælos sunt, etc.*), et alii. Fundanturque præcipue in proprietate verborum Scripturæ, quæ id sæpius significat, et in pluribus sanctis Patribus qui sic interpretari videntur Scripturam; de quo postea*. — *Potest autem hæc sententia duplici viâ defendi. Uno modo,* sustinendo omnes cælos (præter empyreum) non esse creatos ex nihilo, sed ex aqua quæ a principio occupabat totum spatium a terra usque ad cælum empyreum : et hanc opinionem ut probabiliorem sequitur Molina* citatus. — *Aliâ viâ potest defendi,* affirmando cælos non esse factos ex aqua, neque aquas occupasse totum illud spatium usque ad cælum empyreum, sed cælos esse factos per creationem, aquas vero elementales illuc esse elevatas a Deo, vel creatas supra cælum stellatum. Et quidem sancti Patres, qui aquas illas supra cælos sic explicant, non multum disputant de hac quæstione quomodo cæleste illud corpus interpositum sit inter istas aquas. Unde non videntur plures ex illis rem hanc ex professo tractare, ut postea* expendemus. — Rem tamen hanc redigendo ad disputationis terminos, tot tantaque sunt inconvenientia, quæ ex illâ sententiâ sequuntur, ut omnino nos cogant ad sententiam Augustini et D. Thomæ confugere. Breviter id colligemus in utroque modo defendendi illam sententiam.

* IP 1998-9
* infra, n. 12
* IP 1998 CD
* infra, n. 14-14ter

[*Prioris viæ inconvenientia.*]

4. PRIMO ERGO, si dicatur* illud firmamentum cæleste, secundâ die factum, esse cælum generatum ex aquâ, interpositumque inter aquas superiores et inferiores, OSTENDITUR FALSITAS ET INCONVENIENS HUJUS : Quia ad hoc ut tale firmamentum fieret « in medio aquarum », sicut dicit Scriptura, oportebat quod elementum quasi repleret totum spatium quod est usque ad cælum empyreum, vel usque ad nonam (1) sphæram : si quidem firmamentum, quod est octava sphæra, dicitur* facta in medio istarum aquarum, et divisisse inter aquas superiores et inferiores. Et iterum tota illa aquarum moles necessaria erat, si debebat præbere materiam ex qua fierent vastissima illa corpora, quæ a cælo lunæ usque ad empyreum occupabant illud spatium. Elementum autem aquæ non potest connaturaliter et juxta suam naturam tantum spatium replere in hoc universo, quantum modo occupant aer, ignis et novem vel decem sphæræ cælestes, quæ sunt corpora vastissima et incomparabiliter excedentia omnia elementa. — *Et probatur manifeste :* quia aqua habet naturam elementalem, estque elementum infimum præter terram; ergo naturaliter petit esse contentum sub aere et igne, tamquam sub elementis sibi superioribus, et multo magis sub sphæris cælestibus. Ergo producere in hoc universo elementum aquæ in tanta vastitate quod occuparet non solum spatium aeris et ignis, sed etiam cælestium sphærarum, est præternaturaliter et monstruose producere elementum. Et sic non potuit firmamentum cæleste connaturaliter, et secundum suam exigentiam, produci ex isto elemento aquæ et in medio aquarum : si quidem ad hanc productionem supponebatur elementum aquæ productum præternaturaliter et monstruose : quod est incidere in inconveniens sæpe* repetitum, quod Deus in primâ institutione naturarum non juxta naturalem eorum modum, sed modo præternaturali, eas formaverit.

* cf. supra, n. 3, *Potest autem*
Gen. 1, 6
* Gen. 1, 6-7

5. *Nisi dicatur Deum,* quando creavit cælum et terram, nondum creasse hoc universum secundum suas partes; et sic elementum aquæ non esse creatum tunc tamquam elementum redactum ad suum locum, sed tamquam materia generalis partium universi. — *Sed, si ita est,* non apparet quare creata sit terra : quæ non minus poterat fieri ex aqua, quam alia elementa et sphæræ cælestes. Si enim tunc non est productum hoc universum constans ex cælis et elementis, sed solum materia ex qua fieret universum, inconveniens videtur quod terra (quæ est imperfectissimum elementum) non fuerit ex aliquâ materiâ sed per creationem, et reliqua nobilissima corpora fierent ex materiâ. Et unde constat aquam assumptam esse a Deo pro materiâ orbium cælestium, magis quam aerem vel aliud corpus simplex? Nam Scriptura id non dicit, nec ex revelatione aliâ constat; ratio autem naturalis non magis dictat ex aqua formandum esse cælum, quam ex aere vel ex alio corpore. Unde ergo id dicitur, nisi divinando? Credendum est ergo quod, quando creatum est cælum et terra, universum hoc creatum est, ita quod unicuique corpori, sive elementali sive cælesti, suus locus et ordo assignatus est

(1) Sic bene corrigit C ; LP *novam.*

in hoc universo; et ita præternaturaliter fieret elementum aquæ, si non redigeretur ad locum inter elementa sibi debitum, sed tam vastum spatium occupasset.

6. PRÆTEREA CONFIRMATUR HOC AMPLIUS : Quia si illa corpora cælestia facta sunt ex aquâ tamquam ex materiâ, inquiro de ipsâ aquâ quomodo facta sit : An ex aliâ aquâ et materiâ : An per creationem ex nihilo? — Non ex aliâ aquâ : sic enim esset processus in infinitum, inquirendo idem de illâ aliâ aquâ. — Si autem creata est ex nihilo, cur magis aqua postulat creari ex nihilo, quam elementum aeris vel ignis et reliquæ sphæræ cælestes? Nam cæli et alia elementa non sunt minus simplicia corpora, quam elementum aquæ, cum quodlibet illorum simplici motu gaudeat. Nec sunt minus perfecta quam elementum aquæ; immo longe perfectiora. Cur ergo soli aquæ et terræ et cælo empyreo est debitus et connaturalis modus procedendi per creationem, non autem aliis cælis et elementis? Quod si ex naturâ suâ elementum aquæ petit esse elementum contentum sub aere et igne, non autem in tantâ vastitate creari, nonne convenientius et connaturalius est elementum aeris et ignis et orbes cælestes ex nihilo creari (cum id sit possibile, nec magis debitum aquæ quam illis), quam illam monstruosam vastitatem aquæ creari supra id quod petit ejus natura, ut ex illo monstro aquæ formentur cæli?

7. TERTIO : Si elementum aquæ pertingebat usque ad cælum empyreum, ut ex illâ formarentur omnes cæli mobiles qui totum illud spatium modo replent, et ne esset ibi vacuum si in toto illo spatio primâ die non esset aliquod corpus, inquiro : illa lux, quæ producta est primo die et suâ alternatione fecit noctem et diem, ubi fuit et quomodo movebatur? — Non intra ipsas aquas : sic enim non apparet quodnam corpus connaturaliter intra aquas lucem illam haberet, et motu suo diem faceret ac noctem. Ipsum vero corpus aquæ, vel pars ejus, non habebat illam lucem, ita ut intra aquas moveretur, et faceret diem et noctem : non enim aqua est corpus luminosum connaturaliter, sed diaphanum; et casu quo præter suam naturam lucem reciperet, statim quartâ die debebat deponere : et sic faceret Deus in illâ lucem, ut statim destrueret. Et idem esset de alio corpore intra aquas illuminante. Nec apparet quomodo intra aquas moveri poterat lux illa circulariter, et facere diem et noctem : cum aqua non sit corpus ita densum, sicut requiritur ad illuminandum, faciendo diem : quod requirit magnam lucem. — Si autem illa lux erat in aliquo corpore super ipsas aquas, hoc non potuit esse in hâc sententiâ : quia illæ aquæ immediate tangebant cælum empyreum. Alias, si non immediate tangerent, inter ipsas et cælum empyreum esset vacuum : quod est contra naturam universi. Vel esset aliud corpus, quod nec esset aqua, neque cælum empyreum, neque aliud corpus generatum ex aquâ : quia adhuc ex illâ aquâ nihil erat factum, neque cæli, neque elementa alia. Quid ergo esset? — Quare in hac sententia non relinquitur locus corpori in quo poneretur illa lux ad illuminandum faciem illam abyssi, in qua erant tenebræ. Et sic vel Deus se solo illuminabat mundum sine causâ secundâ : quod est supra naturalem ordinem rerum; quod non debet poni in primâ rerum institutione. Vel illa lux debebat procedere a cælo empyreo, cum tamen ad illud cælum non pertineat illuminare hunc mundum, et facere diem et noctem : quia non movetur circulariter sicut sol, sine quo motu circulari non est alternatio diei et noctis.

[*Posterioris viæ inconvenientia.*]

8. In sententiâ * autem dicente firmamentum et omnes cælos esse factos per creationem, MULTO FORTIUS PROBATUR EADEM SENTENTIA. Nam ista creatio firmamenti et cælorum vel facta est in illo primo instanti, quando Deus creavit cælum et terram, ita quod ly *cælum* significet omnia corpora cælestia : vel creatum est secundâ die, quando factum est firmamentum in medio aquarum. — *Si primum :* ergo firmamentum, quod factum est secundâ die, non erat corpus cæleste : quia jam supponebatur factum primâ die. Nec poterat tunc fieri quoad officium dividendi aquas ab aquis : quia si primo die factum est firmamentum et reliqui orbes, ergo primâ die occupatum est cælestibus corporibus totum illud spatium quod est a concavo lunæ usque ad cælum empyreum : quia ibi sunt decem sphæræ mobiles inter quas nullum est vacuum, neque corpus aliud intermedium, sed immediate se tangunt : sicut, inter elementa, terra et aqua immediate tangunt aerem, et aer ignem. Ergo non potuit in illo spatio, sic repleto orbibus cælestibus, dari aliqua multitudo aquarum inter quas divideret firmamentum, et in quarum medio fieret, nisi tales aquæ essent penetratæ cum cælis, aut illos dividerent : quod totum est præternaturale et miraculosum.

* cf. supra, n. 3. *Alia via*

8bis. Et præterea, vel firmamentum in eo loco, in quo creatum est a principio, divisit aquas ab aquis, et creatum est in medio aquarum : vel a principio creatum est in alio loco ubi non erant istæ aquæ, et postea secundo die tractum est ad illum locum ubi erant aquæ, ut illas divideret et in medio earum poneretur : aut ipsæ aquæ ad firmamentum elevatæ sunt, ut inter eas fieret divisio. — Hoc tertium fieri non poterat, nisi aquæ

elevarentur dividendo vel penetrando cælos, quod est præternaturale : aut creando ipsas super cælos, et tunc non fieret firmamentum in medio aquarum, sed aquæ ponerentur super firmamentum. — Si primum : ergo divisio aquarum non est facta secundâ die, sed in primâ et in ipso primo instanti creationis : quod est contra Scripturam. — Si secundum : non apparet in quo spatio primâ die creatum sit firmamentum et reliqui cæli, a quo postea extrahendi essent : quia intra universum et infra cælum empyreum non est spatium sufficiens ad capiendum firmamentum et omnes orbes cælestes, nisi istud in quo modo sunt; et sic non possunt deferri ad aliud. Deberent ergo creari extra cælum empyreum, ut postea sub illo ponerentur ad dividendum aquas : quod est omnino monstruosum et præternaturale, quod creentur corpora hujus universi extra totum universum. Et de ipsis aquis, quæ essent intra universum, restant difficultates statim referendæ : quomodo possent dividi a firmamento et a cælis inter ipsas creatis.

* cf. supra, n. 8, *vel creatum est*

9. *Si autem dicatur illud secundum* *, nempe firmamentum et reliquos cælos esse creatos ex nihilo secundâ die : in primis sequitur quod opus creationis non sit terminatum primâ die : cum tamen in secundâ die fuerit opus distinctionis, et non creationis. — Secundo, quia, si firmamentum et cæli creati sunt secundâ die, inquiro : an illud spatium ab orbe lunæ usque ad cælum empyreum fuerit primo die repletum aliquo corpore, vel vacuum. Vacuum esse non potuit : quia hoc tota natura abhorret; nec poterat in tali vacuo esse lux et dies, quia esset sine subjecto : cum tamen primo die fuerit lux. Si autem fuit repletum aliquo corpore : non cælesti, quia cæli et firmamentum creata sunt secundâ die, juxta hanc sententiam; non elementali, quia maxime repletur (1) aquâ, ut in medio aquarum fieret firmamentum, divideretque aquas ab aquis : et tunc incidimus in inconvenientia allata *, quod primo die elementum aquæ esset monstruosum et extra suum statum naturalem in tantâ magnitudine et vastitate, nec daretur corpus in quo moveretur lux illa primo die.

* supra, nn. 4, 6-7

9bis. Præterea sequitur aliud majus inconveniens : quod, cum secundâ die crearetur firmamentum et reliqui cæli, et non fierent ex ipsâ aquâ, oportebat totum illud corpus aquæ expellere ab illo loco quem modo occupant omnes illi orbes ab orbe lunæ usque ad cælum empyreum. Neque enim penetrata manebat aqua cum orbibus cælestibus, nec ipsi cæli habent poros quibus tantam aquam excipiant : cum sint *solidissimi, quasi ex aere fusi*, ut dicitur (Job XXXVII, 18). Quid ergo factum est de tanta aqua, quæ expulsa est ab illo spatio ubi nunc sunt cæli? An annihilata est? Sed Deus non facit creaturas ut annihilet illas; neque hoc erat conveniens in prima institutione mundi facere aliquid, ut statim destruat. An conversa est illa aqua in alia corpora? Sed hoc non potuit sufficere pro tanta vastitate aquæ, quæ occupabat spatium usque ad cælum empyreum : non enim est conversa in corpora cælestia quæ ponuntur facta per creationem; ergo in alia corpora infra omnes cælos, quæ solum sunt ignis, aer et terra. In terram non est conversa illa aqua : quia terra erat creata a principio, quando Deus creavit cælum et terram. Restat ergo solum elementum ignis et aeris, in quæ converteretur illa aqua. Hæc autem duo corpora sunt valde parva, et quasi punctum, respectu corporis tam vasti quod occupabat a concavo lunæ usque ad cælum empyreum. Præsertim, quia aqua non convertitur in aerem et ignem nisi per subtilitatem et raritatem, non per condensationem et compressionem partium : cum aer sit multo rarior aqua; quomodo ergo potuit tam grande corpus aquæ converti in tam parva corpora illorum duorum elementorum, et hoc non comprimendo se, sed dilatando et subtilizando?

10. *Dices :* Neque est conversa in aerem, neque in ignem, illa aqua; sed, cum esset valde tenuis et rara, redacta est tota illa aqua ad illam exiguam quantitatem, qua mansit infra elementum aeris operiendo terram. — *Sed contra :* quia in primis totum hoc est divinare, quod in tantâ raritate fuerit illa aqua producta; sic enim proprie non esset aqua fluida, sed vapor : quem vaporem mansisse supra cælos non admittent oppositi auctores, qui ponunt veras et fluidas aquas ibi esse, non aliquam nubem tantum vel vaporem. Sane aquæ illæ retinebant verum et connaturalem statum aquæ : ergo et densitatem requisitam ad talem naturam; alias non producerentur connaturaliter. Ergo erant densiores quam aer vel nubes aut vapor; ergo non poterat tanta multitudo aquarum, quæ tantum spatium occupabat, redigi ad tam breve spatium (quale est infra aerem et supra terram) per solam condensationem, nisi condensatio tanta esset quod redderet illas congelatas quasi lapidem : quod est totum elementum aquæ ponere extra statum naturalem, et incipere Deum formare hoc universum modo præternaturali.

11. Omitto rationem illam, quæ etiam satis efficax est, sed ab aliis auctoribus sufficienter ponderata : nempe quia non apparet finis propter

(1) Ita omnes !! Æstimamus legendum : *repleretur*.

quem fiat iste effectus ita præternaturalis et violentus, scilicet quod corpus elementale, id est, aqua, perpetuo sit extra suum locum naturalem, scilicet supra cælum : cum naturalis locus aquæ sit infra aerem. Non enim illæ aquæ possunt deservire ad temperandum calorem ignis. Tum quia ignis in suâ sphærâ est valde rarus, nec multum calefacit, sicut nec lucet. Tum quia a tantâ distantiâ, sicut est supra firmamentum cæli usque ad sphæram ignis, quomodo possunt illæ aquæ emittere frigus ad temperandum illum calorem? præsertim obsistentibus cælis, qui sunt valde solidi et incapaces recipiendi in se frigus ad transmittendum illud in ignem. Immo deberent illæ aquæ esse densissimæ et plusquam congelatæ, ut possent ad tantam distantiam ejaculari frigus : cum videamus apud nos, quod mare ad paucissimam distantiam potest infrigidare vel humectare : immo etiam totus tractus septentrionalis, qui perpetuo gelu durescit, vix illud spatium usque ad tertiam regionem aeris potest suo frigore inficere : quanto minus aquæ supra firmamentum poterunt emittere frigus usque ad sphæram ignis! — Neque etiam illæ aquæ fuerunt ibi repositæ pro diluvio, quando cataractæ cæli apertæ sunt : quia diluvium factum est per pluviam quadraginta dierum, quæ decidit e nubibus; aquæ autem, si essent supra firmamentum, non poterant decidere nisi dividendo cælum : quod est ponere miraculum sine necessitate. Et præterea, opus esset alio miraculo, ut Deus acceleraret motum illius aquæ, ut perveniret ad terram : quia tanta distantia est a firmamento cæli usque ad terram, ut non possit aliquando quod grave est inde descendere, nisi multis diebus aut etiam annis. Unde cum in articulo illius diei, quo ingressus est Noe in arca, inceperit pluvia et ruptæ sint cataractæ cæli, multos annos deberet exspectare Noe pro diluvio, ut illa aqua caderet a firmamento, nisi Deus ejus motum acceleraret per miraculum.

[*Fundamentum diruitur.*]

12. Fundamentum oppositæ sententiæ facillime explicatur. — SUMITUR ENIM EX SCRIPTURA sæpius dicente, quod aquæ sunt super cælos, sicut (Psal. CIII, 2-3) : *Extendens cælum sicut pellem, qui tegis aquis superiora ejus;* (Psal. CXLVIII, 4-5) : *Laudate eum cæli cælorum; et aquæ omnes, quæ super cælos sunt, laudent nomen Domini.* Et in hymno trium puerorum (Dan. III, 60) : *Benedicite aquæ omnes, quæ super cælos sunt, Domino;* ubi omnes creaturæ suo ordine referuntur, incipiendo a superioribus : et prius ponuntur illæ aquæ, quam sol et luna; ergo supra cælos sidereos sunt. Et si qui alii loci Scripturæ sunt, ad istos reducuntur. — *Confirmatur :* quia sic explicant aquas illas supra cælos multi sanctorum Patrum : Hilarius (in Psal. CXXXV *); Basilius (homil. 3 ** Hexameron); Chrysostomus, (homil. 4 *** in Genesim; et super Psal. CXLVIII †); Ambrosius (lib. II. Hexameron, c. 3 ††); Hieronymus (epist. 83 ††† ad Oceanum); Epiphanius (in epist. ad Joannem Hierosolymitanum *, de erroribus Origenis); Anselmus (lib. De imagine mundi, c. 25 et 28 **); Hugo de S. Victore (lib. I de Sacramentis, P. I, c. 17 ***; et adnotationibus in Genes. c. 6 †); Rupertus (I in Genes. c. 23 †† et sequentibus); Josephus (I Antiquit. c. 1 vel 2), et alii.

* n. 8-9; PL 9, 773-4 ** n. 4-7; PG 29, 60-72 *** n. 3; PG 53, 42 † n. 1; PG 55, 486 †† n. 9-12; PL 14, 148-150 ††† ep. 69, n. 6; PL 22, 659 * n. 5; PG 43, 387 ** c. 138; PL 172, 146 *** PL 176, 200 † PL 175, 35 †† PL 167, 219-221

13. RESPONDETUR : Loca Scripturæ in totâ proprietate litterali, et sine ullâ violentiâ litteræ, intelligi de aquis nubium : quæ etiam sunt aquæ cæli, eo modo quo aer etiam cælum appellatur in Scripturis; et sic loquuntur de cælo aereo, non sidereo, seu generaliter de omnibus aquis in sublime elevatis, in quo maxime ostenditur Dei potentia. Vel unico verbo loquuntur de eodem cælo, de quo in hoc cap. I Genesis *, in quo dicimus firmamentum hoc esse firmamentum aereum seu nubium; de quo dicitur (Job XXVI, 8) : *Qui ligat aquas in nubibus suis, ut non erumpant pariter deorsum;* (Psal. CXLVI, 16) : *Qui operit cælum nubibus;* (Jer. LI †) : *Ad vocem suam dat multitudinem aquarum in cælo.* Et communiter in Scriptura constat vocari rorem cæli *, et pluviam atque irrigationem de cælo ** : quod utique *cælum* aer superior est. — Cum ergo dicitur : *Extendens cælum sicut pellem,* de expansione aeris, qua nubes cogit et expandit tamquam velum, intelligitur. Et cum addit : *Qui tegis aquis superiora ejus,* optime intelligitur quod aquis nubium interpositis teguntur, respectu nostri, superiora ejus, id est, ipsimet cæli qui superiores aere sunt. Unde sequitur : *Qui ponis nubem adscensum tuum* * : ut constet loqui de aquis nubium. — Similiter cum dicitur : *Aquæ omnes quæ super cælos sunt, laudent nomen Domini,* et : *Benedicite aquæ omnes, quæ super cælos sunt, Dominum,* in primis non dicit aquas istas esse super ipsos cælos cælorum, sed tantum super cælos, qui utique intelliguntur de cælis aereis. Et dicuntur cæli in plurali, quia in Hebræo nomen cæli, id est, *sammaim* [1], caret singulari. Quod vero ordine quodam creaturæ numerentur, et prius ponantur illæ aquæ quam sol et luna, nullam vim facit : nam aliquando ponuntur ante solem et lunam, ut in hymno trium puerorum : aliquando post, ut in Psal. CXLVIII, 3-4. Et veritas est, quod

* Gen. I, 9. 26. 28. 30 † Jer. X, 13; LI, 16 * Gen. XXVII, 28, 39 ** Gen. VIII, 2; Deut. XI, 11 * Ps. CIII, 3

[1] Ita LC || P *Schammaim.*

ponuntur eo ordine quo in libro Genesis positum est opus distinctionis hujus, scilicet secundâ die, quæ fuit post solem et lucem factam, sed ante solem ornatum quartâ die. Unde aliquando ponuntur ante solem, aliquando post.

* supra, n. 12, *Confirmatur*

14. *Ad confirmationem* * *respondetur* : Patres, si quando insinuant illam sententiam, non esse cum exclusione nostræ : non ex professo disputando rem, non plene asserendo, non explicando specialiter de quo cælo loquantur, sed generatim dicendo aquas esse super cælos. Aut dicunt non recte id impugnari ex eo quod aquæ supra rotunditatem cæli non possint sustineri. — Hilarius * solum dicit sic : « Aquis elevatis illam ipsam primi cæli naturam temperavit, quæ superni Dei accensa virtute nequaquam ab inferioribus esset patienda naturis. Cælum vero inferius, non uniforme, sed multiplex tetendit; quod totum firmamentum nuncupans, validâ ad sustentationem aquarum superiorum, temperationemque aeris nostri, firmitate solidavit. » Ubi potius illud cælum, quod firmamentum nuncupavit Deus, ad aerem videtur referre. — Basilius (homil. illâ 3) in primis * impugnat eos qui dicebant non posse aquas esse supra firmamentum, quia globosum est et aquæ fluidæ sunt. Deinde, inquirens de natura firmamenti hujus, qualis sit, docet * non esse solidum sicut crystallum vel lapis, sed dici firmum quia est idoneum ad detinendas et coercendas aquas, quæ facile dilabuntur. Et tandem concludit * : « Firmamentum, aut ex uno simplicium corporum, aut ex omnibus mixtum esse. » Et infra ** dicit : « Ejus naturam esse tenuem admodum, et raram. » Unde videtur inclinari in hoc quod sit aer : nam cælum est *solidissimum, quasi ex ære fusum,* ut dicitur (Job XXXVII, 18). Numquam tamen resolute dicit hoc firmamentum esse æthereum.

* PL 9, 773
* PG 29, 60 BC
* PG 29, 61 AB
* PG 29, 61 C
** PG 29, 68 C

14bis. S. Chrysostomus (homil. 4 in Genes.) nihil dicit contra nos; sed, inquirens quid sit illud firmamentum, inquit * quod, « si quis dicat esse aquam addensatam, vel aerem constratum, vel aliam aliquam essentiam, haud quis prudentium hoc temere asseveravit? » Ubi nihil vult definire pro una vel altera parte. At vero (super Psal. CXLVIII) solum dicit * : « Ex aquis quidem Deum has reliquisse inferius, illas vero effecisse stare sublimes super terga cælestia, cum in medio abyssi firmamentum stabiliisset. » Ubi nihil etiam determinat super hac quæstione, sed solum vocat terga cælestia id super quod sunt aquæ : quod de cælo aereo potest intelligi. — Ambrosius (lib. II in Hexameron, c. 3 *) solum disputat contra illos, qui dicebant aquas non posse esse super cœlos quia globosæ figuræ sunt, aquæ vero fluidæ; non tamen determinate explicat de quo cælo loquatur Scriptura, aereo an sidereo; quin potius (cap. 4 *) satis insinuat hoc firmamentum esse aereum. — Hieronymus (in epist. 83 **) solum dicit : « Firmamentum, inter cælum et terram, medium construi; et quod juxta Hebraici sermonis etymologiam ex aquis sortitur vocabulum, scilicet *sammaim,* » quod est expansio. Ubi potius nostram sententiam insinuat : quia dicit firmamentum construi inter cælum et terram; ergo est aer. — Epiphanius probat (in illa epistola *) non recte dixisse Origenem quod aquæ, quæ sunt super cælos, sunt spirituales virtutes : cum dicat Scriptura ** ruptas esse cataractas cæli, et factum esse diluvium : quod non nisi aquis veris et corporalibus fierit potuit. An vero istæ aquæ sint super cælum sidereum, vel aereum, nihil dicit.

* PG 53, 42
* PG 55, 486
* n. 9 sqq; PL 14, 148-152
* n. 15-16; PL 14, 153
** PL 22, 659
* PG 43, 387
** Gen. VII, 11, 17

14ter. Anselmus * non potest recte citari in libro *De imagine mundi,* cum ille liber non sit Anselmi, sed mille scateat erroribus; unde et in indice expurgatorio expunctus est, et jussus est caute legi. — Hugo de S. Victore * non plene determinat quodnam sit illud corpus quod vocatur firmamentum, et cujus naturæ sit; et sic ex ejus sententia non potest argumentum deduci. — Rupertus favet etiam nostræ sententiæ dum dicit * : « Firmamentum non solidum quid aut durum est, ut vulgo putatur, sed aer extensus et subtilizatus : quia, licet solidum corpus non sit, Scriptura illud firmamentum vocat eo quod dividat aquas ab aquis. » Quæ verba refert Suarez (lib. II, c. 5, n. 14). — De Josepho non est multum curandum : quia Judæus fuit, [non][1] Christianus, et traditiones vel fabulas Judæorum, aliaque minus probata, quandoque sequitur. Itaque vix est aliquid solidum ex Patribus, quod pro hac[2] parte contra nos afferri possit.

* cf. supra, n. 12, *Anselmus*
* supra, n. 12, *Hugo*
* PL 167, 219 AB

QUÆ SINT AQUÆ SUPER FIRMAMENTUM, ET QUID IPSUM FIRMAMENTUM.

15. *In primis pro certo statuendum est,* nomine aquarum supra firmamentum non intelligere Scripturam litteraliter aliquas spirituales substantias seu virtutes, ut sentit Origenes (homil. 1 * in Genes.), contra quem agit S. Epiphanius supra ** citatus. Et licet hoc ipsum insinuet S. Augustinus (lib. XIII Confessionum, c. 15 * et 32 **), tamen non adhæret illi sententiæ tamquam litterali; quin potius eam retractat (lib. II Retractationum, c. 6 ***). Citatur etiam Hieronymus (super Psal. CIII †; et super Psal. LXXVI ††); sed tamen ille liber et expositio non est Hieronymi. — Nostra autem sententia communiter docetur a Patribus; et constat ex ipsa

* n. 2; PG 12, 147
** n. 14bis, in fine
* n. 18; PL 32, 852
** n. 47; PL 32, 865
*** n. 2; PL 32, 632
† PL 26, 1132 A
†† PL 26, 1042 AB

[1] Mendose omnes : *Judæus fuit Christianus.*

[2] Mendose LP *pro hoc parte* || Corrigit C *pro hac.*

narratione Scripturæ, quæ in hoc primo capite Genesis historica est, et non debet diverti ad metaphoras et improprias significationes, nisi evidenter ex ipso textu constet : alias nihil certum et firmum nobis Scriptura narraret. Quid enim apparentiæ habet nobis nominare aquas, et velle intelligere Angelos vel spirituales substantias?

16. *Ex eodem principio colligitur,* neque etiam intelligi nomine aquarum aliquid de natura corporis cælestis : quia corpus cæleste non potest vocari aqua nisi metaphorice et improprie. Et sic tam incertam historiam narraret nobis Scriptura nomine aquarum intelligendo cælos, quam intelligendo Angelos. — Quando autem D. Thomas (in hac
I P. q. 68, a. 2 quæst., a. 2) dicit quod, si per firmamentum intelligatur cælum siderum [1], tunc illæ aquæ supra firmamentum non erunt de natura elementarium aquarum, sed dicetur illud cælum aqueum propter solam diaphaneitatem : loquitur condicionate, non absolute in suâ sententiâ. Si enim firmamentum illud, factum secundâ die, esset cælum sidereum, non dubitaremus dicere quod illud, quod est supra tale firmamentum, non est corpus aliquod elementale seu aqua elementalis : quia hæc contra suam naturam poneretur supra cælos. Unde cogeremur divertere ad metaphoram, et intelligere aquas cælestes, non elementares. Aquæ autem cælestes nullo meliori modo explicari possunt, quam dicendo esse cælum crystallinum seu carens omni stellâ, quod est nona sphæra et decima.

17. *Hoc supposito restat determinare,* quæ sint illæ aquæ quæ manserunt super firmamentum, et quæ sub firmamento. — **RESPONDETUR : aquas supra firmamentum esse aquas vaporabiles, seu vapores qui condensantur in nubes; aquæ vero, quæ sunt sub firmamento, sunt aquæ [2] ordinariæ et fluidæ quibus utimur.** — Ita
I P. q. 68, a. 2 D. Thomas (in hac quæst., a. 2 in corpore et ad 1). Et sequuntur omnes qui tenent sententiam supra *
* n. 2bis a nobis probatum, quod nomine firmamenti intelligitur cælum aereum. — RATIO VERO EST MANIFESTA : Quia supra aerem non possunt esse aquæ spissæ et condensatæ, sed tenues et evaporatæ : aquæ enim condensatæ statim decidunt, ut manifeste videmus quando resolvitur pluvia. Ergo aquæ illæ, quæ sunt supra tale firmamentum aereum, sunt vapores, qui ibi condensantur in nubes, et expanduntur tamquam cælum, ibique detinentur seu firmantur; et propter hoc dicitur firmamentum, quia firmat aquas vaporabiles, et quia se habet tamquam terminus usque ad quem sol elevat vapores et ibi sistunt : sicque dicitur dividere aquas ab

(1) Ita L. tolerabiliter ‖ CP *sidereum* : quæ est est lectio editionum D. Thomæ.

(2) Corrupte omnes : *æquæ*.

aquis, quia est terminus usque ad quem perveniunt aquæ vaporabiles, divisæ et elevatæ a sole ex nostris aquis.

18. *Dices :* Non posse hoc stare cum textu Scripturæ : quia dicit firmamentum factum esse *in medio aquarum;* illæ autem aquæ [3], inter quas Gen. 1, 6
factum est firmamentum, erant aquæ elementales et fluidæ, nulla autem pars illarum erat vapor : quia antequam esset factum firmamentum, nullæ aquæ erant evaporatæ. Ergo quando factum est firmamentum in medio talium aquarum, illæ quæ manserunt super firmamentum non potuerunt esse vapores, sed illæmet aquæ quæ antea erant in illo loco, et erant aquæ fluidæ elementales. — *Secundo,* quia aquæ vaporabiles non sunt super firmamentum, sed in ipso : si quidem firmamentum, ut postea * * infra, n. 26-27
dicemus, est secunda regio aeris, seu spatium illud in quo nubes addensantur. Supra tale autem spatium non sunt nubes : quia supra secundam regionem aeris, propter caliditatem ejus, non possunt vapores condensari. Ergo nubes, seu aquæ vaporabiles, non sunt super firmamentum. — *Tertio,* quia non est verisimile illâ secundâ die elevatos esse vapores : quia illa elevatio fit virtute solis, qui non videtur usque ad quartam diem hanc virtutem accepisse, sed solum vim illuminandi. Tum etiam quia (cap. II, 5) dicitur quod *nondum pluerat Deus super terram;* ergo secundâ die non est facta pluvia neque nubes condensatæ : quia quamdiu non resolvuntur in pluviam non sunt aqua, sed aliquid ab aqua distinctum; ergo non verificatur in tota proprietate, quod in illa die per firmamentum divisit Deus aquas ab aquis.

19. *Respondetur ad primum* *, quod firmamentum * supra, n. 18
dicitur factum in medio aquarum : non quia retinuit aquas illas supra se in eo statu et qualitate qua sunt apud nos, scilicet crassiores et fluidas : sic enim non possent contineri in aere, neque ad hoc recepit firmitatem : cum potius videamus quod, hoc ipso quod nubes resolvuntur, cadit aqua, non detinetur. Intelligitur ergo firmamentum factum in medio aquarum, quia in illo loco ubi erant aquæ, seu ad quem perveniebant aquæ, incepit esse aer, et aquæ inceperunt deprimi usque ad terram, vel circa; et ille locus aeris, qui incepit esse ubi ante erant aquæ, incepit habere vim et firmitatem ad retinendum et condensandum vapores, et de facto aliquos retinuit, ut statim * dicemus. Et sic divisæ * infra, n. 20
sunt aquæ vaporabiles (non quæ antea erant, sed quæ tunc factæ sunt, manentes in secundâ regione aeris) ab aquis fluentibus et manentibus circa terram. Qua ratione potest intelligi illud (Job XXXVIII, 8-9) :

(3) Ita corrigendum cum P, et iterum in fine hujus incisi ‖ Utrobique mendose legunt LC *æquæ*.

Quando erumpebat (mare) quasi de vulva procedens; cum ponerem nubem vestimentum ejus, et caligine illud quasi pannis infantiæ obvolverem : quia videlicet depressâ aquâ sub aere, manserunt nubes in secundâ regione quasi involventes aquas inferiores.

20. Pro quo notandum est quod, quando primâ die aquæ obtinebant partem hanc inferiorem, videtur earum altitudo pervenisse usque ad tertiam aeris regionem exclusive : erat enim totum hoc spatium naturalis locus aquæ super terram. Tum quia, quando tertiâ die aquæ congregatæ sunt in unum, facta est concavitas terræ ita profunda quod in aliquibus locis non invenitur fundum (ut modo experientia testatur), ut dicemus sequenti quæstione *, et est altior quocumque monte perveniente ad secundam vel tertiam aeris regionem; ergo, quando aqua exsistebat super terram non habentem talem concavitatem, ejus profunditas debebat pervenire usque ad totam secundam aeris regionem. Tum secundo quia, quando factum est diluvium, aqua pervenit usque ad tertiam aeris regionem : si quidem dicit Scriptura quod *operuit aqua omnes montes excelsos qui sub cælo sunt;* constat autem multos esse montes qui excedunt regionem nubium, ut Olympus et alii; ergo naturalis locus aquæ competenter pervenit usque ad tertiam aeris regionem, et in hoc spatio videntur creatæ aquæ a Deo primâ die. Cum ergo secundâ die Deus fecit firmamentum in medio aquarum, manifestum est quod secundam aeris regionem pro nubibus in eo loco posuit ubi erant aquæ : quia istæ ultra regionem, quæ nunc est nubium, adscendebant : et hoc est facere illud in medio aquarum, id est, ubi aquæ erant, quia videlicet aer superior incepit diffundi ad locum ubi erant aquæ, ipsis aquis recedentibus ad inferiorem locum. Et aer ille subintrans loco aquæ accepit in secunda regione virtutem firmandi aquas vaporabiles; sicut etiam tempore diluvii, quando aquæ illæ ita inundaverunt in toto mundo, clarum est quod expulerunt aerem ab omni loco quo perveniebant aquæ : deinceps vero cum inciperent aquæ recedere, et exsiccari terra, incepit aer superior diffundi, et intrare loco aquæ tam in secunda regione quam in ista infima. Hac ergo ratione manserunt aquæ supra firmamentum, non quidem aquæ fluidæ et densæ, sed aquæ vaporabiles seu nubes, recedentibus aliis aquis ad inferiorem locum, et subintrante aere loco illarum.

* infra, q. 60, nn. 10, 13

Gen. VII, 19

21. *Ad secundum* * *respondetur :* recte dici aquas esse super firmamentum. Non quia sint supra totam latitudinem et altitudinem illius spatii, quod vocamus secundam regionem aeris, sed saltem supra aliquam partem illius : quia ubi incipit secunda regio aeris, incipiunt condensari vapores, et conglomerantur nubes una super aliam. Et sic dicuntur esse aquæ super firmamentum, quia est super primam partem continentem et condensantem nubes : sicut si dicamus aquam esse super poculum, quia est super primam superficiem illius.

* supra, n. 18, *Secundo*

22. *Ad tertium* * *dicitur :* nullum esse inconveniens quod [1] in secundâ die, quando divisæ sunt aquæ super firmamentum ab his quæ erant sub firmamento, quod Deus ipsâ divisione evaporaverit aquas et condensaverit in nubes. Quod factum est principaliter imperio Dei, juxta illud (Amos V, 8) : *Qui vocat aquas maris, et effundit eas super faciem terræ;* et (Jer. LI, 16 *) : *Ad vocem suam dat multitudinem aquarum in cælo;* licet etiam concurrere potuit lux et virtus solis : quæ, licet in hac die non esset ita efficax et formata sicut in quartâ, aliqualiter tamen jam poterat operari, saltem imperfecte. — An vero tunc statim illæ nubes fuerint in aquam resolutæ, et pluvia fuerit facta : non est necesse pro verificatione verborum Scripturæ. Quia aquæ, contentæ super firmamentum, non sunt aquæ resolutæ, sed evaporatæ : nam quando resolvuntur, statim decidunt et non manent super firmamentum. Intelliguntur ergo aquæ super firmamentum nubes, et non pluvia; et sic verificari potuit etiam sextâ die, quod *nondum pluerat Dominus super terram :* licet sic secundâ die plueret etiam non super terram, sed super mare pluisset : quod quasi nubibus et caligine obvolutum est illâ die, ut dicitur (Job XXXVIII, 9).

* supra, n. 18, *Tertio*

* rectius : Jer. X, 13

[*Secundum quæsitum : quid firmamentum?*]

23. *Secundo inquires*, quid sit illud firmamentum factum secundâ die, et an sit factum quoad substantiam illius corporis, an solum quoad aliquod accidens. — **RESPONDETUR : firmamentum illud esse aerem, non de novo tunc creatum quoad substantiam, sed tunc de novo diffusum ad locum secundæ regionis, ubi antea erant aquæ** : et de novo accepit virtutem ad retinendum vapores et condensandum in nubes et paulatim resolvendum, ne simul decidat tota pluvia. Et hoc modo dicitur divisisse Deum inter aquas et aquas : quia est secunda illa regio quasi terminus et limes, quo perveniunt aquæ vaporabiles, divisæ et elevatæ ab aquis fluentibus.

23[bis]. Explicantur singulæ partes hujus responsionis. — PRIMO DICIMUS : Hoc firmamentum esse aerem, quia probatum est supra * non esse aliquod corpus cæleste; ergo est elementale. — Non terra,

* n. 16

(1) Omnes : *inconveniens quod... quod Deus ipsâ...* ‖ De hac orationis redundantia, vide tomi I Præfationem, cap. III, art. 2, § 3, n. 6, b).

neque aqua exsistens in mari : quia neutrum istorum vocatur *cœlum*, cum sit inferius; neque dividit aquas ab aquis, quia potius continet aquas inferiores, a quibus divisæ sunt superiores. Dicit
* Gen. 1, 6. 8 autem Scriptura *, quod firmamentum factum secundâ die est illud quod vocatum est cælum, et quod dividit aquas ab aquis; ergo non est elementum terræ neque aquæ. — Neque etiam est elementum ignis : quia nullæ aquæ seu vapores elevantur supra elementum ignis, immo neque ad tertiam aeris regionem : tum propter magnam illius caliditatem et raritatem, quæ omnes vapores consumeret nec posset condensare; tum propter experientiam, quia altissimi montes (qui transcendunt nubes, et adhuc non perveniunt ad sphæram ignis) nullum vaporem aut aquam in se continent, aut condensare possunt. — Ergo illud firmamentum debet esse aer.

24. Secundo dicimus : Illum aerem non esse de novo creatum quoad substantiam. — Contra quod aliqui sentiunt, existimantes primo die totum spatium a terra usque ad lunam non fuisse plenum elementis, sed quâdam nebulosâ materiâ seu vapore, medio inter aerem et aquam, ex quo dicunt factum esse aerem et ignem secundâ die. — Sed omnino
* Gen. 1. 2 falluntur : quia Scriptura * dicit primo die fuisse aquas, super quas ferebatur spiritus Dei; nomine autem aquæ intelligitur vera natura aquæ, et elementum, non vapor neque nebula; ergo falsum est dicere quod totum illud spatium repletum erat nebulâ seu vapore, sed verum elementum aquæ dabatur primo die. Eâdem autem ratione dabatur elementum aeris et ignis : quia quâ ratione duo elementa, terra et aqua, facta sunt per creationem, similiter et alia duo : quia etiam sunt corpora simplicia, et multo perfectiora et majora quam illa duo, terra et aqua; ergo non minus exigunt per creationem fieri, quam terra et aqua. Tota autem creatio rerum ex nihilo facta est primâ die : in secundâ autem non fuit opus creationis, sed distinctionis. Ergo aer, seu firmamentum aeris, non est factum secundâ die quoad substantiam.

25. *Dices :* Scriptura aperte dicit quod factum
Gen. 1, 6 est hoc firmamentum *in medio aquarum;* sed in medio aquarum non potuit esse aer quoad substantiam, ut de se manifestum est; ergo, si ibi factum est firmamentum aereum, oportuit fieri quoad substantiam. — *Negatur consequentia.* Sed dicimus,
* n. 19-20 juxta supra * annotata, quod firmamentum factum est in medio aquarum, quia in loco qui occupabatur aquis incepit esse aer cum novâ virtute condensandi nubes. Non oportuit autem aerem creari de novo ibidem; sed sufficit quod aer superior, recedentibus aquis et paulatim se subtrahentibus, diffunderetur et loco illarum intraret : sicut quando in terra fit aliqua concavitas, vel quando mare recedit, statim loco illius intrat aer, qui quadam rarefactione sui diffunditur, sicut condensatione repellitur; et sicut tempore diluvii, recedentibus aquis de summitate montium et a secunda regione aeris, loco aquarum intravit aer. Neque ad hoc necessaria est magna mutatio in aere; sed sufficit illa quam quotidie experimur quando aer intrat vel recedit ab aliquo loco per condensationem vel rarefactionem modicam, et ipsi aeri connaturalem et facillimam. Sic ergo imperio Dei aquæ illæ, quæ obtinebant secundam regionem aeris, cœperunt recedere versus terram, et aer subintrare loco illarum; et in spatio secundæ regionis, quod paulo ante occupabatur aquis (et sic erant medium aquarum), accepit aer subintrans virtutem condensandi vapores, et retinendi atque expandendi nubes; et de facto aliquas retinuit ipso imperio Dei. Sicque divisæ sunt aquæ superiores, id est, attenuatæ et vaporabiles (istæ enim sunt aquæ superiores, et super cælos), ab aquis inferioribus et fluentibus. Et sic verificatum est, quod dicitur (Job XXXVIII, 9), quod nubes facta est quasi vestimentum maris : scilicet, quia (1) mansit circumdatum aquis vaporabilibus, quæ sunt nubes, et caligine quasi pannis infantiæ obvolutum.

26. Tertio dicimus : Fuisse hoc firmamentum in secunda regione aeris. — Cujus oppositum, tamquam probabilius, tenet Suarez (lib. II De opere sex dierum, c. 5, n. 10), licet etiam sententiam alteram teneat. Existimat enim firmamentum vocari infimam regionem aeris, quæ etiam dicitur cælum, et aves quæ in ea volant dicuntur volucres cæli. Ipsa etiam proprie dividit inter aquas maris, quæ sunt inferiores, et aquas nubium superiores, quasi quoddam medium seu paries interjectus inter utrasque; secunda autem regio continet ipsas nubes, non autem dividit inter illas et aquas inferiores.

26bis. *Ceterum D. Thomas* (in hac quæst., a. 1 I P. q. 68,
ad 1) absolute dicit quod « per firmamentum a. 1, ad 1
secundâ die factum intelligitur spatium aeris, in quo nubes condensantur ». Et (art. 3, in calce
corporis) inquit quod « aer nubilosus (id est, habens I P q. 68, a. 3
nubes) distinguit superioris aeris partem, in qua generantur pluvia et hujusmodi impressiones, ab inferiori parte aeris quæ aquæ connectitur et sub nomine aquarum intelligitur ». Constat autem quod spatium aeris, in quo condensantur nubes et in quo generantur pluviæ, est secunda regio aeris : non ista infima, quam potius D. Thomas dicit nomine aquarum intelligi; ergo hæc non pertinet ad firmamentum, sed solum secunda.

(1) Intelligitò : *quia [mare] mansit...*

27. *Et ratio est :* Quia nomine firmamenti non solum intelligitur aliquid dividens, tamquam res quædam interposita, sed tamquam firmans et retinens ipsas aquas et quasi ligans illas, juxta illud (Job XXVI, 8) : *Qui ligat aquas in nubibus, ne erumpant pariter deorsum.* Infima autem regio aeris non habet vim ligandi et firmandi aquas : quia ista ligatio et firmatio solum fit per virtutem condensandi et coagulandi vapores, qui solum condensantur in loco in quo generantur pluviæ : quæ est secunda aeris regio, quæ proprie est firmamentum factum in medio aquarum. — Quare recte

Gen. I, 8

dicitur illa secunda regio *facta secundâ die :* non quoad suam substantiam, sed quoad officium firmamenti, accipiendo tunc virtutem firmandi et continendi aquas vaporabiles, condensando illas in nubes.

Gen. I, 6

Et rursum dicitur *dividere aquas ab aquis :* non tamquam medium interpositum ut paries, sed tamquam terminus et limes quo perveniunt aquæ : sicut etiam agri dividuntur limitibus quibusdam seu terminis. Itaque sol effective elevat seu dividit vapores ab aquis maris. Secunda autem regio aeris firmat et retinet illos, et sic dividit tamquam terminus quo perveniunt et ultra non transeunt.

28. CONTRA TOTAM HANC RESOLUTIONEM solum potest fieri argumentum ex illo verbo « firmamentum ». Nam proprie videtur significare corpus solidum et firmum : et ideo attribuitur cælis, qui

Job XXXVII, 18

solidissimi quasi ex aere fusi sunt. Aer autem est corpus valde fluidum, et non firmum : quomodo ergo potest dici firmamentum, nisi inferendo vim verbis Scripturæ? Unde dicitur Deus quartâ die

Gen. I, 17

posuisse stellas in firmamento, quod nullo modo potest intelligi de aere, sed de ipso cælo in quo sunt stellæ.

29. RESPONDETUR : Hoc argumentum valde esse infirmum; et qui ausi sunt propter illud nostram sententiam erroneam appellare, valde excesserunt. Nam firmamentum dicitur a firmitate, etiam non solidâ, ut recte annotarunt S. Basilius (homil. 3 * Hexameron), et Ambrosius (lib. II Hexameron, c. 4 **). Firmitatem enim non solum habent corpora dura et solida ad sustinendum, sed etiam acuta et spirituosa ad operandum : videmus enim quantâ vi et firmitate spiritus seu venti moventur, quantâ firmitate aer continet et addensat vapores. Quæ firmitas illi data est a Deo hâc secundâ die, cum aliquâ spissitudine : ut inquit S. Thomas (hic, art. 1). Et S. Basilius raram esse ac tenuem naturam hujus firmamenti affirmat (ubi * supra), licet virtuosa sit et potens ad continendum et firmandum aquas, condensando et ligando eas, et expandendo nubes, juxta quod dicitur (Job XXVI, 8) : *Qui ligat aquas in nubibus suis.* Itaque aliquando firmitas attribuitur corpori solido, ut quando dicuntur cæli *solidissimi quasi ex aere fusi :* in ipsâ enim comparatione soliditas durioris corporis esse insinuatur.

* n. 4; PG 29, 60 CD, 61 A
** n. 15-16; PL 14, 152-3

I P. q. 68, a. 1, in fine corp.
* PG 29, 68 C
Job XXXVII, 18

30. Et cum dicuntur stellæ *positæ in firmamento,* ipsa locutio manifestat de quo firmamento sit sermo : scilicet de sidereo seu stellato, ubi solum sunt stellæ. Aliquando firmamentum attribuitur aeri, ut cum dicitur (Gen. I, 20) : *Producant aquæ volatile super terram sub firmamento cæli :* aves enim sub firmamento aeris volant; a firmamento autem sidereo longissime distant, nec proprie dici possent sub illo volare, cum sint sub orbe lunæ. Similiter dicitur (Prov. VIII, 28) : *Quando æthera firmabat sursum, et librabat fontes aquarum;* quod de aere et nubibus plerique intelligunt. Dicitur etiam (Psal. CXXXV, 6) quod *Deus firmavit terram super aquas,* et tamen aquæ nihil soliditatis habent. Ergo firmitas non solum dicitur de re durâ aut solidâ, sed etiam de forti et non remissâ, aut de valente retinere et coercere aliam, sive in se sit dura et solida, sive tenuis, dummodo ad id habeat vim : sicut aer accepit a Deo, in illâ secundâ regione, vim ad condensandum nubes et vapores. Et panis dicitur firmamentum (Psal. CIV, 16) : *Omne firmamentum panis contrivit.* Et spiritus firmat cor *, et panis cor hominis confirmat **, et vinum exhilarat : et nihil istorum est corpus durum. Quare ex magna sinceritate procedunt, qui solo nomine firmamenti nituntur, ut negent esse aerem firmamentum, quod dividit inter aquas et aquas. — Quando autem dicitur * quod posuit Deus stellas in firmamento, ipsa positio satis manifestat firmamentum illud esse stellatum, non aereum. — Nec obstat quod D. Thomas (in II, D. 14, q. 1, a. 1) dicit non convenire Scripturæ, quod nomine firmamenti intelligatur aer : quia dicuntur stellæ positæ in firmamento; nisi nomen firmamenti æquivoce sumatur. Respondetur enim hoc correxisse D. Thomam in hac quæstione *, ubi eamdem sententiam affert et omnino approbat.

Gen. I, 17
* cf. Eph. III, 16
** Ps. CIII, 15
* cf. supra, n. 28, *Unde dicitur*
* I P. q. 68, a. 1





QUÆSTIO LXIX

DE OPERE TERTIÆ DIEI

TEXTUS :

Gen. 1, 9-11 *Dixit vero Deus : Congregentur aquæ, quæ sub cælo sunt, in locum unum, et appareat arida. Et factum est ita. Et vocavit Deus aridam, terram, congregationesque aquarum appellavit maria. Et vidit Deus quod esset bonum, et ait : Germinet terra herbam virentem et facientem semen, et lignum pomiferum faciens fructum juxta genus suum, cujus semen sit in semetipso super terram. Et factum est ita.*

NOTANDA CIRCA HANC QUÆSTIONEM.

1. *Tres effectus seu operationes narrat Scriptura* factas hâc tertiâ die, quæ pertinent ad opus distinctionis et segregationis circa infima corpora mundi, quæ sunt aqua et terra. Primus effectus est congregatio aquarum in unum locum. Secundus est apparitio seu discoopertio terræ, ejusque exsiccatio. Tertius est germinatio herbæ et arborum in terrâ sic discoopertâ et apparente. — Antequam vero difficultates seu dubitatiunculas, quæ circa istas operationes et effectus hâc tertiâ die factos excitari solent, proponamus, duo certiora præsupposita præmittenda sunt : quæ ad cetera explicanda sunt necessaria, nec in se tantam habent difficultatem.

DUO PRÆSUPPOSITA.

2. *Primum est,* quod ea corpora, circa quæ operatio et distinctio hujus diei facta est, nempe terra et aqua, non sunt facta hâc die quoad suam substantiam : sed aliquâ solum accidentali mutatione, quantum ad situm et locum, divisa. — *Secundum est,* quod causa efficiens immediate istarum operationum, quæ hâc die factæ sunt, fuit ipse Deus, prima et universalis causa rerum.

2bis. ET QUIDEM CIRCA PRIMUM NON POTEST ESSE DIFFICULTAS, suppositis his quæ superius * tractata sunt : licet non defuerint aliqui auctores qui existimaverint hâc die factum esse elementum aquæ et terræ, etiam quoad substantiam : quia sic distribuunt productionem elementorum, quod ex illâ nebulâ seu tenui vapore aut aquâ (quam existimant * primo die replevisse totum spatium a terra ad concavum lunæ) produxit Deus secundâ die duo elementa superiora, scilicet aerem et ignem, tertiâ vero die alia duo infima, scilicet terram et aquam in eâ dispositione in quâ nunc sunt. Vel saltem aquam in hâc tertiâ die dicunt esse productam; nam de terra multi id non audent asserere, propter expressum verbum Scripturæ dicentis quod *in principio creavit Deus cælum et terram.*

* q. 65, n. 11-20; q. 67, n. 20; q. 68, nn. 2bis, 24

* cf. supra, q. 68, n. 24

Gen. 1, 1

3. *Ceterum hæc sententia nullatenus sustinenda est* juxta principia supra * declarata, et propter ipsa verba sacræ Scripturæ. Nam primo die dicitur quod *Deus creavit cælum et terram,* et quod *spiritus Domini ferebatur super aquas.* Nomine autem terræ intelligitur vera et naturalis terra, quæ non est sola materia prima : hæc enim communis est terræ et aquæ et omni mixto, ad omnia enim est in potentia; ergo est materia cum formâ substantiali terræ; alias non est terra. Nec Scriptura aliquid certi nobis significaret, si nomine terræ non intelligeret id quod vere et in re terra est, et nomine cæli id quod vere et in re cælum est. Ergo etiam nomine aquæ significare debet veram et propriam aquam, non nebulam aut aliquid aliud quod vera aqua non est. Ergo si primo die inveniuntur terra et aqua, non sunt facta tertiâ die quoad substantiam et veritatem et naturam ipsam terræ et aquæ.

* cf. supra, n. 2bis

Gen. 1, 1-2

3bis. Et præterea, elementa ista solum per creationem fiunt : cum sint corpora simplicia et consequenter prima inter corpora, ita quod alia fiunt ex ipsis, ipsa vero non fiunt ex aliis; ergo si

quæ corpora fieri debent per creationem, sunt elementa. Creatio autem terminata est primo die, quando Deus creavit cælum et terram : reliquis autem diebus fuerunt opera distinctionis et ornatûs; ergo terra et aqua quoad substantiam primâ die creata sunt, non tertiâ. — Denique, verba Scripturæ in hâc tertiâ die id ipsum significant. Dixit enim
Gen. I, 9 Deus : *Congregentur aquæ, quæ sub cælo sunt, in locum unum;* ergo supponebat aquas jam esse, dicendo : *Quæ sub cælo sunt;* non ergo tunc primo acceperunt esse. Et similiter de terra dicit : *Et appareat arida;* apparere autem non est fieri quoad substantiam : sed quod occultum et latens est, manifestari. Ergo verba Scripturæ in hâc tertiâ die, scilicet *congregari aquas* et *apparere terram,* non nisi violentissime trahuntur et explicantur de productione terræ et aquæ quoad substantiam et esse; sed manifeste supponuntur jam exstitisse.

4. SECUNDUM PRÆSUPPOSITUM, scilicet Deum fuisse immediatam causam efficientem hujus congregationis aquarum et discoopertionis terræ, atque germinationis arborum et herbarum, MANIFESTUM EST : tum ex Scriptura, tum ex ratione et exclusione aliarum causarum ab isto opere. — *Ex Scriptura probatur :* quia specialiter attribuit Deo hanc congregationem aquarum, et detentionem ne terram inundent, indeque suam omnipotentiam maxime comprobat. Dicitur enim (Job XXXVIII, 10) : *Circumdedi illud* (mare) *terminis meis, et posui vectem et ostia;* (Prov. VIII, 29) : *Et legem ponebat aquis ne transirent fines suos;* (Psal. CIII, 9) : *Terminum posuisti, quem non transgredientur, neque convertentur operire terram;* (Jer. V, 22) : *Me ergo non timebitis, qui posui arenam terminum mari, præceptum sempiternum?*

4bis. *Et ratio hujus est :* quia in tota natura, etiam in Angelis, non est potestas ad immutandum ordinem et dispositionem universi; qua ratione non possunt facere vacuum, nec potuerunt diluvium universale inducere : *nec enim Angelis subjecit Deus orbem terræ futurum,* ut dicitur (Heb. II, 5). Nam ordo et dispositio totius universi, atque adeo immutatio unius integri elementi, est finis principaliter a Deo intentus : inde enim dependet institutio recta et conservatio hujus universi. Principalis autem finis alicujus artefacti semper reservatur supremo artifici; ergo alii inferiores cooperatores et causæ non habent potestatem immutandi ordinem totius universi, qualis esset si integrum elementum immutaretur : ratione cujus specialiter dicitur esse lex Dei, quam tota natura transgredi non potest. — Nec dubitamus posse Deum uti actione alicujus creaturæ tamquam instrumento ad istas immutationes faciendas, sicut potest uti ad facienda miracula et producendam gratiam. Sed non constat nobis de facto voluisse uti hujusmodi instrumento; nec de instrumentali causâ modo quæstio est, sed de virtute causæ secundæ ad id sufficienti.

5. Denique ipse modus, quo facta est ista congregatio aquarum et terræ exsiccatio, atque herbæ germinatio, satis ostendunt fuisse operationem Dei. Nam solo verbo et imperio aquæ tantæ, brevissimo tempore aut etiam subito, congregatæ sunt et terra exsiccata, et germinatio herbarum et arborum facta est, scilicet unâ die. Non est autem causa naturalis quæ tam cito possit omnia ista facere, et præsertim solo verbo et imperio. — Et ulterius germinatio tot herbarum et arborum unâ die fieri non potuit. Neque a sole : quia nunc in totâ efficaciâ et virtute, quam habet, non potest nisi multis diebus et mensibus herbam procreare arboresque producere. Nec ab Angelis : quia non possunt ipsi hæc facere nisi utendo seminibus et applicando activa passivis; illâ autem tertiâ die nondum erant aliqua semina in terra ad ista germina producenda, sed terra erat *inanis et vacua;* et tunc primo, scilicet tertiâ die, semina ista facta sunt, ut constat ex textu : *Producat terra lignum faciens fructum, cujus semen sit in semetipso.* Quare etsi aliquæ actiones ex istis, singillatim et partialiter sumptæ, possent fieri ministerio Angelorum et virtute solis, ut movere aquas ad locum illum, excavare partem terræ et sol exsiccare terram, tamen omnes istas actiones simul, et tam brevi tempore, et solo verbo, nulla creatura potuit efficere.

6. Nec audiendi sunt qui dicunt, hâc quidem die incepisse aquas congregari et terram discooperiri et germinare, sed non esse consummatum totum illud opus hâc die. — Obstat enim textus Scripturæ dicens, quod dixit Deus : *Congregentur aquæ in unum, et appareat arida; et factum est ita. Germinet terra herbam virentem, etc.; et factum est ita.* Et postquam narravit quod terra protulit herbam et arbores, et quod aridam appellavit terram et congregationes aquarum maria, concludit dicens quod *factum est vespere et mane dies tertius.* Ergo omnia ista opera in die tertiâ consummata sunt.

7. *Dices :* Facto diluvio tota illa immensitas aquarum reducta est ad pristinum locum interventu causarum naturalium. Dicitur enim (Gen. VIII, 1) quod *adduxit Deus spiritum super terram, et imminutæ sunt aquæ;* et tamen illud erat integrum elementum. Ergo bene possunt naturales causæ immutare ordinem et dispositionem integri elementi. — Similiter de mari Rubro dicitur (Exo. XIV, 21) quod *abstulit illud Dominus flante* (1) *vento vehementi*

(1) Mendose omnes : *stante.*

et urente totâ nocte, vertitque illud in siccum; ergo illa immutatio, quia (1) aquæ elevatæ sunt ut murus, mediantibus causis secundis facta est.

8. *Respondetur* : ventum illum, quem adduxit Dominus super terram, non potuisse totam aquam in suum locum pristinum revocare, sed solum imminuere. Unde dicitur quod *imminutæ sunt aquæ*. Ut autem aqua reverteretur in locum pristinum, additæ sunt aliæ causæ a Scriptura, scilicet quod *clausi sunt fontes abyssi et cataractæ cæli; et reversæ sunt aquæ de terra euntes et redeuntes, et cœperunt minui post centum quinquaginta dies*. (Gen. VIII, 2-3) Quare diminutio aquæ, facta a vento, solum conduxit ad aliquam diminutionem, eamque tam lentam : quod vero aquæ irent et redirent, quod clauderentur fontes abyssi et cataractæ cæli, non est factum a vento sed a Deo. — Ad illud * de mari Rubro, dicimus in primis illud non contigisse circa integrum aquæ, sed circa brevissimum tractum linguæ maris Rubri pro transitu filiorum Israel. Deinde dicimus ibi fuisse duas actiones : alteram, elevare aquas in sublime quasi murum : et hoc non est factum a vento, sed a Deo, quia dicit textus quod *abstulit illud Dominus*; alteram, exsiccare fundum maris, ut transirent sine molestiâ filii Israel : et hoc factum est a vento vehementi et urente.

(* supra, n. 7, *Similiter*)

CONGREGATIO AQUARUM, QUA ACTIONE SIT FACTA, ET QUOMODO IN LOCUM UNUM.

9. Hæc est prima operatio quæ narratur facta hâc die, dicente Deo : *Congregentur aquæ, quæ sub cœlo sunt, in locum unum*. Circa quam præsupponitur, terram fuisse sub illâ aquarum mole et undique circumdatam elemento vastissimo aquæ. *Unde potuit fieri illa congregatio triplici modo* seu actione. — Primo, per elevationem seu adscensum aquæ in locum unum, supponendo quod terra non excavabatur ut in illam concavitatem descenderet aqua, sed quod manebat plana sicut ante et aqua per elevationem congregabatur. — Secundo, potuit fieri per descensum aquæ, supponendo quod terra excavata fuit et magnum quemdam hiatum aperuit, ubi oceanus et reliqua maria nunc sunt; quâ cavitate et hiatu facto, naturaliter aqua in illum se recepit et congregata est, reliquâ parte terræ discoopertâ; aut quod etiam præter illam cavitatem et locum, ubi nunc est mare, multæ concavitates intra terram factæ sint, ubi magna aquarum congeries recepta est. Immo sunt qui teneant, esse sub isto nostro mari aliud mare, quod vocant abyssum magnam, cujus fontes sunt rupti ad inundationem terræ tempore diluvii. — Tertio, potuit hoc fieri non per motum localem adscensûs vel descensûs, sed per alterationem : scilicet per condensationem aquæ, supponendo quod aqua in principio erat valde rara, intra suam tamen speciem, sicut modo videmus unam aquam esse delicatiorem alterâ, magisque tenuem. Per condensationem autem aqua illa minorem locum occupavit, et sic congregata est in unum, et apparuit arida. Omnes istos modos refert S. Thomas (hic, art. 1 ad 2) (I P. q. 69) et primum dicit esse probabiliorem. Non tamen negat aliquid de aliis modis intervenisse, ut statim * explicabimus.

(* infra, nn. 11-12, 19)

10. *Attamen Patri Suarez non satisfacit iste modus dicendi* (lib. II, c. 6, n. 5 **), idque plures alii sequuntur. Quia inverisimile est, aquam in tantum cumulum et sublimitatem adscendisse sicut, ad illam congregationem in locum unum, necessarium erat : præsertim si verum est majorem partem terræ esse discoopertam et siccatam, quam aquis infusam; immo (IV Esdr. VI, 42) dicitur, sex partes terræ fuisse siccatas, et in septimâ parte congregatas esse aquas. Sed quidquid de hoc fuerit, si mare per elevationem aquarum in unum locum secessit et congregatum est, oportuit in magnum cumulum adscendisse, ut tanta congeries aquarum congregaretur relinquendo terram discoopertam. Hoc autem est contra naturam aquæ, quæ fluida et gravis est, nec naturaliter adscendit in cumulum. Non est autem verisimile, quod Deus ita violenter aquas perpetuo detineat; et oppositum aliquibus experimentis manifestaretur : cum tamen videamus oppositum, ut quod superficies maris superficiei littorum coæquatur; et alias terra multo altius adscendit, cum non sit ubique plana, sed montibus et collibus frequens, et ipsæ insulæ montes sunt e mari emergentes. Experientia etiam testatur, quod æquali vento flante non citius redeunt naves ad littus, quam recedunt et altum tenent : quod tamen esset, si mare a littore adscenderet; facilius enim descendit navis quam adscendit, ut patet in fluviorum decursu et navigatione. Quas experientias et alias afferunt Conimbricenses (in Meteoris *), Molina (in hoc tractatu De opere sex dierum **), Cajetanus (super cap. I Genesis), Pererius ***, et alii qui eamdem tenent sententiam.

(** n. 5 et 6)

11. NIHILOMINUS sententia D. Thomæ probabilior apparet, si diligenter inspiciatur et ponderentur ejus verba. Nam (in illa solutione ad 1 †) dicit quod hoc potuit fieri « uno modo, ut aquæ sint elevatæ in majorem altitudinem in loco, ubi congregatæ sunt ». Quis autem fuerit iste locus ubi aquæ congregatæ sunt : an ipsa plana superficies terræ : an aliqua concavitas terræ, ubi

(* tract. 8, c. I; et in lib. II *de Cœlo*, c. 14, q. 4 — ** disp. II; IP 2008-2010 — *** lib. I *in Gen.*, op. 3[i] diei — † revera : I P. q. 69, a. I ad 2)

(1) Sic omnes || Suspicamur corrigendum : *qua*.

et aquæ congregarentur, ita tamen quod ipsâ etiam congregatione aliqualiter elevarentur, quâ non potuerunt totum illum locum sine aliquâ elevatione occupare : S. Thomas non explicat. Postea vero cum (in tertio modo *) dicit quod « terra potuit aliquas partes concavas præbere, quibus aquæ confluentes reciperentur », non loquitur Doctor Sanctus de concavitate solum loci illius in quo congregatæ sunt aquæ et modo est oceanus, sed de aliis concavitatibus subter terram in quibus multi dicunt confluxisse magnam aquarum vim, immo et mare alterum esse subter terram. Hoc non reputat D. Thomas ita probabile sicut id (1) primum, præsertim in illa prima congregatione aquarum. Quod autem in loco, in quo aquæ congregatæ sunt et paululum in cumulum elevatæ, non fuerit aliqua concavitas facta in qua aquæ congregarentur, nec D. Thomas negat, nec modo negari potest. Addit tamen D. Thomas fuisse aquam illam, in illo loco congregatam, etiam aliqualiter elevatam : et hoc verissimum existimamus; in quo secutus est D. Basilium (homil. 4 * in Hexameron), Augustinum (II de Genesi ad litt. c. I **). Et D. Thomam plures alii sequuntur, qui videri possunt apud Bañez (hic ***, dubio 2) et Suarez (loco † citato). Et sic prius est explicanda hæc sententia, deinde probanda.

* ibidem

* n. 3; PG 29, 84 C
** n. 3; PL 34, 264
*** I P. q. 69, a. 1
† lib. II, c. 6, n. 5

12. Igitur in sententia D. Thomæ non potest negari, neque quod aliquæ partes terræ sint altiores aliquibus partibus maris, neque quod in mari sit profunditas multa in qua quasi in cavitate terræ sit aqua recepta. Utrumque ita patet ad oculum experientiâ, ut nullo modo possit negari. — Nam in terra sunt plures montes, etiam prope mare, et eminentes situs, quos altiores esse mari, id est, illis partibus maris quæ prope littus sunt, ipsis oculis videmus. Et insulæ extra mare eminentes, quid aliud sunt quam montes et altitudines terræ e fundo maris supra ipsum mare elevatæ? Et ista omnia sunt partes quædam terræ, comparatæ cum partibus quibusdam maris. — Similiter in littoribus maris apparet manifeste, quod superficies maris attingit superficiem littoris et paulatim in profunditatem magnam descendit, ita ut fundum attingere nisi magnâ bolide non possimus : quod sane sine aliquâ magnâ profunditate et cavitate omnino fieri non potest. Nec enim aliter a littore tam proximo posset in tantâ profunditate mare consistere, nisi magna concavitas terræ ibi esset : quæ ulterius continuatur per altum mare, ut patet dimittentibus bolidem et profundum maris investigantibus. Et ex ipsâ naturâ rei, aqua præsertim tantæ vastitatis terræ incumbens, et per tot annos, non potest non efficere magnas cavitates : cum aqua naturaliter consumat et excavet multum de terra per quam decurrit, ut in fluviis quotidie experimur. Hæc duo sunt certa, nec in sententia D. Thomæ negari possunt.

13. *Quod addit sententia D. Thomæ*, et in quo ejus sensum probabiliorem sentimus, *est* quod in illâ primâ aquarum congregatione non fuit ita excavata terra, ut in eâ tota aqua conflueret manendo depressior aut æqualis ex omni parte cum superficie planâ terræ : sed quod ita congregata est in illum hiatum seu excavationem terræ, quod necesse fuit mare ipsum paululum intumescere et elevari, ita ut in alto aut medio pelagi aqua manserit altior terrâ; et hæc elevatio ita fit paulatim a terra, ut quasi insensibilis videatur.

14. Ratio vero et fundamentum, quod ad id cogit, est : Quia si tanta excavatio terræ fieret in ipsâ primâ congregatione aquarum, quod tota illa aquarum congeries potuit in eâ capi, manente superficie aquæ æquali vel depressiori cum superficie planâ terræ, quid factum est de illâ vastitate terræ quæ effossa est vel excavata, ut fieret tam magnus hiatus aut concavitas terræ? Supponimus enim esse illam profunditatem, aut in dimidiâ aut fere dimidiâ parte terræ : cum oceanus undique terram cingit cum reliquis maribus, ita ut vix dimidia pars terræ maneat discooperta, ut constat ex tabulis geographicis et hydrographicis. Vel enim tantus hiatus et concavitas facta est comprimendo et condensando partes terræ in se, aut versus centrum : vel extrahendo illam terram super ipsam superficiem terræ et eam altiorem faciendo, vel in montes distribuendo : vel annihilando, aut resolvendo in aliud corpus. — *Hoc ultimum dici non potest* juxta principia supra * posita : quia magnum inconveniens est Deum in primâ institutione rerum fecisse aliquid ut statim destrueret, vel totaliter, vel in magnâ sui parte : cum posset rem illam creare sine eo quod destruendum erat.

15. *Primum etiam non est conveniens*. Nam tanta condensatio et constipatio partium terræ non videtur ei connaturalis : deberet enim esse valde magna, quia hiatus ille et concavitas vastissima est. Et ita, si solâ condensatione terræ deberet fieri, compressio et condensatio resultans esset valde excessiva, et sic præternaturalis ipsi elemento terræ : eamque minus habilem redderet ad recipiendas influentias cæli, pro his quæ intra terram gignuntur et pro agricultura : redderet enim illam quasi lapidem. Immo videmus quod terra, quæ nimis stringitur et addensatur gelu, nihil virens

(1) Ita feliciter (ut videtur) emendat P ‖ Mendose L *sicut in primum* ‖ C *sicut primum* : haud male.

gignit : ut experimento comprobatum est in tractu septentrionalis insulæ Novæ Zemblæ ad elevationem septuaginta quatuor graduum poli; quanto magis si addensaretur terra illâ densitate, quæ pro tanto hiatu necessaria erat! — Et præsertim versus centrum non videtur illa condensatio et compressio facta : cum potius circa centrum magna concavitas facta sit a Deo pro igne inferni (et fortassis facta est hâc tertiâ die, si Angeli nondum peccaverant, quando tanta terræ immutatio facta est) : illa enim fovea quæ est locus inferni, cum debeat recipere innumerabilia corpora damnatorum, oportet quod sit vastissima et quod terram multum compresserit. Unde si adderetur nova et major condensatio ex hiatu illo oceani, maneret sine dubio terra cum excessivâ et præternaturali densitate ad modum lapidis indurata : quod non videmus.

* supra, n. 14, *vel extrahendo*

16. *Si autem dicatur tertium* *, scilicet id, quod effossum et extractum est ex illâ concavitate, superadjectum esse superficiei terræ discoopertæ, vel in montes distributum : Quod attinet ad distributionem montium, [non] [1] facile id admitterem : quia soli montes non potuerunt consumere tantam quantitatem terræ, quantam illa concavitas terræ detraheret, si tantus hiatus esset ut totam aquam maris caperet sine elevatione. Si enim illa profunditas adeo vasta fuit ut totam maris aquam reciperet sine elevatione, impossibile erat in solis montibus totam consumi. Nam mare profundius est in majori sui parte etiam altissimis montibus : licet in aliis vadosis locis, iisque paucis, parum profunditatis habeat. Quod si esset æqualis aut depressior [2] ipsa terra, et sine ullâ elevatione congregatum in illa voragine, sine dubio deberet illa profunditas omnibus montibus esse altior : quia erat vastissima moles aquæ illuc congreganda, scilicet tanta quod totam terram cooperiebat, idque in notabili altitudine super terram. Ergo non potuerunt montes, qui sunt in terra, totam illam effossionem terræ consumere. — Patet consequentia : quia terra non in omni parte habet montes, sed magnâ ex parte habet planitiem; illa autem vorago et hiatus mediam partem terræ, aut fere dimidiam, occupavit; ergo si tota illa terra effossa deberet consumi in montibus, tota pars terræ discooperta deberet esse montuosa, et nihil relinquere pro planitie : cujus contrarium videmus.

17. Si vero dicatur totum illum cumulum, effossum ex illâ voragine, esse superadjectum terræ discoopertæ : ergo facimus illam in totâ suâ magnitudine magis altam et elevatam, quam naturalis ejus status postulat. Et sic ista sententia, dum reputat inconveniens quod elementum aquæ sit paululum elevatum super terram (quod est magis connaturale elemento aquæ, quod naturaliter est altius et elevatius terrâ), incidit in majus inconveniens : quod terram facit magis altam et elevatam quam naturalis ejus status postulet, adjiciendo super illam tantum cumulum et elevationem terræ, quantum ex illâ voragine et hiatu extractum est; ita quod, si terra esset sine ullâ aquâ, elevaretur, tali terræ effossione superadjectâ, duobus milliaribus aut amplius in altitudine quasi perpendiculariter erecta, quam naturalis ejus status postulet. Hoc autem est idem inconveniens quod opposita sententia affert pro elevatione aquæ; ergo in idem incidit, attribuendo illud terræ. Quod si ex his duobus elementis aliquod debuit elevari in majorem altitudinem, convenientius id factum est in aquâ quam in terrâ : quia aqua est subtilior et naturaliter superior et elevatior terrâ; ergo connaturalius illi attribuitur quam terræ.

18. *Quod etiam insinuat pluribus locis Scriptura,* ut est illud (Eccli. XXXIX, 22) : *In verbo ejus stetit aqua quasi congeries, et in sermone oris illius quasi exceptoria aquarum.* Ubi non loquitur de aquis elevatis in mari Rubro, sed in hâc congregatione primâ aquarum, ut exponit Glossa * : quia tunc facta sunt exceptoria aquarum; nec enim in transitu maris Rubri talia exceptoria facta sunt. Si ergo in tali congregatione stetit congeries aquarum, utique elevatio aliqua illarum facta est. — Item dicitur (Psal. XXXII, 7) : *Congregans sicut in utre aquas maris;* in utre autem elevantur et accumulantur aquæ in tumorem, non sicut in stagno diffusæ sunt. — Et (Psal. LXVIII, 3) : *Veni* [3] *in altitudinem maris;* ergo mare altitudinem aliquam habet, saltem respectu littoris a quo receditur.

* PL 109, 1043; cf. PL 113, 1221

19. QUAPROPTER SENTENTIAM D. THOMÆ SIC EXPLICAMUS, quod in loco ubi congregatæ sunt aquæ, v. g. in oceano, sine dubio aliqua concavitas facta est in quam fluxerunt aquæ, sed non tanta quod non fuerit necessaria aliqua elevatio aquæ, ut exciperetur tota illa congeries. Et addensatio aquæ etiam facta est : quia, ut mox * dicemus, aqua maris densior est et crassior aquâ fluminum et fontium. — Si autem dicas : Si nos admittimus aliquam cavitatem et hiatum factum esse in terra, retorquetur argumentum nostrum : quid factum est de illâ terrâ, inde

* infra, n. 26

(1) Omittunt omnes negationem, quam omnino necessariam censemus.

(2) Sic omnes, nostro judicio mendose || Sententiam enim putamus esse hujusmodi : *Quod si* [*mare*] *esset æquale aut depressius ipsâ terrâ, et sine...* || Lectio tamen editionum forte sustineri potest, aliquid subaudiendo : *Quod si* [*maris superficies*] *esset æqualis aut depressior ipsâ terrâ, et* [*mare*] *sine ullâ...* cf. supra, n. 14, in initio.

(3) Mendose omnes : *Venit.*

excavatâ et extractâ? Facile respondemus ex dictis, quod potuit sufficienter consumi in montibus qui facti sunt in totâ terrâ : qui licet supra naturalem statum terræ elevati sint, non tamen totum elementum terræ sic elevatum est; et ita non mansit totum extra suum naturalem statum, sed in multis partibus terra mansit in sua planitie. Illa autem elevatio montium, licet videatur terræ ex parte præternaturalis (licet non in toto elemento), fuit tamen necessaria valde pro alio fine naturali : scilicet pro sustentatione animalium et hominum, juxta illud (Psal. CXLVI, 8) : *Qui producit in montibus fenum, et herbam servituti hominum,* et pro aliis multis commoditatibus vitæ humanæ : pro temperando calore, ventis, tempestatibus, pro humectandâ terrâ, emittendis fontibus et fluminibus, etc.

[*Solvuntur objecta.*]

* cf. supra. n. 10

20. FUNDAMENTUM* OPPOSITÆ SENTENTIÆ PARUM URGET. Negamus minorem partem mansisse opertam aquis. Nec illud ex libro IV Esdræ valet : quia liber ille canonicus non est. — Et quidquid sit, hodie ex navigationibus et tabulis geographicis constat mare, aut dimidiâ, aut fere dimidiâ parte cum terrâ discoopertâ comparari. Nec est necesse illam elevationem aquarum sic perpendiculariter fieri super terram, sicut si elevetur paries, aut murus : hoc enim valde difforme esset et præternaturale. Sed terra excavata et aperta est, ita tamen quod non reciperetur ibi tota aqua sine aliquâ elevatione, quæ paulatim et fere insensibiliter fit : nec enim oculis eam percipimus in ipsâ aquâ; in medio tamen maris magna est respectu littorum. — Nec potest experientia* deduci ex majori et vehementiori navium motu a medio mari ad littus, quam a littore ad mare : tum quia hæc elevatio maris fit paulatim et valde insensibiliter, unde non facile percipitur aut sentitur; tum quia mare patitur diversos motus, tum ab impressione astrorum, tum a ventis, tum circa littora, ut est fluxus et refluxus, tum in mari alto ubi movetur alicubi a septentrione ad meridiem, alibi diverso motu, secundum quod occurrunt diversa promontoria et dispositio terræ, ubi aquæ conjunguntur et diverso modo concitantur. Unde ex tam variis motibus et concurrentiis non potest experientia aliqua sumi, ex qua causa proveniat quod navis magis vel minus cito recedat a littore vel accedat, et an revera ita sit quod citius accedat ad littus quam recedat.

* supra. n. 10. *Experientia*

21. *Eodem modo responderi potest* ad alia similia argumenta, quæ fieri solent pro oppositâ sententiâ : ut ex quibusdam locis Scripturæ, quæ insinuant terram esse superiorem et altiorem aquâ, aquam vero inferiorem, ut cum dicitur terra fundata super mare (Psal. XXIII, 2) : *Quia ipse super maria fundavit eam, et super flumina præparavit eam;* (Psal. CXXXV, 6) : *Qui fundavit*(1) *terram super aquas;* (Psal. CVI, 23) : *Qui descendunt mare in navibus.* Quæ omnia stare non possunt, nisi mare sit inferius terrâ, non elevatius. — Addunt et rationem : quia si mare esset elevatum et altius terrâ, naturaliter inclinaretur ad operiendam terram : quia naturaliter fluit aqua ad locum decliviorem; et sic esset violentum terram non operiri aquis. Et fluviorum decursus esset violentus : quia ferretur in locum elevatiorem et altiorem, scilicet in mare, si esset altius terrâ.

22. *Sed respondetur :* loca Scripturæ non cogere. Dicitur enim terram aut ejus plenitudinem fundatam esse super maria : tum quia, discoopertâ terrâ, fit ex aquâ et terrâ discoopertâ globus unus; et sic necesse est multas partes terræ, quæ sunt discoopertæ, habere aquam maris pro diametro opposito, seu pro antipode, ut etiam videre est in ipsis tabulis geographicis. Et sic multum terræ discoopertæ videtur fundari super aquam, quia habet illam pro opposito sui circuli seu globi. Attamen si consideretur ipsa terra seu littus, ut continens aquas maris, continet eas ut intumescentes et elevatas, sicut aquæ in utre, sicut dicitur (Psal. XXXII, 7) : *Congregans quasi in utre aquas maris.* Tum etiam dicitur terra fundata super aquas, id est, prope aquas : quia discoopertâ terrâ facta sunt littora quasi ripæ et oræ prope maria, cum antea tota terra haberet aquas super se. Communis autem phrasis est ly *super* sumi pro ly *prope,* sicut dicitur : *Super flumina Babylonis illic sedimus,* id est, prope ad ripam fluminum. Et sic dicitur terra præparata super flumina, id est, disposita irrigatione(2) fluminum, seu prope flumina exsistens. Dicuntur etiam descendere in mare naves propter declivitatem littorum ad mare, licet postea navigando per multas leucas veniatur in altitudinem maris.

23. Ad rationem* dicitur, quod mare, si non sisteretur terminis arenæ, operiret terram; unde quod non operiat, specialiter attribuitur potestati divinæ (Job XXXVIII, 10; et Jer. V, 22), ut etiam hic adnotat S. Thomas (art. 1 ad 4). Sed tamen dicitur mare naturaliter contineri et non diffundi super terram : quia illa jussio Dei, continentis mare, ordinatur ad alium finem naturalem et bonum universi, scilicet propter vitam animalium et hominis et plantarum. — Ad illud de fluviis

(1) Sic omnes ‖ Psalmus revera habet : *firmavit.*

(2) Sic CP ‖ L *irrogatione.*

supra, n. 21, *Et fluviorum* et eorum decursu *, dicimus quod non decurrunt violenter, licet aqua maris sit elevatior terrâ quasi in medio pelagi : quia fluvii non decurrunt per mare, sed usque ad littus et oram maris; ubi autem mari miscentur, non amplius decurrunt, sed motu maris fluunt, quia unum cum ipso fiunt. Quamdiu autem fluunt per terram, declivi motu feruntur : quia terra declivem alveum præstat usque ad mare, nec est elevatior (1) illo.

DISCOOPERTIO TERRÆ ET EXSICCATIO QUOMODO FACTA.

24. Congregatâ aquâ in unum locum et recedente a majori parte terræ, nulla difficultas est in discoopertione terræ : sicut remoto indumento discooperitur homo. Unde totum hoc pertinet ad unam et eamdem actionem, quâ per motum localem recessit aqua et discooperta est terra. — *Exsiccatio autem terræ facta est immediate a Deo,* sicut fecit suo imperio germinare terram, quæ sine aliquâ exsiccatione tantam herbæ et plantarum multitudinem germinare non posset. Non enim alia causa secunda posset in tam brevissimo tempore terram exsiccare : quia cum in illâ tertiâ die germinaverit terra, in illâ quoque exsiccata est. Non poterat autem tantam exsiccationem facere sol, non ventus, non Angelus.

25. Non sol : Tum quia virtus ejus sola non potest, etiam multis diebus, exsiccare lutosam terram ex pluvia : quanto magis madefactam a toto mari desuper cingente terram! Tum quia sol non potest simul unâ die, seu uno medio die, totam terram illuminare, sed partem : ergo neque totam exsiccare; fuit autem tota exsiccata tertiâ die, quia tota germinavit illâ die et protulit herbam virentem lignumque faciens fructum. — Non a vento. Tum quia non constat per totum globum terræ ventos tunc spirasse, eosque tam vehementes sicut requirebatur ad tam citam et brevem exsiccationem totius terræ. Tum quia, ut tam cito exsiccarent, deberent esse venti valde vehementes et urentes, sicut de vento qui siccavit fundum maris Rubri dicitur (Exo. XIV, 21). Venti autem sic urentes, et siccantes cum tantâ vehementiâ, impedirent germinationem herbæ virentis et tot plantarum, nisi Deus faceret miraculum quod talis ventus urens germinationem non impediret. — Non Angelus id fecit : quia non operantur alterationes nisi applicando activa passivis; non erant autem aliquæ causæ applicabiles ab ipsis, pro tam brevi et tantâ exsiccatione, nisi aut venti aut sol : et istæ causæ non sufficiebant. Quare connaturalius id fiebat ab ipso auctore naturæ : quia illa exsiccatio est immutatio integri elementi; quod non potest fieri ab aliquâ causâ secundâ et inferiori ipsi Deo.

QUAS QUALITATES IN HAC CONGREGATIONE AQUA ACQUISIERIT.

26. DUAS ACQUISIVIT. — *Prima fuit* major quædam condensatio et crassities : experientiâ enim patet crassiorem esse aquam maris aquis fluviorum et fontium. Nec tamen illa condensatio est tanta, ut sit præter speciem et naturam aquæ : quia vere fluidam reliquit. Et dato quod esset aliqualiter ei præternaturalis, esset tamen conveniens ad alium naturalem finem et bonum universi : scilicet ad generationem et conservationem eorum piscium qui in aquis fluvialibus consistere non possunt, ad navigationem, et receptionem plurium influentiarum cælestium quæ in fluminibus non recipiuntur, ut motus fluxûs et refluxûs, et alii similes.

27. *Alia qualitas* quam mare acquisivit est salsedo, quam experientia ipsa testatur in toto mari. — Nec illa provenire potest solum ex solis ardore, licet multum inde juvetur : quia salsior est superficies maris quam fundum, et sal ex aquâ coagulatur ardore solis. Non tamen ea sola causa sufficit : tum quia in regionibus circa polum mare est salsum, et tamen ibi vix radii solis feriunt, et multis mensibus in hieme sol non conspicitur; tum quia radii solis maxima flumina et lacus feriunt non minus quam mare, nec tamen salsedinem illis imprimunt. — Alia ergo causa hujus salsedinis assignanda est, nec alia quam auctor naturæ : quia cum sit qualitas et immutatio in toto elemento facta, a solo auctore naturæ potuit emanare. Fuit autem necessaria et connaturalis ista qualitas aquæ, non secundum se præcise consideratæ, sed aquæ ut deservienti generationi piscium, et ne putrefierent aquæ ardore solis, et ut præstaret homini commoditates salis : et ad alia similia quæ sunt etiam fines naturales non pro solo elemento, sed etiam pro mixtis et eorum conservatione.

QUOMODO SIT LOCUS UNUS IN QUEM CONGREGATÆ SUNT AQUÆ.

28. DICITUR ILLE LOCUS UNUS DUPLICITER. Uno modo unus respective : quia antea erat communis toti terræ, circumdando eam; postea erat unus separatim a terra, seu seorsum faciendo suum locum. Secundo dicitur unus continuitate quâdam : quia licet sint plura maria, ratione cujus dicitur quod *congregationes aquarum appellavit maria,* Gen. 1, 10
omnia tamen maria habent continuationem et

(1) Ita omnes, sat difficulter || Intelligendum videtur : *nec [mare] est [locus] elevatior illo [alveo]*; cf. n. 21, in fine.

influentiam ex oceano (qui est aquarum omnium caput et principium), vel manifestam vel occultam. Præcipua enim maria præter oceanum sunt Balticum in Dania, quod in varios sinus dividitur usque in Finmarchiam; Mediterraneum in freto Gaditano, quod longitudine porrigitur usque in Palæstinam, latitudine vero varios sinus complectitur, ut Adriaticum mare, Ægeum, Euxinum, Mæotidem. Est et mare Rubrum, seu Arabicum, ab oppido Aden, prope mare Indicum, inter Abyssinos et partem Ægypti atque Arabiam felicem discurrens usque ad oppidum Sues in finibus Ægypti, ubi terminatur. Est et mare Persicum ab oppido Ormuzio, circa ostia Indi, ex oceano influens per regnum Persicum usque ad fauces Euphratis et Tigridis. Et hæc maria manifestam habent influentiam ex oceano et continuationem cum illo, sicut in novo orbe illud quod circa fines novæ Hispaniæ est, et vocatur mare Rubrum, et aliqua freta ut fretum Magellanicum, S. Vincentii, Danis, etc., quæ etiam ex oceano continuantur. Et omnia ista in locum unum congregata sunt unitate quâdam continuationis et originis unius ex alio, non unitate simultaneâ et absolutâ.

29. *Sunt tamen aliqua maria omnino clausa*, neque aliquod commercium, saltem manifestum, cum oceano habentia : quæ tamen potius magni lacus, quam maria dici possunt. Maximum quod scitur hujus generis est mare Caspium seu Hyrcanum, modo ab incolis mare de Bachu appellatum, ab oppido Bachu adjacente illi mari supra Persidem versus Tartariam. Salsum est et piscibus abundans, plusquam ducentorum milliarium longitudinem obtinens. Et sunt plerique qui existimant illud communicationem aliquam occultam cum maximo Tartariæ flumine Oby habere, ac per illud in oceanum septentrionalem exonerari. Revera tamen alii existimant potius lacum esse dicendum quam mare. Nam et in Africa aliqui similes lacus reperiuntur, nullam habentes cum mari communicationem. Inter quos sunt duo insignes apud fluenta Nili : non ut existimarunt aliqui (et Ptolemæus significat) positi sub montibus Lunæ, et unus ad latus alterius, ex quibus putant Nilum oriri : nulli enim tales lacus in tali situatione, neque sub Lunæ montibus reperiuntur. Sed ut ex nostrorum peregrinationibus hoc tempore constat, præsertim Eduardi Lopez (qui regionem illam oculatus testis peragravit, et refert), esse duos lacus rectâ lineâ a meridie in septentrionem dispositos. Unus in duodecimo gradu versus polum Antarcticum, horridis et inaccessis montibus circumdatus, quales sunt Caffates, montes Nitrosi, montes Argenti, et alii similes. Inde primum ortum habet Nilus, et deinceps per vastas solitudines ductus nullo fere certo alveo (unde, et a plerisque absorberi putatur sub terra), sed reverà pluribus milliaribus defluit usque ad alium lacum adhuc majorem, ab incolis mare dictum, continentem ducenta viginti milliaria in latitudine, et sub lineâ æquinoctiali situm. Unde deinceps sumit decursum Nilus per septingenta milliaria, ad insulam Meroen et ad Syenen, ubi sunt ejus cataractæ; et inde Ægyptum ingreditur. Videatur descriptio regni Congi (lib. II, c. 10), per Augustinum Cassiodorum Reinio latinitate donata. Quare sicut ista maria non sunt nisi lacus latissimi, ita et mare Caspium : quamquam incognitum nobis sit, an occultum aliquem influxum et communicationem habeant cum oceano.

HERBÆ ET PLANTÆ NON SOLUM VIRTUTE, SED ETIAM ACTU, IN HAC TERTIA DIE GERMINARUNT.

30. Hæc fuit tertia actio hujus diei, dicente Deo : *Germinet terra herbam virentem, et lignum pomiferum faciens fructum.* — ET DUBITARI VIDETUR AB ALIQUIBUS, an solum receperit terra hâc die virtutem et potentiam germinandi herbas et plantas, an etiam actu germinaverunt. Videtur enim D. Thomas (in hac quæst., art. 2) non refragari sententiæ Augustini (v super Gen. ad litteram, c. 5*) tenentis quod plantæ in hâc tertiâ die non sunt productæ in actu, sed solum causaliter et in virtute, sicut aliis diebus res productæ acceperunt seminalem virtutem ad propagationem; herbæ autem et plantarum productio quædam propagatio est. Et sic confirmat eam D. Thomas duabus rationibus. Prima est jam insinuata : quia productio plantarum pertinet ad propagationem; opus autem propagationis et administrationis rerum incepit post septimum diem. Secunda est quia (in II capite Gen.) dicitur quod *istæ sunt generationes cœli et terræ in die qua fecit Deus cœlum et terram, et omne virgultum agri antequam oriretur in terra, et omnem herbam terræ priusquam germinaret;* non potuit autem herba regionis fieri antequam germinaret, et virgultum agri antequam oriretur, nisi causaliter et virtute, non actu.

Gen. I, 11

I P. q. 69, a. 2

* c. 4-5, n. 7-14; PL 34, 323-6

Gen. II, 4-5

31. NIHILOMINUS oppositum sentit S. Thomas, et vere sentiendum est secundum alios expositores (ut dicit ibi* S. Thomas) et Doctores sacros, quamvis propter reverentiam Augustino debitam noluerit S. Thomas ejus opinionem expresse refellere. — Augustinus enim coactus est eam sententiam tenere consequenter ad illum sensum quem ipse habet, quod illi dies, qui referuntur in Scriptura, quibus Deus hoc universum fecit, non sunt naturales dies sicut

* I P. q. 69, a. 2

isti quos modo habemus, sed unus dies secundum diversas cognitiones et affectiones angelicas. Cum autem ipse Augustinus non neget inter corporum creationem, et mixtorum propagationem seu productionem ex istis corporibus, aliquam temporis successionem intercessisse (nec enim hæc per creationem facta sunt; et consequenter, nec in illo primo instanti), oportuit dicere quod, si aliquid in diebus seu duratione quæ ad creationem pertinet germinavit seu productum est quod sit mixtum, illud non de actuali productione, sed de causali seu de virtute ad illud propagandum, intelligendum sit : non solum in herbis et plantis, sed etiam in reliquis viventibus. Unde sicut D. Thomas non omnino rejecit sententiam Augustini circa istos dies productionis, ita nec circa virtualem seu causalem productionem plantarum.

32 Sed tamen satis significavit D. Thomas se sentire cum aliis sacris expositoribus : tum propter convenientiam quam adducit : tum propter textum ipsum Genesis in argumento *Sed contra :* tum quia solvit motiva Augustini. — Et quidem textus Genesis, in quo maxime facit vim D. Thomas, est quia dicit Scriptura : *Protulit*
Gen. I, 12-13 *terra herbam virentem;* et statim subditur : *Factum est vespere et mane dies tertius*. Et vis hujus textus stat in hoc, quia non solum die tertiâ dixit Deus : *Germinet terra, etc. :* quod poterat accipi quasi in futurum, quasi tunc accepisset virtutem ut postea in actu germinaret; sed etiam debet verificari quod, antequam concluderetur dies tertia, jam de præterito terra protulit herbam virentem; ergo actu fuit nata herba in illa die. Nec enim verificari potest quod protulit, si de facto nondum protulerat in illa die, neque protulit. Dicere autem quod protulit in virtute et in potentia, est inintelligibile : tum quia hoc non est simpliciter proferre, sed secundum quid, et potius non proferre; tum quia ly *protulit* est exsecutio illius imperii *Germinet;* illud autem imperium non jussit ut posset germinare, sed ut germinaret in actu pro aliquo tempore; ergo ly *protulit* non est quod potuit proferre, sed quod exsecutive protulit. Id autem quod protulit, non dicitur quod fuit semen aliquod aut virtus ad propagandum, sed quod fuit herba virens et lignum, etc.; ergo hæ plantæ fuerunt in actu.

33. Convenientia etiam D. Thomæ solida est : quia hâc tertiâ die facta est distinctio in terrâ, sicut secundâ die in aere et aquâ. Terra autem duplicem informitatem seu confusionem habebat : una quia erat invisibilis, utpote cooperta aquis; altera quia erat vacua, utpote non vestita plantis, nec quidquam habens in se. Ergo indigebat duplici distinctione : alterâ excludente invisibilitatem et occultationem, et ad hoc remota est aqua et congregata in locum unum; alterâ tollente vacuitatem, et hæc non poterat fieri per hoc solum quod in potentiâ et virtute repleretur plantis, quia repletio in potentiâ est vacuitas : sicut vas repletum in potentiâ non habet liquorem, et arca repleta in potentiâ non habet pecunias.

34. Denique, respondet ipse D. Thomas ad motiva sententiæ Augustini. — Ad primum explicat illud verbum (cap. II Gen. 4-5), quod cum dicitur : *In die qua creavit Deus omne virgultum agri antequam oriretur, et omnem herbam terræ priusquam germinaret,* non intelligitur antequam actu oriretur vel actu germinaret, sed antequam oriretur vel germinaret modo illo consueto, quo nunc a sole et terrâ vel ex semine plantarum oriuntur plantæ et herbæ per viam seminationis : antequam, inquam, sic orirentur et germinarent, Deus fecit se solo herbam et omne virgultum agri ex terra. — Et ad aliam rationem dicitur, quod in hâc tertiâ die herba et plantæ non germinaverant e terra per modum propagationis et multiplicationis diversorum individuorum, sed per modum primæ productionis ipsarum specierum : produxit enim Deus de terra omnem speciem herbarum et plantarum, sicut quinto et sexto die omnem speciem volatilium et piscium et animalium. Postea vero, a septimo die et deinceps, propagatio individuorum facta est, quæ pertinet magis ad conservationem quam ad primam productionem specierum in primis individuis.

35. *Dices :* Herbæ et plantæ magis pertinent ad ornatum terræ, quam ad distinctionem : sunt enim viventia quædam illi superaddita, sicut pisces maris et volucres aeris; ergo convenientius fierent in die sextâ, quæ pertinuit ad ornatum terræ, quam in tertiâ quæ adhuc pertinuit ad opus distinctionis. — *Respondet D. Thomas* (hac quæst., I P. q. 69, a. 2, ad 1
a. 2 ad 1), quod plantæ et herbæ non tam pertinent ad ornatum terræ, quam ad distinctionem : quia non sunt viventia se moventia sicut animalia, sed quæ ipsi terræ adhærent et intus radicantur, sicut capilli in homine. Unde se habent quasi partes ejus, eamque formant et componunt, distinguuntque a se ipsâ ut incompositâ et vacuâ qualis antea erat : et sic pertinet hoc ad opus distinctionis.

36. Ex quo colligitur, quod etiam mineralia et fossilia seu lapidicinæ hâc die creata sunt a Deo : eo quod etiam ista non magis pertinent ad ornatum terræ, quam herbæ et plantæ, si quidem illi adhærent et intra radicantur : quam rationem tetigit D. Thomas (hîc, art. 2 ad 3). I P. q. 69, a. 2, ad 3
Nec alio die convenientius potest aptari eorum creatio, quam illo : nam in sexto die, quo terra

ornata est, solum animalibus in ea se moventibus ornata est; unde non dicitur convenienter tunc ornatam esse metallis, quæ intra terram quasi partes ejus sunt reposita. Et ideo Moyses horum mineralium expresse non meminit, quia occulta est eorum generatio, nec manifestam habet distinctionem. Nec tamen primo die creata sunt cum terra, quia terra erat inanis et vacua : ergo sine istis mixtis. Nec etiam post diem septimum facta sunt ex virtute solis et terræ fomento : quia revera naturales species sunt, et ideo inter productiones aliarum specierum locum debent habere. Post diem autem septimum non sunt creatæ novæ species naturales rerum, sed multiplicata sunt nova individua istarum specierum; aut si quæ species de novo eruperunt, fuerunt vel arte hominum procuratæ, vel ex degeneratione agentium, aut sterilitate terræ exortæ.

[*De quantitate ac qualitate plantarum.*]

37. Sed rursum inquires : Quæ plantæ et herbæ hâc tertiâ die productæ sunt, et in qua quantitate et qualitate? — Respondetur : Omnes species naturales productas esse hâc die, etiam venenosas et nocivas homini, etiam spinas et tribulos; et aliæ infimæ notæ hâc die germinarunt. Itaque sicut quintâ et sextâ die omnes species naturales animalium productæ sunt, ita et in tertiâ omnes herbæ et plantæ. Quod enim aliquæ sint nocivæ homini, sicut et aliqua animalia, nihil refert : quia in se tales herbæ sunt perfectæ, et aliis animalibus proficuæ : sicut e converso multa, quæ sunt hominibus salutaria, sunt aliis animalibus nociva, nec tamen propterea deberent non fieri. Et spinæ sunt connaturales aliquibus plantis tamquam partes propriæ et integrantes earum, quæ non advenerunt eis per peccatum. Et spinæ ac tribuli sunt naturales species multis usibus proficuæ; non tamen homini essent onerosæ aut nocivæ, si non peccaret. Et sic non dicitur quod terra post peccatum absolute germinabit illas : sed *germinabit tibi*, ut notat S. Thomas (hic *, art. 2 ad 2).

Gen. III, 18
* I P. q. 69

38. *Nomine autem naturalium specierum intelligimus* eas quæ simplici vi et virtute naturali possunt oriri, non arte componi vel ex accidenti conjungi, non sterilitate, degeneratione aut infecunditate consequi. Multæ enim species sunt quæ, arte adhibente et conjungente diversa semina, inseruntur, nascuntur : sicut et animalia diversæ speciei, si commisceantur sive arte hominum sive accidenti aliquo, producunt diversas species, quas non oportuit primo die creari : quia illi sunt partus quasi monstruosi, accidentales vel artificiales, non simpliciter a natura provenientes; ideoque directe ab auctore naturæ non oportuit fieri, sed solum in potentia et virtute seminum relinqui. Similiter quæ per degenerationem et corruptionem in aliam speciem transeunt (ut ex tritico lolium, siligo vel alia similia grana), vel ex putredine terræ gignuntur virtute solis, non oportuit tunc fieri : quia nihil viâ corruptionis in primâ institutione fiebat, sed quæ vigore perfectioneque naturæ fieri possunt. — De quantitate in quâ creata sunt, dicimus per totam terram sparsim creatas esse plantas : quia Scriptura non pro istâ vel illâ terrâ determinate, sed absolute dicit, quod *protulit terra herbam*, etc.; sed non omnes plantas in qualibet regione, sed juxta distributionem accommodam unicuique regioni, attribuendo eas quæ illi temperamento conveniunt, et quorum [1] semen necessarium erat ut postea tales plantæ propagarentur.

39. De qualitate autem in qua conditæ sunt plantæ : an omnes cum fructibus et foliis productæ sint, an non : communiter tenetur cum fructibus esse productas, ut etiam D. Thomas significat (quæst. seq., a. 2 ad 3). Et hoc rationabiliter. Tum quia textus dicit protulisse terram *lignum faciens fructum et habens semen secundum speciem suam;* constat autem quod semen plurimarum plantarum in ipso fructu est; ergo, si arbores seu plantæ productæ sunt cum semine, etiam cum fructu productæ sunt, sicut animalia et homo producta sunt in statu habili ad generandum et consequenter cum semine. Tum quia in paradiso, qui ut dicit textus (cap. II, 8) plantatus fuit a principio atque adeo vel hâc tertiâ die vel uno ex his sex diebus, arbores cum fructu, eoque maturo et suavi, productæ sunt : *de illorum* [2] quippe *fructu vescebant* homines, ut Scriptura dicit; ergo pari ratione etiam extra paradisum cum fructibus creatæ sunt arbores, saltem in aliquibus locis, ut haberent homines et animalia sustentationem opportunam.

40. *An vero omnes arbores et plantæ* ubique terrarum cum fructibus ortæ sint, an solum in aliquibus locis? — *Respondetur :* verisimile videri posse non ubique eodem modo esse productas. Cum enim in diversis partibus terræ inceperint diversæ temporum varietates (quia si in nostro hemisphærio erat ver, in opposito erat hiems, in alio autumnus vel æstas), ita arbores, iis diversis regionibus correspondentes, diversimode creatæ sunt : ita ut in aliquâ parte haberent fructus maturos ubi erat autumnus, in aliâ flores ubi erat

(1) Sic omnes || Legendum putamus : *quarum*.

(2) Intellige : *de illorum* [*lignorum*]...

ver, in aliâ nihil ubi erat hiems, etc. Qua ratione convincitur Suarez (lib. II, c. 7, n. 16), citatque Pererium * et Molinam ** pro se. — Sed ratio non cogit : quia varietas temporum, quoad ista temperamenta veris, autumni, etc., incepit quarto die, cum luminaria cæli facta sunt in tempora et dies et annos, ut ipse Suarez admittit (cap. 8 sequenti), et est D. Thomæ (q. 70 † a. 2 ad 3); plantæ autem et arbores tertiâ die productæ sunt; ergo non est regulanda varietas fructuum in arboribus penes istas temporum varietates. Magis autem textui Scripturæ standum est, quæ dicit producta esse ligna seu arbores cum semine : semen autem plerumque in ipso fructu est. Et sic ubique cum fructu productæ sunt; licet verum sit quod, in regione ubi erat ver, etiam cum floribus deberent produci : ut possent sequenti autumno fructus habere et sic continuare suas generationes et varietates. An vero generaliter mundus in æquinoctiali verno vel autumnali sit creatus, loquendo de primo die, quando nondum erat illa temporum varietas veris, autumni, etc., dicemus quæst. 74 *.

* in Gen., lib. I. opus 3ᵘ diei, in fine
** disp. 12 et 14 : IP 2021-2; 2027-8
† I P. q. 70, a. 2, ad 3
* infra, q. 74, n. 40-44

41. *Cur vero animalia* non sint producta in toto mundo, sed tantum duo individua, masculus et femina, sicut homines, plantæ autem per totum orbem sint productæ? *Respondetur :* illud de animalibus incertum esse, an in solâ unâ parte terræ sint facta. Potius enim oppositum dicendum est : cum multæ species animalium ad diversas regiones spectent, ibique nascantur, non in aliis : sicut elephas et rhinoceros non nascitur in Hispania, sed in Æthiopia; leo et tigris non nascitur in Germania et nascitur in India, et sic de diversis avibus et piscibus : licet in qualibet specie istorum duo tantum esse facta, verisimile sit. — Plantæ similiter diversarum specierum in diversis regionibus productæ sunt. in quibus tantum nascuntur : ut piper, cinnamomum, zingiber, sandalum et similia, non sunt producta in Hispania aut Gallia ubi non fructificant, sed in India vel insulis et terris adjacentibus; et idem est e converso de aliis plantis quæ apud nos sunt, non apud alios. Unde non sufficiebat ex uno loco deportari ad alium, vel e converso, tales plantas : quia multæ earum ibi non fructificarent. Debuerunt ergo singulæ in suis regionibus produci; et sic totus mundus plantis est consitus. Animalia vero etsi non producerentur in omni parte, possent eo ire vel deferri, quia sunt se moventia.

42. De paradiso terrestri aliqui inquirunt, an plantatus sit istâ die. Verisimile est quod sic, ob rationem supra * insinuatam : quia Deus producto homine in sextâ die tulit illum, et posuit in paradiso, ut dicitur (cap. II, 8). Exprimitur autem ibi quod *plantaverat Dominus paradisum voluptatis a principio, in quo posuit hominem quem formaverat.* Ergo ante sextum diem plantatus est; nec alio convenientiori quam hâc tertiâ die, in qua protulit terra lignum pomiferum; et sic etiam verificatur quod a principio, et multo ante sextum diem, plantatus (1) sit.



(1) Ita bene corrigunt CP || Mendose L *planta a.*



QUÆSTIO LXX

DE OPERE ORNATUS QUANTUM AD QUARTAM DIEM

TEXTUS :

Gen. I, 14-15 *Dixit autem Deus : Fiant luminaria in firmamento cœli, et dividant diem ac noctem, et sint in signa et tempora, et dies et annos, ut luceant in firmamento cœli et illuminent terram. Et factum est ita.*

NOTANDA CIRCA HANC QUÆSTIONEM.

1. In opere quartæ diei incepit opus ornatûs, absoluto et expedito opere distinctionis. Et sicut opus distinctionis incepit a superioribus corporibus, scilicet a cælestibus, quia prima divisio fuit inter lucem et tenebras, quæ pertinent ad cælos : ita et opus ornatûs incepit a corporibus cælestibus, nempe a luminaribus, cum dixit Deus : *Fiant luminaria in firmamento cœli, etc.* Est autem ornatus alicujus corporis proprie id quod ei extrinsecus adhibetur ad compositionem et apparentiam decentiorem; et [1] solum ab extrinseco id habet; et ideo ornatus potest moveri in corpore quod ornatur, vel tollendo, vel ponendo : sicut vestimenta in homine et tapetes in pariete : ideoque animalia, quia sunt extrinsecus se moventia in terra, mari, vel aere, maxime exornant illa. Et in corporibus videmus, quod licet ordo et distinctio partium, quæ ordinantur et distinguuntur [2] in ipso toto, pertineat ad perfectionem totius, est tamen perfectio per modum distinctionis tollentis confusionem, non per modum ornatûs : hic enim pertinet ad exteriora. Et totum hoc significat Scriptura illis ultimis verbis (cap. II, 1) [3] : *Igitur perfecti sunt cœli et terra, et omnis ornatus eorum.* Nomine enim cæli et terræ intelligitur id quod creatione factum est a principio. In ly autem *perfecti* designatur opus distinctionis, quæ ordinate et distincte res disponendo in suis locis, et tollendo confusionem, perficit illas, tribuendo unicuique quod est proprium et connaturale. In eo vero quod dicit *ornatus eorum*, designat opus ornatûs, quod incepit ab hâc die quartâ.

2. *Præcipua ergo difficultas in hac quæstione est :* an ipsa luminaria cæli, scilicet sol, luna et stellæ, quæ in hâc quartâ die facta leguntur, sint facta quoad substantiam, an solum quoad aliquam accidentalem mutationem. Et dato, quod sit accidentalis mutatio : an sit per receptionem alicujus qualitatis vel virtutis intrinsecæ per modum propriæ passionis, an alicujus extrinseci, puta alicujus novi motûs aut applicationis. Et quomodo hæc applicatio aut novus motus sufficiat ad verificandum ea quæ Scriptura tribuit luminaribus in hac die, scilicet quod dividant diem ac noctem, quod luceant super terram et sint in tempora et dies et annos, aut quomodo in his motibus solum consistat eorum ornatus.

[PRIOR ET PRÆCIPUA DIFFICULTAS.]

3. *Quantum ad principalem quæstionem,* supra (quæst. 67 *) *satis ostendimus* solem et reliqua corpora cælestia, quantum ad substantiam, facta

(1) Omnes : *et non solum ab...* || Negatio certe tollenda, ut monstrat exemplum vestimentorum. Vide etiam, paulo inferius : « *hic enim* [= *ornatus*] *pertinet ad exteriora.* » Ceterum totus hic locus, apud L, plurimis mendis scatet; unde oportuit paulo audacius corrigere.

(2) Ita legendum cum C || Mendose LP *distinguantur*.

(3) Mendose omnes : *cap. I.*

esse per creationem in primo instanti, postea autem nihil de cælesti corpore factum esse : quia non est generabile, neque corruptibile, sed solum ex nihilo creabile; licet Molina (hic, disp. 15*) senserit luminaria cæli, solem et lunam et [stellas] (1) hâc die quartâ quoad substantiam esse facta : quod multis rationibus ibi* improbavimus. Sed nomine cæli creati, quando dicitur quod *in principio creavit Deus cœlum et terram*, intelligitur totum quod pertinet ad corpora cælestia : sicut, nomine aquæ et terræ, totum quod pertinet ad illa elementa. Et sicut nihil terræ aut aquæ postea quoad substantiam creatum est, ita neque aliquid de substantia cæli; et multo minus id factum est in cælo, quia naturâ suâ est ingenerabile et incorruptibile, et multo (2) magis perfectum quam quodlibet elementum. — Dicere autem quod, licet naturâ suâ sol et reliqua astra sint ingenerabilia, tamen præternaturali modo facta sunt per generationem (et non per creationem) die quartâ, est introducere aliquid contra naturam rerum in ipsâ primâ et naturali rerum institutione.

* IP 2030-2033
* supra, q. 67, n. 22-25

4. Argumentum autem Molinæ*, deductum ex eo quod sol et astra caruerunt usque ad quartum diem virtute influendi in hæc inferiora, ergo et formâ substantiali : si quidem virtus influxiva in sole sequitur formam ejus substantialem, sicut passio essentiam, nec potest essentia et natura produci sine propriâ passione : — Hoc jam supra* solutum est tractando de luce, quæ etiam se habet ut propria passio; et amplius statim** solvetur, tractando an fuerit addita aliqua intrinseca virtus luminaribus quartâ die.

* IP 2030 C
* q. 67, nn. 22-25; 37-38
** infra, n. 5-14

[*Sententiæ.*]

5. Ex his ergo, qui solum agnoscunt mutationem accidentalem factam in luminaribus hac die, quidam existimant hanc mutationem factam esse in luminaribus per aliquam alterationem condensationis, quæ de se est alteratio ordinata ad corruptionem vel generationem. Alii per collationem virtutis de novo factam, eisque intrinsece inhærentem. Alii per solum extrinsecum motum, novasque inde oppositiones et adspectus inter ipsos planetas et astra consurgentes. — *Priorem modum refert Molina* (ubi* supra), et probabiliorem reputat, existimando quod cæli et astra creata sunt in quadam æquali raritate, deinde per condensationem habiliora facta sunt ad ejaculandum lucem et influentias alias ministrandum.

* disp. 15; IP 2030-1

6. *Secundam sententiam videtur sequi D. Thomas* (hic*, art. 1 ad 1; et supra, q. 67**, a. 4 ad 2), docens quod sol prius habuit virtutem illuminativam in communi, postea vero accepit quartâ die determinatam virtutem ad particulares effectus. Quæ determinata virtus videtur aliquid novum esse, et intrinsece receptum in sole et astris : aut explicari non potest quid sit. Et Bañez (super dicta q. 67, a. 4, dub. 2, ad argumenta) dicit non esse ad mentem D. Thomæ dicere quod solum datum est luminaribus in quartâ die novum exercitium et usus virtutis quam ante habebant; sed ipsamet nova et specialis virtus data est. Et postea (super q. 70, a. 1, dub. 1) explicat hoc juxta modum dicendi Cajetani, quod sol quartâ die suam communicavit lucem diversis luminaribus, quasi si accenderentur plures candelæ; et sic dicuntur tunc facta, quasi accensa de novo. Quod intelligit Bañez, non quia tunc primo lucem receperint astra (cum jam lucerent, ex quo sol lucem habebat (3)), sed quod tunc ex sole receperunt in illâ luce particulares et determinatos influxus, seu virtutes ad particulares effectus. — Alii existimant, magisque hoc explicant dicendo, quod lux solis a principio erat informis, hoc est multo minor quam modo; quartâ autem die accepit pleniorem lucem, sicque potuit et luna (4) et reliqua astra illuminare perfecte, quod ante non poterat. Quam sententiam Carthusiano* et Pererio** tribuit Suarez (lib. II, c. 8, n. 11).

* I P. q. 70, a. 1, ad 1
** I P. q. 67, a. 4, ad 2

7. *Tertiam sententiam sequitur ipse Suarez* (ibi, n. 16***) : videlicet hâc quartâ die solum tribuisse Deum planetis et luminaribus novos motus et adspectus, unde resultant novæ influentiæ et varietates temporum in his inferioribus. — Et fundamentum est : quia virtutes, quæ sunt qualitates intrinsecæ, sunt propriæ passiones in sole et stellis : quæ non possunt connaturaliter abesse a suis propriis subjectis. — Quia vero hoc instatur (5) in ipsis motibus, qui etiam se habent ut propriæ passiones cælorum : negat esse proprias passiones ab intrinseco emanantes, sed solum (6) ab extrinseco receptas; ideoque licet cælum habeat inclinationem passivam ad illos, carere tamen aliquantulum illis non est contra ejus naturam sicut carere seu impediri in emanatione propriæ passionis ab intrinseco convenientis et emanantis.

* Enarrat. in *Gen.*, art. 9
** in *Gen.*, lib. I, opus 1i diei
*** lib. II, c. 8, n. 16

(1) Mendose LP *lunam et hac die*, omissâ voce [*stellas*] || C *lunam hac die*, omissâ insuper conjunctione *et*, quæ sine utilitate manebat.

(2) Ita emendat C || LP *mulo*.

(3) Ita bene corrigit C : cui emendationi congruit omnino Bannesii sententia || Mendose LP *habebant*.

(4) Sic omnes, forte non male || Opinamur tamen legendum : *lunam*; cui lectioni favet Suaresii sententia.

(5) Id est : *impugnatur, argumento sumpto ex ipsis motibus* || Cf. tomi I Præfationem, cap. III, art. 2, § 2, n. 4.

(6) Supple : *sed [dicit esse] solum*... || Cf. tomi I Præfationem, cap. III, art. 2, § 3, n. 1, b).

[*Resolutio.*]

8. **IN HAC RE DICENDUM EST : Primam sententiam non esse admittendam; secundam vero et tertiam, si recte explicentur, esse ipsam sententiam D. Thomæ et veram.** — PRIMA PARS PROBATUR : Quia licet verum sit in cælis quædam corpora vel quasdam cæli partes esse rariores et alias densiores, ut in ipsâ lunâ clare videtur (et stellæ ipsæ densiores sunt aliis cæli partibus diaphanis, unde et lucem ejaculantur, quod sine densitate fieri non potest) : attamen densitas ista vel raritas est ipsis cælis innata et sine mutatione adveniens, sed a principio conveniens. Eo quod, si per alterationem adveniret, esset cælum capax alterationis talis qualis est illa quæ disponit ad generationem et corruptionem; alteratio autem condensativa ad generationem et corruptionem disponit; ergo si cælum est capax illius, est alterabile, et disponibile ad corruptionem : ergo corruptibile; quod stare non potest in hac sententia. Quare non negamus cælum admittere hanc dispositionem diversæ raritatis et densitatis in diversis partibus : sed dicimus illam, sicut et ceteras dispositiones et proprietates præsertim ad quantitatem pertinentes, quæ valde immutant substantiam (ut figura, densitas, raritas, etc.), convenire sibi immutabiliter et incorruptibiliter a principio. Deinceps vero immutari in illis per alterationem, sive fiat hæc alteratio a contrario agente, sive ab ipso Deo ejus auctore, non est connaturale cælo : quia inalterabile est sicut incorruptibile.

9. SECUNDA VERO PARS PROBATUR, supponendo (id quod certissimum est) in hâc die quartâ aliquid novum esse factum circa solem et luminaria, quod aliis diebus nondum factum erat, nec dici posse hanc narrationem quartæ diei solum esse recapitulationem ejus quod primâ die factum est circa solem faciendo in eo lucem. Hoc enim esset invertere totum ordinem et historiam hujus capitis Genesis, in quo per sex dies narratur factum et dispositum esse hoc universum; si autem quarta ista dies vacavit, ita quod in ea factum est nihil, sed solum est recapitulatio quædam primi diei, non sunt sex dies quibus factus est mundus, sed quinque. Nec ratio aliqua afferri potest, cur magis id quod isti diei attribuitur sit recapitulatio, quam id quod aliis diebus factum legitur; et sic nihil certi circa hos dies ex Scriptura haberetur. — Hoc ergo supposito, quod vere aliquid factum est circa luminaria in hac die, quia videlicet ornata sunt, cum adhuc per tres priores dies essent aliquo modo informia, iste ornatus reducitur vel ad aliquas qualitates quas de novo acceperit sol et stellæ, vel ad aliquos novos motus. Nam sicut aer et aqua et terra adornata sunt quibusdam moventibus illis superadditis, scilicet avibus, piscibus, animalibus, ita cæli exornati sunt non moventibus, sed motibus : quia cum sint corpora superiora a quibus inferiora hæc disponuntur et reguntur, magis eorum ornatus est activus, scilicet in agendo erga alios et benefaciendo et ornando illos, quam passivus in exornando se.

10. *Si* ergo *loquamur de qualitatibus* quas de novo accepit sol, in primis *excludenda est illa ultima explicatio* * secundæ sententiæ, quod in istâ quartâ die acceperit sol lucem majorem et perfectiorem quam habuerit in primâ die, vel novam figuram aut pulcritudinem. Hoc dici non potest : quia lux, connaturalis et debita soli, est lux in summo, et talis qualem nunc videmus, et talis quæ possit diem facere effugando tenebras. Lux autem, quæ data est soli in primo die, fuit lux quæ fecit diem, ut constat ex textu : *Appellavitque lucem diem.* Fuit etiam lux propria et connaturalis soli; ergo hoc ipso quod dabatur soli, debuit dari illi in summo : quia sic est ipsi debita et connaturalis. Nec erat ulla ratio vel fundamentum quare tunc dimidiâ ex parte daretur : cum sol et cælum suas perfectiones exigat habere immutabiliter, ita quod in instanti, quo ei debentur et dantur, perfecte et immutabiliter dantur. Quia hæc est connaturalitas rerum incorruptibilium ut id quod sunt, et quod eis debetur et datur, in statu perfecto et immutabili detur, quando datur. Immo et igni calor, et humiditas vel frigiditas aquæ, statim a principio data est in suo statu perfecto; cur ergo non similiter lux soli pro omni suâ parte, et in omni intensione debitâ?

* supra, n. 6, *Alii existimant*

Gen. 1, 5

11. Quare istæ virtutes seu qualitates, si datæ sunt quartâ die, de novo datæ sunt, non priores augmentatæ. Et si non sunt lux quæ nobis manifesta est, sunt qualitates aliquæ occultæ, quas habere solem ex effectibus colligimus : quia multa facit in hoc mundo præter illuminare; eas tamen distinctas esse a luce illâ solari (quæ, prout in sole, eminenter est multiplex), nobis non constat. Et ideo, quæ qualitates de novo additæ sint præter lucem quam jam habebat, difficile est explicare.

12. Quare D. Thomas cautissime in hac parte procedens dixit in duplici loco, soli primo die collatam esse lucem quoad virtutem illuminativam in communi, sed postmodum datam esse determinatam virtutem ad speciales effectus (ut patet supra, q. 67, a. 4 ad 1 *, et in hac q. 70 **, a. 1 ad 1). Postea autem magis explicans quæ sit hæc determinata virtus, quomodo ly *determinata* intelligendum est, et quid sit illa virtus illuminativa

* verius : I P. q. 67, a. 4, ad 2, cf. supra, n. 6
** I P. q. 70, a. 1, ad 1

in communi, docet quod « in primâ die facta est communis distinctio temporis per diem et noctem, secundum motum diurnum (1) qui est communis totius cæli, qui potest intelligi incepisse primo die. Sed speciales distinctiones dierum et temporum, secundum quod dies est calidior die, et tempus tempore, et annus anno, sunt secundum speciales motus stellarum, qui possunt intelligi quarto die incepisse »; ita dicit S. Thomas (in hac q. 70, a. 2 ad 3). Et idem docet (supra, q. 67, a. 4 ad 3) ubi per motus communes et proprios explicat communes effectus distinctionis diei et noctis, et proprios (2) diversitatis dierum et temporum et annorum. Cum ergo vis illuminativa in communi solum fecerit communem distinctionem diei et noctis, et virtus determinata ad speciales effectus faciat diversitates istas annorum et temporum, manifestum est quod virtus in communi et virtus determinata apud D. Thomam est idem quod virtus applicata secundum communem motum diurnum, qui facit distinctionem communem diei et noctis, et virtus applicata secundum motus et adspectus particulares, quæ facit varietates istas temporum. Unde non est separandum, in sententia D. Thomæ, id quod dicit de virtute in communi et virtute determinatâ ad speciales effectus, ab eo quod dicit de motu communi et motibus propriis, secundum quos fit ista determinatio et applicatio virtutis. Et Suarez *, attribuens D. Thomæ sententiam de additione determinatæ virtutis quasi sit nova qualitas superaddita quartâ die, debuisset attendere ad alia duo loca relata : ubi determinationem illam virtutis, et communem vim illuminandi, explicat per communes et proprios motus, ex quibus talis determinatio virtutis potuit resultare.

I P. q. 70, a. 2, ad 3
I P. q. 67, a. 4, ad 3
* lib. II, c. 8, nn. 8 et 11

13. *Dicimus ergo, juxta superius resoluta* de luce solis (quæst. 67 *), quod tam lux quam determinata illa virtus non sunt proprietates solis in ordine ad se, sed in ordine ad agendum in hæc inferiora, si consideretur lux in eo statu et modo quo convenit soli, scilicet ut lux fecunda ad alterandum et movendum hæc inferiora ad suas generationes et corruptiones. Sol autem et astra et cælum ipsum non est activum in hæc inferiora, nisi supposito motu : cessante enim motu cæli, cessabunt omnes illæ influentiæ in hæc inferiora : immo et ipsa lux solis non erit in hoc statu quo nunc, sed erit septempliciter major, ut dicitur (Isa. xxx, 26); in quo statu non est illa lux apta ad istas varietates efficiendas in hoc universo. Quare neque lux erat debita soli in ordine ad faciendum distinctionem diei et noctis, et ut virtus influxiva est in hæc inferiora, antequam cælum haberet motum diurnum, et in aliquo instanti post motum habitum et inceptum. Neque determinata ratio istius virtutis ad faciendas temporum varietates in calore, frigore, siccitate, etc., erat debita soli et astris antequam haberent motus proprios, quibus præter motum diurnum moventur ab occasu in ortum, vel a meridie in septentrionem, et e contra, unde resultant varii adspectus et congressus planetarum vel digressus, et varie temperantur et determinantur eorum virtutes ad influendum istam varietatem et diversam alterationem temporum et climatum. Et quia hos proprios motus acceperunt isto quarto die, ideo etiam determinari cœpit eorum virtus, et lux diversimode modificari ad diversos effectus et varietates producendas, et præesse diei et nocti, et esse in tempora et dies et annos.

* supra, q. 67, n. 37-39

14. Et ratio hujus est : quia lux illa cælestis, et virtus quæ cum luce convenit soli, est eminens et virtualiter multiplex, sicut et ipsa corpora cælestia valde superiora sunt et perfecta super omnia hæc inferiora. Indiget ergo determinari et modificari ad diversos effectus producendos, et varietates temporum faciendas. Positis autem his motibus diversis fit ista determinatio et modificatio : et tunc lux illa omnem istam distinctionem et varietatem facit; ergo nihil amplius requiritur. — Nec oportet aliter assignare corporibus cælestibus istas proprietates et virtutes influxivas in hæc inferiora, nisi supposito motu, et non ante : quia sine motu non sunt alterativa horum inferiorum. Ergo totum illud fundamentum et argumentum, quod essent sol et astra sine propriâ passione si carerent aliquâ virtute intrinsecâ ante quartam diem, cessat et non habet vim : quia illa virtus, sive intrinseca et superaddita, sive non, non est debita soli et astris nisi supposito motu proprio, et non ante : quia est virtus specialis, determinato modo influens in hæc inferiora, et sic non convenit soli nisi ut moto, et in statu influendi illa.

15. Sed inquires duo. *Primum :* cur isti motus proprii cælorum non statim a principio dati sunt illis, sed dilatum est usque ad quartum diem, cum naturaliter exigant sic moveri et sic influere in ista inferiora? — *Secundum :* an illa determinata virtus seu determinatio virtutis, quæ secundum D. Thomam collata est illis in hâc quartâ die quando dati sunt illis proprii motus, sit aliquid intrinsece receptum in sole et astris, et per modum qualitatis : an aliquid aliud, vel solum sit ipsemet motus proprius solis et planetarum.

(1) Ita C, cum edd. D. Thomæ || Mendose LP *diuturnum*.

(2) Supple : *et proprios [effectus] diversitatis...*

16. Respondetur ad primum : Non potuisse nec debuisse proprios motus incipere in cælo ante quartum diem : quia nullum agens seu movens constituitur nisi super debitam materiam; remotâ autem materiâ non debetur agenti motus super illam; et agenti universali non debetur universalis motus et gubernatio seu directio, nisi respectu materiæ, universalis ejus motionis susceptivæ. Cælum autem habet pro materia, non solum elementa, sed etiam mixta; nec ipsi convenit immutare per suas influentias integrum elementum, quia hoc est reservatum auctori naturæ et supremo artifici, qui ordinem universi posuit et instituit. Primis autem tribus diebus nondum erat discooperta terra in qua præcipuæ generationes mixtorum fiunt; et illis diebus oportebat ipsa integra elementa componere, distinguendo et coordinando varios eorum situs et dispositiones ad recipiendas cælorum influentias. Ergo proprii motus cælorum, quibus in terram et alia elementa et in mixta influerent, nondum erant debiti cælis, neque ipsis poterant competere : quia nec terra erat discooperta, nec alia elementa distincta et disposita, neque mixta adhuc inceperant aut in statu incipiendi erant.

17. *Ad secundum dicitur,* quod ex illis motibus et congressibus aut oppositionibus resultat sine dubio aliqua impressio vel motio intrinsece recepta in astro vel planeta, ratione cujus modificatur aut determinatur vel temperatur ejus virtus, aut determinatur ad aliquos speciales effectus : sicut alios effectus facit luna in novilunio et conjunctione ad solem, alios in plenilunio; et alios effectus facit Saturnus vel Mars in adspectu Jovis aut Veneris, vel in oppositione, in istâ domo vel in illâ. Et ex istis motibus, adspectibus et conjunctionibus, lux unius alio modo emittit radios suos in alterum planetam, quam sub aliis adspectibus et motibus. Talis autem radiorum emissio, sic vel sic facta, physicum influxum habet in corpus a se irradiatum; ergo et aliquam impressionem vel modificationem seu effectum physicum in eo ponit, ergo aliquid intrinsecum : sicut cum luna solum dimidiâ parte irradiatur, aut integrâ, aut nullâ. Et hunc effectum seu impressionem intrinsecam ex tali motione et irradiatione imprimi, etiam Suarez* admittit.

* lib. II, c. 8, n. 18-19

18. Et quando D. Thomas** dicit in hac quarta die accepisse solem et planetas determinatam virtutem ad speciales effectus, non dixit illam determinatam virtutem semel tunc esse acceptam, et quasi habitualem qualitatem aut potentiam esse ad illos speciales effectus. Non obligat littera D. Thomæ ad hanc intelligentiam; sed efficienter (1) intelligitur, quod acceperunt determinatam virtutem, id est, determinationem et modificationem virtutis ex propriis illis motibus et diversis adspectibus provenientem, juxta impressiones varias quæ fiunt in his astris, modo una, modo alia : omnes tamen sunt determinatio quædam virtutis seu determinata virtus, qua illis reddebatur virtus determinata quæ de se erat eminens ad multa. Nec solum putandum est solem dare istam determinationem aliis astris cum illuminat illa, sed etiam solem in se determinatam virtutem participare quando aliis conjungitur, et modo est in signo arietis, modo leonis, modo libræ, etc., vel in domo istius vel illius planetæ : sic enim diverso modo determinatur ad effectus diversos.

** I P. q. 70, a. 2, ad 3; a. 1, ad 1

19. *Sed adhuc remanet difficultas :* quia supra (quæst. 67*) diximus, estque communis sententia, quod mundus incepit in æquinoctio, ita quod primus dies, quando Deus creavit cælum et incepit moveri, fuit dies æquinoctialis; ergo tunc fuit sol in primo gradu arietis, vel libræ : et sic congressus isti, et proprii motus planetarum et astrorum, non inceperunt quarto die, sed primo. — Rursus, si prima dies fuit æquinoctialis, secunda et tertia non potuerunt etiam æquinoctiales esse : quia non possunt duo vel tres dies consequentes manere in eadem æqualitate; vel si manserunt, illi tres primi dies non potuerunt computari in illo primo anno mundi, sed annus debuit incipere a quarto die : inde enim incepit sol moveri per zodiacum, et non ante; motus autem solis per zodiacum efficit annum, non motus diurnus quotidianus.

* verius : q. 66, n. 3 sqq.

20. *Respondetur :* fuisse quidem æquinoctialem primum diem, ut dictum est, et solem creatum esse in illo primo puncto arietis, vel libræ, prout illud æquinoctium fuit veris vel autumni. Sed tamen illum situm, et congressum cum signo arietis vel libræ, non acquisivit sol suo proprio motu sicut nunc : quia istum motum incepit habere quartâ die; sed habuit illum ex ipsâ suâ creatione, quia in aliquo situ et positione debuit creari a Deo, et situs fuit ille ubi æquinoctium fieret. — Ad aliam partem argumenti* dicimus : necessario concedendum esse, quod tres primi dies fuerunt æquinoctiales, supposito quod proprii motus solis et planetarum inceperunt quartâ die quoad varietatem temporum, veris, æstatis, autumni, etc. : quia tunc primo facta sunt in tempora, dies et annos. Inæqualitas autem noctium et dierum fit ex istâ varietate temporum, aut sine illâ non fit. In illis ergo tribus diebus solum erat motus diurnus communis, non motus proprii

* supra, n. 19, *Rursus*

(1) Sic omnes, corrupte, ut videtur || Censemus legendum : *sufficienter*.

planetarum, ex quibus illa inæqualitas dierum et noctium provenit. — Nec propterea tres illi dies primi expunguntur a calendario et computatione primi anni : quia licet in illis non fuerit motus proprius solis per zodiacum, hoc tamen facile suppleri potuit per aliquam accelerationem motûs proprii, ita quod in revolutione anni fuit sol in primo gradu arietis, vel libræ, ipso die correspondente primæ diei creationis. Sicut,
Jos. x, 12-14 quando tempore Josue dies facta est longior per hoc quod stetit sol, non fuit turbatus ordo cælorum illo anno, sed Deus supplevit acceleratione aliquâ id quod in illâ quiete et statione solis interruptum fuit.

[POSTERIOR DIFFICULTAS.]

* n. 2, *Et quomodo*

21. ULTIMUM QUOD SUPRA * PROPOSUIMUS INQUIRENDUM in hoc opere quartæ diei EST, quomodo verificentur omnia quæ de luminaribus dicuntur in hac die : et nos dicimus fieri ab illis per istos proprios motus, quos in hac die acceperunt et per quos determinatur et applicatur eorum virtus ad determinatos speciales effectus. — RESPONDETUR : Luminaria in quatuor fines dici esse facta a Deo. Primo, ut dividant diem ac noctem. Secundo, ut sint in signa. Tertio, ut sint in tempora et dies et annos. Quarto, ut luceant in firmamento et illuminent terram. Ad ista munera dicuntur hâc die facta esse luminaria; unde non secundum substantiam et secundum esse intelliguntur fieri hâc die, sed secundum ista officia et ad istos fines, etiam inhærendo ipsi litteræ : quia non dicit : *Fiant,* simpliciter, sed : *Fiant, ut*
Gen. 1,14-15 *dividant diem, ut luceant, ut sint in tempora et dies, etc.*

22. *Primus ergo finis et munus est :* ut dividant diem ac noctem. Non intelligitur de divisione diei et noctis absolute, et præcise prout dies est lux et nox tenebræ, et prout præcise divisio diei et noctis fit per motum diurnum : sic enim illa divisio facta est primâ die, et pertinet ad opus distinctionis. Sed dies et nox in præsenti, et divisio inter illas, sumuntur pro die et nocte cum aliquo ornatu et additione : prout nox et dies sunt magis vel minus breves, calidiores vel frigidiores, nebulosæ vel serenæ, hujus aut illius temperamenti : et uno verbo prout subsunt motibus planetarum propriis, et non solum motui diurno. Ita quod nox sumitur non solum pro tenebris, sed etiam pro luce lunæ aut stellarum, specialibusque illorum influentiis : et sic distinguitur a luce solis et diei.

23. *Secundus finis est :* ut sint in signa. Possunt intelligi planetæ et astra esse in signa ad placitum, respectu aliquorum eventuum quos non causant; vel esse signa naturalia, respectu effectuum quos causant et in quos influunt. — Primo modo non constat esse signa : quia non constat de tali impositione ad placitum. A quo enim facta est : a Deo, ab Angelo, vel ab homine? — De impositione Dei nobis non constat, nec revelavit; nec scimus quænam illa sit. Unde sine fundamento ponitur, non magis quam si aer vel aqua dicantur imposita ad aliquid significandum. — De impositione Angeli multo minus scitur; neque quod ad ipsum pertineat tales impositiones facere, nec posse, saltem respectu futurorum contingentium aut eventuum liberorum, quæ in sua potestate non sunt. — De impositione hominis esset plane ridiculum id dicere : quomodo enim potest homo imponere ad significationem diversorum eventuum planetas et astra, nisi vane et chimærice?

24. Sunt ergo signa naturalia. Non tamquam effectus significantes suas causas : cæli enim non habent causam sui nisi Deum; sed tamquam causæ significantes et indicantes effectus suos. Unde non significant nisi id in quod influunt; et consequenter non possunt significare eventus liberos, et quæcumque dependent a causâ liberâ et spirituali : et oppositum est superstitiosus error, damnatumque nuper est a Sixto v in quadam extravaganti *. Licet possint alterare corpora : unde possunt occasionari multæ passiones liberæ in animo, sed non infallibiliter et certo. — Dicuntur ergo planetæ et stellæ esse in signa, quatenus suos effectus causant. Causant autem illos secundum diversos motus et adspectus quos astra habent inter se, et sic fiunt diversæ constellationes : quæ, cum sensibus deprehendantur, deserviunt ad significandum et pronosticandum plures effectus, qui ab ipsis causantur : ut pluvias, tempestates, serenitates, etc.; unde possunt homines sibi providere pro negotiis agriculturæ, navigationis et medicinæ : ad quæ tria tantum astrologicæ prædictiones sunt permissæ *.

* bulla *Cæli et terræ Creator,* die 5 Jan. 1586; B. T., VIII, 646-650

* B. T., VIII, 649, § 2; 650, § 3


25. *Tertius finis est :* ut sint in tempora et dies et annos. Intelligitur de temporibus et annis secundum diversas eorum qualitates : ut pluviosa, serena, turbulenta, sterilia, abundantia, sana, ægra et similia; sic enim vocantur bona vel mala tempora, dies mali vel boni, annus sterilis vel abundans, sanus vel pestilens, etc. Et sic non sumitur tempus pro solâ mensurâ motûs, sed pro qualitatibus temporum. — Nec numerantur menses : quia isti magis videntur distincti ex beneplacito hominum dividentium annum per menses (unde et in diversis nationibus diversimode sunt divisi), quam secundum diversitatem temperamentorum anni.


26. *Quartus finis est :* ut luceant in firmamento cæli et illuminent terram. Et ad hoc dicuntur

fuisse posita in firmamento : non quia ibi sint de novo creata, aut fixa quasi clavi : sed quia ibi de novo sunt applicata et determinata per motus et adspectus suos, ut luceant in firmamento secundum diversos adspectus et constellationes quas faciunt, et illuminent terram secundum diversos et inæquales effectus quos illa producunt. Hæc autem illuminatio non est finis *cujus gratia* in astris, sed finis effectus ab illis. Pulcritudo autem et varietas universi, et utilitas hominis, sunt finis proximus *cujus gratia* : ultimus est gloria Dei, quam cæli enarrant.

27. SOLUM RESTAT DIFFICULTAS, quomodo cæli et luminaria sint causæ influxivæ in viventia, et vitam in eis causent et foveant, nec tamen sint viventia. — RESPONDETUR : Luminaria in se non esse animata seu viventia. Nam in primis carent vitâ sensitivâ et vegetativâ : quia carent organis et motu alterationis, sine quibus actus talis vitæ non exercentur. Solum posset dubitari de animâ intellectivâ, an illâ informentur. Sed tamen intellectiva vita, cum in se spiritualis sit, formaliter non exercetur per corpus neque per organa corporea, sed solum potest uniri corpori, ut deserviat ei tamquam instrumentum ad ministrandum species ex phantasmatibus et aliis sensibus haustas. Ad hoc autem oportet uniri animam intellectivam corpori habenti vitam sensitivam : quâ carent corpora cælestia, quia carent organis sensuum. Quare solum potest forma intellectiva uniri cælo ad movendum illud localiter. Ad hoc autem sufficit ut uniatur ei tamquam motor mobili, non ut forma materiæ. Et hoc modo unitur intelligentia cælo, quia illud movet.

28. *Potest tamen cælum dupliciter eminere super viventia* inferiora, et in ea influere. — Primo, inquam, cum consideratur non in se solum, sed conjunctum suo motori, qui est intelligentia : ratione cujus motus ejus redditur virtuosus, et superior ad viventia corporea; non quia intelligentia det qualitates vitæ, sed quia movet cælum ut alteret, et qualitates imprimat necessarias ad vitam, quod sine tali motu non esset. — Secundo, ratione formæ ipsius cælestis, quæ est nobilior (in quantum incorruptibilis et incorruptibili modo informans) omni formâ corruptibili, qua talis. Unde licet sit inferior vitalitate formæ viventis, est tamen superior modo informandi ejus : quia forma viventis informat modo corruptibili. Et similiter est superior omni qualitate et alteratione, sine qua non potest exerceri vitalitas sensitiva vel vegetativa. In quantum ergo vita viventium et vitales ejus motus dependent ab informatione et unione formæ viventis, et ab alteratione qualitatum (quia, sine istâ et illâ, vivens non subsistit), cælum est superius, et influxivum in viventia : sicut homo generat hominem non habendo influxum in animam, sed in materiæ unionem et dispositiones sine quibus non est homo.





QUÆSTIO LXXI

DE OPERE QUINTÆ DIEI

TEXTUS :

Dixit etiam Deus : Producant aquæ reptile animæ viventis, et volatile super terram sub firmamento cæli. Creavitque Deus cete grandia, et omnem animam viventem atque motabilem, quam produxerunt aquæ secundum species suas, et omne volatile secundum genus suum.

NOTANDA CIRCA HANC QUÆSTIONEM.

1. Post ornamenta cælestium corporum in suis luminaribus, quasi in facibus toto cælo dispositis et accensis, sequitur ornatus superioris elementi, scilicet aeris, et inferioris, scilicet aquæ. Nam elementum ignis nullius ornamenti capax est : quia ob nimiam activitatem devoraret omnia ornamenta sua, et consumeret; præsertim cum ornamenta elementorum sint viventia et mixta : nullum autem horum in igne diu durat. Immo nec in toto aere facta sunt viventia a Deo, sed notanter dictum est : *Volatile super terram sub firmamento cæli,* quia videlicet aves connaturaliter vivunt et volant in hâc infimâ aeris regione, inter terram et nubes quæ sunt in secundâ aeris regione, et hæc vocatur firmamentum cæli. Si quando vero aves aliquæ volant super nubes, hoc erit ad tempus et pro aliqua particulari occasione, non ut communiter et connaturaliter ibi volent et vivant.

2. *Circa generationem ergo viventium,* quæ in hâc quintâ die facta sunt, scilicet aves et pisces, *tria occurrunt consideranda* sicut in aliis operibus : scilicet causa efficiens, a quâ facta sunt; materia, ex quâ facta sunt; perfectio seu status, in quo creata sunt, et in quâ quantitate et qualitate.

3. ET SUPPONIMUS hæc viventia producta fuisse in actu hâc die, et non solum in virtute et potentiâ, sicut de herbis et plantis dictum est* : licet sententia Augustini**, quam habuit circa productionem plantarum, etiam procedat circa productionem avium et piscium et animalium, ut S. Thomas advertit (in hac q. 71 † et 72). Sed tamen rationes † I P. q. 71-72
quæ convincunt plantas esse productas in actu tertiâ die, etiam probant de productione animalium quintâ et sextâ die. Non enim solum dicitur quod Gen. 1, 20-21
dixit Deus : *Producant aquæ volatile et reptile,* sed additur quod *creavit Deus cete grandia, et omnem animam viventem atque motabilem;* nec solum dicitur : Gen. 1, 24-25
Producat terra animam viventem, sed etiam additur : *Et fecit Deus bestias terræ juxta species suas.* Nec Gen. 1, 21-22
solum dicitur Deum creasse *cete grandia, et omnem animam motabilem,* sed etiam quod *benedixit eis et dixit : Crescite, et multiplicamini, et replete aquas maris.* Si autem Deus creavit pisces et aves, si fecit bestias terræ, si benedixit eis et dixit ut crescerent et multiplicarentur, et additur semper quod *factum est ita* intra illam quintam diem et intra illam sextam : quomodo potest intelligi quod in illâ die non fuerint facta in actu, sed solum in potentiâ, ista viventia? Quid enim fecit Deus et quid factum est, si non fecit res istas in actu et ipsæ in actu factæ sunt? Et quid benedixit et jussit ut multiplicarentur et crescerent, si nondum erant in actu pisces et aves quibus benediceret? Certe negari non potest hominem sextâ die factum esse in actu, et non solum in potentiâ : cum dicatur quod Deus Gen. 1, 27-29;
creavit illum in hac die, quod dederit ei omnem II, 15. 20-22
herbam et lignum in escam, quod tulerit eum in paradisum, quod vocaverit Adam unumquodque animal secundum nomen suum, quod dormierit,

quod ex ejus costâ formata sit Eva. Omnia hæc quomodo possunt convenire homini in potentiâ, qui nondum est homo? sed [1] homini vero et vere exsistenti; ergo etiam alia animalia sunt in actu producta.

[DE CAUSA EFFICIENTE.]

4. Hoc supposito, dubium est circa causam efficientem a qua producti sunt pisces et aves in hac die. — **ET DICIMUS a solo Deo, ut a causâ efficiente, esse productos : non tamen creatione ex nihilo, sed eductione ex materia,** v. g. ex aqua quæ concurrebat ad eam productionem materialiter, non efficienter.

5. RATIO EST : Quia in nullâ aliâ causâ erat sufficiens virtus ad producendam tantam multitudinem piscium et avium, tam in substantiâ, quam in modo; ergo a solo Deo effective processerunt. — *Antecedens probatur :* nam si consideremus productionem illorum quoad substantiam, facti sunt multi pisces et aves, quæ sunt animalia perfecta. Nec possunt a solo cælo, et multo minus a solo Angelo, generari sine aliquo semine, quod tamen tunc nullo modo erat : si quidem semen hoc inditum est ipsis animalibus, sicut et plantis, et ab illis deciditur, et illis dictum est quod crescerent et multiplicarentur; ergo ante ipsa animalia non erat in alio corpore semen et virtus ad illa producenda. Angelus autem se solo non potest istas animalium generationes facere, nisi applicando activa passivis. Neque cælum perfecta animalia generare sine semine : quia numquam oppositum visum est, sicut e contra videmus ex putrefactione imperfecta animalia generari. Et sic non habemus principium et fundamentum, unde dicamus a cælo producta esse animalia perfecta; et multo minus ab alio corpore inferiori ipso cælo, quod non est agens æquivocum, nec habet efficaciam et virtutem, quam cælum.

6. Ex parte autem modi, quo factæ sunt aves et pisces, multo clarius patet non potuisse nisi a Deo procedere : quia facta sunt solo imperio, et in tempore brevissimo, et in maxima multitudine, non per consuetos modos quibus operatur natura generationem, scilicet prius alterando, et disponendo semina, quam generando; ergo supra modum naturæ facta sunt; ergo ab auctore naturæ. Nec tamen miraculose et præternaturaliter : quia in illâ primâ rerum formatione, quando primum naturæ rerum productæ sunt, tam naturale est fieri res istas a solo Deo, quam postea in propagatione rerum fieri a causis secundis. — Unde convincitur [2] sententia Cajetani * et aliorum, quod aquæ produxerunt pisces et aves effective. Non est hoc dicendum; sed solum materialiter, seu præbendo materiam, concurrerunt : quia minorem efficientiam habent aquæ quam cælum; et ita si cælum non potuit ea viventia producere, multo minus aqua. Et ad producendum tali modo, ipsi naturæ inconsueto, id est, tam brevi tempore, sine positionibus [3] præviis, sine semine, etc., certius est aquam non habuisse virtutem; nam neque modo eam habet : ergo neque tunc; alias tunc haberet virtutem effectivam, quam statim deberet amittere. Unde ipsa Scriptura, ut hoc excludat, ita prius dicit quod *producant aquæ reptile et volatile* *, et quod *terra producat animam viventem* **, *etc.*, quod tamen totam efficientiam Deo tribuit, dicendo statim : *Creavitque* † *Deus cete grandia, et omnem animam motabilem. Et fecit* †† *Deus bestias terræ et jumenta et omne reptile, etc.* Ergo productio pertinuit ad aquam et ad terram materialiter, ad Deum autem efficienter.

* in Gen. I, 20-21

* Gen. I, 20
** Gen. I, 24
† Gen. I, 21
†† Gen. I, 25

7. *Quod si dicas :* Quare dicit Scriptura quod creavit Deus cete grandia, si revera non creavit, sed e materia produxit? — *Respondetur :* Scripturam non uti illo verbo « creavit » in sensu rigoroso, pro creatione ex nihilo : quia non dixit quod creavit absolute, sicut supra cum dixit quod creavit cælum et terram, nihil amplius addendo. Hîc autem dixit quod *creavit Deus cete grandia, et omnem animam motabilem, quam produxerant aquæ in species suas.* Si ergo creavit id quod produxerant aquæ, non ergo ex nihilo, sed concurrente aquâ, creavit. Et tamen utitur Scriptura verbo creandi, ad designandum specialem efficientiæ modum, et proprium Dei : quia non consueto modo, quo natura efficit, sed altiori et proprio ipsius creatoris facta sunt : ita quod, etiam in illâ piscium et avium productione, Deum se et creatorem ostendit; sicut etiam in productione hominis ad imaginem suam, quæ etiam verbo creationis notatur : ibi enim vere creavit animam ex nihilo.

[DE MATERIA.]

8. CIRCA MATERIAM, ex qua factæ sunt aves et pisces, ALIQUI CENSENT esse facta ex terra, alii ex aqua, alii ex aere.

9. *Primum tenet Cajetanus* *, Catherinus **, et alii. Ducunturque illis verbis (cap. II, 19) : *Formatis igitur, Dominus Deus, de humo cunctis animantibus terræ et universis volatilibus cæli, adduxit ea ad Adam;* ubi formatio animantium et volatilium æque dicitur facta ex humo. — Et adjungitur ratio : quia

* in Gen. II, 19
** in Gen. I, 20

[1] Supple : *sed [debent convenire] homini vero* ‖ Cf. tomi I Præfationem, cap. III, art. 2, § 3, n. 1, a).

[2] Id est : *revincitur,* seu *refutatur.*

[3] Sic omnes ‖ Suspicamur legendum : *dispositionibus.*

in volatilibus prædominatur elementum terrestre, ut constat : quia illa corpora sunt magis densa et solida et ponderosa quam aqua, quæ est nimis fluida.

* PG 29, 148
** PL 14, 205-208
*** PG 53, 64
† PL 22, 659
†† Gen. 1, 20

10. *Secundum tenent plures Patres :* ut Basilius *, Ambrosius **, Chrysostomus ***, Hieronymus †, et alii. Maximumque fundamentum habet in Scriptura dicente : *Producant* †† *aquæ reptile animæ viventis, et volatile super terram;* quod intelligi non potest nisi aqua ad talem productionem concurrerit : non efficienter, quia efficientia ista tribuitur Deo : ergo materialiter, seu præbendo materiam. Quod etiam Ecclesia canit in hymno pro vesperis feriæ quintæ :

Magnæ Deus potentiæ
Qui ex aquis ortum genus
Partim remittis gurgiti
Partim levas in aera.

Ergo ipsa avium productio ex aquis, ut ex materiâ, facta est : si quidem inde levata dicuntur in aerem. — Ratio etiam adjungitur : quia potissimum ex illo elemento dicitur aliquid fieri, in quo movetur et conservatur; pisces autem in aquis degunt, aves in aere pleno vaporibus, et multæ ex illis etiam super stagna et aquas consistunt et ibi manent; ergo convenienter dicuntur pisces et aves factæ ex aquis, sive ex aquis exsistentibus super terram, sive elevatis in aerem.

* n. 5; PL 34, 281
** n. 44-5; PL 34. 237-8
*** PL 91, 198
† PL 167, 241
†† I P. q. 71, a. 1, ad 3

11. *Tertium probat Augustinus* (III de Genesi ad litt. c. 3*; et de Genesi imperfecto, c. 14**), Beda***, Rupertus†, et alii. Et in ipsum inclinat D. Thomas (hac q. 71 †† ad 3) ubi productionem avium ita aquæ adscribit, quod nomine aquæ aerem intelligi etiam docet : eo quod de aere non sit mentio ita expressa in Scriptura, quia aer insensibilis est. — Et ratio facta etiam favet : quia aves moventur in aere, sicut pisces in aqua; ergo debuerunt ex aere fieri : quia unumquodque fit convenienter ex illo elemento, in quo movetur.

12. Inter has sententias **ITA EXISTIMO JUDICANDUM**, quod non debent simpliciter rejici, sed omnes aliquid de veritate habent. — *Nam quod aliqualiter terra concurrerit,* et materiam aliquo modo ministraverit, negari non potest : cum prædominentur etiam in avibus qualitates terrestres, ut densitas, ponderositas, siccitas, etc. Aves etiam nidificant in terra et de ea sustentantur. Quare saltem remote oportuit terram ad eas concurrere. Et fortasse aqua, ex qua factæ sunt, etiam exhalationibus terrestribus potuit esse affecta et plena; sicque aliquo modo terra concurrit, eo modo quo sufficit ut verificetur quod etiam de humo facta sunt, saltem remote, aut minus principaliter, vel concomitanter. Et in hoc sensu sententia illa prima * vera est. * cf. supra, n. 9

13. Si vero velit aves factas esse ex terrâ tamquam ex unicâ et totali materiâ, nullo modo admittenda est, propter allata verba textûs : *Producant aquæ reptile animæ viventis, et volatile super terram sub firmamento cæli;* quod declaratur magis in illis verbis hymni Ecclesiæ : « Qui ex aquis ortum genus, partim remittis gurgiti, partim levas in aera. » — Nec audiendi sunt, qui illud verbum *et volatile* non referunt ad verbum *producant* (1), sed sumunt illud in nominativo, et subintelligunt aliud verbum, id est, « et volatile sit, aut volet super terram; » nec enim videtur aquas, quæ ita inferiores sunt, potuisse producere aves super ipsam terram. Sed hæc expositio est extorta, et sine fundamento in littera. Nam si sensus est « volatile volet super terram », non autem « producant aquæ volatile », omitteret Scriptura ipsam avium productionem; nec declararet nobis quomodo aves productæ sint, declarando quomodo pisces sunt producti, et postea quomodo bestiæ sunt factæ, sed subito introduceret aves volantes, omissâ earum productione : quod omnino est absurdum et incredibile. Nec aquæ ita inferiores sunt ipsâ terrâ, quod sint opertæ et occultæ sub terrâ, sed immediate patent ipsi aeri, sicut in mari videmus. Unde ex aquis deorsum potuerunt produci pisces, et sursum elevari aves; et multo magis si aves factæ sunt non ex ipsâ aquâ maris in se, sed ex aquâ vaporabili et ex aere ingrossato vaporibus. — Dicuntur autem aves produci *super terram sub firmamento cæli,* ut insinuetur quod aves utroque elemento indigent et utuntur, terrâ ad quiescendum, aere ad volandum; in terra dormiunt, nidificant, multiplicantur, manducant; in aere volant, moventur. Gen. 1, 20

* cf. supra, n. 10
** cf. supra, n. 11

14. *Secundam* * ergo *et tertiam* ** *sententiam conjungimus,* dicimusque materiam proximam, ex qua ortæ sunt aves et pisces, esse aquam : nomine aquæ intelligendo etiam vaporabilem aquam, ipsumque aerem ingrossatum vaporibus, ut S. Thomas dicit (hîc, ad 3). Et hoc congruenter : quia pisces sunt crassiores, et substantiæ magis aqueæ. Aves vero subtilioris substantiæ sunt, et humidum habent magis aereum quam aqueum. Quod et earum volatus indicat, et gustus seu esus : quia delicatiorem substantiam præbent in alimentum. Convenienter ergo pisces ex crassiori aquâ, aves ex subtiliori, creata sunt. Subtilior autem aqua est vaporabilis, et ita ex aere ingrossato vaporibus, seu ex aqua vaporabili factæ sunt (2), ut proportionate unum- I P. q. 71, a. 1 ad 3

1 Mendose omnes : *producunt.*

(2) Supple : [*aves*].

quodque vivens fiat ex elemento in quo movetur, et aer dicatur exornari illis viventibus quæ ex ipso, seu ex aquis in eum evaporatis, exorta sunt.

15. AD ILLUM TEXTUM (cap. II, 19) : *Formatis de humo cunctis animantibus terræ, et universis volatilibus cæli, adduxit ea ad Adam,* quod pro se adducit prima sententia *, RESPONDETUR DUPLICITER. — Primo, quod ly *et* non est necesse quod copulet cum omnibus particulis præcedentibus, sed sufficit copulare cum ly *formatis,* non cum ly *de humo.* Et rursum intelligitur totum illud in distributione accommodâ, quod formata sunt de humo cuncta animantia terræ : nec enim otiose positum est illud « animantibus terræ », quia videlicet ista formata sunt de humo; volatilia autem, in hoc ipso quod dicuntur esse « cæli », manent excepta ab illa formatione ex humo. — Secundo, dici potest, solutione supra * insinuatâ, quod etiam volatilia sunt ex humo remote et concomitanter, non principaliter aut proxime.

* cf. supra, n. 9

* n. 12, in fine

[DE STATU.]

16. Circa statum, perfectionem, quantitatem et qualitatem, in qua productæ sunt aves et pisces, BREVITER DICENDUM EST idem * quod de plantis et arboribus, et postea de animantibus : quod producta sunt ista in statu perfecto ad operandum et generandum; et, quoad quantitatem, omnes species naturales avium et piscium in ea individuorum multitudine quæ sufficiebat ad propagationem talium specierum, et ad escam aliquorum; in qualitate autem etiam species imperfectas avium et piscium et animalium esse productas, non tamen monstruosas, non ex degeneratione, sterilitate aut commixtione sexuum diversæ speciei ortas.

* cf. supra, q. 69, n. 37-41

17. PRIMUM EXPLICATUR SIC : Quia licet in corporibus simplicibus, puta cælis et elementis, formandis et distinguendis Deus processerit ab imperfecto ad perfectum, tamen in ultimo opere, quod est ornatûs, non sic : sed ea quæ pertinent ad ornatum produxit Deus in statu perfecto, præsertim animalia et hominem. — Tum quia opus ornatûs fuit opus consummans, et ultimâ manu formans, corporum præcedentium informitatem; ergo debuerunt ista ornamenta in statu perfecto produci : alias non essent consummativa et perfectiva ceterorum operum. Unde si in ipsis procederetur de imperfecto ad perfectum, rursus indigerent consummari et perfici, et sic nondum essent ultimum ornamentum. — Tum etiam quia si homo et animalia et aves producerentur in statu imperfecto, verbi gratiâ, infantili et parvuli fetûs, indigerent parentibus, quibus alerentur et foverentur : alias perirent, vel deberent a Deo miraculose conservari et præternaturaliter enutriri. Si autem a parentibus nutrirentur, illi parentes essent producti in ætate perfectâ et in statu generandi, et de illis esset eadem difficultas, quomodo in statu perfecto essent producti : aut, si in statu imperfecto, quis eos enutrivit? Necesse ergo fuit prima viventia in statu perfecto produci : sicut prima inanimata et elementa in statu imperfecto. — Tum denique quia, immediate post creationem rerum, incepit status propagationis et multiplicationis in quo administratur et gubernatur hic mundus; debuerunt etiam animalia operari, præsertim homo, ut excoleret terram. Ergo oportebat creari in statu perfecto, apto ad generandum et propagandum et laborandum. Unde et in ipsa productione talium viventium benedicuntur a Deo, et ad propagationem inducuntur : *Crescite, et multiplicamini, et replete terram, etc.* Gen. I, 28

18. SECUNDUM EXPLICATUR SIC : Quia Scriptura dicit, quod *creavit Deus cete grandia, et omnem animam viventem atque motabilem, quam produxerant aquæ in species suas, et omne volatile secundum genus suum.* Et infra de animantibus : *Et fecit Deus bestias terræ secundum species suas, et jumenta, et omne reptile in genere suo.* Ergo, quantum ad quantitatem specificam, omnes naturales species factæ sunt, propter eamdem rationem quam adduximus * de plantis : quia si species istæ non producerentur a Deo, non daretur semen et virtus per quam producerentur postea (quia suppono non esse species ex putrefactione factas, quæ magis ad propagationem pertinent, sed ex semine). Has omnes oportuit creari a Deo : quia non ex aliis, sed ex proprio semine fiunt; ergo non potuerunt relinqui pro opere propagationis, sed in hâc primâ institutione fieri cum semine et virtute suâ.

Gen. I, 21

Gen. I, 25

* supra, n. 5-6; et q. 69 n, 37-41

19. De quantitate autem individuali illud solum possumus affirmare : quod, cum multitudo individualis per se fiat per multiplicationem et propagationem, tunc, in principio, in numero quam paucissimo facta sunt individua cujuslibet speciei : sicut homines solum facti sunt duo, masculus et femina. In arcam, pro conservatione specierum, solum de animantibus mundis septena et septena introducta sunt, de immundis vero duo et duo, masculus et femina, de volatilibus cæli septena et septena (Gen. VII, 2-3). Ergo similiter, in prima creatione, in quam paucissimo numero individua cujuslibet speciei facta sunt. Fuerunt ergo facta ad minus duo, masculus et femina, in eis quæ per coitum propagantur. Et rursum, pro carnivoris et quæ sustentantur ex aliorum animalium carnibus, aliqua facta sunt in majori numero, ut possent

etiam in escam haberi usque ad propagationem competentem illorum; nisi forte pro illo tempore animalia carnivora ex herbis et plantis sustentata sunt : sicut, quamdiu fuerunt in arca, non comedebant alia animalia (alias brevi destruerent species illorum), sed de omnibus escis quæ mandi poterant introduxit Noe in arcam : *Et erunt,* inquit, *tam tibi, quam illis in cibum* (Gen. VI, 21). Tunc autem nondum homines vescebantur carnibus, sed post diluvium; ergo neque animalia tunc de carnibus comederunt in arca.

20. TERTIUM DENIQUE EXPLICATUR : Quia solæ illæ species pertinent ad primam institutionem naturæ, quæ ipsâ vi et perfectione naturæ possunt et natæ sunt produci, et sunt quasi species originariæ. Tales, quantumcumque imperfectæ aut nocivæ vel venenosæ, productæ sunt a Deo in prima institutione. Quæ enim sunt nocivæ uni, sunt proficuæ aliis, vel sibi; et quælibet habet perfectionem in gradu et genere suo. Ergo omnes istæ a Deo productæ sunt; alioquin, si solum perfectas produceret, paucissimas faceret : quia etiam inter illas una est imperfectior aliâ. Quæ ex putrefactione et corruptione oriuntur, non oportuit quod actu producerentur in hâc die, et sextâ : sed in potentia tantum, quatenus sunt in virtute cælorum et in potentia materiæ putrefaciendæ : quæ est sententia D. Thomæ (in quæst. 72* ad 5; et q. 73, a. 1 ad 3). Unde tales species magis pertinent ad opus propagationis, et reputantur sicut multiplicatio individuorum : eo quod istæ species supponunt jam suam originem, id est, virtutem ex qua fiant, quæ est virtus cæli et putrefactio materiæ; et ex illis quasi propagantur et oriuntur.

* I P. q. 72, a. 1, ad 5

21. Similiter quæ resultant per degenerationem, sterilitatem, aut aliquam aliam monstruosam productionem, non pertinent ad primam institutionem naturæ : quia istæ potius sunt corruptiones naturæ, aut species viâ corruptionis productæ : et non debuit viâ corruptionis produci aliquid in prima institutione rerum, sed hoc pertinet ad propagationem corruptivam; et virtualiter continebantur in speciebus perfectis, ex quarum corruptione fieri natæ sunt. Si tamen aliqua animalia, quæ alias ex putrefactione vel corruptione oriri solent, pro illis primis diebus necessaria erant ad escam et alimentum aliquarum avium vel animalium, etiam cum aliis facta videntur, vel etiam quam citissime ex actione solis et dispositione terræ facta sunt : quia ista animalia habent imperfectissimam organizationem, et brevissime fiunt et multiplicantur.

22. **Denique, idem dicendum est de animalibus ortis ex commixtione sexuum diversæ speciei, ut mulus ex equâ et asino, leopardus ex pardo et leænâ, et similibus.** Nam etsi videantur animalia in se perfecta, tamen revera reputantur ut partus monstruosi, et non secundum inclinationem naturæ, sed præter; et præsertim quia ordinarie procurantur industriâ humanâ, cum fiunt inter animalia domestica. Quæ autem ita præternaturaliter aut monstruose fiunt, non debebant ab auctore naturæ in prima institutione naturæ produci : ubi solum, quod naturæ est, fieri oportuit. Reliqua præternaturalia sufficiebat in virtute istorum contineri, et ab ipsis originari posse per defectum aliquem præternaturalem. Et sic magis erant species propagabiles, quam originariæ, et per se ac naturaliter spectantes (1) ad compositionem universi. Et sic ad opus propagationis pertinebant.

23. *An vero omnes species animalium,* quæ possunt fieri virtute solis et dispositione terræ, relictæ sint a Deo : vel etiam aliquæ ex his in initio productæ immediate ab ipso, v. g. mures, glires, lacertæ, muscæ, et serpentes aliqui : cum tamen dicatur in Scriptura, Deum fecisse *omne reptile secundum genus suum?* — *Respondetur :* vix posse in his aliquam certam regulam statui. Sed tamen D. Thomas (quæst. 72 sequenti, ad 5) dicit quod ea, quæ nata sunt ex corruptione rei inanimatæ vel ex corruptione plantarum produci, potuerunt tunc fieri : si quidem, supposito quod animalia fiebant non per creationem ex nihilo, sed per eductionem e materiâ, aliquid corrumpi necesse erat ut generarentur, puta aliquid terræ, vel aquæ, vel terræ madefactæ; unde talis corruptio non erat indecens, sed debita pro illâ primâ rerum institutione : et sic etiam animalia illa, quæ alias ex sole et dispositione terræ vel rei inanimatæ generari possunt, non fuit inconveniens tunc a Deo formari. Et eadem ratio est de illis quæ connaturaliter et per se generantur ex semine, licet aliquando etiam, et minus connaturaliter, a cælo procedere possint : hæc enim videntur a Deo producta, quia auctor naturæ attendit id quod est per se et connaturalius. Animalia vero quæ nata sunt ex putrefactione et corruptione aliorum animalium oriri, dicit D. Thomas quod non sunt facta a Deo nisi in potentia : quia produxit animalia quæ poterant corrumpi, et ex eis ista generari. Et idem est de iis quæ ex fimo animalium, vel eorum sudore aut humoribus, nata sunt oriri : hæc enim omnia nascuntur de corruptione aliquâ animalium, ut pulices et similia.

Gen. 1, 25

I P. q. 72, a. 1, ad 5

(1) Ita bene corrigit C || Mendose L *spectanter* || Male emendat P *spectant.*



QUÆSTIO LXXI

DE OPERE SEXTÆ DIEI

TEXTUS :

Gen. 1, 24-27 *Dixit quoque Deus : Producat terra animam viventem in genere suo, jumenta et reptilia et bestias terræ secundum species suas. Et factum est ita. Et fecit Deus bestias terræ juxta species suas, etc. Et vidit Deus quod esset bonum, et ait : Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram, etc. Et creavit Deus hominem ad imaginem et similitudinem suam; ad imaginem Dei creavit illum, masculum et feminam fecit eos.*

NOTANDUM CIRCA HANC QUÆSTIONEM.

1. Sextæ et ultimæ operationis dies, in adornandâ terrâ consumptus, omnia animantia produxit in terra; et postea fecit Deus hominem ad præsidendum universæ terræ. Et D. Thomas ea quæ pertinent ad productionem hominis remittit ad quæst. 90 et sequentes * inferius, post tractatum exactum de ipsa anima secundum se. In hac autem quæst. 72 solum tractat ea quæ pertinent ad productionem animalium. — Nos circa animalium productionem nihil addendum putamus ad ea quæ de formatione piscium et avium dicta sunt * : quia eadem proportionalitate possunt inquiri de animantibus terræ, et eodem modo debent resolvi.

(* I P. q. 90-102) (* supra, q. 71)

2. SOLUM, pro intelligendo modo loquendi Scripturæ, DUO INQUIRUNTUR. — Primum circa diversitatem qua loquitur Scriptura de his generibus viventium. Nam de avibus et piscibus dicit : *Producant aquæ reptile animæ viventis, et volatile.* (Gen. 1, 20) De animantibus terræ dicit : *Producat terra animam viventem in genere suo, etc.* (Gen. 1 24) De homine vero dicit : *Faciamus* * *hominem ad imaginem et similitudinem nostram.* (* Gen. 1, 26) Et statim : *Et creavit* ** *Deus hominem ad imaginem et similitudinem suam.* (** Gen. 1, 27) — Secundo, inquiritur quomodo diviserit Scriptura species animantium terræ, scilicet jumenta et reptilia et bestias terræ; de piscibus vero et avibus nullas species determinatas posuit, sed solum quod creavit Deus animam motabilem et viventem quam produxerant aquæ in species suas, et volatile secundum genus suum. Quæ (1) vero sint istæ species et genera, non describitur.

3. *Ad primum respondetur* ex D. Thoma (in hac quæst. 72 ad 1), quod modus iste loquendi Scripturæ est ad significandum diversos gradus vitæ, qui sunt in diversis viventibus. (I P. q. 72, a. 1, ad 1) Nam plantæ habent imperfectissimam vitam et occultam. Unde in earum productione nulla fit mentio de vita, sed solum de generatione, dicendo : *Germinet terra herbam virentem, et lignum pomiferum faciens fructum, cujus semen sit in semetipso.* (Gen. 1, 11) Nam solum secundum generationem invenitur in eis actus vitæ : nutritiva enim et augmentativa generativæ deserviunt. Inter alia vero animalia, perfectiora sunt communiter loquendo terrestria avibus et piscibus, propter distinctionem membrorum et perfectionem generationis; quantum autem ad aliquas sagacitates, etiam aliqua animalia imperfecta magis vigent, ut apes et formicæ. Et ideo Scriptura pisces vocat non animam viventem, sed « reptile animæ viventis »; sed terrena animalia vocat « animam viventem », propter perfectionem vitæ in eis : ac si pisces sint corpora habentia aliquid animæ.

(1) Ita bene corrigit C || Mendose L *Quy* || Male emendat P *Qui*.

terrestria vero animalia, propter perfectionem vitæ, sint quasi animæ dominantes corporibus. Perfectissimus autem gradus vitæ est in homine. Et ideo vitam hominis non dicit produci a terrâ vel aquâ sicut ceterorum animalium, sed fieri vel creari a Deo. Ita docet D. Thomas.

4. *Ad secundum respondetur* : sub illis tribus generibus animalium comprehendi omnia animalia terrestria, quæ nobis magis sunt nota et incolunt eamdem terram quam homines : unde oportuit illas species magis innotescere nobis, quorum vel operâ adjuvamur vel nocumenta vitamus. Quod non currit in piscibus qui intra aquas degunt. Nec de avibus ita necessaria erat nobis ista notitia sicut de animantibus quorum operâ adjuvamur vel sævitiam evitamus. Et quidem jumenta designant omnia animalia mansueta aut domestica, quæ homini deserviunt qualitercumque. Per bestias terræ intelliguntur animalia fera et sæva, nec homini convenientia : ut ursi, leones, tigres, rhinocerotes, etc. Per reptilia ea quæ serpunt per terram, aut pedes habent parum elevatos, ut lacertæ, formicæ et similia. Unde etiam ante peccatum serpens repebat pectore : si quidem reptilia (quæ utique prono pectore incedunt) formavit Deus sextâ die. Non tamen erat ei pœnale aut laboriosum supra pectus ambulare ante peccatum, sicut post. — Addit D. Thomas (hac quæst.*, ad 2), addidisse Scripturam quadrupedia propter aliqua animalia, quæ sub his tribus generibus non comprehenduntur, ut cervi et caprei [1] : nec enim sunt animalia sæva, nec tamen sunt domestica. Sed hæc additio quadrupedum non invenitur in nostrâ Vulgatâ : invenitur autem in textu Septuaginta interpretum*, et juxta illum voluit solvere S. Thomas. Juxta lectionem autem vulgatam illa animalia non-domestica ad bestias terræ reducuntur : non quia sæva, sed quia non-domestica.

* I P. q. 72, a. 1, ad 2

* Gen. I, 24, juxta LXX

FORMATIO CORPORIS ADAMI ; A QUO EFFICIENTE, ET EX QUA MATERIA, ET IN QUO STATU SIT FACTA.

5. De productione primorum parentum ea solum attingemus quæ ad corpus eorum spectant, ut complete tractentur ea quæ ad opificium corporalis mundi spectant. Quæ vero spiritualem animæ statum tangunt, scientiam, gratiam, statum innocentiæ, et ea quæ pertinent ad statum illum si duraret, omittimus in præsenti, et remittimus ad ea quæ tractat D. Thomas infra (a quæst. 90 et deinceps).

6. Circa formationem ergo corporis humani, occurrunt illæmet difficultates quæ [circa] [2] aliorum animalium* formationem : scilicet de causa efficiente, de materia, de statu et qualitate in qua factum est. De singulis breviter dicemus.

* cf. supra q. 71, n. 2-23

[*Causa efficiens.*]

7. **Circa causam efficientem DICIMUS immediate a Deo factum esse corpus hominis sub eâ dispositione et organizatione quâ humanum est, id est, susceptivum et capax animæ rationalis. Quantum tamen ad aliquid remotum et præparativum, pro formatione corporis, non repugnabat aliquod ministerium Angelos exercuisse** : non tamen constat, nec est fundamentum in Scriptura ut dicamus de facto id fecisse Angelos. — Ita sumitur ex D. Thoma infra (quæst. 91*, a. 2), et est communis [3] sanctorum Patrum et theologorum. — Cujus oppositum sensit Philo (lib. *de Opificio mundi**), intelligens verba illa, *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram*, esse dicta a Deo ipsis Angelis; quod ante ipsum docuerat Plato (in Timæo**), et post ipsum tradiderunt Basilides, Cerinthus et Manichæi, ut refert Epiphanius (hæresi 25† et 66††); fuisseque opinionem Judæorum tradit Chrysostomus (homil. 8††† in Genes.). Sed tamquam error exploditur communiter a Patribus.

* I P. q. 91, a. 2

* c. 24, n. 72-75, ad verba : *Faciamus hominem*

** *Timæus*, 41 a-42 e.

† hær. 23; PG 41, 297 CD, 300 A

†† nn. 30, 50 PG 42, 80; 113 B

††† n. 2; PG 53, 71

8. *Et manifeste colligitur ex Scriptura*, quæ sæpissime soli Deo attribuit non solum creationem animæ ad imaginem suam, sed etiam ipsam formationem de limo : quod soli corpori hominis convenit. Et illa verba, *Faciamus hominem*, si ad Angelos essent dicta, non solum probarent esse factum corpus hominis ab Angelis, sed etiam animam, quia dicit : *Faciamus ad imaginem et similitudinem nostram;* imago autem et similitudo Dei in anima est.

9. Igitur, loquendo de formatione corporis, ostenditur factum esse a solo Deo : quia dicitur (Gen. II, 7) : *Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ;* (Tob. VIII, 8) : *Tu fecisti Adam de limo terræ, dedistique ei adjutorium Evam;* (Eccli. XVII, 1) : *Deus de terra creavit hominem, et ad imaginem suam fecit illum.* Ergo ipsa formatio corporis Deo attribuitur perpetuo in Scriptura : id enim, quod de terra formatum est, solum est corpus, et hæc formatio soli Deo attribuitur. Et licet potuerit fieri ut Angeli aliquod ministerium in formatione corporis humani exhiberent, sicut exhibebunt in

(1) Sic omnes ‖ Forte legendum : *capri*; aut *capreæ*.
(2) Male omittunt omnes præpositionem *circa* ‖ Male emendat C *quæ aliorum animalium et formationem*.
(3) Sic LC; supple : [*sententia*] ‖ Quam vocem addit P.

ultima resurrectione, ut S. Thomas dicit (loco citato* ad 1), tamen pro ministerio resurrectionis habemus testimonium Scripturæ (Mat. XXIV, 31) : *Et mittet Angelos suos cum tubâ et voce magnâ; congregabunt electos ejus a ventis, a summis cœlorum usque ad terminos eorum.* Pro ministerio autem primæ formationis corporis humani nusquam Scriptura dicit Angelos esse a Deo occupatos. Ergo, licet id potuerit fieri, tamen quod de facto ita factum fuerit non est revelatum.

* I P. q. 91, a. 2, ad 1

10. RATIO autem D. THOMÆ ea est quæ sæpe in superioribus* est insinuata : Quia Angeli non possunt operari propriâ virtute alterationem et generationem in corporibus, nisi applicando activa passivis et mediantibus rationibus seminalibus. Nullæ autem erant quæ possent humanum corpus generare, etiam ex communi materiâ seminis et consueto modo generationis, tunc quando primum corpus hominis formatum est : si quidem seminales rationes, ad istam formationem, in illo corpore humano solum inveniri poterant, non ante illud. Et multo minus poterant dari seminales rationes, ut ex materiâ ita indispositâ et repugnante, sicut est limus terræ, posset formari corpus humanum. Neque in cælo talis virtus datur : numquam enim apparet quod ex limo terræ a cælo factus sit homo; nec enim valet cælum tam perfectum animal sine semine generare. Non ergo est virtus creata, quæ corpus hominis possit ex limo terræ formare, nisi (1) solus Deus.

* supra, q. 65, nn. 6, 9-10; q. 69, nn. 4bis-5, 25; q. 71, n. 5

11. *Ut* tamen *videamus quid Angeli potuerint ministrare* in illa formatione, sicut ministrabunt in ultima resurrectione, est advertendum quod in illa formatione aliquid potuit esse quod præcise pertinuit ad motum localem, aliud quod pertinuit ad alterationem seu ad qualitatum temperamentum partiumque ordinationem. — Ad motum localem potuit pertinere congregatio terræ seu limi, et mutatio ejus de uno loco ad alium, madefactio terræ seu infusio ut ex illa et ex humore limus fieret, et alia similia, ut aptaretur ex illo limo tota materia ad illud corpus necessaria. — Ad alterationem pertinere potuit temperamentum illius corporis in suis qualitatibus debitis (2) (ut talis pars haberet tantum de calore, vel de siccitate aut humiditate; ista esset densior, alia rarior aut mollior), et omnia alia quæ pertinent ad organizationem, in figura, in temperamento et in omnibus qualitatibus, quæ humanum corpus disponunt, et organizatum ac dispositum reddunt introductioni animæ rationalis. — Primum potuit sine dubio fieri per Angelos et fiet in resurrectione ultimâ, quando colligent cineres ex quibus corpora formanda sunt. Secundum autem nullatenus possunt facere : quia non habent vim alterandi et generandi per se ipsos, ut supra* ostendimus, sed per rationes seminales, et applicando activa passivis, quæ tunc nulla (3) erant ante tale corpus formatum, ut posset modo consueto generari; ut autem ex limo posset tale corpus formari, neque tunc neque postea fuerunt aliquæ virtutes aut seminales rationes quæ id facere possent.

* supra, n. 10

12. *An vero Deus formaverit* ex præjacente limo corpus hominis in instanti, vel secundum aliquem motum et successionem? — *Respondetur :* de hoc non posse constare clare ex his quæ narrat Scriptura. Certum est utroque modo potuisse Deum id facere : et successive, utendo aliquâ alteratione et locali motu, ut corpus illud organizaretur et temperaretur; et subitâ mutatione, sine motu aliquo, creaturâ illâ utendo ad nutum : sicut in instanti convertit Deus (4) panem in corpus Christi, utique organizatum perfectissime : et sic potuit limum immutare in instanti in corpus organizatum Adæ, non conversione totali et transubstantiativâ (5), sed (6) formali; aliquando autem fecit aliqua miracula successivo motu, sicut aliquos cæcos paulatim illuminavit et curavit*. Quo autem ex his modis usus sit Deus, incertum nobis est. Magis tamen probabile apparet, quod instantanee id fecerit : tum quia majoris majestatis est actio, et plena dominii, sic immutare creaturam : tum quia secundus Adam Christus sic in utero virginali instantanee formatus est, « nescit enim tarda molimina Spiritus Sanctus, » ut Ambrosius* inquit : tum quia Scriptura, licet dicat formasse et fecisse Deum ex limo terræ hominem, tamen sæpius utitur nomine creationis : *Et creavit Deus hominem ad similitudinem suam* (Gen. I, 27, et V, 1; et Eccli. XVII, 1); creatio autem maxime indicat instantaneam actionem.

* cf. Marc. VIII, 22-25

* PL 15, 1560

[*Materia.*]

13. **Circa materiam, ex qua factum est corpus Adæ, CONSTAT esse factum de terra, seu de limo aut luto.** Itaque non ex nihilo creatum est sicut anima, sed ex præjacente materiâ. — Id enim expresse dicit Scriptura (Gen. II, 7) : *Formavit Deus hominem de limo terræ;* et (cap. III, 19) : *Donec revertaris in terram de qua*

(1) Sic omnes ‖ Intelligendum : *sed solus Deus.*

(2) Ita cörrigit P ‖ LC mendose : *debitus* ‖ Fortasse legendum erat : *debitum.*

(3) Sic omnes, fortasse non male ‖ Suspicamur legendum : *nullæ*, id est [*rationes seminales*]; vide, supra, n. 10.

(4) Ita, ut patet, legendum ‖ Corrupte omnes : *Deum.*

(5) Mendose L *transubstantativa* ‖ Male corrigunt CP *transubstantiva.*

(6) Male omnes : *seu formali* ‖ Fidenter corrigimus in loco corruptissimo.

sumptus es, quia pulvis es et in pulverem reverteris; et (I Cor. xv, 47) : *Primus homo de terra terrenus.* Nec oportet in hac materia ponere virtutem aliquam effectivam ad tale corpus, sed solum materialem concursum, sicut supra* de concursu aquæ ad pisces et aves dictum est. — Cur vero non fuerit ex nihilo creatum corpus hominis, quod videtur majoris dignitatis esse? Rationem reddit D. Thomas (q. 91, a. 1 ad 1) : quia oportuit ex materia quatuor elementorum fieri corpus humanum (est enim mixtum), ut haberet convenientiam cum rebus inferioribus in corpore, sicut in animâ ex nihilo creatâ cum Angelis, tamquam medium inter spirituales et corporales substantias, ex omnibus participans.

* q. 71, nn. 6, 12-14

I P. q. 91, a. 1, ad 1

[*Status et dispositio.*]

14. Circa statum et dispositionem, in qua corpus illud formatum est, **DICENDUM EST fuisse a Deo productum in statu et dispositione perfectâ, in qua posset homo operari et excolere terram, gubernare alios, generare, etc.** In hoc enim eadem ratio est de homine atque de aliis animalibus, quæ (ut supra* ostendimus) debuerunt produci in statu perfecto, ut possent per se operari et propagare, non in statu imperfecto et infantili, quo necesse haberent ab aliis enutriri vel educari, et oporteret multos annos exspectare ut propagatio inciperet. Hoc autem multo fortius currit in homine, qui erat omnium animalium perfectissimus, et caput ac præses totius terræ; ideoque Scriptura specialiter aliquas ejus actiones commemorat, quæ perfectum statum et dispositionem supponunt. Nam dicitur (cap. II, 15) *quod tulit Deus hominem, et posuit eum in paradiso, ut operaretur et custodiret illum;* quæ actiones, operandi et custodiendi, perfectam ætatem supponunt. Item in scientia et discursu describitur Adam quasi vir perfectus, quia Deus imposuit ei præceptum* non comedendi ex ligno scientiæ boni et mali; item quod adduxit animalia ad Adam, ut videret quid vocaret Adam, et omne quod vocavit, ipsum est nomen ejus* : quod sine perfectione scientiæ fieri non poterat. Et sermonem illum, quem habuit Adam ad Evam,* perfectum ejus discursum attestatur. Et cum dicitur tamquam aliquid speciale, quod uterque erat nudus et non erubescebat,* supponit manifeste ipsos fuisse puberes et virilis ætatis : nam in ætate parvulâ non mirum esset quod non erubescerent. Denique, Deus benedixit illis et præcepit ut multiplicarentur et crescerent*; ergo erant in statu propagandi et generandi, atque adeo in ætate perfectâ.

* q. 71, n. 16-17

* Gen. II, 16-17

* Gen. II, 19

* Gen. II, 23

* Gen. II, 25

* Gen. I, 28

15. Quanta autem perfectio fuerit in illo individuali corpore, præ aliis individuis, in pulcritudine, temperamento, proceritate, ætate et vigore sensuum, non oportet latius discurrere. Nam cum corpus illud immediate a Deo factum fuerit, cujus opera perfectissima sunt, ipseque Adam totius humani generis caput et princeps constitueretur, non est dubium sine ullo defectu in statu perfectissimo fuisse creatum; unde et post eorum creationem subdit Scriptura, quod *vidit Deus quod esset bonum,* id est, perfectum et consummatum hominem illum quem fecerat. Certe S. Hieronymus (epist. 27,* in epitaphio Paulæ, circa finem), dicens nos resurrecturos in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi, addit : « In qua ætate et Judæi Adam conditum autumant. » Quod Hieronymus non reprobat, sed admittit. Unde videtur creatus fuisse in juvenili ætate, sicut homo triginta quatuor vel quadraginta annorum; quamvis aliqui meditentur fuisse creatum quasi quinquaginta vel sexaginta annorum illius temporis : quia tunc illa ætas erat juvenilis, eo quod homines decuplo, quam modo, vivebant.

Gen. I, 31

* ep. 108, n. 24; PL 22, 902

16. *Illa autem fabella de proceritate* primorum parentum, quod erat tanta ut mare pedibus transierint, quod ex aliis refert Moses Barcepha (lib. de Paradiso, c. 14*), *omnino est expungenda :* quia profunditas maris altior est monte satis alto. Quis autem imaginari potest primos parentes fuisse sicut montes : cum talis altitudo omnino excedat proportionem humanæ naturæ? Nec commode posset cum aliis hominibus ordinariæ staturæ cohabitare, qui post ipsum nati sunt. — Sed tamen giganteæ staturæ Adam fuisse alii autumant, inter quos est Joannes Lucidus (lib. I de Emendatione temporum*, c. 4). Quod tamen [non][1] crediderim, quia gigantea statura est monstruosa et per excessum improportionata; dicitur enim (Num. XIII, 34) *: Ibi vidimus monstra quædam de genere giganteo;* et constat quod nullo tempore gigantes fuerint reputati nisi aliquid rarum et monstruosum inter homines. Unde nec Christus Dominus giganteam staturam assumpsit; nec in resurrectione beatorum erit, qui occurrent in mensura ætatis Christi*; ergo illa neque est perfecta, nec debita et proportionata naturæ humanæ : ergo neque in primo capite Adam ponenda.

* ed. Antverpiæ, 1569

* *Chronicon, seu Emendatio temporum,* Venetiis, 1575

* cf. Eph. IV, 13

17. Nec obstat quod dicitur (Jos. XIV, 15) quod in Hebron *inter filios Enacim* (qui gigantes erant) *Adam maximus situs est :* ergo Adam fuit maximus inter gigantes. — Sed respondetur quod, si ille textus loquitur de primo parente, non obligat nos intelligere illum de maximo in quantitate molis,

[1] Male omittunt omnes negationem [*non*].

sed in qualitate et principatu inter homines. Sed neque est certum ibi loqui de Adam primo parente : quia nomen Adam commune est, sicut homo; de quo vide ea quæ disputat in hoc puncto Baronius
* alias : n. 111 (tomo I Annalium, anno Christi 34, n. 115*).

18. Quod aliqui dixerunt primos parentes caruisse visu ante peccatum, quia dicitur quod,
Gen. III, 7 cum peccarunt, *aperti sunt oculi eorum,* apertissimus error est : nam ante peccatum vidit mulier lignum, quod esset bonum, etc. Et Adam vidit animalia quæ Deus ad illum adduxit, et mulierem quam ei dedit. Dicuntur autem aperti oculi eorum, non ad videndum, sed ad erubescendum de visu, cognito peccato.

FORMATIO MULIERIS EX ADAMO, EJUSQUE MODUS ET DISPOSITIO.

19. Singularis fuit, inter animantia, hominis formatio : quod prius voluit Deus virum producere sine femina, et postea feminam ex ipso formare : cum in reliquis animalibus, formando seu creando species eorum, simul utrumque produxerit sexum, ut multiplicarentur et crescerent. Et sine dubio
Eph. v, 32 *sacramentum hoc magnum est,* ut Apostolus inquit, et matrimonii commendatio : in quo non solum ipsum generationis opus considerandum est, sicut in aliis animalibus, et impetus ille delectationis quæ rationem absorbet, sed [1] ipsa necessitudo et cohabitatio domesticæ vitæ, in qua feminam oportet subordinari viro ut capiti, et virum ipsam diligere ut proprii corporis consortem et quasi propriam
* Eph. v, 28 carnem*, ut Apostolus inquit. Propter quas rationes, et propter significationem conjunctionis Christi et Ecclesiæ, et propter alias quas S. Thomas
I P. q. 92, a. 2 adducit (infra, q. 92, a. 2), conveniens fuit mulierem ex ipso viro formari, et sic ipsum prius supponere productum.

20. *Circa hanc* ergo *mulieris productionem, tria præcipue possunt inquiri.* — Primo, et principaliter circa materiam, de qua formata est Eva : quomodo sit facta de costa viri. — Secundo, circa causam efficientem : an immediate a Deo sit facta sicut Adam. — Tertio, circa circumstantiam : cur voluerit Deus, ut prius videret Adam omnia animalia, et videret non inveniri similem sibi, et postea formavit ei mulierem.

[*Materia.*]

21. Circa primum **OMNINO AFFIRMANDUM EST mulierem vere et realiter ex costa Adam esse formatam;** nec intelligendum esse per metaphoram, ut videtur sentire
* in Gen. II, 22 Cajetanus (super cap. II* Genesis). Sed vere et proprie formatam esse mulierem ex costa viri, unanimis est Patrum et expositorum intellectus : cujus manifestum signum est, quod non invenitur in Patribus qui rem hanc aliquando non historice intellexerit et aliter factam mulierem dicat. Certe qui aliquid, in Scriptura historice narratum, metaphorice accipit, oportebat aliunde declarare quomodo res illa facta fuerit vere et in re. Nullus autem dicere poterit et designare, quo alio modo fuerit facta Eva juxta Scripturæ testimonium et narrationem. Et ad quid servire poterat illa metaphora sub nomine formationis mulieris, si alias ipsam veram et propriam formationem Scriptura taceret, nec declararet nobis quomodo fuisset facta? Igitur secundum Scripturæ narrationem dicendum est, vere et proprie mulierem factam esse ex viro, nec in hoc aliquam intervenire metaphoram magis quam in aliarum rerum productione.

22. Et formatur ratio sic : Mulier non metaphorice et improprie, sed vere et realiter, aliquando facta est a Deo; alias numquam esset mulier in rerum natura. Sed non est facta ex terra simul cum viro, scilicet quando formatus est Adam; nec postea legitur formata de terra, aut ex alia materia quam de viro et costa ejus. Ergo formatio mulieris vera et propria, et non metaphorica, de viro fuit. — *Major* per se nota est. — *Minor probatur :* Nam quod mulier non sit simul formata cum viro (præter textum ipsum capitis I et II, id enarrantis), constat : nam dicitur expresse (I Tim. II, 13) : *Adam primus formatus est, deinde Eva;* ergo non simul; et (Sap. X, 1) dicitur : *Hæc illum, qui primus formatus est pater orbis terrarum, cum solus esset creatus, custodivit:* ergo non fuit creatus cum socia. — Id etiam deducitur ex illo Pauli (Act. XVII, 26) : *Fecitque ex uno omne genus hominum inhabitare super universam faciem terræ;* si ex uno omne genus hominum, ergo etiam Eva est ex illo uno, atque adeo non simul fuit creata cum eo. — Denique, si simul esset creata Eva cum Adam, falso Scriptura diceret* quod non inveniebatur similis illi.

23. Denique, quod postea non legatur formata ex terrâ vel ex aliâ materiâ, sed ex viro, constat : Nam illa negativa, quod non legatur ex aliâ materiâ creata, manifestum est : quia non poterit assignari locus Scripturæ ubi id dicatur. Et mirum est quod non legatur usquam alia formatio Evæ quam ex viro, et tamen dicatur esse metaphorica. Ubi ergo assignavit Scriptura propriam et veram formationem mulieris? An ex toto omisit? Cur ergo metaphoricam et non veram formationem

[1] Mendose omnes : *seu.*

tradidit, propriam relinquendo? — Affirmativa vero constat : quia dicitur (Eccl. XVII, 1) : *Deus creavit hominem de terra, etc.*; et infra* : *Creavit ex ipso adjutorium simile sibi.* Si ex ipso, ergo non ex aliâ materiâ : sicut quia dicitur Adam de terra creatus, non ex aliâ materiâ fuit. Item (I Cor. XI, 8) : *Non vir ex muliere, sed mulier ex viro;* et (in hoc cap. II Gen. 22-23) : *Et ædificavit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem; et adduxit eam ad Adam. Dixitque Adam : Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea. Hæc vocabitur virago, quia de viro sumpta est.* Ubi non potest totum hoc accommodari metaphoræ; sed conjungendo aliis locis Scripturæ, quæ cum isto concordant, totum pertinet ad historiam veram. — Congruentiæ [1] autem quas Patres communiter tradunt, propter quas mulier ex viro facta [2] sit, optime colligit D. Thomas (q. 92, a. 2) ubi videri possunt. Quod si de viro facta est mulier, etiam de costa viri facta est : quia id ipsum Scriptura affirmat; et pro oppositâ sententiâ eadem difficultas est, quod fieret ex costa vel ex alia corporis parte.

* Eccli. XVII, 5

I P. q. 92, a. 2

24. Fundamenta Cajetani nihil evincunt. Nam præcipuum quod ipsum movet est : quia, si ex costa Adami facta est mulier, aut fuit Adam præternaturaliter creatus, si illam costam superadditam habuit : aut postea mancus et defectuosus, si perpetuo eâ caruit, quam ex natura rei exigebat. — Argumentum hoc solvit D. Thomas (dicta q. 92, a. 3 ad 2), et dicit quod illa costa fuit de perfectione Adæ, non prout erat individuum quoddam, sed prout erat principium speciei. Itaque non reputat D. Thomas inconveniens quod Adam, quia erat caput totius generis humani taliter quod ex illo tamquam ex uno principio omne genus humanum emanare debebat, aliud haberet in corpore quod non haberent alia individua. Quia ad propagandum genus humanum modo consueto per generationem habebat seminalem materiam, quæ est residuum et superfluum alimenti; ad producendam autem primam feminam, quæ etiam ex illo uno derivanda erat, et non poterat per generationem fieri quia prima erat, habuit superadditam unam costam, quam alii homines non habebant, propter illam specialem propagationem Evæ. — Nec ista costa supernumeraria aliquid monstruositatis vel deformitatis importabat : tum quia erat occulta; nec impediebat actiones Adam ejusve magnitudinem notabiliter augebat. Et sicut non erat monstruosum ipsum esse caput omnium hominum et omnis propagationis eorum, ita non erat monstruosum aliquid amplius habere in suo corpore, quod alii non haberent, pro illa speciali productione primæ feminæ quæ aliter ex ipso esse non poterat.

I P. q. 92, a. 3, ad 2

25. Licet autem non desint alii qui dicunt illam non fuisse supernumerariam in Adam, sed unam ex his quæ necessariæ sunt corpori et in omnibus inveniuntur : tamen difficile salvant quomodo Adam reliquo tempore vitæ non manserit defectuosus, deficiente costâ illâ sic necessariâ et de numero earum quæ communiter in corpore inveniuntur. Dicere autem quod Deus supplevit postea illam costam, restituendo illam, et quod supplevit carnem pro ea, sub carne intelligendo costam carne circumdatam, valde durum videtur : quia Scriptura non dicit supplevisse costam pro costa, sed carnem* pro costa. Et non est fundamentum ad dicendum carnem ibi sumi pro costa. — Nec sufficit dicere carnem illam sic fuisse roboratam a Deo, ac si esset costa. Nam si caro illa ita firma erat ac dura, sicut os quod est costa, jam non erat caro sed os. Si autem non erat ita dura et solida, debebat miraculose robur illud habere et ab extrinseco; sicque, quoad partem intrinsecam, semper homo mansisset mancus et defectuosus.

* Gen. II 21

26. *Quod si inquiras :* Quo pacto ex illa costa potuit tam grande corpus fieri, cum in illa sufficiens materia non esset? Si autem aliunde suppleta vel adducta est materia, ex illa fuit facta Eva, potius quam ex costa Adæ, et superflue costa illa dicitur fuisse materia corporis Evæ. — *Ad hoc etiam argumentum respondet D. Thomas* (citato loco ad 1) et supponit non posse multiplicari materiam seu fieri majorem, nisi vel per additionem novæ materiæ cui adjungitur nova quantitas, vel, si manet eadem materia, per hoc quod majores dimensiones seu situationes suscipiat sub eadem quantitate, quod est per rarefactionem. Et cum, in præsenti, illa costa non sit multiplicata per rarefactionem, sequitur quod fuerit ei addita nova materia, vel per creationem, vel per conversionem alterius corporis : sicut cum Christus multiplicavit quinque panes in deserto. Et modo (omissâ quæstione philosophicâ, an alio modo possit a Deo fieri multiplicatio materiæ, quam per additionem vel rarefactionem, et admittendo hanc sententiam D. Thomæ) dicimus costam illam per additionem seu conversionem alterius materiæ crevisse; unde utitur Scriptura verbo ædificandi, cum dicit quod *ædificavit costam in mulierem :* quasi costa fuerit assumpta tamquam fundamentum, quæ per additionem materiæ crevit, sicut ædificium quod ex fundamento fit per additionem lapidum vel laterum. Et tamen semper verificatur ex costa viri esse factam Evam : quia costa se habuit ut primum et

I P. q. 92, a. 3, ad 1

Gen. II, 22

[1] Ita omnes; cf. tomi I Præfationem cap. III, art. 2, § 3, n. 3, et n. 5, b).

[2] Ita bene corrigit C || LP mendose : *facto.*

ut fundamentum, cui, tamquam præexsistenti, (1) alia materia per continuationem et similitudinem ad illam addita est : sicut verificatur Christum de quinque panibus pavisse turbas, licet multa alia materia illis primis panibus sit superaddita.

27. *Dices :* Scriptura dicit quod non solum Eva facta est ex costa, sed etiam ex carne Adam, dum Gen. II, 23 inquit : *Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea;* ergo non solum ex costa viri facta est mulier. — *Respondetur :* costam fuisse principalem illius formationis materiam; si quid vero carnis cum costâ ablata (2) est (ut multi sentiunt), quia non fuit nuda costa ablata, sed cum particulis carnis, illud fuit accessorium, sufficiens tamen ut diceretur caro mulieris esse ex carne viri. Si tamen nuda costa sine ullâ carne ablata fuit ab Adam (ut alii existimant), dicitur caro facta de carne, saltem remote : quia costa illa carni adhærebat et de carne trahebat alimentum, et sic quasi de carne videbatur facta : quia costa, ex qua fiebat, erat avulsa a carne et de carne, ut ex termino a quo ablata, non de carne ut ex materiâ formata.

28. Levius est, quod Cajetanus objicit : quia Scriptura indicat Adam et Evam simul esse formatos, dum (cap. I, 27) dicit : *Et creavit Deus hominem ad similitudinem suam, masculum et feminam creavit eos.* — Respondetur enim summatim ibi poni totam hominis formationem, quæ postea (cap. II, 18-24) distinctius explicatur. Unde non dicitur quod tunc seu simul masculum et feminam creavit eos, sed absolute et pro majori id dicitur. Postea vero singillatim explicatur quomodo mulier formata sit ex Adam, et quod non erat bonum hominem esse solum, nec Adæ inveniebatur similis, et quod ex costa ejus mulier formata est.

[*Causa efficiens.*]

* n. 20 29. **Circa secundam difficultatem** supra* propositam, scilicet de causa efficiente formationem corporis Evæ, **DICIMUS eodem modo esse loquendum sicut de formatione corporis Adæ; et multo a fortiori id currere in formatione Evæ : scilicet quod fuerit immediate factum** * PL 34, 403 ** I P. q. 92, a. 4 **a Deo**, ut docet ex Augustino* S. Thomas (in hac q. 92**, a. 4), tum propter materiam ex qua facta fuit, tum propter modum quo facta fuit. Nam corpus humanum naturaliter solum potest fieri ex semine humano, et in matrice feminæ. Ex costa autem seu osse, aut ex limo, corpus humanum facere, est supra totam naturæ virtutem, et pertinet ad potentiam creatoris : licet naturale dici possit, quia prima rerum institutio sic exigebat ut a Deo immediate fieret, et ipsa res effecta in se naturalis erat. Ratione autem modi, quo illud corpus formatum est, manifestum est a solo Deo fieri potuisse : quia et costa illa fuit ablata ab Adam sine dolore, et carne, tunc de novo factâ, suppleta est; et materia illa costæ multiplicata est per additionem vel conversionem alterius materiæ in ipsam : quod solus Deus facere potest.

30. An vero corpus illud in instanti fuerit formatum? Verisimilius videtur formationem corporis eodem modo fuisse factam sicut formatio corporis Adam, scilicet in instanti : quia eâdem manu et potentiâ factum est utrumque, et in ordine ad eumdem finem, et secundum easdem circumstantias dignitatis. Ablatio vero costæ, et suppletio carnis pro ea, non ita apparet an sit facta aliquo motu, vel subitâ translatione costæ extra corpus Adam : utroque enim modo fieri potest, nec constat nobis quem determinate elegerit Deus.

[*Circumstantiæ.*]

31. Circa tertiam* difficultatem, *occurrit in primis dubitatio : quomodo et ad quid omnia animalia* adducta sint ad Adam ante formationem Evæ; deinde quomodo Eva adducta sit ad Adam, si quidem ibi juxta illum videtur esse formata. — *Respondetur :* animalia posse intelligi adducta ad Adam : vel realiter per localem præsentiam ipsorum ad locum ubi tunc erat Adam, scilicet ad paradisum : vel repræsentative et per species imaginarias, quibus singulæ animalium species distinctissime repræsentarentur ad hoc ut cuilibet suum nomen imponeret. — Hoc secundum erat facilius, et ad brevitatem illius actionis accommodatius, præsertim si intra eumdem sextum diem facta est (ut est certius), quia fuit ante formationem Evæ : nam revera si reali ac successivo motu res illa facta est, multum temporis oportuit consumi in tot speciebus videndis ac nominandis, quantumcumque Adam vellet cito se expedire et solum ex qualibet specie duas (3) videret, masculum et feminam : sunt enim infinitæ propemodum species animalium et volucrum; et tamen cuncta* dicit Scriptura fuisse adducta ad Adam. Et subdit quod *appellavit Adam nominibus suis cuncta animantia, et universa volatilia cæli, et omnes bestias terræ.* Certe, si vel solum ex libro recitarentur omnia ista nomina, vix sufficeret unus aut duo dies etiam lectori expeditissimo : quanto magis si id factum est, singula binaria animalium videndo et nomen imponendo, et illis transeuntibus aliis atque aliis! Unde videtur in hoc solo consumpta esse tota illa dies sexta, si externo motu et

* cf. supra, n. 20

* Gen. II, 19-20

(1) Corrupte omnes : *præexistentia.*

(2) Omnes : *si quid... carnis... ablata est* : concordantia fit ad sensum; cf. tomi I Præfationem, cap. III, art. 2, § 3, n. 4, et n. 5, a).

(3) Ita omnes, male || Intellige : *duo [animalia]*.

actionibus successivis facta est; et vix adhuc sufficeret. Et sic non restabat tempus pro sopore Adam et formatione Evæ, et reliquis omnibus quæ hâc die facta leguntur.

32. Nisi forte quis dicat illo quidem die adducta esse ad Adam omnia animalia, et omnia Adam vidisse, et advertisse quod omnia erant producta cum adjutorio et societate ad generandum, se vero solum esse; et non invenit similem sibi; ceterum appellationem nominum dilatam esse etiam ad alios dies, etiam post productam Evam : ut ipsa etiam videret quomodo vocanda essent animalia et imperare illis posset. Neque enim Scriptura cogit ut totum illud simul factum dicamus. Et fortasse qui in hoc se firmaret, non facile ex Scriptura convinceretur.

33. CETERUM illud primum videtur magis commune inter expositores, scilicet quod illa adductio animalium ad Adam fuit per realem ipsorum præsentiam. Licet non crediderim omnia animalia fuisse simul congregata ante Adam : oporteret enim maximum spatium replere (quia sunt infinitæ species animalium, bestiarum, serpentium, volucrum, et ex qualibet specie saltem bina fuerunt adducta, masculus et femina, propter
* infra n. 36 rationem statim * adducendam) : sed transisse omnia ante Adam, et omnia vidisse, et in ipso transitu nominasse; atque ita non plus temporis consumptum est in nominando singula, quam in transeundo ante ejus adspectum. Nec erat necesse omnia transire lento passu et unum post aliud, sed breviori motu; possentque simul decem vel viginti species transire, aut plures; unde tota illa actio paucis horis expediri potuit.

34. *Ratio pro hac parte est* ipsa proprietas verborum Scripturæ, et Patrum intelligentia; et quia nihil impossibilitatis aut indecentiæ in hoc apparet. Illæ enim imaginariæ visiones non sunt ita connaturales homini sicut experientiæ sensibiles : unde, quantum possumus, potius homini in sua prima institutione tribuere debemus notitias ex sensibus acceptas, quam in imaginationem vel intellectum infusas (loquendo de exercitio scientiæ : nam species et habitus per accidens infusos habuisse non dubitamus). Scriptura autem utitur verbo adducendi,
Gen. II, 19 dum dixit quod *adduxit animalia ad Adam;* quod verbum, simpliciter positum, significat motum et præsentiam localem, non imaginariam aut intentionalem : sicut quando dicitur aliquis propheta adductus in visionibus Dei (Eze. XL, 2). Et Patres non derivant intelligentiam horum verborum ad imaginariam præsentiam, sed simpliciter ea explicant : ergo intelligunt de reali adductione. — Quæ nihil habuit impossibilitatis : cum ministerio Angelorum potuerint brevissimo tempore adduci. Nec indecentiæ : quia potius maxime congruebat primo homini, principi et præsidi universæ terræ, cui Deus omnia animalia subjecerat, omnium etiam obœdientiam et subjectionem experiri, et circa omnia aliquam regalitatem et dominium exercere, sicut est nomina singulis imponere quibus ea vocare posset quando libuisset. Quod autem hoc non multo tempore potuerit fieri, v. g. tribus aut quatuor horis, jam diximus *; nec oppositum probat * supra, n. 33
ratio allata **, quamvis probet non potuisse nos id **supra, n. 31, facere nisi multo longiori tempore; sed tunc Deo *Hoc secundum* disponente, et Angelorum ministerio adjuvante, cito potuit expediri.

35. DE FINE autem PROPTER QUEM omnia animalia sint adducta ad Adam : DICIMUS in Scriptura duplicem finem insinuari. Primus, ut videret Adam quid vocaret ea *. Secundus, ut * Gen. II, 19
videns omnia animalia esse bina ex masculo et femina, se autem solum nec similem sibi inveniri *, * Gen. II, 20
desideraret peteretque a Deo sociam, velletque illam habere pro propagatione. — *Primus finis explicatur sic :* quia cum Adam accepisset plenum dominium in omnia animantia, et ea sibi subjicere deberet, ut dicitur (cap. I, 26, 28-30), oportuit etiam singula suis nominibus insignire et discernere, ut posset eis uti illisque imperare aut vocare, sicut vocamus animalia domestica, et ut etiam posteris suis traderet notitiam singularum specierum animalium quibus dominabantur, et quibus poterant uti pro suo arbitrio, si status innocentiæ durasset. — Nec tamen hoc fecit post formationem Evæ, sed ante : quia plenitudo hujus dominii et præsidentiæ in animalia erat penes virum, cui immediate eam contulit Deus : femina autem participabat de eodem dominio, ex subordinatione ad virum et ex participatione illius. Unde conveniens fuit hunc actum dominii et quasi regalitatis exerceri ab Adam solo, ante formatam feminam, cui postea ipse talem notitiam transfunderet : sicut etiam præceptum de non-comedendo fructum arboris soli Adam, ut capiti, fuit impositum *, et per ipsum postea * Gen. II,
notificatum fuit Evæ. 16-17; III, 17

36. *Secundus finis ita explicatur* ab Ambrosio (lib. de Paradiso, c. II **) : « Accipe, inquit, quâ causâ ** n. 49;
omnia deducta sint ad Adam : ut in omnibus videret Pl. 14, 299
utroque sexu substantiam constare naturæ, id est, ex masculo et femina : ut ipse usu exemploque cognosceret necessarium sibi consortium mulieris adjectum. » Itaque illa verba, post visa et nominata animalia, *Adæ vero non inveniebatur similis,* hunc Gen. II, 20
sensum faciunt : Vidit Adam cuncta animalia perfecta duplici sexu uti et indigere ad propagationem, se vero non habere alterius sexûs consortem et similem sibi, nec inveniri; ut videlicet inde moveretur ad desiderandum simile consortium,

idque peteret a Deo. Nec enim voluit Deus rationale animal sine consensu et voluntate suâ mulierem sortiri, et consortium generationis habere : cum totum illud opus amore et reverentiâ plenum esse debeat, ut sit *honorabile connubium et thorus immaculatus,* sicut inquit Apostolus. Heb. XIII, 4

* Gen. II, 22

37. Quomodo autem Eva dicatur adducta * ad Adam : cum videatur formatio illa facta juxta ipsum Adam, e cujus corporis costâ fiebat? — Multi meditantur Deum tulisse costam Adami et adduxisse ad alium locum, ibique formasse Evam, deinde illam adduxisse ad Adam. Quo autem fine vel mysterio seorsum Deus illam costam adduxerit, non explicatur : nec enim apparet quid occultum haberet formatio mulieris præ formatione hominis, ut ad locum seorsum illam materiam Deus deduxerit. Ita tamen meditatur Suarez (lib. III De opere sex dierum, c. 2, n. 20). Additque etiam illud verbum *adduxit* non necessario significare motum localem adductivum Evæ, sed esse idem quod offerre Evam Adamo in uxorem. — Facilius tamen videtur hoc expediri dicendo, quod Deus ablatâ costâ, vel in instanti vel brevissimo tempore, Evam formavit. Sed quia sopor seu somnus Adam plus temporis duravit quam formatio Evæ (nec enim fuit instantaneus somnus), non debuit Eva ibi immobilis permanere : sed potuit ambulare per amœnissimum illum hortum, et fortassis Deo gratias reddere pro suâ formatione et tantâ bonorum affluentiâ, vicissimque a Deo instrui de acceptando voluntarie virum, illumque amando et reverenter tractando : unde voluntas ejus moveretur ad consensum illius matrimonii. Expergefacto autem Adamo, adducta fuit illi a Deo, ex loco illo quo diverterat, eamque in conjugem acceptavit.

TEMPUS ET LOCUS FORMATIONIS PRIMORUM PARENTUM.

38. De tempore formationis Adam non est dubium fuisse sextâ die, cum post formationem ejus Scriptura dicat, quod factus est vespere et mane dies sextus. Nec potuit ultra differri, quia die septimo *quievit Deus ab universo opere quod patraret :* quod stare non potest, si tam præcipuum opus et species, sicut est humana, adhuc facienda restabat. — *Quâ vero horâ diei* fuerit creatus homo, ex Scriptura punctualiter colligi non potest. Licet enim aliqui meditentur horâ tertiâ post meridiem inspirasse Deum in faciem ejus animam : ut quâ horâ secundus Adam Christus Deus exspiravit in cruce, primus Adam fuerit inspiratus in vitam : tamen meditatio hæc nihil soliditatis habet, nec fundamentum in littera Scripturæ, sine quo fundamento allegoriæ istæ omnino evacuantur.

Gen. II, 2

39. *Non potest autem componi cum littera Genesis,* quod horâ tertiâ post meridiem homo sit creatus : cum tam multa restarent illo die facienda, pro quibus nullo modo suppetit tempus, si humano et connaturali modo fieri debuerunt : ut sunt, quod hominem tulit Deus in paradisum, ibi ei præceptum posuit de non comedendo talem fructum (et sine dubio ipsam arborem ostendit, quæ erat in medio paradisi), quod non inveniebatur Adæ similis, et Deus dixit non esse bonum hominem esse solum, quod adduxit omnia animalia et volatilia ad Adam, quod vidit omnia et omnibus proprium nomen imposuit, quod non invento simili sui immisit Dominus soporem in Adam, quod per aliquod spatium dormivit, quod formata est Eva et ad eum adducta et matrimonium celebratum. Ista omnia quomodo possunt a tertiâ horâ post meridiem fieri? nisi vel fiant cum magnâ acceleratione et sine eo pondere et majestate quæ ad tales actiones requirebatur, vel multa istorum sint facta longâ jam nocte : cum dies illi essent fere æquinoctiales, quia in primo die æquinoctium fuit. Quare probabilius est Adam formatum esse mane, post formationem animalium, competenti horâ ut reliquæ omnes actiones die illo possent impleri.

[*Tempus formationis Evæ.*]

40. De tempore, quo formata est Eva, major dubitatio est : an fuerit facta sextâ die. — *Nam multi sentiunt,* post sextam diem, factam : quam sententiam Suarez (lib. III, c. 4, n. 11 *) attribuit D. Thomæ (q. 73, a. 1 ad 3 **) : quia cum in argumento opposuisset, quod multa fecit Deus post septimum diem, respondet in solutione : « Nihil esse factum post septimum, quin in operibus sex dierum aliqualiter præcesserit : quædam enim præcesserunt materialiter, sicut quod Deus de costa Adæ formavit mulierem. » — Aliqui etiam Patres sentire videntur, quando Deus benedixit Adam dicens, *Crescite et multiplicamini,* aut quando Scriptura dicit quod *masculum et feminam creavit eos,* necdum Evam fuisse formatam : ut docet D. Gregorius (XXXII Moralium, c. 9, alias 10 *), et Chrysostomus (homil. 10 ** in Genesim); atque adeo videtur quod mulier post sextum diem facta est, supposito quod, quando nominat sexto die masculum et feminam, necdum Eva producta erat.

* verius : n. 10
** I P. q. 73, a. 1 ad 3
Gen. I, 28
Gen. I, 27
* c. 12, n. 16; PL 76, 645
** n. 4; PG 53, 85-86

41. **Ceterum nullo modo Patres, neque D. Thomas, huic favent sententiæ** (omitto nunc Origenem *). — *Sanctus enim Gregorius* nullo modo insinuat Evam post sextum diem esse formatam : sed, explicans quomodo Deus simul omnia fecerit et tamen per sex distinctos dies ea dicatur fecisse, dicit quod secundum substantiam seu originem

* hom. 1 *in Gen.*, n. 14; PG 12, 158

simul omnia fecit, sed secundum speciem per distinctos dies : sicut primâ die creatum est cælum, et tamen quarto die sol et luna dicuntur facta, quia primo die quoad substantiam, et quarto quoad formationem. Et similiter ponit exemplum de Adam et Eva, quod quando dicitur, quod *masculum et feminam fecit eos*, necdum Eva fuerat formata : nam (1) ita quod postea describitur formata in Scriptura : sed non post sextum diem sed intra illum.

* cf. supra, n. 40

42. Chrysostomus * solum dicit quod « nondum de formatione docuerat, neque dixerat unde mulier producta; et tamen jam dicit, *Masculum et feminam fecit eos;* et sic, nondum factum, quasi factum narravit » : quod verissimum est, sed totum intra eamdem sextam diem, non extra : nec enim Chrysostomus dixit non esse factum sextâ die. Quin potius

Gen. II, 1

infra explicans illa verba, *Et perfecta sunt cœlum et terra et omnis ornatus eorum,* « Ut discamus, inquit, quod intra sextum diem absoluta sunt omnia *. » Quod idem sentit Augustinus (lib. VI de Genesi ad litteram, c. 2 et 5 **); Ambrosius (lib. VI Hexameron, c. 1 ***); Theodoretus (quæst. 21 † in Genesim); Beda (in Hexameron ††) et alii.

* hom. 10, n. 7; PG 53, 88
** PL 34, 340, 342
*** et magis c. 10; PL 14, 241; 272
† PG 80, 117
†† PL 91, 31, 38, 42
††† cf. supra, n. 40

43. *D. Thomas* ††† *non dixit,* in illa solutione, nihil esse factum post septimum diem, quin in operibus sex dierum præcesserit, sed generaliori verbo usus est dicens : « Nihil postmodum a Deo factum est totaliter novum, quin aliqualiter in operibus sex dierum præcesserit. » Ubi illud verbum *postmodum* non restringintur ad hoc ut sit post sextum diem seu post septimum diem, sed post omnia opera seu species rerum factas sexto die; postmodum nihil novum fecit, quin præcesserit in illis operibus : sive id quod postmodum fecit eodem sexto die, sive aliis diebus factum sit. Itaque formatio mulieris non est opus totaliter novum, sed præexstitit materialiter, seu quoad materiam, in operibus sex dierum. Sed unde sequitur, in littera D. Thomæ, quod hoc, quod præexstitit in illis operibus, non eodem sexto die (licet non eâdem horâ vel tempore) factum sit? An quia dixit « nihil postmodum factum est »? Sed ly *postmodum* non solum significat post diem, sed post quamcumque durationem, etiam intra eumdem diem. Quare D. Thomas numquam expresse dixit Evam formatam fuisse post sextum aut septimum diem, sed dixit nihil postmodum esse factum totaliter de novo, quod non præcesserit in operibus sex dierum, inter quæ computat formationem mulieris ex costa. Quod totum sufficienter salvatur si intra ipsum sextum diem formata sit Eva ex aliquo quod præcessit in operibus sex dierum : nec requiritur, ad hoc, quod post septimum diem formata sit.

44. Nec obstat, quod in argumento tertio * objiciebat D. Thomas multa esse facta post septimum diem, ac proinde non esse completum totum opus Dei in illo die septimo; ergo, si respondet D. Thomas postmodum nihil esse factum quod non præcesserit in illis operibus sex dierum, ly *postmodum* refert post septimum diem : quia hoc proposuerat in argumento. — Sed respondetur : solutionem D. Thomæ esse adæquatissimam et superabundantem : quia voluit complecti non solum ea quæ post septimum diem facta sunt, in quo ponebat vim argumentum, sed etiam ea quæ in ipso sexto die facta sunt post omnes species et genera rerum producta. Quare non negamus quod ly *postmodum* refert post septimum diem, ut petebat argumentum; sed dicimus quod non solum refert post septimum diem, sed etiam refert ea quæ sexto die, post facta animantia et hominem, formata sunt a Deo. Ergo non solum solvit D. Thomas argumentum quoad ea quæ facta sunt post septimum diem : sed abundantius solvit, includens etiam ea quæ sexto die facta sunt post omnes species rerum factas.

* I P. q. 73. a. 1

45. FUNDAMENTUM autem, QUARE ASSERIMUS Evam formatam esse sexto die, unicum est ex textu Scripturæ. Quia cum Scriptura in omnibus diebus creationis non ponat terminum diei dicendo, *Factum est vespere et mane, dies* talis, quousque omnia opera illius diei terminata sint et narrata, etiam oportet id similiter intelligere in sexto die. Sed sic est, quod non ponit Scriptura terminationem sextæ diei quousque dicat creationem utriusque primi parentis. Ergo uterque formatus est in sexta die. — Minor probatur : nam Scriptura narrans productionem hominis sic dicit : *Et creavit Deus hominem ad imaginem suam : ad imaginem Dei creavit illum, masculum et feminam creavit eos. Benedixitque illis Deus et ait : Crescite et multiplicamini, et replete terram, et subjicite eam; et dominamini piscibus maris, etc. Et factum est ita. Viditque Deus cuncta quæ fecerat, et erant valde bona. Et factum est vespere et mane, dies sextus.* Ecce creationem masculi et feminæ, et benedictionem Dei ad illos : neque enim soli Adæ benedixit, sed *illis*, inquit, *benedixit*. Quomodo illis benedixit, si solus Adam erat, non Eva? Et quomodo dixit quod crescerent et multiplicarentur et subjicerent terram, etc., si nondum erat Eva? Addit Scriptura quod *factum est ita,* et post omnia ista narrata concludit terminationem diei dicens, *Et factum est vespere et mane, dies sextus;* ergo intra sextum diem masculus et femina erant producti, vel, ut verbis Chrysostomi * utar, « sexto die absoluta sunt omnia. »

Gen. I, 27-28, 30-31
* PG 53, 88

(1) Sic omnes, male || Suspicamur tollendam esse conjunctionem *nam*.

46. *Nec refert quod* postmodum (cap. II, 21-23) narratur formatio Evæ, et dicitur quod Adæ non inveniebatur similis* : quod utique ponitur post septimum diem, quem Deus sanctificavit; ergo licet per anticipationem dicta sit creatio utriusque parentis sextâ die, revera tamen postea se explicat Scriptura quomodo facta sit illa formatio Evæ post diem septimum. — Quod si die sextâ formata fuit, tam multa oportet accumulare illâ die inter formationem Adam et Evæ, ut non possit intelligi humano modo potuisse omnia illa fieri : sicut est, post creata animalia et Adam illo die, translatio ejus in paradisum, impositio divini præcepti circa lignum scientiæ boni et mali, adductio omnium animalium ad Adam et impositio nominum cum singulorum cognitione : quod certe in tanta specierum multitudine multum temporis spatium postulat. Deinde, sopor immissus in Adam, qui per aliquot horas duravit; et tandem formatio Evæ. Quomodo hæc omnia humano modo possunt fieri eâdem die?

47. *Respondetur,* quod ea quæ narrantur in capite secundo Genesis, sunt posita in capite primo summarie et in communi, deinde vero narrantur ibi distincte. Unde post sanctificationem diei septimi, ab illis verbis, *Istæ sunt generationes cœli et terræ, etc.,* incipit Scriptura totum illud opus, præsertim in his quæ ad hominem pertinent, distincte et per partes enarrare. Unde non ideo ponuntur post enarrationem diei septimi, quia post illum facta sint : sed quia post enarrationem diei septimi incipit Scriptura reassumere et iterum narrare distinctius ea quæ in die sextâ facta sunt. — Ad id vero quod dicitur* de tam multis, quæ inter formationem Adam et Evæ facta narrantur, jam supra** respondimus ea omnia potuisse intra eumdem diem perfici, præsertim quia multæ ex illis actionibus fuerunt aut instantaneæ aut brevissimi temporis. Formatio enim animalium, cum immediate a Deo facta sit, in instanti perfici potuit : et similiter formatio Adæ. Translatio ejus in paradisum (si per motum localem facta est) brevissime potuit fieri ministerio Angelorum; et præceptum divinum sibi potuit notificari, atque lignum vetitum ostendi brevi morâ temporis. Quare majus temporis spatium, quod est consumptum, fuit in illa omnium animalium et volucrum lustratione, atque nominum impositione, et in sopore Adam. Et fateor hæc duo moram aliquam prolixiorem postulare, quia sensibili et humano modo factum est : sed non tantam, quod intra illum diem expediri non potuerint. Nam pro animalium lustratione, et impositione nominum, quatuor vel quinque horæ potuerunt sufficere : cum videantur illa fuisse adducta ministerio Angelorum;* poterantque coram Adam transire, aut præsentari, plures species simul, v. g. decem aut viginti, et postea aliæ atque aliæ : quod totum breviter expediretur : nam eodem tempore, quo transibant, nomina imponebantur. — Ille autem somnus* potuit durare duabus horis, aut etiam minus : plus enim videtur habuisse de extasi quam de somno. Quare si pro his duabus actionibus assignemus septem vel octo horas diei, sufficientissimum tempus suppetit ut intra sextam diem totum illud negotium expediretur : Eva enim dum dormiebat Adam formata est, et ita non oportet aliud tempus pro ejus formatione computare quam pro somno Adæ.

* cf. supra, n. 34

* cf. supra, n. 46, *Deinde*

[*Locus creationis.*]

48. **Circa locum, in quo formati sunt primi parentes, COMMUNIS SENTENTIA EST Adamum extra paradisum fuisse formatum, Evam autem in paradiso.** Ita D. Thomas infra (quæst. 102, a. 4), et communiter doctores in II, D. 18. — ET SUMITUR EX IPSA SCRIPTURA : Nam postquam dixit (in hoc secundo capite) quod *plantaverat Deus a principio paradisum voluptatis,* subdit, quod *tulit Deus hominem, quem formaverat, et posuit illum in paradiso :* ubi manifeste supponit hominem fuisse formatum de præterito, et antequam introduceretur in paradisum. Et verbum *tulit* et *posuit* significant [1] tunc primo fuisse hominem in paradisum introductum, illucque translatum : alias, si in ipso paradiso jam esset, ad quid illuc ferri ibique poni diceretur? Si autem, quando tulit et posuit, tunc primo homo ingressus est paradisum, et tulit ac posuit eum quem prius formaverat, manifestum est quod extra paradisum formatus est. I P. q. 102, a. 4 Gen. II, 8, 15

49. *Videbatur quoque hoc convenire,* ne homo sibi videretur in paradiso natus, ac jure nativitatis illum locum sibi deberi : sed gratuito Dei beneficio tam felicem locum accepisse. Et, cum ejiciendus esset de paradiso, non videbatur conveniens ut de terra paradisi corpus suum formatum portaret, ne in tanta infelicitate de origine suæ formationis gloriaretur. Unde et (in cap. III), cum ejiceretur Adam ex paradiso, inquit Scriptura quod *emisit eum Dominus Deus de paradiso voluptatis, ut operaretur terram de qua sumptus est.* Ergo manifestum est quod de terra paradisi non est sumptus nec formatus : si quidem, ejectus de paradiso, excoluit terram de qua sumptus est. Dicere autem quod in paradiso formatus est, sed non de ipsa terra paradisi, sed de aliâ illuc asportatâ, est merum figmentum et sine ullo fundamento dictum. Gen. III, 23

(1) Ita omnes || Cf. tomi I Præfationem, cap. III, art. 2, § 3, n. 4 et n. 5, c); et etiam n. 7, b).

50. *In quo autem loco extra paradisum creatus sit Adam?* Nihil certi ex Scripturâ aut traditione vel certâ historiâ proditum est, licet plures in aliquo Palæstinæ loco, vel juxta Damascum in campo Damasceno, vel circa Jerusalem, vel circa Hebron dicant formatum : quia (Jos. XIV, 15) dicitur : *Adam maximus situs est in Hebron*, et sic videtur ibi vixisse, atque adeo et ibi formatum esse, quia illam terram excoluit de qua sumptus est. Sed tamen non est certum in illo loco Josue sermonem esse de primo parente, sed (1) de aliquo homine inter filios Enacim magno : quia Adam nomen appellativum est, ut homo. Et licet ibi sepultus sit, non constat ibi semper vixisse, atque adeo neque ibi formatum esse.

51. *Quod vero Eva in paradiso formata sit*, ex ipso Gen. II, 15-22 historiæ contextu deducitur : quia dicit Scriptura Deum posuisse hominem in paradiso, ibique præceptum illi imposuisse ne comederet de ligno vetito, et postmodum adduxisse omnia animalia ad Adam, et quod non inveniebatur similis illi, et quod immisit soporem in Adam et ex ejus costa formavit Evam. Totum hoc dicitur contigisse post translatum Adam in paradisum; nec est ratio cur dicamus illam translationem esse per anticipationem positam : oportebat enim ad id nos cogi ex alio loco Scripturæ, vel ne sequatur aliquod magnum inconveniens, quod hîc non intervenit. Adam autem, ex quo intravit in paradisum, non exivit inde, nisi quando expulsus est post peccatum; esset enim ei pœnale, et minus conveniens, tam beatum locum deserere.

52. Nec obstat, quod alias nobiliori loco esset formata mulier quam vir : quod videtur præposterum. — Ad hoc enim optime respondet D. Thomas
* I P. q. 102, a. 4, ad 3 (cit. q. 102*, a. 4) quod hoc non fuit propter dignitatem mulieris, sed propter dignitatem principii a quo originabatur, scilicet ratione viri. Licet enim mulier originarie et remote etiam sit ex terra, quia corpus Adæ de terra est, tamen quia proxime formabatur ex costa viri (cui debebatur locus ille tam felix et vere regius) ratione talis principii exsistentis in paradiso debebatur mulieri formari in paradiso, sed non de terra paradisi.

53. *Alii etiam scrupulum inveniunt* in eo quod Eva formata est in loco ubi adducta sunt animalia ad Adam; non videntur autem adducta in paradisum : quia paradisus non erat locus in quo bruta habitarent, vel illuc ingrederentur, ut dicit Damascenus
* PG 94, 913 (lib. II de Fide, c. 11*). — Item, Deus posuit præceptum de non comedendo fructu vetito statim atque Adam translatus est in paradisum, ut constat ex contextu; sed imposuit illud ambobus : quia mulier dicit (cap. III, 3), *Præcepit nobis Deus ne comederemus, etc;* ergo ambo simul translati sunt in paradisum; ergo non est formata Eva in paradiso.

54. *Sed facile respondetur ad primum*, quod bruta animalia non erat conveniens habitare et ingredi paradisum cum illis indecentiis et immunditiis et feritate quam habent, v. g. occidendo alia animalia, effundendo sanguinem, etc. At vero ingredi paradisum ad obœdiendum aut oblectandum hominem, et ut ejus imperio deservirent, remotis aliis imperfectionibus quæ non decebant tam amœnum et limpidissimum locum, non est inconveniens. Et serpens probabile est intra paradisum allocutum ad Evam : quod non faceret, si illuc non esset solitus ingredi. Et in priori sensu loquitur Damascenus, nec contrariatur secundo; animalia enim solum ingressa sunt ibi et adducta, ut regale et despoticum imperium Adam recognoscerent, et ab eo nomina acciperent.

55. Ad alteram partem* argumenti dicitur : * supra, n. 53, *Item*
utrique primo parenti fuisse impositum præceptum, sed non æque immediate : nam primo positum est Adæ, et per ipsum notificatum est Evæ. Quando enim Deus imposuit præceptum immediate, solum in singulari locutus est, dicente Scripturâ : *Præcepitque ei dicens : Ex omni ligno paradisi comede; de ligno autem boni et mali ne comedas.* Gen. II, 16-17 Mulier autem postea dixit, *Præcepit nobis Deus*, quia jam ipsi erat notificatum præceptum per Adam; sicut etiam dicitur (in cap. I, 28) quod dixit Deus ad utrumque, *Crescite et multiplicamini, etc;* et iterum, *Ecce dedi vobis omnem herbam in cibum* : Gen. I, 29 quod fieri potuit post præceptum intimatum Adæ soli, quando in paradisum ductus est; et postea, formatâ Evâ, dixit Deus omnia illa verba ad utrumque, quod crescerent et multiplicarentur, et quod omnem herbam et fructum haberent in cibum. Et tunc Adam potuit præceptum ipsum, et exceptionem ligni vetiti, intimare Evæ, quia sibi dictum fuerat.

AN PECCAVERIT ADAM EODEM SEXTO DIE, QUO FORMATUS EST.

56. *Multum hæc opinio invaluit* apud plurimos, quod Adam eodem die, quo creatus est, peccavit et ejectus est de paradiso. Eamque aliqui antiquorum Patrum significant, ut Irenæus (lib. V, c. 23*), Anastasius Sinaita (lib. VII Anagogic., Genes. III, q. 14**), et alii. — ET ABSOLUTE LOQUENDO juxta superius*** dicta POTEST DEFENDI, disponendo sic omnia quæ in illo sexto die facta a Scriptura narrantur, ut dicamus circa ortum solis vel auroram, id est, circa horam sextam matutinam (quia dies illi erant fere æqui- * n. 2; PG 7, 1185 **PG 89, 943 *** nn. 33-44, 39, 46-47

(1) Supple : *sed [potest sermo esse] de aliquo...* || Cf. tomi I Præfationem, cap. III, art. 2, § 3, n. 1, a) et c).

noctiales et æquinoctio juncti, quod fuit primâ die) formaverit Deus omnia animalia, vel in instanti, vel brevissimo tempore (licet enim quintum diem integrum consumpserit in solis piscibus et volucribus formandis, tamen quia sexto die plurima facienda erant, et non omnia solo Dei imperio sed ipso etiam homine operante modo humano et sensibili, ideo oportuit abbreviare ea quæ a solo Deo fiebant, ut erat formatio animalium et hominis). Deinde formavit etiam hominem, vel alio instanti, vel in brevissimo tempore, illumque transtulit in paradisum et ei ostendit lignum [1] scientiæ boni et mali, super quo præceptum illi imposuit, permisso usu omnium aliorum : quod totum potuit esse expeditum ante horam septimam matutinam. Deinde, cum Deus diceret non esse bonum hominem esse solum, adduci fecit ministerio Angelorum, aut alio modo sibi placito, omnia animalia et aves ad Adam, eisque nomina imposuit : in quo ministerio et actione potuerunt consumi quinque horæ plus vel minus usque ad meridiem. Tunc immisit soporem in Adam : in quo somno potuit consumere unam vel alteram horam; et expergefactus locutus est ad Evam, eamque accepit in conjugem et Deus dedit benedictionem ad crescendum et multiplicandum, eisque assignavit in escam omnem herbam et fructum; et Adam intimavit præceptum divinum, de ligno vetito, Evæ. Jam ab hora secunda, vel circiter, usque ad horam quartam habuit Eva sufficiens tempus deambulandi sine Adam usque ad arborem ligni vetiti, ibique colloquendi cum serpente, et sumendi de fructu illius atque afferendi ad virum suum : qui statim cognoscentes suam nuditatem, et erubescentes, fecerunt sibi perizomata et se absconderunt. Ab hora autem quarta vel paulo post usque ad sextam, in qua tunc erat occasus solis, etiam sufficiens tempus fuit ut diceretur Deus venisse ad auram post meridiem, id est, transacto fervore caloris (ut Hieronymus dicit in Quæstionibus Hæbraicis super Genesim *), et ut utrumque argueret atque sententiam ferret eosque de paradiso ejiceret; quia in tali judicio et sententiâ non multum temporis videtur fuisse consumptum. Et sic sententia ista absolute loquendo videtur posse defendi, et pro omnibus his, quæ Scriptura docet facta illo die, expeditionem invenire ita quod non possit convinci.

* in Gen. III. 8; PL 23, 943

57. **CETERUM,** si rem istam non ita mathematice et quasi ad clepsydram per singulas horas dividamus cum tantâ præcisione, **non videtur verisimile totum hoc negotium sic celeriter fuisse transactum : et PROBABILIUS VIDETUR non peccasse primos parentes eodem sexto die, quo creati sunt.** — NAM IN PRIMIS totum illud, quod [2] assumitur de horis matutinis, est valde incertum, et gratis acceptum. Quod si a simili debet sumi argumentum, non est ratio cur in aliis rebus formandis Deus usus fuerit tempore et die integro, et in formandis animalibus solum instantaneis actionibus fuerit usus. Quod si pro homine vel Evâ formandâ voluit uti instantaneâ actione, id est, peculiari aliquâ ratione processit propter singularem hominis excellentiam (sicut enim Angelos instantaneâ actione creavit et perfecit, et sicut corpus Christi in instanti a Spiritu Sancto organizatum est, ita decuit primos homines instantaneâ actione formare ex illâ materiâ), ceterum imperfecta et magis grossiora opera, sicut animalia terrestria, non videtur aliqua fuisse ratio cur eorum productio instantanea fuerit : nec quod in hac parte extraherentur a communi modo formandi res alias imperfectas, ut pisces, aves, plantas, etc., in quibus formandis etiam dies integri consumebantur. Quod si tempus aliquod successivum in formandis animalibus transactum est, ita quod aliquot horæ diei sextæ pro eorum formatione assignandæ sint, ruit totum fundamentum sententiæ oppositæ; nec possumus omnia, quæ facta sunt ante peccatum Adæ, componere et assignare ita quod ad auram post meridiem fuerint a Deo judicati et expulsi.

58. PRÆTEREA, ut salvet hæc sententia peccasse hoc die primos parentes, oportet ita omnes illas actiones accelerare, ut vix spiraculum relinquatur. Quis enim sibi persuadeat quod, quando Deus transtulit Adam in paradisum, ita præcise et sicce cum eo egerit, ut solum brevissimo tempore præceptum imposuit, et statim inceperit adducere animalia; non autem aliquod tempus dederit, ut posset partem aliquam paradisi videre, non currendo, sed paulatim et lente videndo, quousque perveniret ad locum ubi erat lignum scientiæ boni et mali, ibique præceptum de non comedendo illius fructu imposuerit, serioque monuerit de illius observatione fideliter custodiendâ? Similiterque non esse sibi bonum esse solum, et sine sociâ ad generationem, non unico tantum eoque brevissimo verbo tractaverit, sed pluribus : quibus id ei persuasit et ita convenire ostendit; et in majorem evidentiam voluit ut omnia animalia videret, et cognosceret quod ipse solus erat sine adjutorio ad generationem necessario : ut inde moveretur etiam Adam ad desiderandum, immo ad petendum a Deo, ut sibi talem sociam daret? Jam vero, post adductam Evam ad Adam, quis credat tam

[1] Ita bene corrigit C || Mendose LP *signum.*

[2] Ita emendandum cum C || Male LP *quid.*

brevissimo tempore illam fuisse allocutam ut vix in præsentia ejus detineret, ut statim illum relinqueret et curreret cum magna festinatione ad medium paradisi ad arborem scientiæ boni et mali? Nisi enim multum festinaret Eva, non esset tempus ut cum serpente colloqueretur, et comederet, ferretque ad virum suum, et comederet, et se absconderent, et facerent perizomata ante auram post meridiem. Immo si vix Eva cum viro suo collocuta erat, nec nimium ejus amorem erga se fuerat experta (quod solum per plures et diversas actiones probari poterat), quomodo præsumeret statim illi ferre cibum vetitum, et persuadere ut illum comederet? — Itaque verum est, quod physice et absolute illa sententia salvat tempus pro istis actionibus; sed cum tantâ acceleratione et fatigatione, ut omnem curialem (1) et humanum modum de medio tollat, ut homines eo die peccantes faciat.

59. DENIQUE, in ipsis verbis textûs duo ponderanda sunt, quæ videntur persuadere non eodem sexto die peccasse. — Alterum est, quod dicitur (cap. I, 31) quod, antequam clauderetur dies sextus, *vidit Deus cuncta quæ fecerat, et erant valde bona;* et statim subjungit : *Et factum est vespere et mane, dies sextus.* Quomodo in ipsa terminatione diei sexti erant cuncta valde bona, si in eodem temporis articulo consummabant tam grande malum ipsi primi parentes, qui inter res visibiles erat (2) præcipuum opus manuum Dei?

60. Alterum est, quia (cap. III, 1-3) serpenti inquirenti, cur non comederent de omni ligno paradisi, respondit mulier : *Ex omni ligno paradisi vescimur; de fructu vero ligni, quod est in medio paradisi, præcepit nobis Deus, etc.;* ubi illud verbum « vescimur » non solum significat jus et potestatem vescendi, sed etiam usum et consuetudinem, seu actum ipsum comedendi prout facere solebant. Unde Augustinus dicit (XI de Genesi ad litteram, c. 31 *) quod mulier innoxium putavit fructum illius arboris vetitæ, quia « tale existimavit pomum in illa arbore, cujus generis poma in aliis arboribus innoxia senserant » : quod esse non poterat, nisi de aliis gustassent, idque non unâ aut alterâ

* n. 41; PL 34, 446

vice, sed sæpius. Certe si nihil senserunt, nec experientiam habuerunt primi parentes deliciarum paradisi, sed immediate cucurrerunt ad arborem vetitam ut eodem die ejicerentur, vix possent perpendere tantam infelicitatem, si felicitatis illius experientiam [non] (3) haberent. — Denique, quando Deus posuit custodiam Cherubim, et flammeum gladium ad custodiendam viam ligni vitæ, dixit : *Ne forte mittat manum suam et comedat de ligno vitæ, et vivat in æternum;* ergo supponebat, quod ipsi primi parentes bene sciebant semitas paradisi, et ubi possent invenire lignum vitæ; ergo perambulaverant paradisum et illo fruiti fuerant, atque experientiam habebant : quod tam brevi tempore, sicut est unius aut duarum horarum, fieri non poterat. Gen. III, 22

61. *Quanto autem tempore vixerint in paradiso,* si sexto die ejecti non sunt? — Nihil certi affirmari potest, sed totum est divinare : licet diversi conati sint diversos dies, aut plures etiam menses, assignare. Sed cum nullum solidum fundamentum in hoc magis quam in illo inveniamus, otiosum videtur de hoc disputare. Sane non diu permansisse suadet : Tum dæmonis invidia, qui festinabat hominem perdere; non tamen eâdem horâ vel die : quia nondum assueverat Adam amori et blanditiis mulieris, sine quibus non poterat diabolus præsumere tanto viro, et tantis Dei donis abundanti, persuadere se posse tale nefas, nisi delinitus uxoris blanditiis illud inconveniens et peccatum devoraret; ad hoc autem ut homo ita esset deditus uxori, aliquod tempus communicationis et convictûs requirebatur, non unius aut duarum horarum spatium sufficiebat. Tum etiam quia illo amore crescente, etsi sine motibus libidinis, non diu mansissent sine opere generationis; cum tamen communis sententia sit virgines de paradiso exivisse. — Quod autem aliqui sancti Patres etiam affirment jejunos fuisse usquequo comederunt de ligno vetito : non intelligitur de jejunio naturali (dixit enim mulier, *Ex omni ligno vescimur*); sed de jejunio temperantiæ in abstinendo a fructu vetito, et non laxando in hoc frena gulæ. Cetera argumenta contra nostram sententiam non magni ponderis sunt. Gen. III, 2

(1) Id est, *urbanum*, seu *civilem*.

(2) Sic LP, tolerabiliter || C *erant* : utique facilius.

(3) Omittunt omnes negationem, quæ videtur omnino necessaria.





QUÆSTIO LXXIII

DE HIS QUÆ PERTINENT AD SEPTIMUM DIEM

TEXTUS :

Gen. II, 2-3 *Complevitque Deus die septimo opus suum quod fecerat, et requievit ab universo opere quod patrarat. Benedixitque Deus diei septimo et sanctificavit illum.*

NOTANDA CIRCA HANC QUÆSTIONEM.

1. Tres actiones assignat Scriptura Deo in hac septima die, quas singillatim considerat S. Thomas. Prima est, complere opus suum quod fecerat. Secunda, requiescere ab universo opere a se facto. Tertia, benedicere diei septimo et sanctificare illum.

2. QUOD ATTINET AD PRIMAM ACTIONEM complendi opus suum, est advertendum, quod dupliciter potest intelligi quod aliquid compleatur. Uno modo, faciendo in aliqua re aliquid quod adhuc illi deest, et sic indiget compleri, id est, integrari : atque ita tunc idem est complere atque integrare et perficere, seu ultimam manum admovere. Alio modo dicitur aliquid compleri per negationem operis, scilicet quia jam res aliqua non indiget aliquo quod sibi addatur : et sic, per ipsam cessationem et negationem addendi, dicitur compleri : sicut quies dicitur complere motum, quia non restat ulterius ad quid moveatur, sed cessat acquirere. Et similiter potest aliquid compleri vel intrinsece in se, vel extrinsece in suis effectibus aut operationibus.

3. *Hoc ergo universum dicitur compleri* die septimâ negative et extrinsece, die autem sexto intrinsece. Nam in die sextâ ultima manus est admota novis operibus faciendis, ita quod ultimæ species factæ sunt; et sic quasi duravit motus, seu acquisitio novarum specierum, totâ illâ die. In die autem septimo nulla species facta est de novo (etsi aliqui putent hac die Evam creatam : licet, etiam hoc dato, illa non esset totaliter nova species) quia [1] nulla legitur facta hac die. Et sic septimâ die fuit complementum extrinsecum hujus motûs et acquisitionis, per quietem et cessationem ab operibus, non per additionem alicujus quod deesset ad integritatem totius. Similiter sextâ die completum est universum intrinsece, quoad suam integritatem et compositionem eorum ex quibus perfecte constat; die autem septimâ completum est in extrinsecis, scilicet in effectibus [2] et operationibus; quia deinceps incepit propagatio et multiplicatio et administratio totius creaturæ et universi quod fecerat, et fixum atque immobilem statum mundus accepit quantum ad ipsum ordinem effectuum faciendorum.

4. CIRCA SECUNDUM, quod est quies Dei, cum dicitur quod *requievit ab universo opere quod patrarat,* considerandum est quod quies, vel opponitur motui seu acquisitioni termini, vel opponitur labori et defatigationi quæ in nobis ex motu sequitur. Ut quies opponatur labori, oportet habere aliquid in quo gaudeat et quiescat, et sic dicitur quies esse in aliquo. Ut autem opponatur motui, sufficit quod pervenerit ad terminum, et cesset ab ulteriori acquisitione : et sic non dicitur quiescere in motu, sed quiescere a motu; quiescitur vero in termino, quia in eo sistit : et sic Deus in termino isto quievit, quia fixum et immobilem ordinem consummavit deinceps servandum in hoc universo.

5. *Deus ergo non dicitur quiescere* in suis operibus seu creaturis primo modo : quia Deus non habuit laborem vel defatigationem, neque gaudium et fruitionem accipit ex creaturis, sed ex se ipso qui est infinitum et inenarrabile bonum. Secundo autem modo requievit Deus cessando novas creaturas facere, et ab illis seu a productione, tamquam a motu tendente in earum acquisitionem, requievit in se ipso. Unde signanter Scriptura non dicit

(1) Male omnes : *qui nulla...*

(2) Mendose omnes : *affectibus;* vide supra, n. 2, in fine.

quod requievit Deus in opere suo, sed *requievit ab universo opere quod patrarat*. Et requies Dei in se ipso est æterna et ab æterno; sed post opera condita seu ab operibus conditis requiescere in se, hoc fuit temporale et incepit hâc septimâ die, qua cessavit motus, id est, novarum specierum productio et acquisitio; et sic patet quod non cessavit Deus ab operando absolute, sed ab operando de novo ea quæ pertinent ad constructionem et primam institutionem hujus universi, non autem a (1) conservatione illius et propagatione atque administratione. Sicut dicitur quiescere rex, quando habet regnum suum acquisitum, et sine bellis seu motibus; licet tunc operetur in administrando regno et conservando. Et hoc ipsa Scriptura significat dum (in hoc cap. II, 3) dicit quod *benedixit Deus diem septimum, eo quod in ipso cessaverat ab universo opere quod creavit Deus ut faceret;* et Christus Dominus (Joa. V, 17) : *Pater meus usque modo operatur, et ego operor*. Ergo illa cessatio operis non fuit ut nihil amplius faceret, sed ut nihil amplius totaliter novum faceret.

6. Circa tertiam actionem, scilicet benedictionem et sanctificationem, dicitur quod benedictio in Deo potest referri, et ad largitionem alicujus doni quod benedicendo confert, vel ad approbationem alicujus rei jam factæ, quia perfecta et consummata est. Nec enim Deus benedicit gratias agendo, sicut nos benedicimus Deum, aut aliquid impetrando, sicut nos benedictionem a Deo postulamus pro aliis rebus; sed benedicit, aut rem factam approbando seu bonam dicendo, aut rei faciendæ donum aliquod tribuens ut fiat. Et utroque modo diem septimum benedixit. Tum respectu rei factæ : quia jam consummata erat tota universi constructio et compositio; et sic approbavit, laudavit et benedixit hunc diem in quo vidit omnia consummata, sicut nos benedicimus diem quo aliquid valde magnum aut desideratum consecutum vel consummatum videmus. Tum etiam benedixit diem septimum respectu rei faciendæ : quia in omnibus creaturis exinde cœpit multiplicatio et propagatio, quod est donum et beneficium Dei ex illa die largitum, confirmatum et exsecutioni datum.

7. *Sanctificatio autem illius diei intelligi potest :* vel quia destinata est specialiter ad cultum Dei : vel quia significavit rem aliquam : vel quia in illo aliquid peculiaris sanctitatis Deus operatus est, sicut sancti fuerunt dies illi quibus Christus Dominus speciale aliquod mysterium redemptionis et sanctificationis nostræ operatus est. — Primo modo verificatur sanctificatio sabbati; non quia lege positivâ tunc præceperit Deus diem illum observari et coli, id enim factum est longo tempore post in lege scriptâ; sed quia ipsa consummatio operum divinorum, et tantorum beneficiorum collatio, tunc consummata et completa, ad cultum Dei maxime homines inducebat et excitabat; et sic proposita videtur a Deo ipsi Adam, licet non præcepta pro tunc. — Secundo modo sanctificatum est sabbatum, quia æternam requiem futuram designabat, ubi totius sanctitatis erit consummatio. Unde Apostolus (Heb. IV, 9-10) dicit, *relinqui sabbatismum populo Dei; qui enim ingressus est in requiem ejus, etiam requievit ab operibus suis, sicut a suis Deus;* et subdit : *Festinemus ergo ingredi in requiem illam, etc.* Ergo sabbatismus, seu requies Dei, requiem illam significavit in quam festinandum nobis est ingredi, quæ est æterna requies. Quod etiam dixit Augustinus (epist. 119 *, c. 9) : « Illa, inquit, requies Dei requiem sine fine significat. » — Tertio modo dici potest sanctificasse hunc diem : quia, licet cessaverit a condendis novis creaturis, tamen exinde administravit eas, referendo per earum operationes creaturas ad se : quod est magnum documentum sanctificationis et cultûs hominibus præbere.

Heb. IV, 11

* nunc ep. 55, c. 9, n. 17; PL 33, 212

8. An vero aliquam specialem sanctitatem supernaturalem hâc die creaturis rationalibus contulerit, v. g. Angelis sanctis glorificationem, aut eos omnes in sanctitate conservaverit, ut specialiter ipsum hâc die laudarent et jubilarent omnes filii Dei * : omnino incertum est. Nam licet de Angelis bonis communiter dicatur durasse eorum via unico tantum instanti, tamen an instans hoc corresponderit omnibus sex diebus formationis mundi, incertum est, licet possibile sit. Quod etiam duraverint omnes Angeli in gratia pro primo instanti suæ creationis, ita ut illud instans correspondeat septem his diebus (ut verificetur in toto rigore, quod die sexto *vidit Deus cuncta quæ fecerat, et erant valde bona;* et, si cuncta erant tunc valde bona, ergo adhuc nullæ creaturæ erant malæ), tamen hoc est omnino divinare, et sic affirmari a nobis non potest. Certe D. Thomas (in hac q. 73, a. 1 ad 3) numerans ea quæ præcesserunt in sex primis diebus, et sic postea non sunt totaliter de novo facta, dicit quod « gloria spiritualis præcessit secundum similitudinem in Angelis ». Et sic sentit ante septimum diem fuisse aliquos glorificatos, et consequenter alios damnatos. Quod oportet affirmari ab eis qui dicunt primos parentes sextâ die peccasse : si quidem ex diaboli suasione peccaverunt. Sed hoc est minus certum, quam quod Angeli ante sextum diem glorificati sunt; et sic de Angelis nihil certi statuimus.

* cf. Job. XXXVIII, 7

Gen. I, 31

I P. q. 73, a. 1, ad 3

(1) Mendose omnes : *e conservatione*.



QUÆSTIO LXXIV

DE OMNIBUS SEPTEM DIEBUS IN COMMUNI

NOTANDA CIRCA ISTAM QUÆSTIONEM.

1. Restant difficultates quædam circa omnes istos dies et circumstantias eorum : quæ [1] D. Thomas in istâ ultimâ quæstione colligit, ut plenissime omnia expediret quæ ad opificium istorum dierum pertinent. *Et considerat seu reducit omnes difficultates ad tria.* — Primo, ad sufficientiam istorum dierum : ita quod [nec] plures, nec pauciores requirebantur. — Secundo, ad eorum distinctionem et diversitatem : videlicet an fuerint plures dies naturales, sicut isti quos modo habemus, an unus tantum. — Tertio, ad modum et circumstantias quibus narratur in Scriptura mundus esse factus.

[PRIMA DIFFICULTAS.]

2. Circa primum, vix restat difficultas aliqua, suppositis omnibus quæ supra explicavimus. Nam accommodatio omnium operum plene et sufficienter his sex diebus disponitur, ita quod nec superflue, nec diminute sunt assignati. — Nam, ut diximus in principio *, TRIPLEX OPERATIO POSITIVA seu factiva DESCRIBITUR in Scriptura, et una negativa per modum quietis et cessationis, quæ pertinuit ad septimum diem. Quâ relictâ, triplex illa operatio fuit opus creationis, distinctionis et ornatûs.

* supra, *Ordo dicendorum*, n. 2-3 (p. 839)

2bis. *Et quidem creatio omnium illorum corporum,* quæ ex nihilo facta sunt, in instanti et indivisibiliter facta est. Unde pro ea non est computandum tempus, aut dies, sed instans, seu principium extrinsecum temporis; unde de creatione solum dicit Scriptura quod *in principio creavit Deus cælum et terram;* non dixit in die primo, vel in tempore, sed absolute *in principio :* quia illud fuit instans, quod est principium temporis. Quare non debent numerari et diversificari isti dies intrinsece et in se, ratione operis creationis : quia in instanti solum perficitur, quod est principium extrinsecum temporis; sed incipiunt tales dies et dierum diversitas numerari ab opere distinctionis et ornatûs. Et sic optime sumitur accommodatio et sufficientia istorum dierum penes corpora quæ indiguerunt distingui et ornari, et penes opera quæ in illis distinguendis et ornandis necessaria fuerunt. Corpora autem omnia, quæ in hoc universo continentur, sunt cælestia, elementalia et mixta : ita tamen quod cælestia et elementalia componunt dispositionem omnium locorum, et simul hujus universi; si in suâ situatione, locatione aut manifestatione sint obscura aut confusa, indigent ordinari et distingui. Sunt etiam capacia recipiendi in se mixta, et se moventia, quibus ordinantur [2]. Unde corpora mixta non indigent distingui et ornari, sed ipsa sunt ornatus corporum simplicium.

Gen. I, 1

3. *Igitur quantum ad opus distinctionis,* oportuit tria corpora distinguere et ordinare diversis variisque distinctionibus, quarum una non communicat cum aliâ, nec pertinet ad ordinem et lineam alterius. Et similiter opus ornatûs indiguit aliis tribus actionibus et operibus eodem modo diversis, ad ornanda eadem corpora quæ distincta fuerant. Et non sunt alia corpora quæ distingui et ornari indigeant, nec plures aut pauciores actiones distinguendi et ornandi poni possunt : ergo neque plures dies. — Consequentia patet : quia licet Deus posset omnia opera ista, vel simul in uno instanti, vel in uno die aut duobus facere, tamen, supposito quod sapientia sua infinita disposuit ut per plures dies distribueretur [3], non potest inveniri melior et aptior distinguendi modus, quam penes diversa opera, inter se diversa et ad diversa corpora pertinentia, quorum unum non habeat connexio-

(1) Sic omnes, non male || Facilius tamen legeretur : *quas.*
(2) Ita omnes || Censemus legendum : *ornantur.*
(3) Sic omnes || Arbitramur legendum : *distribuerentur,* nempe [*omnia opera ista*].

nem cum alio. Et cum operationes ad hos dies pertinentes sint distinctionis et ornatûs, et non invenimus nisi tres hujus generis pertinentes ad distinctionem, et tres ad ornatum, nec plures nec pauciores, solum oportet sex dies distinguere et assignare.

* Ordo dicendorum, n. 5-6; et qq. 65-72

4. Major nota est ex supra* dictis. Nam oportuit in corporibus cælestibus distinguere, quoad manifestationem et obscuritatem, lucem et tenebras; et sic fuit prima dies. In elemento superiori aeris, quod multâ parte occupabatur aquâ, oportuit separare situationem aquarum et relinquere aerem liberum, in eoque ponere secundam regionem ubi firmarentur seu detinerentur aquæ vaporabiles, a fluentibus et ordinariis. In igne autem non fuit necessarium facere aliquam segregationem : quia ibi nullum aliud erat corpus intermixtum a quo fieret segregatio, quia nihil tale patitur secum (1) ignis; nec erat necessarium in eo ponere lucem, quia illam inde non potest ejaculari propter suam raritatem : et sic fuit secunda dies. In elemento autem infimo fuit necessarium segregare aquam a terra : quia terra operta aquis non serviret pro animalibus; et utrumque elementum unicâ actione distinguebatur : quia, segregatâ aquâ, terra ipso facto apparebat, debuitque apparere vestita plantis et herbis quæ sunt quasi partes illi adhærentes; et sic fuit tertia dies.

4 bis. *In opere ornatûs,* primo ornati sunt cæli luminaribus et stellis : et (2) hoc quarto die. Secundo, ornata sunt elementa aeris et aquæ (ignis enim non est capax ornatûs, quia omnia sibi apposita consumit), eo quod pisces et aves ex eâdem materiâ, scilicet ex aquâ grossâ et subtili, formari debebant : et hoc quinto die. Tertio, ornata est terra animalibus et homine, tam masculo quam feminâ : quia totum hoc pertinebat ad ornatum terræ : et hoc die sextâ. Ergo isti dies sufficiunt : nec enim esse plura, neque pauciora, corpora quæ distingui et exornari deberent, manifestum est.

[SECUNDA DIFFICULTAS.]

5. *Circa secundam difficultatem,* an isti sex dies fuerint dies veri et naturales, an solum metaphorico aliquo modo dicantur plures dies, *duas refert D. Thomas* * *sanctorum Patrum opiniones.* Alteram Augustini dicentis hos sex dies non fuisse plures vere et naturaliter; alteram aliorum sanctorum, qui veros et naturales dies fuisse judicant. Et licet neutri opinioni velit S. Thomas præjudicare propter

* I P. q. 74, a. 2

auctoritatem Augustini, tamen magis videtur in usu habere aliam sententiam, tum in toto hoc tractatu, tum in hoc articulo, ubi plura fundamenta pro sententia Augustini solvit.

[Augustini sententia.]

6. CONSISTIT autem AUGUSTINI SENTENTIA : tum in explicatione istorum dierum, seu durationis in qua res istæ sunt productæ : tum in explicando modo ipso productionis, quomodo aliqua dicantur producta formata vel informia, quomodo in potentiâ (3) vel actu, et quæ sint ista. — *De duratione seu tempore* quo res istæ fuerunt productæ, affirmat Augustinus simul, id est, uno die omnia illa esse producta, quæ ad constructionem et compositionem hujus universi pertinent : ita quod isti, qui vocantur septem dies, in duratione sint tantum unus dies. Quæ vero pertinent ad propagationem et multiplicationem creaturarum, diversis diebus distincta sunt; et inter opera propagationis computat hæc sententia plantarum et animalium productionem in actu, quamvis in virtute et potentiâ etiam cum aliis rebus simul sint facta : quia ad earum productionem in primo die receperunt virtutem. Ad salvandum autem locutionem Scripturæ, quæ istam durationem distinguit per septem dies, dicit Augustinus istos dies non esse naturales seu temporales, sed intelligibiles seu angelicos; qui distinguuntur non ex parte cognitionis, sed ex parte rerum cognitarum : ita quod primum opus Dei, ut cognitum ab Angelo, sit primus dies, secundum opus secundus dies, etc. Et quia in Angelo est duplex cognitio, matutina quâ videntur res in Verbo, id est, in suo principio, et vespertina quâ videntur in propriâ specie et extra Verbum, ideo dies angelicus componitur ex vespere et mane.

7. *De modo autem productionis rerum* distinguit Augustinus productionem plantarum et animalium, quæ narrantur tertio, quinto et sexto die, a reliquis operibus. Et productionem plantarum et animalium computat Augustinus non inter opera creationis seu productionis, sed inter opera propagationis, quia ad multiplicationem creaturæ pertinuerunt magis quam ad constitutionem universi; est enim mundus quasi grande receptaculum, illa vero mixta quasi res in illo contentæ. Et ita censet Augustinus res omnes, quæ fuerunt simul creatæ in actu, fuisse omnia illa quæ usque ad quartum diem creata sunt præter productionem plantarum. Reliqua vero opera, scilicet plantarum animaliumque productio, non fuerunt facta in actu,

(1) Ita, certo, corrigendum || Mendose omnes : *secundum.*
(2) Ita P, recte || Mendose LC *ex hoc.*

(3) Ita, sine dubio, emendandum || Male omnes : *quo in modo potentia vel...*

illo primo die, sed solum in virtute. Eorum vero productio in actu pertinebat ad opus propagationis, non creationis, et sic non fuerunt producta in actu in illâ duratione in quâ simul omnia producta sunt, sed solum in virtute; et tamen per distinctas durationes seu dies postea producta sunt, quando facta sunt in actu. — Denique, ex hac positione etiam infert Augustinus quod, quando dicitur terram fuisse invisibilem et vacuam, et corpora illa informia fuisse, intelligi (1) quod non pro aliquo tempore seu duratione prius informia fuerunt et deinde formata, sed solum prius naturâ. Unde consequenter id, quod pro illâ prioritate informe fuit, fuit materia prima carens ex se omni formâ substantiali, nec corpora aliqua solâ accidentali formatione seu formositate carentia.

8. Hæc est sententia Augustini (in IV de Genesi ad litteram, c. 8 *, 22 et 34 **; in lib. XI de Civitate, c. 9 ***, et aliis locis).

* verius : c. 18, n. 32-3; PL 34, 308-9 ** c. 22-29; c. 33-34; PL 34, 311-315; 317-319 *** PL 41, 324-325

[*Sententia aliorum Patrum eligitur.*]

8 bis. *Cui refragatur aliorum Sanctorum expositio in tribus.* — Primo, intelligit non esse facta omnia ista opera uno die, sed sex; et istos dies non esse angelicos, sed naturales et temporales. — Secundo, plantas esse creatas tertiâ (2) die in actu, pisces et aves quinto, animalia sexto. — Tertio, in illis quatuor diebus res illas esse factas eo tempore et duratione quam designat Scriptura, scilicet quod primo die facta est lux, ita quod aliquo tempore fuerunt tenebræ, et aliquo tempore fuit firmamentum non factum, et aliquo tempore terra non discooperta aquis, et aliquo tempore non formata luminaria.

9. **Non est dubium sententiam Augustini,** suo pondere et fundamentis statim adducendis firmatam, **probabilitate non carere,** quam tanti Patris auctoritas conciliat et fundamenta ipsa confirmant. **CETERUM, ad communem usum modumque loquendi,** illi (3) **non possumus accommodari,** si intelligamus (ut est communis intelligentia) librum istum Genesis, et in eo caput I ubi initia mundi traduntur, historicum esse et ad hominum communem stylum accommodatum. — EST AUTEM INCONVENIENS INTOLERABILE, quod in ipso primo initio historiæ metaphoris (4) et allegoriis, omnino a nostris sensibus remotis, utatur. Quis enim legens tantâ distinctione et proprietate expressum, quod factum est vespere et mane dies primus, secundus, tertius, quartus, etc., et quod requievit Deus die septimo, sibi persuadeat ibi loqui Scripturam historice de diebus angelicis et spiritualibus? Cum tales dies non possint esse mensuræ hominibus accommodatæ, neque ex illis quidquam certi circa durationem et modum producendi creaturas nobis innotescere possit : et sic, pro cognoscendâ a nobis productione et institutione universi, nihil prorsus serviebat illa angelicorum dierum distinctio. Et quid proderat, loquendo cum hominibus, et eis revelando id quod in primo tempore factum est, omittere dies humanos et naturales, et interponere angelicos vix sapientissimis hominibus notos? Quod si in uno die aut horâ, vel instanti temporali, Deus fecit hæc omnia, nonne facilius erat dicere quod in principio seu primâ die creavit cælum et terram, et in eodem die fecit lucem, firmamentum, aridam, luminaria, etc., quam tot vesperas et mane facientes diversos dies significare, si non sunt dies sed angelicæ contemplationes?

10. *Ad hæc, mirum est* quod in toto reliquo Scripturæ corpore, neque dies, neque vespera, neque mane sumantur pro diebus angelicis, sed solum pro humanis et temporalibus, et solum in hoc capite, quod est totius Scripturæ frontispicium, nobis proponantur dies cum tantâ expressione et cum tantâ distinctione suarum partium vesperæ et mane : et tamen quod non debeamus id intelligere de diebus usualibus sicut in reliquâ Scripturâ, sed de angelicis et intelligibilibus, nobis incognitis. — Denique (in capite XX, 9, 11 Exodi (5); [et cap.] XXXI, 15, 17) proponens Dominus legem de observantiâ sabbati dicit : *Sex diebus operaberis : sex enim diebus fecit Dominus cælum et terram, etc.* Ubi in priori propositione loquitur de sex diebus naturalibus, scilicet de illis in quibus operari licet : illi enim sunt dies naturales, non angelici; ergo et in causali, cum dicit, *Sex enim diebus, etc.*, etiam loquitur de naturalibus diebus. Nam si solum fuit una dies naturalis et sex angelicæ, non redditur legitima causalis : quid enim consequentiæ habet, quod sex diebus operemur, quia sex cognitionibus Angeli intellexerunt opera facta a Deo in una die?

11. *Sed age, devoremus hæc omnia inconvenientia,* quæ ad usum modumque humanum et ad ipsam proprietatem litteræ et verborum Scripturæ pertinent, exprimentis et numerantis nobis dies eâ majori proprietate et advertentiâ, quâ videtur exprimi posse. *Veniamus ad ipsam veritatem, et videamus,* quod si unâ die totum hoc factum est, unde constat sex cognitionibus ab Angelis opera

(1) Omnes : *infert Augustinus quod... intelligi quod...;* cf. tomi I Præfationem, cap. III, art. 2, § 3, n. 3 || Corrigi potest : *intelligitur quod.*

(2) Sic LC, non male || Facilius P *tertio.*

(3) Id est : *illi [Augustini sententiæ] non possumus...*

(4) Male omnes : *a metaphoris et allegoriis* (L *allegatoriis!*).

(5) Corrupte LC *capite 20. Exodi, 31* || P *capite* XX. *Exodi et* XXXI.

illius diei esse comprehensa, ut sex dies assignemus; aut, si unicâ tantum cognitione ab Angelis omnia illa opera sunt attacta, an opera cognita et attacta tali cognitione potuerint sex dies tantum distinguere. — Nam si dies distinguuntur penes diversas cognitiones in Angelis, illæ debent esse extra Verbum, ut plures sint. Quia in Verbo non sunt volubiles cogitationes nostræ, cum sit illa cognitio æterna, atque adeo immutabilis et una. Cognitiones autem Angelorum non sunt uniformes, sed unus intelligit per plures species vel cognitiones, quam alius. Quis ergo est Angelus qui per sex cognitiones tantum in proprio genere extra Verbum intellexit omnia opera simul facta a Deo? Estne aliquis Angelus inferior qui superiorem habeat super se, an supremus omnium. Si supremus omnium, est plane divinare, quod ille intellexit omnia illa per sex cognitiones, non plures, nec pauciores. Et omnes inferiores Angeli per plures cognoverunt : quia quanto inferiores, tanto minus uniunt, sed multiplicant magis species et cognitiones. Unde si solum in supremo Angelo fuerunt sex dies angelici, in reliquis multo plures. Si fuit inferior Angelus qui habuit sex illas cognitiones, ergo superior illo pauciores habuit, et quanto superior tanto pauciores. Cur ergo magis numerabimus sex dies propter Angelum inferiorem habentem sex cognitiones, quam quatuor vel tres aut duos propter Angelum superiorem habentem pauciores cognitiones, seu dies, quam inferior? vel etiam (1) viginti aut triginta aut centum propter Angelos magis inferiores, qui pluribus cognitionibus cognoscunt? Itaque in his cognitionibus vespertinis, quæ extra Verbum sunt, non potest sumi uniformitas in Angelis, nec certa aliqua regula aut fixum principium, cur magis sint sex dies seu cognitiones, quam decem vel viginti pro inferioribus Angelis, vel minus quam sex pro supremis.

12. Si vero hoc attendatur ex parte solius cognitionis matutinæ, quæ est visio rerum in Verbo, hæc (ut diximus *) solum est una, et unum mane, non plura mane sicut nobis Scriptura commemorat. Et tunc est valde incertum quando incepit glorificatio bonorum Angelorum, et cui tempori nostro correspondeat : an illi primo diei in quo dicit hæc sententia creata esse omnia, an alteri durationi et tempori post. Nam certum est Angelos non in eodem instanti, quo fuerunt creati, esse beatificatos : sic enim nulli peccarent; sed habuerunt viam pro aliquo instanti, et postea glorificati sunt. Illud autem instans primum, non scimus cui et quanto tempori nostro correspondeat. Unde, cum post illud fuerit glorificatio, post illud instans incepit primum mane Angelorum, seu matutina cognitio. Ergo potuit contingere, quod inciperet post transactum primum diem in quo Deus cuncta creavit : et sic non relinquitur aliquod mane pro illis diebus angelicis componendis, in quos distribuitur illa dies ab ista sententia.

13. *Quod si dicatur,* dies istos angelicos non numerari penes plures cognitiones Angelorum, neque intra neque extra Verbum, sed penes diversa cognita in eadem cognitione, et hæc plura cognita fuerunt illa sex opera Dei facta in illo primo die : — *Contra est,* primo quia in illâ primâ die non fuerunt sex opera illa in actu, sed tantum quatuor, scilicet quæ usque ad quartum diem narrantur. Reliqua, ut productio plantarum et animalium, juxta istam sententiam solum in potentiâ tunc fuerunt; ergo non potuerunt esse actu cognita : ergo neque sex dies tunc distincti in cognitione angelicâ. Secundo, quia si fuerunt solum plura, ut res cognitæ, in illâ unicâ cognitione, utique solum fuerunt plura cognita ut objecta materialia : ratio enim formalis debuit esse una, si cognitio erat una. Sic autem multo plura fuerunt objecta cognita quam sex, nec est ulla ratio cur solum ad sex restringatur. Nam in cælo sunt decem sphæræ, et in illis tot astra et planetæ specie diversa; est etiam cælum empyreum; et in hoc mundo quatuor elementa, et in illis tot opera facta a Deo, ut firmamentum in aere, discoopertio terræ, congregatio aquarum, germinatio plantarum et herbarum in quibus infinitæ species sunt, sive hoc fuerit tunc per germinationem in actu, sive per collationem virtutis ad germinandum : et similiter opera facta in quinto et sexto die. Hæc omnia materialia objecta, et res ita distinctæ, cur dicuntur solum efficere sex dies, id est, sex repræsentationes ex parte rerum cognitarum, cum res cognitæ sint multo plura? An quia Deus tamquam sex distincta opera fecit? Sed hoc est quod inquirimus, quomodo sint sex : cum plura sint facta a Deo. Unde ergo et quo fundamento dicitur omnia illa objecta solum in sex partes, seu in sex objecta cognita, esse divisa a conceptibus et cognitionibus angelicis? Et hoc in quo Angelo? Cum unus plus dividat et multiplicet conceptus, alius plus uniat. Itaque totum hoc jacitur ad incertum.

[*Augustini fundamenta.*]

14. Fundamenta opposita sunt : — Primo : Quia (Eccli. xviii, 1) dicitur : *Qui vivit in æternum, creavit omnia simul.* Ergo non successive; ergo

(1) Intelligito : *vel etiam [sex dies magis quam] viginti...*

non per dies. Et ita locus iste cogit explicare loca Genesis secundum aliquam metaphoram. — *Nec potest dici,* loqui Scripturam de creatione pro opere creationis rigorose sumpto, quo creavit cælum et terram : sic enim falso apponeret ly *omnia* absolute et sine restrictione : nec enim omnia tunc creata sunt, sed solum cælum et terra et elementa ; reliqua non sunt illâ creatione facta. — SECUNDO : Quia in capite II Genesis, ubi fit recapitulatio omnium quæ dicta sunt primo capite,
Gen. II, 4-5 dicitur : *Istæ sunt generationes cœli et terræ, in die qua creavit Dominus cælum et terram, et omne virgultum agri priusquam germinaret.* Ex quo loco colligit Augustinus utramque partem suæ sententiæ. Primam : quia dicit, *In die qua creavit cælum et terram, et omne virgultum;* ergo illa omnia pertinuerunt ad unum diem ; ergo non fuerunt plures. Secundam : quia dicit quod creavit virgultum antequam germinaret; ergo non est productum in actu, sed in virtute et potentiâ : quia, antequam germinaret, non erat actu.

15. TERTIO : Impossibile est quod Deus consumeret integrum diem in producendis piscibus et volatilibus, in formandis luminaribus, in discooperiendâ terrâ, etc. : nam quodlibet istorum operum faciebat in instanti. Nam solum dicendo faciebat :
Ps. XXXII, 9 *Dixit enim et facta sunt;* dicere autem Dei est instantaneum. Ergo, præter unum instans, toto reliquo tempore illius diei erat Deus otiosus : quia non faciebat aliud opus usque ad aliud instans alterius diei. Hoc autem est omnino superfluum : quia si de uno die solum occupabat unum instans, et reliquum diei vacabat, ad quid dicitur quod successive per plures dies faciebat? sed [1] pluribus instantibus discretis. Et multo convenientius est, totum reducere ad unum diem vel unum instans, et non plures dies erogare, solum de quolibet sumendo unum instans.

16. QUARTO : Quia si distinguuntur primi sex dies, quia Deus in quolibet eorum uno instanti operabatur et reliquo tempore vacabat, ergo non poterit septimus dies ab illis distingui : quia in septimo die nullo instanti operatus est, et sic nec dies illa seu duratio illius diei est facta : quia non fit tempus, seu dies, nisi faciendo rem talis durationis et temporis. Si autem nullam rem facit, nec diem facit. Si autem intelligitur, quod fecit tunc id quod pertinet ad propagationem : hoc non pertinet ad unicum instans, neque ad solum septimum diem, sed ad totum tempus usque nunc; quomodo ergo in illo opere sumitur septimus dies determinate tantum? — QUINTO : Virtus Dei maxime ostenditur potens et summa, quanto breviori tempore plura operatur; ergo non debuit sic successive dividere opera sua. Nec id exigebat ostensio suæ sapientiæ : quia sapientia ostenditur in ordine multarum rerum, et non plurium actionum. Quid enim sapientiæ ostenditur in hoc quod hodie uno instanti operetur istas vel illas res, et reliquum tempus diei vacando, altero die iterum alio instanti plures alias res faciat? Cum maxime ostendatur sapientia in eo, quod ea quæ facit inter se ordinata relinquat, etiam si unicâ actione fiant : quia sapientis est ordinare [2].

[*Fundamenta Augustini diruuntur.*]

17. AD PRIMUM * RESPONDETUR, quod in illo loco Ecclesiastici illud verbum « simul » potest intelligi : vel de simultate continuationis, ita quod solum opponatur interruptioni; et est sensus « sine ullâ interruptione, seu unâ vice, creavit omnia ». Vel potest intelligi de simultate aggregationis, ita quod non construatur cum ly *creavit,* sed cum ly *omnia;* ut sit sensus « hæc omnia simul, seu totum hoc aggregatum, creavit ille qui vivit in æternum » : quia nihil est in omnibus his simul sumptis, et in toto aggregato, quod ab alio principio processerit. Vel potest intelligi de simultate durationis : quia scilicet omnia unicâ duratione vel instanti produxit. Aut denique de simultate adunationis : quia [3] omnia simul, non dispersa, sed adunata et inter se concatenata creavit; et sic iterum ly *simul* non construitur cum ly *creavit,* sed cum ly *omnia,* ita quod fecit omnia esse simul, id est, adunata et conjuncta in hoc universo, unum cum alio vinctum et conjunctum. Omnes istæ expositiones videntur probabiles, et sine violentiâ possunt accommodari litteræ. Et nulla illarum (præter tertiam) postulat ut in uno instanti seu uno die producantur omnia, sed unâ vice, unâ sessione, quæ potuit aliquam durationem habere juxta beneplacitum Dei. Tertia vero expositio loquitur de simultate durationis, et traditur a D. Thoma (hîc *, art. 2 ad 2). — Nec obstat illud verbum *omnia* **, cum dicitur quod creavit omnia : quia etiam verificatur omnia esse creata, quando factum est cælum et terra [4] per creationem, scilicet in suâ materiâ elementari aut formabili, ex qua postea processerunt in actu. Omnia ergo, quæ ex nihilo creata sunt, simul, id est, in instanti primo facta sunt.

18. AD SECUNDUM * RESPONDETUR : Neutram partem illius sententiæ sequi ex illis verbis. — *Non primam :* quia textus Scripturæ sic dicit :

* supra, n. 14
* I P. q. 74, a. 2, ad 2
** supra, n. 14, *Nec potest dici*
* supra, n. 14, *Secundo*

(1) Subaudiendum : *sed [dici debuit quod faciebat] pluribus...* || Primum enim membrum, *ad quid dicitur?* æquivalet huic : *non debuit dici quod... faciebat;* cf. tomi I Præfationem, cap. III, art. 2, § 3, n. 1.

(2) Sic apte corrigit C || Mendose LP *ordine.*
(3) Ita emendandum cum C || Male LP *qui.*
(4) Ita bene emendat C || Male LP *terram.*

Istæ sunt generationes cæli et terræ, quando creata sunt, in die quo fecit Dominus Deus cælum et terram : et omne virgultum agri antequam oriretur in terra, omnemque herbam regionis priusquam germinaret. Ubi sunt tres clausulæ. — Prima resumit generationes nuper recitatas cæli et terræ, quando creata sunt. Ubi ly *quando* designat durationem, seu tempus, quo res istæ factæ sunt, non unius diei aut unius instantis, sed eo tempore et illis diebus qui etiam superius (cap. 1) recitati fuerunt. — Secunda clausula est : *In die quo creavit Deus cælum et terram :* ubi ly *in die* ponitur in singulari ad designandum primum et principalem diem in quo creata sunt cælum et terra, quia vere in illo primo die creata sunt; et ita ly *in die* solum ad cælum et terram referuntur (1). — Tertia clausula est : *Et omne virgultum agri priusquam oriretur in terra :* ubi videtur continuari illud verbum « fecit » aut « creavit » Deus, ne maneat clausula suspensa. Sed non est necesse quod, si verbum « fecit » referatur ad ly *omne virgultum agri*, etiam referamus ad ipsum illud verbum « in die » : ita quod sit sensus : « in die, quo Deus fecit cælum et terram, fecit omne virgultum agri. » Hoc enim non cogimur dicere ex vi verborum Scripturæ; sed intelligere possumus quod illud verbum « quando creata sunt », quod complectitur omne tempus quo istæ generationes sunt factæ, referatur etiam ad omne virgultum agri : scilicet, et quando fecit omne virgultum agri et omnem herbam regionis; ly autem *in die* solum referatur ad cælum et terram.

18[bis]. Nec enim in hac constructione est aliquod inconveniens, immo magna consonantia : quia virgultum agri et herba est una ex generationibus comprehensis in illis verbis, *Istæ sunt generationes cæli et terræ, quando creata sunt*, non autem ex comprehensis in illis verbis, *in die quo fecit cælum et terram;* quia herba et virgultum non sunt cælum et terra, sed generatio cæli et terræ. Ergo melius construuntur cum ly *quando creata sunt*, quam cum ly *in die quo fecit cælum et terram.* — Si autem instanter quis velit quod etiam « virgultum agri » construendum est cum ly *in die quo fecit cælum et terram*, tunc dicendum est cum D. Thoma (ad primum*), quod in illo die facta est herba et virgultum in potentiâ et virtute, scilicet in illa re unde postea germinavit; sed in actu in die tertia in qua ponitur a Scriptura; tunc enim fuit tempus istius generationis.

* I P. q. 74, a. 2, ad 1

19. *Secunda* * *etiam pars illius sententiæ* non probatur ex illis verbis. Quia cum dicit, *Et omne virgultum agri priusquam oriretur in terra*, non intelligitur quod fecit Deus omne virgultum priusquam oriretur absolute et in actu, sed priusquam oriretur modo consueto, quo oritur et pullulare solet in terra. Unde non dicitur « priusquam oriretur de terra », sed *priusquam oriretur in terra*, id est, eo modo quo solet oriri in terra.

* cf. supra, n. 14, *Secundam*

20. AD TERTIUM * DICIMUS : Deum fecisse omnia dicto suo et actione instantaneâ et indivisibili, immo et æternâ ex parte Dei : sed successivâ et temporali ex parte rerum factarum magis vel minus brevi tempore, aut aliquando etiam instanti in eodem die, prout sapientia divina disponebat. Dictum enim divinum, quod ex se est instantaneum, non ponebat res a se factas in instanti, sed procedebant ab illo dicto pro tempore juxta mensuram divinæ sapientiæ; sicut etiam modo in hoc tempore gubernat ea, quæ fiunt successive et pro diversis temporibus, eodem dicto et imperio suo, quod est instantaneum ex parte suâ. Unde non vacabat, nec erat otiosus Deus reliquo tempore unius diei, quo aliqua opera faciebat : quia illud dictum et imperium Dei comprehendebat totum tempus illius diei, ut in eo successive fierent opera quæ fieri volebat. Sicut cum quintâ die dixit Deus, *Producant aquæ reptile et volatile*, intelligendum est quod illud dictum imperabat ut totâ illâ die ebullirent pisces et aves ex aqua, modo isti, modo illi. Et cum die quartâ dixit ut fierent luminaria in cælo, dictum illud comprehendit totam diem, ut in illâ omnes motus et adspectus siderum et planetarum disponerentur, sicque determinarentur eorum virtutes. Bene verum est quod in sexta die formatio Adam et Evæ potuerunt (2) esse instantaneæ, propter rationes supra * allegatas. Et formatio animalium non fuit per totum diem : quia, creato Adam, adducta sunt omnia ad illum; sed summo mane brevi aliquo tempore, aut paucis horis **, eo quod illâ die multa oportebat facere quæ reliquum tempus occupabant. Et ita imperium Dei determinabat, quod in illo die hoc opus esset in instanti, illud in brevi tempore, aliud in alio.

* supra, n. 15

Gen. 1, 20

* q. 72, nn. 12 30, 47, 56-57

** cf. supra, q. 72, n. 56-57

21. AD QUARTUM * DICITUR : Septimum diem non distingui ab aliis penes opera de novo facta in ipsâ (3), sed penes administrationem et gubernationem operum jam factorum, quæ exinde administrantur per omnes dies usque ad finem mundi. Nec dies isti distinguuntur ratione operum in eis faciendorum; sed ipso motu cæli et solis dies distinguuntur et plurificantur primo et per se, tam sex primi quam iste septimus. In ipsis vero sic distinctis facta sunt diversa opera, vel de novo

* supra, n. 16

(1) Ita LP, sat inconcinne || Melius C *refertur*.
(2) Sic omnes, dure admodum || De hoc dicendi genere consulas tomi I Præfationem, cap. III, art. 2, § 3, n. 5, c), et n. 7, b).
(3) Sic omnes || Id est : *in ipsâ [die septimâ]*.

incipiendo sex [1] primis diebus, vel administrationem creaturæ incipiendo sicut in septimo.

* supra, n. 16, *Quinto*

22. AD QUINTUM * RESPONDETUR, quod virtus tanto ostenditur major, quanto breviori tempore potest facere plura, potestate quasi in actu primo; sed tanto ostenditur sapientior, quanto in actu secundo convenientius dispensat hujusmodi modum operandi, et unicuique naturæ et rei faciendæ se accommodat : ita quod ex parte rerum factarum quædam facit in instanti, quædam successive, quædam breviori tempore, quædam longiori. Et sic fuit in præsenti, quod creavit ex nihilo cælum et terram in instanti, elementa distinxit et ornavit successive, et quædam integro die, quædam breviori tempore fecit, etc. Ordo autem sapientiæ non solum ostenditur in ipso ordine, qui in facto esse conservatur in rebus jam factis, sed in ipso etiam productionis modo et dispositione faciendi : ut non mixte aut confuse fiant, sed ordinate et procedendo de imperfecto ad perfectum, juxta quod ipsæ naturæ postulant, et earum etiam limitationem ac dependentiam in hoc ostendendo.

23. *Ex hoc autem manent exclusæ aliæ sententiæ,* quæ concordantes cum Augustino in hoc quod omnia ista sunt producta a Deo unâ die, modum tamen et rationem quare dicantur sex dies non referunt ad distinctas cognitiones angelicas, seu diversas res cognitas : sed vel ad ipsam ordinationem sex præcipuarum perfectionum universi, quæ ita sunt ordinatæ et graduatæ inter se, sicut diversi et successivi dies ordinantur, et perinde ac si diversis diebus ordinarentur. Vel quod isti dies concomitanter solum se habebant in productione istorum operum, quasi producto tali opere dicatur, « et simul factum est vespere et mane talis dies, quartus vel quintus, etc.; » quæ est explicatio Cajetani *. Vel etiam, ut alii dicunt (sicut Cano super istum articulum), quod locutio « sex dierum » debet intelligi condicionate, id est, quod, si Deus ad instar humanorum artificum operaretur, sex diebus hoc universum faceret : sicut dicimus quod instans fluens facit tempus, et punctum fluens lineam, id est, si posset fluere, faceret lineam aut tempus.

* in Gen., cap. II, in initio

24. *Sed explicationes istæ fundamento carent.* — Nam in primis, totum hoc alienum est a sermone historico, quo nobis traditur narratio institutionis et creationis hujus universi : ad quid enim deservit omittere veritatem ipsam historicam, et non dicere quod totum hoc fuit factum unâ die, si vere ita fuit, et tradere nobis hanc historiam per quasdam comparationes et allegorias et proportiones : quod rem totaliter reddit obscuram, et nihil certi tradit? — Et deinde, si dicitur totum hoc universum creatum sex diebus, quia ordinatio perfectionum ejus sic est ordinata sicut sex dies successivi, etiam poterit dici sex horis, aut sex minutis, aut sex mensibus vel annis facta : quia in ipsa ordinatione, qua perfectiones istæ graduatæ sunt, cum his omnibus proportionem habent, quia etiam ordinata sunt omnia ista successive; nec est major ratio quod illa ordinatio perfectionum comparetur in proportione cum sex horis vel sex annis, quam cum sex diebus. — Dicere autem quod illud tempus diei, quod ponit Scriptura, solum concomitanter * se habet cum operibus tunc factis, est impossibile : quia illa opera pertinent ad hunc mundum visibilem, et maxime ad hæc inferiora, et illud tempus erat revolutio cæli spatio viginti quatuor horarum; ergo repugnat solum concomitanter respicere illa, et non regulative, quia naturâ suâ sunt subjecta illi motui ut regulæ.

* supra, n. 23, *Vel quod isti*

25. Illa autem condicionalis M. Cano * etiam nihil certi nobis tradit; nam sicut dicitur quod, si Deus more artificum humanorum faceret, sex diebus faceret, etiam posset dici quod sex annis, et plusquam sexcentis : quia more humanorum artificum non dico sex diebus, sed neque sex aut sexcentis annis, posset tanta machina rerum fieri. Quare ergo magis dicitur mundus factus sex diebus, quam sex vel sexaginta annis : cum tam bene possit fieri illa condicionalis pro sex annis, quam pro sex horis, et pro multo pluribus? Et unde habetur quod, si more humanorum artificum Deus operaretur, solum sex diebus totum hoc faceret, non pluribus? Et, si Deus fecit omnia mixta de facto et in actu per unum diem integrum qui constat viginti quatuor horis, cur non per sex dies veros : cum respectu Dei tantam habeat difficultatem dicere quod fecit per sex dies, vel per sex aut viginti horas, si semel successive operatus est?

* supra, n. 23, *Vel etiam*

CIRCUMSTANTIÆ ALIQUÆ IN HAC UNIVERSI PRODUCTIONE, A SCRIPTURA OBSERVATÆ, EXPLICANTUR.

26. Ex multis paucas attingemus quia non expositive, sed scholastice rem hanc tractamus; et ideo, quæ solum ad controversiam scholasticam trahi possunt, explicabimus.

27. PRIMO IGITUR OCCURRIT illa circumstantia, quod dicitur *in principio creasse Deum cælum et terram,* omissis ex parte mundi elementalis tribus elementis, igne, aere et aquâ; ex parte cælestis, nullâ in speciali sphærâ explicatâ, sed solum generico nomine cæli; omissâ etiam omni productione

Gen. I, 1

(1) Ita, certissime, corrigendum || Mendose omnes : *ex primis.*

spiritualium substantiarum seu Angelorum, de quibus tanta mentio postea habenda erat in Scriptura. — Illud etiam *in principio* non significatur, an sit in principio temporis, an in principio agente, scilicet in Filio per quem facta sunt omnia. Et si est in principio temporis, non potest stare : tum quia illud principium non fuit instans, quia non fuit mutatum esse; tum quia immediate post non incepit motus, quia non incepit dies, nec enim erat lux. Ergo non bene illa explicantur.

28. RESPONDETUR : In primis excludendum esse errorem eorum philosophorum vel ethnicorum, qui putabant aquam non esse factam, et esse quasi materiam coævam ipsi Deo : qua ratione fingebant deos jurare per aquam stygiæ paludis, quia erat aqua illa omnibus rebus antiquior. Quod si inde vellet hic error firmari, quia in hoc capite I non dicitur creata aqua, convincitur ex alio loco Scripturæ (Judith IX, 17) ubi dicitur : *Deus cœlorum, creator aquarum.* Convincitur etiam ex eo quod aqua subjicitur operationi divinæ et imperio ejus, ut cum divisit aquas ab aquis, et cum dixit ut congregarentur aquæ in locum unum; unde dicitur (Job XXVI, 12) : *In fortitudine illius repente maria congregata sunt;* non potest autem subjici imperio et operationi Dei, quod non est creatura ejus, et ab eo [non] (1) dependet. — Dicimus ergo Scripturam in opere creationis solum numerasse extrema, summum et infimum, cælum et terram, ut intelligeremus etiam contenta inter cælum et terram : quasi diceret quod creavit a cælo usque ad terram, et nihil intra hæc duo extrema, inter hoc infimum et illud summum, inveniri potest non creatum a Deo; et sic brevi compendio omnes partes universi esse creatas significavit, dum ipsa principalia ceteras ambientia significat. Quod etiam alibi expressit Scriptura, quod hîc compendio dixit, scilicet (Esth. XIII, 10) : *Tu fecisti cœlum et terram, et quidquid cœli ambitu continetur :* insinuans nobis, quod cælum et terra non significantur simpliciter in Scriptura, sed ut ambientia seu contentiva aliarum.

29. Et cum postea tam multa de aquis ex imperio Dei facienda debet commemorare Scriptura, non videtur fuisse necesse singillatim de creatione aquæ meminisse, sed sufficere exprimere imperium et fortitudinem Dei super aquas ferri, ut ex illis faceret quod vellet : exinde enim colligi poterat, quod aqua erat ab eo facta, quia ei subjecta. — De aere et igne singillatim etiam mentionem non fecit : quia ista elementa minus visibilia nobis sunt, unde magis voluit esse inclusa quam expressa in ista creatione. Sed tamen specialiter aerem nobiliori vocabulo appellavit, vocando ipsum « cælum » seu « firmamentum cæli » : tum quando dictum est, *Fiat firmamentum in medio aquarum;* tum in opere quintæ diei, cum dicit, *Et volatile super terram sub firmamento cœli.* Unde cum de illo statim mentionem facturus erat sub nomine firmamenti, non erat necesse in ipso opere creationis nominare. Ignis etiam, qui est ad concavum lunæ (si ibi est), nulli alteri servit nisi sibi : nihil sustentat, nulli commodum locum præstat, nullo extrinseco ornatur, omnia sibi adjuncta consumit et devorat. Unde non oportuit computari in constructione universi, ubi omnia maxime sibi confœderata et unita narrat Scriptura, ipsaque accommoda et proficua aliis. Et sic magis Scriptura facit mentionem de igne pro inferno, tamquam de instrumento divinæ justitiæ devorante impios, quam in concavo lunæ et prope cælum.

Gen. 1, 6
Gen. 1, 20

30. De sphæris autem cælestibus in speciali non erat necesse facere mentionem, sed solum cæli in genere : quia nec in aliis rebus fit specialis mentio specierum, sed generum : ut herbarum et lignorum, volatilium et piscium, jumentorum, bestiarum et reptilium, etc. — De Angelorum productione etiam non oportebat agere, quia valde remota est a nostris sensibus; non agitur autem in præsenti nisi de his, quæ humano et sensibili modo in nostram cognitionem veniunt circa hujus universi formationem.

31. *Quod attinet* * *ad illud verbum* « in principio » etc. : licet multi intelligant de principio, id est, Filio, in quo universa sunt condita : tamen magis usuale videtur intelligere in principio temporis : quia hîc traditur articulus creatoris, in quo credimus Deum esse creatorem omnium in tempore, quia per ipsum facta sunt sæcula *, id est, tempora. Intelligitur autem esse principium temporis extrinsecum, id est, instans. Non requiritur autem, quod omne instans sit mutatum esse, sed solum instans terminativum aut continuativum motûs, quia supponit motum ante se, et sic mutatum; instans autem pure initiativum non est mutatum esse, sed principium mutationis. Fuit autem motus immediate post : quia cælum, etsi nondum habebat lucem, non est tamen inconveniens sed necessarium quod habuerit motum diurnum ante lucem : eo quod fuit aliquod tempus in quo cælum fuit sine luce : ut ex aliis sanctis, qui contra Augustinum sentiunt hos dies esse naturales, sentit D. Thomas (hac q. 74 *, a. 2, in fine corp.). Tempus autem non est sine motu, quia est numerus motûs. Et motus diurnus juxta D. Thomam incepit ante quartum diem, ut supra (quæst. 67** et 70***) plemus.

* cf. supra, n. 27, *Illud etiam*
* Heb. 1, 2
* I P. q. 74, a. 2
** n. 33-39; et q. 66, n. 23
*** n. 10-22

(1) Omittunt omnes negationem, quam claritatis gratiâ supplemus.

diximus. Et ille motus ante lucem potest vocari « vespera » generali vocabulo : quo vespera ponitur pro defectu lucis, cum motu saltem ad lucem : licet proprie vesper apud nos aliquid lucis in actu habeat.

32. SECUNDO INQUIRES : Quomodo dicatur *spiritus Domini ferri super aquas*. — RESPONDETUR : Aliquos sumere ibi spiritum pro vento; quam opinionem non admittit D. Thomas (hîc, art. 3* ad 4) propter auctoritatem sanctorum in contra. — *Sed, præter hoc, succurrit ratio :* quia tunc naturaliter non poterant esse venti, sed nimis præternaturaliter, eo quod tunc non elevabantur exhalationes : erat enim terra operta aquis, et aquæ ipsæ nondum salsæ erant, ut exhalationes siccas ex se possent emittere, e quibus generantur venti. Nec erat sol aut sidera cum luce et calore, ut possent illas elevare : quia spiritus ille ferebatur super aquas ante productam lucem. Et sic nondum erant causæ naturales quibus generari possent venti. — Et præterea, aqua illa tunc operiens terram erat ita alta, quod transcendebat secundam regionem aeris : si quidem nondum erat factum firmamentum in medio aquarum, quod fuit sequenti die. Super ipsam autem secundam aeris regionem non fiunt venti : quia suprema illa pars aeris est valde tenuis propter vicinitatem ignis; nec exhalationes illæ siccæ eo perveniunt, ita ut ab aliquo superiori repellente inde retorqueantur, sicut requiritur ad vehementiam ventorum, qui fiunt ab exhalationibus repulsis a secunda aeris regione ejusque frigore. Et sic in aere ita attenuato et sine exhalationibus, sicut est pars illa superior aeris, non sunt venti : idque narratur ex ipsâ experientiâ constare : quia in vertice montis Olympi, qui nubes excedit, nulli venti sentiuntur, ita ut si ibi in pulvere litteræ scribantur, eodem modo reperiuntur etiam post unum annum. Non ergo tunc naturaliter poterant esse venti super illas aquas.

Gen. 1, 2

* I P. q. 74, a. 3, ad 4

33. Nec obstat, quod etiam tempore diluvii aquæ elevatæ sunt super omnes montes, et consequenter supra secundam regionem aeris, et tamen fuit ventus : quia dicitur (cap. VIII, 1) quod *adduxit Dominus spiritum super terram, et imminutæ sunt aquæ*. — Respondetur enim quod, etiamsi demus in hoc casu præternaturaliter hunc ventum fuisse adductum, nullum esset inconveniens, sicut et ipsum diluvium præternaturale fuit. Est tamen inconveniens, præternaturales operationes ponere in ipsâ primâ rerum institutione. — Secundo, minus præternaturaliter ventus ponitur post diluvium : quia erat materia unde elevarentur exhalationes siccæ, scilicet mare et aqua salsa, et causa efficiens hujus elevationis, scilicet sol et sidera. — Tertio, non constat hunc spiritum seu ventum esse adductum a Deo antequam aquæ essent imminutæ et terra inciperet apparere; videtur enim ille ventus magis ordinari ad exsiccandam terram, quam ad diminuendas aquas. Et licet prius dicatur Deum adduxisse spiritum, quam aquas esse imminutas, non tamen est necesse eo ordine contigisse : sed ponitur per quamdam anticipationem illa adductio spiritûs, sicut etiam dicitur quod *imminutæ sunt aquæ, et clausi sunt fontes abyssi et cataractæ cæli, et prohibitæ sunt pluviæ de cælo :* et tamen prius fuit prohibitio pluviæ, quam imminutio aquarum. Unde non dicitur absolute, quod Deus adduxit spiritum seu ventum, sed quod adduxit illum super terram : non ergo super aquas obtinentes terram et secundam regionem aeris, sed super terram jam discoopertam.

34. *Quare spiritus ille,* qui ferebatur super aquas, *est Spiritus divinus, et substantia spiritualis :* non autem spiritus creatus, seu Angelus. Quia non apparet ad quid Angelus ferretur super aquas, si quidem effectus ex aqua faciendi non procedebant ab Angelo, nec poterant, sed a Deo, ut supra * ostensum est; sicut congregatio aquarum in unum, productio piscium et avium ex aqua, et similia. — Si vero dicatur illum spiritum, qui ferebatur super aquas, esse Angelum qui movebat cælum, et exinde causabat effectus aliquos in aqua : Hoc est valde generale pro omnibus effectibus qui a cælo et ab intelligentiâ movente fiunt in his inferioribus, non solum in aqua, sed etiam in aliis elementis, nec solum specialiter illâ die, sed etiam nunc. Unde, ratione hujus, valde improprie diceretur illum spiritum ferri super aquas, cum solum esset in cælo; et posset similiter dici ferri super aerem aut terram, quia ad omnia hæc influentiæ cæli derivantur.

35. Dicitur ergo spiritus Domini ferri super aquas, intelligendo per spiritum vivacitatem intelligentiæ, amoris et fortitudinis, ad efficiendum ex aquis et in aquis præcipuas operationes hujus primæ creationis tamquam ex materia; et postea plura mysteria nostræ redemptionis. Unde sicut artifex respiciens materiam et versans illam, ex qua grande aliquod artificium parat disponere, dicitur toto spiritu super illam versari et ferri, quia totâ attentione et vivacitate; ita super materiam principalem, quæ post opus creationis servire debebat operibus divinis in hoc mundo inferiori, quæ est aqua, dicitur supremus artifex ferri : non motu passivo ipsius Dei, sed motione et dispositione activâ artificis. Tum ex parte intellectûs per spiritum sapientiæ, et per ideam artis quæ pertinent ad spiritum intelligentiæ et ad verbum mentis, juxta quod dicitur (Heb. XI, 3) : *Fide*

intelligimus aptata esse sæcula verbo Dei, ut ex invisibilibus visibilia fierent; et specialiter de aqua (Eccli. XXXIX, 22) : *In verbo ejus stetit aqua quasi congeries, et in sermone oris illius sicut exceptoria aquarum* : ubi ly *verbum* pertinet ad intelligentiam mentis, *sermo oris* ad dictum et imperium.

36. Tum secundo intelligitur spiritus Domini, spiritus amoris et affectûs, qua ratione appropriatur Spiritui Sancto : eo quod artifex ex amore, quo tendit in suum artefactum seu opus, disponit ejus materiam eamque fovet et aptat. Dicitur tamen spiritus seu amor Dei ferri super aquas, quia non ex indigentiâ et necessitate, quasi materiæ subjectus, sed super eam excellens, talem materiam disponebat. — Tum tertio, spiritus Domini intelligitur ejus fortitudo (sicut homines fortes, magni spiritus vocamus), quâ tot et tam magna opera ex aqua disponebat facere; hæc enim attribuuntur fortitudini divinæ, sicut dicitur (Job, XXVI, 12) : *In fortitudine ejus repente maria congregata sunt*. Hæc omnia recte significantur nomine spiritûs. — Super aquas autem, potius quam super aliam materiam, ferri dicitur : quia, ut dictum est*, aqua erat principalis materia ex qua opera Dei erant facienda in hoc mundo inferiori : ut secundâ die firmamentum in medio aquarum, tertiâ die congregatio aquarum in unum, quintâ die pisces et aves ex aqua, sextâ die hominem ex luto [1], ex aqua et terra.

* supra, n. 35

37. TERTIO INQUIRES : Quomodo D. Thomas (in hoc art. 3*, solutione ad 6) dicit, quod dies dicitur componi ex vesperâ et mane; et prius ponitur vespera, quia, cum a luce dies inceperit, prius occurrit terminus lucis qui est vespere, quam terminus tenebrarum qui est mane? Quod non stat cum eo quod nos supra* diximus, diem primum incepisse a tenebris, et post sex horas ortum esse mane seu lucem, illasque tenebras loco vesperæ [2] posse sumi in largiori significatione. — RESPONDETUR, quod D. Thomas loquitur de die artificiali, qui incipit a luce, cujus terminus est vespere. Et dicitur prius occurrere : quia licet prius sit mane quam vespere, in ipso tamen die artificiali incepto, qui supponitur a luce incipere, id quod occurrit non est jam ipsum mane, sed terminus ejus. At vero nos locuti sumus de die naturali, qui incipit communi nostrâ computatione in mediâ nocte, non ab ortu lucis seu solis; et in hoc secuti sumus ipsum D. Thomam qui fatetur, cum aliis sanctis præter Augustinum, fuisse aliquod tempus in quo non erat lux (in hac quæst.*, art. 2, in fine corporis). Si autem fuit aliquod tempus in quo non erat lux, ergo tempus naturale illius diei non incepit a mane, sed a tenebris ante lucem.

* I P. q. 74, a. 3, ad 6
* q. 66, n. 4-7; q. 74, n. 31
* I P. q. 74, a. 2

38. QUARTO INQUIRES : Quæ sit ratio quare in operibus aliquorum dierum, ponendo quod Deus dixit hoc vel illud fieri, et quod factum est, iterum additur : *Et fecit Deus*, v. g., bestias et jumenta* : *Fecitque Deus duo luminaria***, *etc.* — RESPONDETUR : congruentissime hoc poni. Quia, cum dicitur : *Factum est ita*, ostenditur effectus statim subsecutus ad imperium Dei. Cum vero additur : *Et fecit Deus, etc.*, ostenditur modus faciendi : quod non ita Deus imperat, ut creaturæ sine ipso Deo efficiant, ita quod tota exsecutionis virtus et efficientia a creatura sit, licet imperium a Deo; sed Deus ita imperat extrinsece, quod etiam facit et concurrit intrinsece et physice cum creaturâ exsequente; nec sufficit ipsa sola, aut Angelus, aut alia vis creata, sine Deo intus operante etiam ipsam exsecutionem.

* Gen. I, 25
** Gen. I, 16

39. QUINTO INQUIRES : Quare dicitur primus dies unus dies : *Factumque est vespere et mane dies unus*, et non dicitur primus, cum reliqui etiam unus dies sint? — RESPONDETUR : Facile ab hac quæstione se expedire, qui intelligunt in Scriptura idem esse unam diem et primam diem : sicut cum dicitur, *Una sabbati* (Joa. XX, 1; Act. XX, 7; I Cor. XVI, 2), idem est quod prima sabbati : id est, primâ die post sabbatum, quæ est dies dominica. Nam similiter dicere poterunt, dici unum diem esse factum, id est, primum diem. — Sed quia hoc non est ita certum quoties ponitur « una dies », sed idem videtur valere una dies, quod quidam dies : ut (I Reg. XIV, 1) : *Et accidit quadam die, ut diceret Jonathas, etc.*; (Luc. VI*) : *Factum est in una dierum*; ideo melius respondemus cum Basilio (homilia 2** Hexameron) et D. Thoma (hîc†, art. 3 ad 7), diem primum vocari unum, vel ad designandum quod toto spatio viginti quatuor horarum non efficitur nisi unus dies; vel quia dies consummatur per reditum solis ad unum et idem punctum; vel quia, completo septenario, reditur ad primum diem qui est unus. Quæ omnes rationes resumuntur in hoc, quod primus dies dicitur unus, quia unitas diei sumitur ab illo primo ut exemplari; quia reliqui dies in tantum habent unitatem diei, in quantum [3] id quod habuit illa prima dies, scilicet spatium viginti quatuor horarum, et redire solem ad idem punctum, etc. Et sic per principalitatem et antonomasiam ille primus dies dicitur unus.

* rectius : Luc. V, 17; VIII, 22; XX, 1
** n. 8; PG 29, 49
† I P. q. 74, a. 3, ad 7

[1] Supple : [*id est*] *ex aqua*...
[2] Male omnes : *vespere*.
[3] Intelligito : *in quantum* [*habent*] *id quod*...

40. Sexto inquires : An mundus fuerit productus verno, an æstivo, vel autumnali tempore; quo mense, quo die. — Respondetur quod, incipiendo a die, certum est primum diem creationis correspondere diei dominico. Constat : quia septimus dies fuit sabbatum; ergo primus debuit esse dominicus. Quod et Ecclesia agnoscit in hymno, cum dicit de die dominica * :

* Dominica, ad Matutin.

Primo dierum omnium
Quo mundus exstat conditus :
Vel quo resurgens conditor
Nos morte victâ liberat.

41. *De mense vix potest certo et fundamentaliter definiri.* Nam etsi omnes communiter conveniant quod mundus formatus est in aliquo æquinoctiorum, ita quod primus dies æqualis fuit in luce et in nocte, nec tunc adhuc inceperat diversa temperies frigoris, caloris, veris, autumni, etc., sicut cœpit a die quartâ : tamen an istud æquinoctium fuerit vernale, vel autumnale, auctores variant inter se, inspectis solum extrinsecis rationibus. — Quidam enim attendunt in tempore verno amœnitatem et temperiem illius, et quod sit renascentis anni principium : quod utique maxime congruit illi tempori, quo non solum mundus renascitur quotannis, sed quo primo simpliciter natus et factus est. — Quidam vero attendentes ad maturitatem fructuum, quibus necessario debebant arbores ornari quando primo productæ sunt, ut homines et animalia haberent ad vescendum, (nam et in paradiso arbores fructum habebant, ut constat ex Scriptura *), dicunt in æquinoctio autumnali, quando fructus sunt maturi, productas esse arbores, et consequenter totum mundum. Quod si in vere productæ sunt cum floribus, ut sequenti autumno maturescerent, oportuit etiam cum aliquibus fructibus produci ad escas animalium et hominum pro illo tempore; quod est magis præternaturale, ut scilicet simul cum floribus et fructibus producantur arbores.

* Gen. II, 16-17; III, 2-3, 6


42. Si tamen per intrinsecas et indubitatas rationes deberemus procedere, optime id fieret, si possemus fixe et determinate annos creationis usque ad Christi adventum statuere. Hoc enim si fiat, retrocedendo ab illo anno usque ad primum, illud æquinoctium assignabimus in quo invenietur fuisse tale æquinoctium in die dominica : cum enim constet ex Scriptura, primum creationis diem fuisse dominicum, si æquinoctium autumnale constiterit die dominico accidisse in illa annorum retrocessione, illud assignabimus pro tempore creationis mundi; si vernale fuerit in die dominico, illud erit. Hoc autem valde laboriosum est, et dependet ex fixa determinatione anni, quo natus est Christus, quod individualiter vix certis fundamentis determinari potest; et, si unus solum annus erretur, tota computatio concidet. Provenit autem ista difficultas et fixa determinatio annorum usque ad Christi adventum, tum ex ipsa serie annorum quæ texitur et sumitur ex Scriptura, quæ mille interpretationibus, opinionibus variisque lectionibus subjecta est; tum ex illo tempore ubi Scriptura omittit filum et seriem annorum : scilicet ab anno primo Cyri regis (I Esdr. I, 1), ubi soluta est captivitas septuaginta annorum, et fuit primus annus Cyri non absolute ex quo cœpit esse rex in Persia et Media, sed ex quo cœpit esse monarcha, captâ Babyloniâ et destructo regno Chaldæorum. Nec enim ante poterat solvi captivitas Judæorum, qui in Babyloniam ducti sunt; nec ante potuit vere dicere Cyrus : *Omnia regna terræ tradidit mihi Deus cæli* (ut habetur I Esdr. I, 2). Iste autem primus annus Cyri in Babylonia non constat certo in historiis profanis qua olympiade fuerit, ut exinde duci possimus determinate ad olympiadem qua natus est Christus, et sic annos illos conjungere cum annis in Scriptura seriatim deductis usque ad primum Cyri in Babylonia. Nam exinde Scriptura, usque ad annos regni Græcorum in Macchabæis *, nihil de serie annorum tractat; nec ab anno 177 regni Græcorum, ubi finitur historia libri Macchabæorum et totius veteris testamenti in morte Simonis **, scilicet centum triginta tribus vel quatuor annis ante natum Christum, nullam seriem annorum texit.

43. Quare cum series et textura annorum per certitudinem non ostendat nobis annum individualem usque ad natum Christum, non possumus retrocessionem istam punctualiter facere, ita ut in illa retrocessione annorum videamus quodnam æquinoctium ex istis pro anno creationis fuit celebratum in die dominica : nam, quocumque anno mutato, mutatur illa computatio, et assumitur alius annus cujus æquinoctium non sit dies dominica. Ab hujusmodi ergo computatione supersedemus. — Certe si Deus, quando populo suo de terra Ægypti recedenti præcepit ut a martio seu a Nisan, qui est primus mensis æquinoctii vernalis, inciperent menses numerare (Exo. XII, 2), aliquid novi præcepit quod adhuc antea non erat in usu (quod videtur valde verisimile, alias frustra illud mandatum imponeret de novo, si jam erat in usu) : sine dubio magnum argumentum fit, quod mundus non fuit creatus in illo vernali æquinoctio, sed in autumnali : quia non videtur alius modus computandi et incipiendi principium anni fuisse usque ad illud tempus in populo Dei, nisi qui habebatur per traditionem ab initio creationis mundi.

44. Illud solum admonuerim, quod æquinoctium vernale in illo primo tempore creationis celebrabatur mense aprili, non martio; et autumnale, mense octobri, non septembri. — Ratio est : quia, juxta regulas astronomicas, sol quatuor millibus annorum retrocedit in æquinoctiis triginta diebus, seu uno mense; unde et nostris temporibus, propter retrocessionem æquinoctii, necesse fuit amputare decem dies, ut fixe posset stare in 21 martii et septembris. At, circa tempora Christi Domini, quinquaginta annis plus vel minus, æquinoctium erat 26 septembris : ut constat ex reformatione illis temporibus recenter facta a Julio Cæsare, id est, anno 45 ante Christum natum. Ergo necesse est, quod in tempore creationis mundi æquinoctium autumnale esset 26 octobris : quia post quatuor mille annos retrocesserat uno mense ad septembrem. Et idem proportionaliter de vernali æquinoctio dicendum est. — Et hæc sufficiant pro hac brevi et scholasticâ explicatione hujus operis sex dierum

FINIS TOMI QUARTI

SOLI DEO HONOR
ET GLORIA



INDEX

MATERIARUM

QUAS TRACTAT JOANNES A SANCTO THOMA IN HOC QUARTO TOMO

COMMENTARII IN PRIMAM PARTEM

TRACTATUS DE TRINITATE

* olim : *disp. 12 tomi secundi* (alias : *tertii*, alias : *quarti*)

* olim : *disp. 14 tomi secundi* (alias : *tertii*, alias : *quarti*)

TRACTATUS DE CREATIONE

TRACTATUS DE ANGELIS

* olim : *disp. 19 tomi secundi* (alias : *tertii*, alias : *quarti*

* olim : *disp. 22 tomi secundi* (alias : *tertii*, alias : *quarti*)

* olim : *disp. 24 tomi secundi* (alias : *tertii*, alias : *quarti*)

* olim : *disp. 25 tomi secundi* (alias : *tertii*, alias : *quarti*)

TRACTATUS DE OPERE VI DIERUM

Imprimé en Belgique par Desclée & Cie, Éditeurs, S. A. Tournai. — 6177